This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

LUGD ... BATA

Digitized by Google

Ar. 1547



3me Edition

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



LUGD. BATAV. EX Officina HACKIANA. 1674.

Digitized by Google

Digitized by Google

EUPHORMIONIS LUSININI,

SIVE

JO. BARCLAII, SATYRICON,

Nunc primum in Sex partes diſpertitum, & Notis illuſtratum, cum Clavi.

Acceſsit

CONSPIRATIO ANGLICANA.



LUGD. BATAVORUM,

Ex Officina HACKIANA,

Aº. MDCLXXIV.

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO REGI
JACOBO PRIMO,
Britanniarum Monarchæ inclyto,

EUPHORMIO S. D.

NOn peccavi in virtutem tuam, invictiſſime Rex, dum terrarum ſcelus libello hoc acerbe ultus ſum. In homines enim erupit hic impetus, non in Deos: quos etiam laudare pertimui, ne aut quæſiſſe curioſus crederer, aut ſacrilegus dubitaſſe. Cæteros ſuſcepi indignante ſtimulo perfodiendos. Et prope neminem eſſe dolui, cui in hanc diem prodeunti non aſtiterit Genita Mana, illa ad quam ſuſcipiebatur votum, ne quis naſceretur domi probus. Quæ etiam timeo ne adfuerit hujus libri cunabulis, & ne ipſe nihilo ſit melior, quam quos arguit. Adoravi jam ante tamen genium tuum, ut crediderunt aliqui, non indigno plane donario, & erigitur etiamnum animus meus ad hæc ſtudia felicius, quoniam vaticinantur ſibi, hæc Maje-

 ſtatem

ſtatem tuam velut in tranſitu libaturam.

Facundum faciebat amor.

Cujus utinam amoris mei præmium mihi illud dii ferant, ut deterſo adulationum fuco intelligas, quam non fortunam in te tuam, ſed te in fortuna tua veneror: cui cum infinitis nominibus omnia, tum etiam Muſarum gratia debeo. Tu illas tam familiariter in ſecretum admittis, ut hoc ſtudiorum temperamento jam minus Martem Gradivum refugiant. Tu J. Gordonium, hominem qui juxta literas & virtutem colit, noluiſti in alio quam in tuo orbe vivere. Tu eximio hominum delectu, memoriam ad ea tempora noſtram excitas, quibus Regum animi non quam late, ſed quibus imperarent, ſolicitabantur. Ego vero, Rex Auguſtiſſime, ſive enſem in ſtylos dividi, ſive ſtylos in gladium porrigi jubes, præſto ſum. Sive qua me fortuna ſacrario tuo inducet, ſive qua in aliis conſtituet terris, pergam Hephæſtionem cum Cratero confundere, ut Jacobum, ut Regem pari auſpicio à me cultum ſaltem intelligant, qui me Iacobo, qui Regi omnia debere, omnia voviſſe intelligunt. Vale Rex Potentiſſime, & ab omni Satyræ morſu non fortuna, quam ingenio, non imperio quam virtute ſecurior.

EUPHOR-

EUPHORMIO ILLUSTRATUS.

DE SATYRA.

CErtatum eſt nuper inter nos utrum Satyra in Muſarum ſacrarium eſſet admittenda: Et alii quidem afferebant in argumentum, & patrocinium ſuæ cauſæ prohibitam olim Satyram ſic exoleviſſe, ut multis abhinc ſeculis tanquam proſcripta, & conclamata ſileret: Severum appellatum fuiſſe Perſium, quod aſperitate ſtyli & argumenti exaſperaret animos, qui in eluctandis tenebris nimium quantum laborârent. Cui Ego: Atenim vitia carpit, & *proſcribit*. Eſto, retulit, ſed more vitioſo; adde quod

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractant, & incedunt per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Alii ſuggerebant in Satyra raros eſſe lepôres, rara acumina, ſalaces eſſe & petulantes plerumque Satyræ morſus; proferebant in exemplum Juvenalem, Martianum, Minæum, Horatium, Petronium, Apuleium, & alios Satyricos. His addebant Satyram, obſcuris ludere ænigmatum ambagibus, & involucris res ſic occultare, ut intelligentes non intelligant: unde forte Hebraicè כתר (*Shatar*) idem ac cœlare, tegere; ſicut & שטר (*Schatar*) idem ac præeſſe, à quo Benoni, id eſt, participium activum שוטר apparitor, exactor, præco, monitor; & in Paül, id eſt in participio paſſivo שטור quod poſſet ſignificare exactus in judicium ab apparitore, à præcone traductus. Et שתר idem quod סתר ſecretum fuit 1 Reg. 5. Nonnulli proferebant inconditam eſſe Satyram, & illius poëſin vix ad carminis

formam accidere: quot ſunt verſus, tot eſſe ſcopulos, & ſyrtes, ad quas frequenter allidimur, vel cum naufragii periculo: omnia denique quaſi turbidum mare, & inæquale procellis obſcuriſſima caligine offundi, illudque objectabant Auli Perſii,

Quis leget hac? min' tu iſtud ais? nemo Hercule, nemo,
Vel duo, vel nemo. turpe & miſerabile.

Hiſtrionem demum appellatum fuiſſe Juvenalem aſſerebant, cujus carmina laſcivie, petulantiaque referta ſint; cujus verba omni obſcœnitate ſint infamia; cujus Satyræ laſcivientium Satyrorum petulantiæ reſpondeant. Jactabantque illud Satyrici, popularis ſui,

Quoy Monſieur n'eſt-ce pas cet homme à la Satyre,
Qui perdroit dix amis, plutoſt, qu'un mot pour rire?

Et hoc quidem de Martiali aſſeverant. Audi Horat.

Fœnum habet in cornu, longe fuge. dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico;
Et quodcunque ſemel chartis illeverit, omnes
Geſtiet à furno redeuntes ſcire, lacuque.

Romæ ludicra illa ſtatua, quæ vulgo dicitur Paſquin, cachinnanti ſimilis eſt, habetque in pectore ſcriptum, *Concrepo.* Hæc illi, quibus ego: Nunquam legiſtis Martialem Poëtam, cujus eſt illud Epigramma ad commendationem Poëtæ Satyrici,

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quam levis in tota Marſus Amazonide.

Enimvero quantam ſibi peperere famam ſuis carminibus Perſii, Juvenales, Horatii, Lucilii. An hunc amicitia & familiaritate ſua indignum cenſuere Scipio & Lælius, etiamſi primos civitatis dente, & ſalibus Satyræ mordacis ſoleret perſtringere, inter alios vero Lupum, & Metellum, *Nam Lælius, aut qui*
Duxit ab oppreſſa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offenſi, aut læſo doluere Metello,
Famoſiſve Lupo cooperto verſibus?

Arguit

Arguit Horatius Satyra 1. lib. 2. Revera Lucilius Poëta emunctæ naris, *Etſi durus componere verſus*, ut idem ait, nulli vitio parcere poterat: ſed ab optimatibus ad proletarios omnes ingenioſe, & abſque virulentia; ſed paterna quadam caſtigatione corripit: unde idem Poëta Venuſinus,

Primores populi arripuit, populumque tributim.

Sed & ipſe idem ſupra laudatus Horatius in ſuis Satyris nonne Fabii Equitis Romani garrulitatem, Tigellii Auguſto familiaris pertinaciam, Naſidieni Ruſi veſaniam, Tanais Mœcenatis liberti incontinentiam cachinnis dignam ludendo reprehendit? ſed adverte qua libertate Aufidium Luſcum prætorem ipſe ille arguat Satyra 5. lib. 1.

Fundos Aufidio Luſco prætore libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,
Prætextam, & latum clavum, &c.

Et Satyra decima ejuſdem libri ut Alpinum tumentem Poëtam, & ſibi coævum, ac popularem ludit, quod Memnonem in poëmate ſuo jugularit, ſeſeque in Rheni deſcriptione cœno inquinarit.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Diffingit Rheni luteum caput. hæc ego ludo.

Fungar, inquit ille, vice cotis, quæ ferrum acuit; ſic & Satyra ad virtutem ſtimulos addit,

Ridendo dicere verum
Quis vetat?

Ex vetere Comœdia quæ vitia quondam acerrime juxta lepideque notabat, & caſtigabat, emerſit Satyra, quæ & quaſi *Satura* à copia rerum, & ut olim varietate carminum, vel à Satyrorum petulantia ridicula, quæ in hoc carmine nonnunquam reperitur, à Satyris inquam illotis ad irridendos & adunco naſo ſuſpendendos perverſos hominum mores, ad reprehendenda vitia in ſcenam inductis, appellationem ſortita

 eſt:

eſt: nam ſcena

—— mox etiam Satyros nudavit,
Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.

Hæc libertas poſtmodum à Tyrannis lege lata ſublata eſt, quoniam,

In vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obtinuit ſublato jure nocendi.

Erat naſuta & jocoſa illa poëſis, quatenus

Romani tollant Equites, peditesque cachinnum,
Ætatis cujusque notandi ſunt tibi mores.

Nec ætatis modò, ſed & conditionis, quod quidem exequitur ad amuſſim iſte in Satyris, ubi fungitur vice cotis, dum in pravam modo invehitur conſuetudinem eorum qui nunquam ſua ſorte contenti vivunt: modo in illos qui cum in ſuis vitiis conniveant, in alienis perſpiciendis acutam habent aciem. Nunc vanum de nobilitate judicium reprehendit, quam homines ſtemmatum antiquitate, non virtute ſolent metiri: mox in blaterantes, & loquaces invehitur: alias luxum intemperantem inſectatur; frugalitatem commendans, poſtea Epicureorum præcepta notat ad artem culinariam ſpectantia. Sed quid *Euphormio*, qui modo Democriti, modo Heracliti vices agit? ille non minus hercle ſapit etiam dum videtur deſipere, dum omnem conditionem, omnem ætatem, libidinem, abuſumque diſciplinarum, & ſciolorum vanitatem ludibundus arguit. Hallucinati ſunt autem quotquot eum ſingularium notaſſe labes ſibi finxêre; quotquot claves ad reſeranda Euphormionis Arcana fabricarunt, dum ſub perſonis Callionis, Percantis, Anemonis, & aliorum privatas perſonas notaverunt. Siquidem ille cum Juvenali Satyrico tantum vitia notat,

Digitized by Google

tat, & damnat, perſonas autem tacet: & quidem novæ nobilitatis tumores in Callione pungit, ſervorum inſolentiam in Percante caſtigat, levitatem & inconſtantiam juvenum in Anemone deridet, demum, certaminum ſingularium vecordiam lancinat.

Porro iſte *Euphormio* ſoluta elocutione Satyras *ſcripſit* non primus, habuit enim prævios, ſibi viam ſternentes Petronium Arbitrum, auctorem ex omnium conſenſu communi in impuritatibus puriſſimum, ſi characterem ſpectes: habuit Apuleium, etſi rudentem Aſinum, tamen non raro ſe ipſo, aliiſque ſuperiorem, cæteros ut ſileam. Eſto reperiantur nonnulli durioris ſupercilii qui hos partus deprimant. Non me latet apud Balſacium in diverſis ejus opellis ſermo decimus ſextus, cui titulus iſte præfigitur *Les paſſages deffendus, troiſieme deffence. Peu de temps auparavant un Academicien de Rome, confident, & comme il parloit intrinſeque du redoutable Sciopius, ſçachant l'amitié qui eſtoit entre Monſieur Barclay, & moy, & l'amour que j'avois pour ſon Argenis, affin de moderer, diſoit il, la violence de ma paſſion, s'offrit à me monſtrer dans cette nouvelle hiſtoire que nous avons eſcritte à la main quantité d'improprietés, & je ne ſçais combien de pechés originels, & de locutions eſtrangers.* Hactenus Balſacius. De his locutionibus mentionem facit iſte Sciopius in libro, quem ſic inſcripſit; *Hercules Coprophorus*, ſive cenſura in multos varioſque ſcriptores ætatis ejus litteratiſſimos de vitioſo, & corrupto ſermone; in quo libello Joannem Barclaium accuſat perpetui Galliciſmi & in Euphormione, & in Argenide.

Ita ſentit alter iſte Ariſtarchus, ſeverus ad priſcam cenſuram judex, & ipſe non raro dignus notari. Sed habemus in manibus antidotum tam ſubtili veneno obvium, auctoritates ingeniorum defœcatiſſimorum & per omnem artem excultorum Urbani VIII. Gregorii

gorii XV. Grotii, Drexelii, Naudæi, Antonii Quærengi, Lauri, & aliorum, in quibus recenſendis longior ſim; ſed Boccalini, ne vileſcat teſtimonium,

Boccalin. nella ſecretaria di Apollo

A Gio Franceſco Biondi.

L'applauſo univerſale fatto all' Argenide, ed all' Euphormione di Giovanni Barclai da tutti i virtuoſi in Parnaſo hà obligata la grandeſſa noſtra, à corriſpondere all' applauſo con una ſolemne dimoſtrazione di compiacimento e perſio dovendo di giorno in giorno capitare in Parnaſo la ſua perſona con giubilo di tutta la corte noſtra, affine di ſolemnizare l'ingreſſo d'un tanto letterato, abbianco determinato di fargli un fuoco d'una grand quantità da Romanzi, non degni d'altra luce onde vi comandiamo, che laſciato à parte quelch' uno, che porta ſcio non diſpreggievole erudizione, ſi nella teſſitura, come nella ſtile, che apporta molta utilita; di tutti rimanenti i quali non contengono ſe non ſogni di niun utile, ne facciatte una raccolta, & la mandiate immediatamente in Parnaſo, doue per noſtro comandamente ſarà acceſo in grand fuoco, con facoltà a tutti i Pedanti, che ſi muoiono di freddo, d'intervenirvi, à condizione però di nettare il luogo d'alle ceneri, e di portarle nel fiume Lethe,

Nam Euphormio iſte nullus alius eſt, quam Joannes Barclaius tranſmutatus ut vox Græca ſonat, erat autem gente Caledonius, Gallus Natalibus, de quo habet breve elogium ſubjectum ejus imagini Grotius. Quod ſi ſcire pluribus cupis, Lector, quis ille fuerit, conſule vitam ejus in fronte Argenidis, ubi mores ejus habentur deſcripti juxta ea quæ ad me ab ejuſdem Barclaii conjuge, Aloyſia Debonnaire, & à Filio ejus natu majore Cæſare Barclaio, dum ambo negotiorum cauſa ex Italia Lutetiam veniſſent, & per aliqua temporis ſpatia diverſarentur in ſancti Germani ſuburbio: omitto enim hæc ne recocta crambe nauſeam creet. Porro duas iſtas Satyras, ſeu libros inſcripſit nomine Euphormionis, aut Argenidis, Argenidis inquam illius

Digitized by Google

lius quæ omnium gentium donata linguis multam feret ætatem, & plenum gloriæ auctorem tranſvehet ad poſteros; quam & ô Reges, & Principes aſſiduis verſarent manibus, quam denique vix reſpexerat, cum ſubito expirat philomela ſub ictu. Quod ad Alethophilum attinet hæc habe à Drexelio in Aurifodina ſua, ubi laudatis Argenide, & Icone animorum, ſic ait, *à Barclaji morte homines ſimplices, & prorſus albæ mentis quædam ejus nomine obtruſerunt edita, ac ſi litteratum hoc ævum à plumbo neſciret aurum diſtinguere: aſsignant aliqui auctorem hujus libelli Theophilum; ſed editum ajunt à Divionenſi Juris-conſulto nomine* Moriſot, *de quo vulgatum eſt hoc monoſtichon*,

Vivere qui renuit ſapiens, vult ille mori ſot.

Cum igitur citrà omnem aleam, & controverſiam non ſit Barclaii liber iſte, tenebris quam luce dignior, abſit ut ego velim quærere drachmam inter ſordes, aut eruere ex ſtercore multo aliquot micas auri, ne forte totum ſterquilinium pro auro habeatur, abſit inquam, ut aquam fluentem in cloacam in hortum meum velim divertere. Habebis autem alterum Alethophilum, mea Minerva elucubratum.

Cur inſcripſerit Euphormionis titulo Satyras ſuas iterum quæris? Phormio quidem in comœdiis Terentii pro titulo, & perſona reperitur; agit autem vices paraſiti cujuſdam garruli: quid ſi Euphormionem bonum paraſitum (ſi qui bonus eſſe poteſt) dixero. Sed ad Græca malim recurrere; εὐφορμίζω, id eſt, canto, modulor. ſuperius autem philomelam ſe dicebat, forte quod inſtar hujus avis querulis ſonis plurimum vacet, dum perverſos hominum mores dolendo notat: aut quia modulis narrationes ſuas interpolare ſoleat. Atque hæc de titulo libelli.

CLAVIS

Digitized by Google

CLAVIS
Nomina ignota paſſim in EUPHORMIONE occurrentia reſerans & exponens.

ACignii, ſive *Acigniani*, Jeſuitæ.
Adriana. ——
Ægorus, Comes Egmondanus, ſeu Hornanus, Bruxellis decollatus.
Aelpis, ——
Alexandria, Barleduc Lotharingiæ, ſeu Galliæ.
Albagon, Albanus, ſeu Dux de Alba.
Ambrax, ——
Amphiraus, Regis Angliæ Secretarius.
Anemon, Monſieur de Bonville, qui legatos recipit.
Aquilius, Rudolphus Imperator.
Archoropus, forte eſt Brandeburgicus.
Arete, ——
Argyroſtratus, Ambroſius Spinola, propter ſumptus belli nimios.

BAſilius, Jeſuitarum fautor, forte Willeron.
Baſilium, Aurelia; ſive potius Lutetia Pariſiorum, quod ibi ſedes Regia. Atque hinc
Baſiliani, Pariſienſes, vel Aurelianenſes.
Boethia, Germania.
Brutus, ——

CAllion, Dux Lotharingiæ Guiſius.
Caſina, uxor Comitis de Morot, deliciæ ſeu concubina Regis; Item Hollandia, à caſeis.
Catharinus, Puritanus, Miniſter quidam Sectæ Puritanæ in Anglia.
Charridotus, Richardotus; Præſes Conſilii apud Albertum Auſtriacum, ſeu Conſilii Regii Senatus in Belgio, cujus precibus & ſuadela Batavi potiſſimum permoti Inducias duodecennales pepigere.

Chryaus,

Chryſes, ——
Cæſar, ——
Cleſſandritus, Britanniæ Rex.
Cleoſtrata, la Marquiſe de Vernandi, amica ſeu concubina Henrici IV. Regis Galliæ.
Curſor, la Varene, ſeu Varennes, equorum curſoriorum magiſter, totius Galliæ præcipuus, Henrici IV. Leno.

DElphium, ſeu *Delphinum*, Muſſipontium Academia Galliæ: ſive, illuſtris Schola Jeſuitarum, Academia Ponti-Muſſana. Pont à Mouſſon.
Deſpotikyrius, ſervus heri ſui dominus, Dux de Lerme, Hiſpaniæ Theſaurarius.
Doromiſus, oſor munerum. Forte hoc nomine deſignatur Rhoni Dux de Roſinas, ſeu Juliacenſis, Galliæ Theſaurarius.

ELeutheria, Francia, Gallia.
Euphormio, Johannes *Barclaius*, auctor Satyrici.
Eutychia, Monachatus.

FIbullius, Callionis ſive Guiſii amicus.
Figulus, Potier.
Fortunæ templum, l'Arſenal, ſive Armamentarium Regium.

GEphyrius, Pontifex.
Geragathus, Dominus Villeroy.
Glykire, ——

HEbræus, Judæus *Merſel* vel *Wenzel oder Senz*, quem alii dictum volunt Philippum Lang.
Hieromerimna, ——
Hippophilus, & *Hippoplutus*, Philippus II. Potentiſſimus Rex Hiſpaniæ. Idem *Liphippus*.
Hypogæa, Sagæ nomen.

JAnicularius, Petrus Janinus, Præſes in Senatu, & à conſiliis Gallo.

Icoleon,

Digitized by Google

Icoleon, Belgium confœderatum. à leonina fortitudine.

Ilium in parte { prima Oſtenda. / ſecunda Lut. Pariſ.

Julianus, ——

Juno, Regina Galliæ.

L*Abetrus*, Albertus Archidux Auſtriæ.

Lapicia, ——

Leucus, Jehan Ney, vel Cotton Confeſſionarius Regis.

Leucomus, ——

Liphippus, Philippus III. Hiſpan. Rex. Idem *Hippophilus.*

Liſipus, Lipſius. Idem *Neopalaus.*

Longinus, Nicolaus Brulartus, Galliæ Cancellarius, ita dictus, quod res ſuas lente expediat: Tentulus, Belli-Curius.

Lucretius, ——

Luſinia, Lotharingia, alias Scotia; & melius; Patria auctoris. Hinc *Luſinini*, Scoti.

M*Auritius*, ——

Marcia, Venetiæ; à Marco Euangeliſta patrono ita dictæ.

Melandria, Hiſpania; & *Melandri*, Hiſpani.

N*Eapolitanus*, Monſieur de Neuf-Ville, Ville-roy, Secretarius.

Nearius, Mauritius, Comes Naſſovius, Princeps Aurangiæ.

Neopalaus, Lipſius.

Nyſaus, Bacchus.

Olympio, Comes de Morot.

P*Edaa*, Infanta Iſabella, Alberti Archiducis conjux.

Pedo, ——

Penia, ——

Percas, Monſieur d'Anguien (alias Arquien) de Mets, Gubernator Metenſis.

Philo-

Digitized by Google

Philoſophi, Monachi.
Philotimia, ——
Poimenarchus, Cardinalis aut Epiſcopus.
Protagon, Henricus IV. Rex Galliæ.

SCelimorrbodia, Britannia, Anglia & Scotia, Magna Britannia.
Sibronius, Briſonius, Præſes Parlamenti.
Sophagon, ——
Straton, ——

TEſſaranactus, Jacobus I. Magnæ Britanniæ Rex.
Thebani, Germani, Teutones.
Themiſtius, Juriſconſultus quidam; vel P. Gregorius, Juriſconſultus Ponti-Muſſanus: vel Gulielmus-Barclaius, Pater noſtri auctoris, Profeſſor Regius in Ponti-Muſſana Academia: *qui ſcriptis graviſſimis* de Regno & Regis inſtitutione, de poteſtate *Pontificis adverſus* Bellarminum, admodum inclaruit, & ſuperiore tempore Ducis Lotharingiæ conſiliarius fuit.
Theophraſtus, Perronius Cardinalis Ebroicenſis, cujus ſollicitudine in Gallia plures Scoti celebri nomine bonas artes profeſſi ſunt, quam in ipſa Scotia foventur & aluntur à Rege.
Torrentius, Pricat, alias Brulard, Cancellarius alter, à cognomine ſic dictus.
Trifartitus, Georgius Dux Leuchtenbergius, Lantgravius.

VErona, ——
Vanarra, Navarra.
Vocula, ——

** EUPHOR-

Digitized by Google

[illegible] CON.

[illegible] 1

[illegible] Cal- [illegible] 4

[illegible] infa- [illegible] & [illegible] Ea- [illegible] 11

[illegible] gradibus [illegible] Prælatis, [illegible] 17

[illegible] ſervis [illegible] emittant; [illegible] ex animi ſen- [illegible] ſtultorum [illegible] 22

[illegible] Experimento, [illegible] ad ſales & [illegible] præcumbens [illegible] ex qua potione [illegible] 27

Cap. VII.

Cap. VII. *Epiſtola Callionis ad Fibullium ab Euphormione & Percante delata, in qua Medicorum ſcientia carpitur: atque Triton in aquis obviis.* 31
Cap. VIII. *Militis cujuſdam cum nocturna larva dimicantis hiſtoria non illepida.* 35
Cap. IX. *Vana ſuperſtitio quorundam ridetur.* 40
Cap. X. *Saga in antro Manes invocat, in quo latebant Percas & Euphormio; ubi vanitas veneficorum carpitur.* 45
Cap. XI. *Vanum eſt, earum rerum cupiditate torqueri, quæ poſſunt aut non haberi, aut, cum habeantur, effluere.* 55
Cap. XII. *Laudes Acignii cum moribus ejus conjuncta, ubi invehitur in ſciolos.* 57
Cap. XIII. *Pervenit Baſilium Euphormio, vix ſatis ſibi conſtans, ſed à diſcipulis Acignii expellitur.* 60
Cap. XIV. *Euphormionis munus. Hypogaa venefica digna ſceleribus mors. Alterius venefica doli.* 64
Cap. XV. *Euphormio ad tribunal ſiſtitur, læſo Acignii diſcipulo, verum dum ſe Callionis ſervum prædicat, abſolutus recedit. Ludi interim gymnaſtici interſeruntur.* 67
Cap. XVI. *Accedunt Euphormio & Percas ad Fibullium. Medicorum reprehenduntur errores. Virga aurea virtus adverſus calculum extollitur: ad hæc gratus animus Fibullii erga Euphormionem.* 73
Cap. XVII. *Magnificentia domus Labetri deſcribitur: exhibetur autem ſtatua ridicula ex butyro, aliaque arcana domus.* 79
Cap. XVIII. *Tabella porticus Labetri & alia quæ Euphormio contemplatur.* 82
Cap. XIX. *Labetri porticus omni antiquitatum genere referta.* 87
Cap. XX. *Hic de variis ſcientiis diſputatur; ſermoque de Poëtis inſtituitur.* 90
Cap. XXI. *Jentatur apud Labetrum. Euphormio Callionem præcedit in Italiam. A Fibullio epiſtolas accipit.* 104
Cap. XXII. *Euphormio in Italiam præmittitur, domumque præparat Callioni; Bovem interim lædit, unde carcer ſequitur, & narratio inſomnii.* 106
Cap. XXIII. *Euphormio damnatur patibulo. Socius pœnarum* addu-

adducitur cum eo, exponiturque quantus fuerit ejus animus, quodque fuerit eorum prandium. Euphormionem ſupplicio eripit Callionis adventus. 109

Cap. XXIV. *Callio ſalutat Fibullium: mox uterque deſcendit in arenam ſingulari certamine digladiaturus: vulneratur Fibullius, à quo inſimulatur Euphormio.* 115

Cap. XXV. *Euphormio ſervorum pœnâ, virgis & frontis inuſtione mulctatur. A Percante mox virgis cæditur. at jure in Percantis conqueritur falſas amicitias.* 118

Cap. XXVI. *Diſceptatio inter duos Doctores, quæ exploditur.* 123

Cap. XXVII. *Adventus Archoropi, & Euphormionis fuga.* 128

Cap. XXVIII. *Euphormio pergit in Italiam. Occurrit Neapolitano cuidam, qui domini ſui juſſu Veronæ in medio foro primarii juvenis cæde manus imbuerat. Internecio Italica & mores Italorum. Viatores aggregati & eorum certamen.* 130

Cap. XXIX. *Italicæ cujuſdam nuptiæ. Euphormio exceptus hoſpitio ab amico Fibullii. Fugit & poſt errores varios pervenit Alexandriam patriam Callionis.* 135

Cap. XXX. *Euphormio Alexandriam cum perveniſſet perrexit in regiam. Ab Alchymiſta ſeducitur: ſed mox invehitur in vanitatem & errores Alchymiſtarum.* 138. *ſeductus quaſi nummorum adulterator apprehenditur.* 144. *rixam & jurgium habet cum caupone apud quem cœnaverat.* 145. *ad Prætoris urbani tribunal contendit. attentus eſt ad cauſam Principis fatuorum: & patronum cauſæ ſuæ inquirit.* 147

PARS II.

Cap. I. *Exultat Euphormio de re bene à ſe geſta, maxime quod fuga ſaluti conſuluerit ſuæ. Delphium pergit, ubi litteris humanioribus vacat: ſed mox cum pædotribis totaque Academia jurgio committitur.* 156

Cap. II. *Euphormio cum Themiſtio familiariter converſatur, qui Euphormionem heredem ex aſſe conſtituit; eique auctor eſt in Scolimorrhodiam ſe recipiat. Anemon è ſcholaribus unus*

poſt

poſt varia benevolentiæ monimenta eidem auctor eſt, ſæculo ut deſerto in cœnobium ſe intrudat. 161

Cap. III. *Themiſtius cognita Euphormionis benevolentia à conſilio tentat eum avertere. Sequitur ſermo adverſus eos, qui adoleſcentibus incautis vitam cœnobiticam ſuadent amplecti.* 165

Cap. IV. *Euphormio & Anemon* Theophraſti *oratione avertuntur à deſerendi ſæculi conſilio. In Marciam ſecedit, ubi cum ſenatore contendit.* 169

Cap. V. *Quanta ſit Gephyriorum poteſtas & auctoritas; & unde nata contentio* Gephyriorum *cum Marcianis.* 173

Cap. VI. *Pedonis adventus in Marciam, qui ex ſervitio ſit opulentiſſimus ſub* Callionis *clientela. Is auctor eſt Euphormioni ut in* Eleutheriam *proficiſceretur ſub* Protagonis *patrocinio victurus.* 177

Cap. VII. *Euphormio pergit in* Eleutheriam; *ad ſuburbana Ilii devenit. Audit ibi eſſe templum* Fortunæ. Docetur *qua ratione* Fortuna *felices efficiat.* 181

Cap. VIII. *Euphormio ingreditur Fortunæ templum, occurritque venuſtæ mulieri, cujus Veneribus allicitur. Fortunam & ipſe adorat ſupplex, & ad Doromiſi, præcipui ejus miniſtri, tectum ſubire decernit.* 186

Cap. IX. *Doromiſi limen ubi ſalutavit, demiratur magnificentiam veſtibuli.* 189

Cap. X. *Euphormio occurrit* Doromiſo, *& ad nuptias Olympionis & Caſinæ invitatur.* 191

Cap. XI. *Euphormio in manus ſervorum delabitur, qui affligunt eum verberibus. Mox occurrit* Theophraſto *cum quo familiariter colloquitur.* 197

Cap. XII. Theophraſtus *Euphormionem ad virtutis ſtudia æmulanda pellicit; ſed fruſtra apud ſurdas aures.* 199

Cap. XIII. *Anemon Euphormionem &* Theophraſtum *inviſit: ſed quantum mutatum hunc reperit, & à vero religionis ſenſu alienatum.* 202

Cap. XIV. *Adoriuntur* Euphormionem *&* Anemonem *graſſatores improviſo facinore.* 205

** 3 Cap. XV.

Digitized by Google

Cap. XV. *Euphormio ad Doromiſum ſe confert & ſymbolo ſibi opus eſſe intelligit.* 208
Cap. XVI. *Euphormionis dolorem & indignationem ſequitur ſuimet à ſeipſo inſimulatio.* 211
Cap. XVII. *Euphormio acceptis litteris ad Theophraſtum pergit. hujus dolorem levat Julianus. Leucomus quod Principibus nimium adhæſerit, rei familiaris diſpendium patitur.* 215
Cap. XVIII. *Euphormio apud Theophraſtum officioſa cœna excipitur. Theophraſti fœlicitati invidet.* 219
Cap. XIX. *Euphormio Fortunæ templum ingreditur.* 222. 224. *intereſt Comœdiæ ubi familiarem ſermonem facit cum amaſia ſua.* 225
Cap. XX. *Comœdiæ argumentum actorumque nomina.* 227
Cap. XXI. *Humanitatis mala deteſtatur Euphormio, ſeque in Philoſophorum diſciplinam dedere decernit.* 237
Cap. XXII. *Tabellæ involucrum.* 238. *& ænigmatica interpretatio* Vini cadus. 251
Cap. XXIII. *Juriſprudentiam defendit Euphormio, & in Declamatorem invehitur, tum de ſcientiis variis diſputat.* 242
Cap. XXIV. *Acignius Euphormionem tentat allicere, qui cogitat in Scolimorrhodiam, & apud Acignium diverſatur, qui omni officio & comitatis indiciis eum proſequitur.* 251. *De Eutychia ejuſque politica diu protractus ſermo.* 255. & ſeqq.
Cap. XXV. *Eutychia pro muris habet laqueos.* 257. 259.
Cap. XXVI. *Eutychiæ ſeptem portæ & ſingulæ ſuis numinibus notabiles.* 261
Cap. XXVII. *Euphormio à Trifartito in domum Aquilii deducitur, ibique omnia viſu digna contemplatur.* 265
Cap. XXVIII. *Protagonis & Liphippi tabella. Aquilii fornaces; hunc, dum Alchimiæ incumbit, fragile vaſculum ſic eludit, ut in terram fractum delabatur: unde mœrore pene conficitur.* 269
Cap. XXIX. *Dum meliuſcule ſe habet Aquilius, Euphormionem invitat ad cœnam Trifartitus, ubi comeſſationes & compotationes Thebanorum deſcribuntur & proſcribuntur.* 271
Cap. XXX. *Euphormio in Scolimorrhodiam poſtquam pervenit, à Catha-*

à Catharino reprehenditur, quod feſto die ſeſe via commiſerit, & hilaritati ſe dare non dubitaret. 275

Cap. XXXI. *Catharini de reformatione morum ſermo; qui ſoluta cœna grandi lituo tabacum efflat, in quod Euphormio invehitur.* 278

Cap. XXXII. *Ad Teſſaranactum Scolimorrhodiæ principem ſe confert Euphormio.* 284

Pars III.

Apologia Euphormionis pro ſe. 287

Pars IV.

Icon Animorum.

Cap. I. *Ætates hominum quatuor, pueritia adoleſcentia, ætas viridis & ſenectus.* 330

Cap. II. *Secula penè ſingula ſuum genium habere, diverſumque à cæteris. Eſſe præterea cuilibet regioni proprium ſpiritum qui animos in certa ſtudia & mores quodammodo adigat. Hos ſpiritus inveſtigari opera precium eſſe.* 347

Cap. III. *Galliæ dotes & ingenium incolarum.* 362

Cap. IV. *Britannicæ Inſulæ: in quibus diverſi populi; Angli, Scoti, Hyberi.* 376

Cap. V. *Germaniæ ritus, & Belgii, cui hodie Germaniæ inferioris nomen.* 396

Cap. VI. *Italia, & Italorum mores.* 418

Cap. VII. *Hiſpanorum genius, mores.* 430

Cap. VIII. *Hungari, Poloni, Moſci, Gentes reliquæ ad Septentrionem poſitæ.* 443

Cap. IX. *Turcæ, Judæi.* 456

Cap. X. *Præter patriæ indolem, dari cuique mortalium ſuos affectus, atque ingenium. Præcipua inveſtigari poſſe, non ſcribi omnia. De ingeniis ad ſubitos jocos aut ſententias valentibus. De aliis qui ſpontanea eloquentia diffunduntur. De hominibus tardioris lentioriſque prudentiæ. Perfectos demum eſſe, qui inter hæc duo genera ſunt poſiti. Utrum ſint præſtantiores animi,*

Digitized by Google

mi, qui literis idonei, an qui adminiſtrandis rebus publicis. Delicata ingenia aſsiduo aut diuturno minus apta, quam tarda & depreſſa. 478

Cap. XI. *De fortibus animis: Temerariis, Timidis, Superbis, Sordidis, Languidis & Reconditis, Hilaribus & Exertis. De inconſtantibus ingeniis, omnia acriter, ſed non diu, volentibus.* 491

Cap. XII. *De animis Amori obnoxiis. Hos affectus ſingulorum temperari, & interdum mutari, à fortuna, & vel ſplendida vel obſcura vitæ conditione.* 503

Cap. XIII. *Diverſos affectus eſſe Tyrannorum & Legitimorum Principum: Rurſus Regum qui ſucceſsionis jure, & eorum qui ſuffragiis ad regnum perveniunt. De Procerum, qui apud Principes gratioſi ſunt, ingenio.* 511

Cap. XIV. *De ſtudiis Aulicorum. De diverſis generibus & affectibus egenorum; itemque divitum.* 527

Cap. XV. *De Magiſtratibus. De cauſarum Patronis.* 538

Cap. XVI. *De divinarum ſcientiarum peritis: deque Præfectis Religionum.* 548

Pars V.

Alithophili veritatis Lacrymæ, ſive Euphorm. Luſinini continuatio. 559

Alethophilus Castigatus

Quæ eſt ſexta pars Euphormionis, ſive Triduum geniale Dionyſialiorum.

Dies I. *Mundi quatuor incognita ſive calumnia repreſſa.* 659

Dies II. *Sermones convivales diverſi; ubi uter infœlicior, avarus an prodigus; uter ſalacior, Martialis, an Juvenalis.* 675

Dies III. *In quo domita & exſufflata utrimque ambitio.* 695

EUPHOR-

Digitized by Google

EUPHORMIONIS LUSININI SATYRICON.

PARS I.

SI nomen à *me quæris*, Euphormio ſum: [1] ſi 1
patriam, Luſinia eſt: ubi *nullæ unquam* nubes cœlum aſperant, nulla bruma ſegetes extinguit, nulli æſtus adurunt: ſed puro incorruptoque aëris tractu liquidi ac pellucidi fontes campos alluunt, patenteſque hinc inde plagæ, & amœna, ſeu ſalubritate montium, ſeu planitierum æquabilitate, regio homines alit genio loci & fortuna ſua dignos. Non illic in honore ſupellex curioſa, non gemmæ, non imperium, non opes: non ea omnia quibus impotens hominum libido pretium fecit. Ut quiſque ad virtutis ſtudium maxime incenſus eſt, ita promptiſſime veris ſuffragiis ad magiſtratum evectus, æmu-

1 SI *patriam, Luſinia eſt.*] Quod eſſet Jo. Barclaius gente Caledonius & quod ex Scotia, quam antiqui campos Eliſios putavere, propter amœnitatem regionis, genus ſuum duceret, admirabilem & citra omnem fidem incepiſſe deſcriptionem non abs re cum non paucis crediderim. Niſi forte auctor imaginariam ſibi finxerit regionem, qualem vellet omnes eſſe, quod Satyricis vulgare eſt. Jam quod ad ſignificationem nominis attinet. λύσις idem ac *libertas*, in qua nati ac enutriti videntur Satyrici, nihil ut eis non liceat.

Digitized by Google

Isoleon, Belgium confœderatum. à leonina fortitudine.

Ilium in parte { prima Oſtenda. / ſecunda Lut. Pariſ.

Julianus, ——

Juno, Regina Galliæ.

L*Abetrus*, Albertus Archidux Auſtriæ.

Lapicia, ——

Leucus, Jehan Ney, vel Cotton Confeſſionarius Regis.

Leucomus, ——

Liphippus, Philippus III. Hiſpan. Rex. Idem *Hippophilus*.

Liſipus, Lipſius. Idem *Neopalaus*.

Longinus, Nicolaus Brulartus, Galliæ Cancellarius, ita dictus, quod res ſuas lente expediat: Tentulus, Belli-Curius.

Lucretius, ——

Luſinia, Lotharingia, alias Scotia; & melius; Patria auctoris. Hinc *Luſinini*, Scoti.

M*Auritius*, ——

Marcia, Venetiæ; à Marco Euangeliſta patrono ita dictæ.

Melandria, Hiſpania; & *Melandri*, Hiſpani.

N*Eapolitanus*, Monſieur de Neuf-Ville, Ville-roy, Secretarius.

Nearius, Mauritius, Comes Naſſovius, Princeps Aurangiæ.

Neopalaus, Lipſius.

Nyſaus, Bacchus.

Olympio, Comes de Morot.

P*Edaa*, Infanta Iſabella, Alberti Archiducis conjux.

Pedo, ——

Penia, ——

Percas, Monſieur d'Anguien (alias Arquien) de Mets, Gubernator Metenſis.

Philo-

Digitized by Google

Philoſophi, Monachi.
Philotimia, ——
Poimenarchus, Cardinalis aut Epiſcopus.
Protagon, Henricus IV. Rex Galliæ.

S*Celimorrhodia*, Britannia, Anglia & Scotia, Magna Britannia.
Sibronius, Briſonius, Præſes Parlamenti.
Sophagon, ——
Straton, ——

T*Eſſaranactus*, Jacobus I. Magnæ Britanniæ Rex.
Thebani, Germani, Teutones.
Themiſtius, Juriſconſultus quidam; vel P. Gregorius, Juriſconſultus Ponti-Muſſanus: vel Gulielmus Barclaius, Pater noſtri auctoris, Profeſſor Regius in Ponti-Muſſana Academia: qui *ſcriptis graviſſimis* de Regno & Regis inſtitutione, de poteſtate *Pontificis adverſus* Bellarminum, admodum inclaruit, & ſuperiore tempore Ducis Lotharingiæ conſiliarius fuit.
Theophraſtus, Perronius Cardinalis Ebroicenſis, cujus ſollicitudine in Gallia plures Scoti celebri nomine bonas artes profeſſi ſunt, quam in ipſa Scotia foventur & aluntur à Rege.
Torrentius, Pricat, alias Brulard, Cancellarius alter, à cognomine ſic dictus.
Triſartitus, Georgius Dux Leuchtenbergius, Lantgravius.

V*Erona*, ——
Vanarra, Navarra.
Vocula, ——

** EUPHOR-

Digitized by Google

EUPHORMIONIS
LUSININI
SATYRICON.

PARS I.

CAP. I. *Euphormio fingit ſe natale ſolum vertiſſe cupidine adductum videndi ea, quæ à ſua patria abeſſe natura voluit: mox in querelas abit propter perverſos & inſanos mores hominum, in quos invehitur.* pag. 1

Cap. II. *Euphormio urbem ingreſſus hoſpitio officioſe invitatus excipitur, quod diverſorium eſſe neſcit; urbis miracula dum contemplatur, in ſcholam Juris penetrat, ubi Doctorem videt auditque nonnulla maximè de Lege Junia Norbana explicantem. Regreſſus domum cum hoſpitibus, ſed ſine ære, ad menſam cœnaturus aſſidet. Cæteris ſymbolum offerentibus, Callioni viro nobili venditur, ipſe quod ſymbolo careat.* 4

Cap. III. *Laborant ſervi Callionis quo Euphormionem in inſaniam impellant, hunc ideo mirum quantum & affligunt & illudunt, ſed à Percante nonnullam conſolationem accipit Euphormio.* 11

Cap. IV. *Nobilitatem illam damnat, ad quam aureis gradibus aſcenditur; & queritur venales plerumque fieri Prælaturas, inſuper mœrore confectum Euphormionem ſolatur Percas iterum, & ſanis imbuit conſiliis.* 17

Cap. V. *Audientibus & per oſtii rimas ſpeculantibus ſervis Callionis, Euphormio & Percas inſtitutum ſermonem omittunt; & hic illi auctor eſt, ut fingat amentiam; quod ex animi ſententia ſuccedit, ita ut in geſtus & ſermones ineptos ſtultorum inſtar abeat Euphormio.* 22

Cap. VI. *Callionis ſecretius cubiculum ingreſſus Euphormio, medicamentum invenit & haurit; quæritur interim ad ſales & facetias fictas morio; & jacens reperitur, totoque procumbens corpore vim tanti medicamenti viſus eructari: ex qua potione ſanatum ſe fingit.* 27

Cap. VII.

Cap. VII. *Epiſtola Callionis ad Fibullium ab Euphormione & Percante delata, in qua Medicorum ſcientia carpitur: atque Triton in aquis obviis.* 31

Cap. VIII. *Militis cujuſdam cum nocturna larva dimicantis hiſtoria non illepida.* 35

Cap. IX. *Vana ſuperſtitio quorundam ridetur.* 40

Cap. X. *Saga in antro Manes invocat, in quo latebant Percas & Euphormio; ubi vanitas veneficorum carpitur.* 45

Cap. XI. *Vanum eſt, earum rerum cupiditate torqueri, quæ poſſunt aut non haberi, aut, cum habeantur, effluere.* 55

Cap. XII. *Laudes Acignii cum moribus ejus conjunctæ, ubi invehitur in ſciolos.* 57

Cap. XIII. *Pervenit Baſilium Euphormio, vix ſatis ſibi conſtans, ſed à diſcipulis Acignii expellitur.* 60

Cap. XIV. *Euphormionis munus. Hypogææ veneficæ digna ſceleribus mors. Alterius veneficæ doli.* 64

Cap. XV. *Euphormio ad tribunal ſiſtitur, læſo Acignii diſcipulo, verum dum ſe Callionis ſervum prædicat, abſolutus recedit. Ludi interim gymnaſtici interſeruntur.* 67

Cap. XVI. *Accedunt Euphormio & Percas ad Fibullium. Medicorum reprehenduntur errores. Virga aurea virtus adverſus calculum extollitur: ad hæc gratus animus Fibullii erga Euphormionem.* 73

Cap. XVII. *Magnificentia domus Labetri deſcribitur: exhibetur autem ſtatua ridicula ex butyro, aliaque arcana domus.* 79

Cap. XVIII. *Tabellæ porticus Labetri & alia quæ Euphormio contemplatur.* 82

Cap. XIX. *Labetri porticus omni antiquitatum genere referta.* 87

Cap. XX. *Hic de variis ſcientiis diſputatur; ſermoque de Poëtis inſtituitur.* 90

Cap. XXI. *Jentatur apud Labetrum. Euphormio Callionem præcedit in Italiam. A Fibullio epiſtolas accipit.* 104

Cap. XXII. *Euphormio in Italiam præmittitur, domumque præparat Callioni; Bovem interim lædit, unde carcer ſequitur, & narratio inſomnii.* 106

Cap. XXIII. *Euphormio damnatur patibulo. Socius pœnarum*

 addu-

adducitur cum eo, exponiturque quantus fuerit ejus animus, quodque fuerit eorum prandium. Euphormionem ſupplicio eripit Callionis adventus. 109

Cap. XXIV. *Callio ſalutat Fibullium: mox uterque deſcendit in arenam ſingulari certamine digladiaturus: vulneratur Fibullius, à quo inſimulatur Euphormio.* 115

Cap. XXV. *Euphormio ſervorum pœnâ, virgis & frontis inuſtione mulctatur. A Percante mox virgis caditur. at jure in Percantis conqueritur falſas amicitias.* 118

Cap. XXVI. *Diſceptatio inter duos Doctores, qua exploditur.* 123

Cap. XXVII. *Adventus Archoropi, & Euphormionis fuga.* 128

Cap. XXVIII. *Euphormio pergit in Italiam. Occurrit Neapolitano cuidam, qui domini ſui juſſu Verona in medio foro primarii juvenis cade manus imbuerat. Internecio Italica & mores Italorum. Viatores aggregati & eorum certamen.* 130

Cap. XXIX. *Italica cujuſdam nuptia. Euphormio exceptus hoſpitio ab amico Fibullii. Fugit & poſt errores varios pervenit Alexandriam patriam Callionis.* 135

Cap. XXX. *Euphormio Alexandriam cum perveniſſet perrexit in regiam. Ab Alchymiſta ſeducitur: ſed mox invehitur in vanitatem & errores Alchymiſtarum.* 138. *ſeductus quaſi nummorum adulterator apprehenditur.* 144. *rixam & jurgium habet cum caupone apud quem cœnaverat.* 145. *ad Prætoris urbani tribunal contendit. attentus eſt ad cauſam Principis fatuorum: & patronum cauſa ſua inquirit.* 147

Pars II.

Cap. I. *Exultat Euphormio de re bene à ſe geſta, maxime quod fuga ſaluti conſuluerit ſua. Delphium pergit, ubi litteris humanioribus vacat: ſed mox cum pædotribis totaque Academia jurgio committitur.* 156

Cap. II. *Euphormio cum Themiſtio familiariter converſatur, qui Euphormionem heredem ex aſſe conſtituit; eique auctor eſt in Scolimorrhodiam ſe recipiat. Anemon è ſcholaribus unus*

poſt

poſt varia benevolentiæ monimenta eidem auctor eſt, ſæculo ut deſerto in cœnobium ſe intrudat. 161
Cap. III. Themiſtius cognita Euphormionis benevolentia à conſilio tentat eum avertere. Sequitur ſermo adverſus eos, qui adoleſcentibus incautis vitam cœnobiticam ſuadent amplecti. 165
Cap. IV. Euphormio & Anemon Theophraſti oratione avertuntur à deſerendi ſæculi conſilio. In Marciam ſecedit, ubi cum ſenatore contendit. 169
Cap. V. Quanta ſit Gephyriorum poteſtas & auctoritas; & unde nata contentio Gephyriorum cum Marcianis. 173
Cap. VI. Pedonis adventus in Marciam, qui ex ſervitio ſit opulentiſſimus ſub Callionis clientela. Is auctor eſt Euphormioni ut in Eleutheriam proficiſceretur ſub Protagonis patrocinio victurus. 177
Cap. VII. Euphormio pergit in Eleutheriam; ad ſuburbana Ilii devenit. Audit ibi eſſe templum Fortunæ. Docetur qua ratione Fortuna felices efficiat. 181
Cap. VIII. Euphormio ingreditur Fortunæ templum, occurritque venuſtæ mulieri, cujus Veneribus allicitur. Fortunam & ipſe adorat ſupplex, & ad Doromiſi, præcipui ejus miniſtri, tectum ſubire decernit. 186
Cap. IX. Doromiſi limen ubi ſalutavit, demiratur magnificentiam veſtibuli. 189
Cap. X. Euphormio occurrit Doromiſo, & ad nuptias Olympionis & Caſinæ invitatur. 191
Cap. XI. Euphormio in manus ſervorum delabitur, qui affligunt eum verberibus. Mox occurrit Theophraſto cum quo familiariter colloquitur. 197
Cap. XII. Theophraſtus Euphormionem ad virtutis ſtudia æmulanda pellicit; ſed fruſtra apud ſurdas aures. 199
Cap. XIII. Anemon Euphormionem & Theophraſtum inviſit: ſed quantum mutatum hunc reperit, & à vero religionis ſenſu alienatum. 202
Cap. XIV. Adoriuntur Euphormionem & Anemonem graſſatores improviſo facinore. 205

Cap. XV. *Euphormio ad Dormiſum ſe confert & ſymbolo ſibi opus eſſe intelligit.* 208
Cap. XVI. *Euphormionis dolorem & indignationem ſequitur ſuimet à ſeipſo inſimulatio.* 211
Cap. XVII. *Euphormio acceptis litteris ad Theophraſtum pergit. hujus dolorem levat Julianus. Leucomus quod Principibus nimium adhaſerit, rei familiaris diſpendium patitur.* 215
Cap. XVIII. *Euphormio apud Theophraſtum officioſa cœna excipitur. Theophraſti fœlicitati invidet.* 219
Cap. XIX. *Euphormio Fortunæ templum ingreditur.* 222. 224. *intereſt Comœdiæ ubi familiarem ſermonem facit cum amaſia ſua.* 225
Cap. XX. *Comœdiæ argumentum actorumque nomina.* 227
Cap. XXI. *Humanitatis mala deteſtatur Euphormio, ſeque in Philoſophorum diſciplinam dedere decernit.* 237
Cap. XXII. *Tabellæ involucrum.* 238. *& ænigmatica interpretatio* Vini cadus. 251
Cap. XXIII. *Juriſprudentiam defendit Euphormio, & in Declamatorem invehitur, tum de ſcientiis variis diſputat.* 242
Cap. XXIV. *Acignius Euphormionem tentat allicere, qui cogitat in Scolimorrhodiam, & apud Acignium diverſatur, qui omni officio & comitatis indiciis eum proſequitur.* 251. *De Eutychia ejuſque politica diu protractus ſermo.* 255. & ſeqq.
Cap. XXV. *Eutychia pro muris habet laqueos.* 257. 259.
Cap. XXVI. *Eutychiæ ſeptem portæ & ſingulæ ſuis numinibus notabiles.* 261
Cap. XXVII. *Euphormio à Trifartito in domum Aquilii deducitur, ibique omnia viſu digna contemplatur.* 265
Cap. XXVIII. *Protagonis & Liphippi tabella. Aquilii fornaces; hunc, dum Alchimiæ incumbit, fragile vaſculum ſic eludit, ut in terram fractum delabatur: unde mœrore pene conficitur.* 269
Cap. XXIX. *Dum meliuſcule ſe habet Aquilius, Euphormionem invitat ad cœnam Trifartitus, ubi comeſſationes & compotationes Thebanorum deſcribuntur & proſcribuntur.* 271
Cap. XXX. *Euphormio in Scolimorrhodiam poſtquam pervenit,*
à Catha-

à Catharino reprehenditur, quod feſto die ſeſe via commiſerit, & hilaritati ſe dare non dubitaret. 275
Cap. XXXI. *Catharini de reformatione morum ſermo; qui ſoluta cœna grandi lituo tabacum efflat, in quod Euphormio invehitur.* 278
Cap. XXXII. *Ad Teſſaranactum Scolimorrhodiæ principem ſe confert Euphormio.* 284

Pars III.

Apologia Euphormionis pro ſe. 287

Pars IV.

Icon Animorum.

Cap. I. *Ætates hominum quatuor, pueritia adoleſcentia, ætas viridis & ſenectus.* 330
Cap. II. *Secula penè ſingula ſuum genium habere, diverſumque à cæteris. Eſſe præterea cuilibet regioni proprium ſpiritum qui animos in certa ſtudia & mores quodammodo adigat. Hos ſpiritus inveſtigari operæ precium eſſe.* 347
Cap. III. *Galliæ dotes & ingenium incolarum.* 362
Cap. IV. *Britannicæ Inſulæ: in quibus diverſi populi; Angli, Scoti, Hyberi.* 376
Cap. V. *Germaniæ ritus, & Belgii, cui hodie Germaniæ inferioris nomen.* 396
Cap. VI. *Italia, & Italorum mores.* 418
Cap. VII. *Hiſpanorum genius, mores.* 430
Cap. VIII. *Hungari, Poloni, Moſci, Gentes reliquæ ad Septentrionem poſitæ.* 443
Cap. IX. *Turcæ, Judæi.* 456
Cap. X. *Præter patriæ indolem, dari cuique mortalium ſuos affectus, atque ingenium. Præcipua inveſtigari poſſe, non ſcribi omnia. De ingeniis ad ſubitos jocos aut ſententias valentibus. De aliis qui ſpontanea eloquentia diffunduntur. De hominibus tardioris lentioriſque prudentiæ. Perfectos demum eſſe, qui inter hæc duo genera ſunt poſiti. Utrum ſint præſtantiores ani-*
mi,

Digitized by Google

mi, qui literis idonei, an qui adminiſtrandis rebus publicis. Delicata ingenia aſſiduo aut diuturno minus apta, quam tarda & depreſſa. 478
Cap. XI. *De fortibus animis: Temerariis, Timidis, Superbis, Sordidis, Languidis & Reconditis, Hilaribus & Exertis. De inconſtantibus ingeniis, omnia acriter, ſed non diu, volentibus.* 491
Cap. XII. *De animis Amori obnoxiis. Hos affectus ſingulorum temperari, & interdum mutari, à fortuna, & vel ſplendida vel obſcura vitæ conditione.* 503
Cap. XIII. *Diverſos affectus eſſe Tyrannorum & Legitimorum Principum: Rurſus Regum qui ſucceſſionis jure, & eorum qui ſuffragiis ad regnum perveniunt. De Procerum, qui apud Principes gratioſi ſunt, ingenio.* 511
Cap. XIV. *De ſtudiis Aulicorum. De diverſis generibus & affectibus egenorum; itemque divitum.* 527
Cap. XV. *De Magiſtratibus. De cauſarum Patronis.* 538
Cap. XVI. *De divinarum ſcientiarum peritis: deque Præfectis Religionum.* 548

PARS V.

Alithophili veritatis Lacrymæ, ſive Euphorm. Luſinini continuatio. 559

ALETHOPHILUS CASTIGATUS

Quæ eſt ſexta pars Euphormionis, ſive Triduum geniale Dionyſialiorum.

DIES I. *Mundi quatuor incognita ſive calumnia repreſſa.* 659
Dies II. *Sermones convivales diverſi; ubi uter infœlicior, avarus an prodigus; uter ſalacior, Martialis, an Juvenalis.* 675
Dies III. *In quo domita & exſufflata utrimque ambitio.* 695

EUPHOR-

EUPHORMIONIS LUSININI SATYRICON.

PARS I.

SI nomen à *me quæris*, *Euphormio* ſum: [1] ſi patriam, Luſinia eſt: ubi *nullæ unquam* nubes 1
cœlum aſperant, nulla bruma ſegetes extinguit, nulli æſtus adurunt: ſed puro incorruptoque aëris tractu liquidi ac pellucidi fontes campos alluunt, patenteſque hinc inde plagæ, & amœna, ſeu ſalubritate montium, ſeu planitierum æquabilitate, regio homines alit genio loci & fortuna ſua dignos. Non illic in honore ſupellex curioſa, non gemmæ, non imperium, non opes: non ea omnia quibus impotens hominum libido pretium fecit. Ut quiſque ad virtutis ſtudium maxime incenſus eſt, ita promptiſſime veris ſuffragiis ad magiſtratum evectus, æmu-

[1] SI *patriam, Luſinia eſt.*] Quod eſſet Jo. Barclaius gente Caledonius & quod ex Scotia, quam antiqui campos Eliſios putavere, propter amœnitatem regionis, genus ſuum duceret, admirabilem & citra omnem fidem incœpiſſe deſcriptionem non abs re cum non paucis crediderim. Niſi forte auctor imaginariam ſibi finxerit regionem, qualem vellet omnes eſſe, quod Satyricis vulgare eſt. Jam quod ad ſignificationem nominis attinet, λύσις idem ac *libertas*, in qua nati ac enutriti videntur Satyrici, nihil ut eis non liceat.

æmulos vitæ omnes, neminem dignitatis accendit. Illinc ego devolutus in hunc terrarum orbem. O dolor! quæ non vidi, quæ non paſſus ſum, indigna, Dii boni, & quæ cœlo teſte fiant, & quæ poſterorum memoriæ relinquantur; niſi ut in amentia & ſcelere nepotes progredi nolint, ſaltem paternis vitiis contenti. Dâte veniam, ô [1] depravati orbis incolæ, ſi juſtis querelis detonat animus incitatus atrocibus injuriis. Quid aſpicitis, Heri? quid hoc minarum eſt? jam non ego veſter ſum: jam liberalis animus ad originis ingenuæ decora provocavit: & [2] ingentes literæ, quas fronti meæ applicuiſtis, injuriæ me admonent, non obſequii. Etiam judiciorum nomen invocat crudelitas veſtra? etiam tribunalium in me majeſtatem implorat? Tandem aliquid inveni, quod à vobis imperatum eſſe gauderem. Quid indigeſto per acervos auro, quid avaris fertilium annorum curis confiditis? exuam patriæ meæ candidos mores, & in oculis judicum [3] ſacramento, & nuncupatis votis impietati nomen dabo. Non hoc ſaltem ducent nefas, ut quibus terris virtus eſt in vinculis, ibi quoque ſcelus ſerviat? [4] Jam nunc

1 *Depravati orbis incolæ.*] Perſ. *O curvæ in terris animæ, & cœleſtium inanes.*

2 *Ingentes litteræ quas fronti meæ applicuiſtis.*] Inurebantur olim fronti ſervorum notæ ſervitutis, & ignito ferro ſtigma imprimebatur, apud Romanos maxime, quatenus diſcerni poſſent, & notari eorum domini, ſicut ætate noſtra videmus greges, armenta, equorum coxas ſtigmate notari à dominis. aut arte quatenus fugitivi ſervi dignoſcantur.

3 *Sacramento, & nuncupatis votis impietati nomen dabo.*] Sacramenta dicere judicum eſt aut teſtium qui dicebantur jurati, eo quod jurejurando interpoſito fidem ſuam aſtringerent. *Nomen dare*, militum qui datis nominibus ſeſe militiæ aſtringunt, quaſi cœnobitæ nuncupatis votis Numini ἀλληγορικῶς.

4 *Jam nunc vindiciis ſecundum libertatem datis utor.*] Jure libertatis aliæ erant vindiciæ, ſive ſententiæ ex libertate in ſervitutem; aliæ à ſervitute in libertatem. Prætoris autem erat decernere vindicias in libertatem, quoties in libertatem vindicabat: ut è contra: Et ſervo ſcilicet à prætore, lite pendente, dari ſolebant, ut eſſet in poſſeſſione libertatis, hoc eſt, ut interim libertate potiretur. Cauſidici hodie vocant *Recredentiam.* Dat autem eam judex ei penes quem æquum eſſe decernit judex. Vindiciæ dictæ ſunt à ſervo quodam indice conjurationis juvenum ad reducendos in urbem Tarquinios, & is propterea libertate donatus eſt, & Vindicius in poſterum appellatus. Ita enim Livius lib. 2. Alii hanc vocem à Vindicando; quod ſignificat etiam vindicias dare, ductam volunt. Ut idem Li-

Digitized by Google

hunc vindiciis ſecundum libertatem datis utor; [1] jam quod tergum crudeli ſupplicio laceraſtis, vindicabit atrocior ſtylus, & effinget veſtros mores velut in tabula, ad cujus deinde conſpectum ipſe horreat. Denique ſi ſapere decreviſtis, vobis ſcribo: ſi furere perſeveratis, ſaltem volo Luſinini mei ſciant devitare impuras terras: ut quicunque aditus regiones veſtras aperit, ſeu queſtuum meorum veluti prærupto obice laſſet tranſeuntes, ſeu lachrymarum torrentibus inundetur. [2] Ego Curtius crudelitatis veſtræ hiatus impleverim; [3] Ego Sphingem, [4] ego Pœnam, [5] ego Hydrum exper-

Livius lib. 3. Ita vindicatur Virginia ſpondentibus propinquis: Id eſt dantur Vindiciæ Virginiæ ſecundum libertatem.

1 *Jam quod tergum crudeli ſupplicio laceraſtis.*] Virgæ, & crux ut & inuſtæ in fronte ferro candente notæ ſive ſtigmata, ſervilia ſupplicia. Ulpi. Cujac. & alii de his plura.

2 *Ego Curtius crudelitatis veſtræ hiatum impleverim.*] A'λλως. id eſt, tanquam Curtius. alludit ſcilicet ad M. Curtium adoleſcentem Romanum, non ignobilem, qui ſe pro patriæ ſalute manibus devovit. Nam cum terra in medio foro ingenti hiatu deſediſſet; reſponſumque eſſet ab oraculo non coituram labem, niſi quiſpiam ex primæ ſpei adoleſcentibus ſeſe in hiatum immiſiſſet; Curtius acceptam à patria vitam, eidem reddere non dubitavit, & equo inſidens ſine mora in hiatum ſe miſit præcipitem. Unde etiam *Curtii lacus* nomen ſervaſſe creditur.

3 *Ego ſphingem.*] Labores Herculis, monſtraque ſubierim. Sphinx monſtrum erat apud Thebas, ut fabulantur poëtæ, inter alios vero Statius poëmate de bello Thebano; cui caput, & manus puellæ, corpus canis, alæ avis, vox hominis, Ungues Leonis, cauda Draconis. Dicta eſt ſphinx ἀπὸ τοῦ σφίγγειν à conſtringendo, quod eſſet fœminæ, ſi velum removeamus, quæ hoſpites problematis ſuis ita ſtringeret, ut ſe expedire non poſſent. Ita Lactant. ænigma autem ſolitum ab ea proponi tale erat: *Ecquod animal mane quadrupes, meridie bipes, veſperi tripes eſſet?* cujus ænigmatis nodum Oedipus ita ſolvit, ut hominem diceret mane hoc eſt in infantia repere manibus & pedibus; qui factus vir non alio niſi gemini pedis niteretur adminiculo: grandævus vero fieret aſſumpto ſcipione tripes. hoc audito fingitur illa è ſaxo ſe præcipitaſſe. Et inde adagium Terentianum in Andria *Davus ſum non Oedipus.* Et apud Statium Oedipus

Sphinges iniquæ
Callidus ambages hac præmonſtrante reſolvit.

4 *Ego Pœnam.*] Antiqui dolorem, febrim, & Pœnam divinis coluere honoribus in templis etiam illis dedicatis, quatenus ea mala à ſe averruncarent: unde Horatius dat pedes, & membra Pœnæ lib. 3. od. 2.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede Pœna claudo.

5 *Ego hydrum.*] Maxima quæque mala in me ſævierint, hydrum, vel hydram, monſtrum quod fingunt ſtabulari in Lernæo lacu, & Herculis clavâ domitum, ita tamen, ut cum animadverteret Hercules mactato uno capite repullare duo capita, cuilibet clavâ mactato ignem ſubjiceret.

pertus ſim, tam felici exitio, [1] ut territi gentiles in hæc amplius portenta non incurrant. Magis [2] offendit graveolentia inſuetos inſalubribus cænoſiſque paludibus, nec tam acriter mordent ea mala quibus in lucem prodeuntes ſtipamur, tanquam naturali ſatellitio, quam quæ florentem intactamque vitam affligunt: Et ego vim doloris acrius percipio, & deploro dolentius, quem non ante calamitas perculit, quam adoleſcerent gentilia bona, quæ mecum pœne nata non antequam patriam exui: à qua quis diſceſſus meus fuerit, quæ me inde rationes deturbarint, nihil dico: ferat hanc veniam inexperta juventus atque præceps; nec id lachrymarum exordium conſumat iræ meæ impetum, quæque in aliorum mores jam diu tela libro, in meam amentiam re-

2 torqueat. Nam ut has primum terras attigi, & frequenti oppido exceptus ſum, in forum me contuli: ratus nunquam defuturos, qui in celeberrimo humanæ gentis loco, ubi etiam multi hereditario jure ſapere jubebantur, erranti per ignotam urbem aperirent hoſpitalitios lares: cum ſubito ingens circa me hominum turba confluxit, modo novitati cultus illudens, interdum etiam, quoniam erat ex tenuiſſima carbaſo veſtis, populari muſſitatione ſtupeſcens. Aderat eleganti juvenis vultu, cujus mirabile in comis artificium [3] Æthiopico pœne gyro cincinnos confuderat. Hic anſatam ſuper-

1 *Ut territi Gentiles in hæc amplius portenta.*] Gentiles appellat ſeculi amatores quibus vitiorum fœdiſſimorum portenta dominantur, qualia ſunt ambitio, libido, avaritia, & cætera vitia quibus Gentiles olim ſerviebant.

2 *Offendit graveolentia inſuetos.*] Hinc axioma; *Ex aſſuetis non fit paßio:* quod quidem axioma philoſophorum confirmat, quia non tam acriter mordent ea mala quibus in lucem prodeuntes ſtipamur, quam quæ florentem, intactamque & inſuetam malis vitam affligunt. Sic qui cæcus naſcitur non tam dolet cæcitatem ſuam, quam qui in flore ætatis aliquo caſu viſu privatur; neque tantum in commiſerationem alios adducit.

3 *Æthiopico pæne gyro.*] Comptulus paucis deſcribitur: Cur autem addat *Æthiopico gyro*, pueri ſciunt quotquot Mauros, aut Æthiopas viderint. Cur autem Æthiopes cincinnatos habeant in gyrum, velleris ovium more crines, aut cur fuſco plerumque ſint colore, jam dudum doctorum hominum torquet ingenia, maxime cum ad caput Bonæ Spei nigerrimi ſint incolæ: ad fretum vero Magellanicum in America, etſi eodem climate, ſeu gradu, candidiſſimi, ubi tamen ſol æqualiter torret; an ex aduſto ſanguine, aut humoris defectu?

Digitized by Google

ſuperbe dexteram ſubducta veſte retegit, & me, quis eſſem, & qua cauſa veniſſem, diſtricte interrogat. Tum ego, Peregrinum, inquam, eſſe ſatis prodit, quod in tanta ſolitarius frequentia expecto benignitatem hoſpitii, quod & [1] nauſeantem ex mari ventriculum oportuna tranquillitate levet, & illuviem itinere contractam diluat. Viæ cauſa, mos humani ingenii. ea ſcire concupivi, quæ à meis finibus abeſſe natura voluiſſet. Quibus ille auditis, humaniſſime in paternam domum invitat; ſimulque dextera ad opulentiſſimas ædes trahit, ubi ſtrâta triclinia, cibique capaces invidiæ, expectabant convivarum aut negotia, ut ferebant, aut diſſipatorum manus. Igitur ſecurus hoſpitii meo duci gratias ago, ignarus impendentis ſævitiæ, & ad novas ſpes credulus: quæ ideo magis placebant, quoniam externa neſcio quo *fuco* ſe adornant, & plerumque notis patriæ rebus *beatiora videntur*. Tum in urbem etiam levato nonnihil corpore proruo, *cœnæque moras*, dato puero qui perluſtrandæ urbi dux eſſet, ingenti *lætitia fallo*. Ille me in publicas primum porticus, in fana deinde ac theatrum perducit; poſtremo in ampliſſimam domum. ubi nihil magis timui, quam ne poſtes antiquitate corrupti cervices affligerent. Capaciſſimam ſedem adoleſcentes aliquot per ſedilia ſparſi, magis ſtrepitu, quam corporibus implebant, & ſi quando intermittebatur tumultus, audiebant declamantem *ex eminenti loco ſenem*, qui Romana jura interpretari dicebatur. Agebat autem [2] de libertis ex lege Junia Norbana La-

fectu? Certè cauſa criſpitudinis iſtius, inquit Ariſtoteles, eſt ſuperabundantia caloris, ita ut ſi in homine eſt multus calor, tunc pili criſpi gignantur, quia tunc movetur *ſurſum*, & ejus ſignum eſt, quod ſiquando aliquis intrat balneum ſcilicet, acquirit inde planiſſimos crines, qui poſtea exſiccati in aliam redeunt criſpitudinem: ſic Æthiopes & Cholerici: ut èconτra in fœminis plani ſunt crines ob humiditatem cerebri.

1 *Nauſeantem ex mari ventriculum.*] Ex jactatione, foetore & mephiti navis, inſolitoque maritimi aëris, craſſique & ſalſi vaporis hauſtu ac mephiti talis nauſea provocatur.

2 *De libertis ex lege Junia Norbana Latinis.*] Juniam Norbanam tulêre M. Junius Silanus, L. Norbanus Flaccus, Balbus Coſſ. anno Iↄ cc xxxi. Ipſe ille qui à Carbone repetundarum accuſatus eſt, ut ait Cic. 2. de officiis, ut ii ſervi qui neque cenſu, neque vindictâ, neque teſtamento, ſed aut per epiſtolam, aut inter

Latinis, ac præterea [1] de Dedititiis, quorum iniquiſſimam conditionem ne quidem ſeverior antiquitas tulit. Verum hæc, inquiebat, omnia ſic in deſuetudinem abierunt, ut relictis tantum nominibus, jam qui illi fuerint, jam quibus legibus vixerint, diſceptemus. Sed ignari non eſtis, Adoleſcentes, mutata hominum mente, plerumque velut tacitis abrogata ſuffragiis quæ majores noſtri tanquam manſuris legibus commendabant. Hinc editus [2] abrogatarum legum liber,

inter amicos, aut convivii adhibitione liberi fierent, non cives Romani, ſed eodem jure, quo Latini coloni eſſent. Ut ſi Latinus Civem Romanam, vel Latinam uxorem duxerit teſtatione interpoſita, quod liberorum quærendorum cauſa uxorem duxerit, poſtea filio filiave natis, & anniculo facto, poſſit apud prætorem, vel præſidem provinciæ cauſam probare, & fieri civis Rom. tam ipſe, quam filius, filiave ejus, & uxor, ſcilicet ſi & ipſa Latina ſit, ut Latinorum legitimæ ſucceſſiones nullæ prorſus eſſent, ſed eorum bona manumiſſores, tanquam ſervorum peculia ſibi haberent: ut liberti jus civitatis Rom. non ante haberent, jus ſuam aureorum annulorum, aut natalium reſtitutionem à Principe impetraſſent. Ulpian. in inſt. tit. 3. Juſtinian. §. de ſucceſſ. lib. id. novel. 78. qui tribus modis ſuperdictis manumitterentur, minorem libertatem conſequebantur, & Latini Juniani fiebant; alii cives Rom. qui majorem.

1 *De Dedititiis.*] Si quis tempore ſenectutis commiſiſſet aliquod crimen, propter quod notis in fronte, & ſtigmatis, vel in publicos carceres conjectus fuiſſet; aut propter delictum aliquod verberibus affectus, illud confeſſus eſſet, ac deinde gratia cum domino inita manumiſſus ab eo fuiſſet, dedititius libertus fiebat, & infima libertate potiebatur ex lege Ælia Sentia. vis plura, conſule Jacobum Rævardum lib. 4. Variarum cap. 9. Anton. Cujacium Juriſconſultum lib. 2. cap. 9. Jacobum Cujacium obſer. lib. 5. cap. 13. & l. 7. cap. 20.

2 *Abrogatarum legum liber.*] *Abrogare* proprie populus dicebatur, ſenatus autem ſtatuebat ut abrogaretur. Legum poteſtas hæc fuit, ut eo quod erat legibus ſancitum, omnes Quirites tenerentur, utque vigerent uſque dum alia lege abrogarentur, nec parvo ſpatio terminarentur, aut annuæ tantum eſſent, uti prætorum Edicta. abrogari tamen omnes licebat, præter ſacratas. cautum autem erat XII. tabulis, ut quod poſtremum populus juſſiſſet, jus ratumque eſſet. quin etiam à ſenatu nonnunquam leges, quæ non videbantur eſſe ex Rep. ſublatæ ſunt. Erant autem quatuor omnino genera, quibus per ſenatum more Majorum ſtatueretur aliquid de legibus: unum ejuſmodi; placere legem abrogari, ut Q. Cæcilio, M. Junio, Coſſ. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. atque hoc genere non abrogabat legem ſenatus, ſed ſtatuebat. ut tamen ejuſmodi abrogatio caveretur, in ſanctione legum aſcribi ſolebat, ne per Saturam abrogari, derogarive liceret. dicebatur autem Satura lex multis aliis conferta legibus, ita ut in ea fraus ſubeſſe, quæ populum falleret, facile poſſet; aut in ſimplici lege, ſi de abrogando, derogandove populus rogaretur, non difficile erat, id quod rogabatur intelligere. abrogabatur etiam lex, ſi augures contra auſpicia latas eſſe, monuiſſent. Tertium facto ſenatusconſulto, aut communi conſenſu aut per deſuetudinem. vide Julianum juriscon-

Digitized by Google

liber, præclarus hercule, ſi non eas leges omitteret, quas in eo primas eſſe oportuit. Non vero volumen erroris tam manifeſti reum; & niſi haberet triſte mortalitas privilegium, ut liceat aliquando peccare, librum mea ſententia ad oleum piperque dimitterem. Etenim plurimas Juris partes muta jam omnium voluntate deletas ita præteriit, ac ſi illæ hodie in antiquo ſuo regno conſiſterent. Si niſi exemplo non creditis, ecce legem olim ſanctiſſime habitam: [1] *Honeſte vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere*; quam nunc prorſus moribus hominum ſublatam indignor inter antiquatas in eo codice non referri.

Erat adhuc in loquentis ore dictio, cum [2] effluentis menſura ſabuli, ac elati præterea æris ſonus, ſtrepentibus ſubinde auditoribus, tantum hominem de ſuggeſto non depulit. Ego vero perluſtrata iterum urbe, cum me, utpote inuſitatis indutum veſtibus, puerorum agmina ſtiparent, in hoſpitium meum redeo, & quæcunque tota luce perſpexeram obfirmandæ curioſus memoriæ diligenti cogitatione digero. Sed poſteaquam convivas deſtinatum ad epulas tempus colligit, paſſimque diſcubuimus, clam ſugillantibus univerſis meos geſtus, & peregrini oris lineamenta, confuſus egenſque conſilii, non agnoſcebam amplius aviditatem ſto-

conſultum, Paulum Manutium, & alios. *Lex*, inquit Ulpianus, *aut rogatur, aut abrogatur, aut derogatur; aut ſubrogatur; aut adrogatur.*

1 *Honeſte vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere.*] Hæc optima naturæ lex, ea eſt nobis à Natura indita, ſed quam perverſa conſuetudine violamus, in nobis impreſſam delemus, innatam corrumpimus.

2 *Effluentis menſura ſabuli, ac elati æris ſonus.*] Hora fluxerat & campana ſignum dederat. De horologio arenario, deque campana indice finis ſcholarum mentionem facit. fuerunt horologia ærea quæ campanæ pulſu horas indicarent: ſicut & lignea ſolaria quæ umbra ſtili ferrei has notarent; aquea quæ ab aqua ſenſim fluente Clepſydras vocabant; de quibus *Plin. lib.* 7. c. 60. Apulejus, & notæ noſtræ in Argenidem, denique arenaria de quibus mentio hic, quæ arenæ vel ſabuli in vitro poſitæ horas ſignificarent. Apud antiquos erat concha hemicyclia, lineis debita proportione diſtincta, cui prælongus ex ære, aut ligno baculus ſoli oppoſitus ſupereminebat, ita ut ejus umbra in lineas incidens horas oſtenderet. Vernacule *Bouſſole*, tamen hodie acumen acus lapide Magnete tangitur, quo tactu virtutem illius lapidis ſibi imprimit, quod ad Campanæ uſum, auctor dicitur S. Paulinus Præſul Capuanus in Campania, unde illi appellatio. Illius autem uſus non tantum in ſacris.

[1] ſtomachi, tributum reparantis quod irato mari exolveram. Statimque crudelior fortuna deſæviit, poſtquam non gratuitam nobis menſam liberalitate poni, ſed mihi pro hoſpitio diverſorium contigiſſe non ſine magno horrore audivi. Nam ad patrium morem nec auro corpus in viam præceps tardaveram, nec in cibos pretium quæſieram, quos gentis noſtræ benignitas vendere neſcit. Igitur inexſpectatis moribus deluſus, cœpi tum primum execrari harum regionum viliſſimum genium, & ſic tacitus mecum loqui. Piſces à fontibus ad mare non inveniunt qui vivendi vectigal extorquent. Natura ubique pabulum feris poſuit; & quamvis [2] hirundines utrumque ſolem metiuntur, eſca nunquam errantibus deeſt. Ergo ſoli homines non impune implebunt exhauſtas jejunio vires? ergo in belluas pontus erit clementior, quam civilis ratio in mortales in eandem genitos ſortem? niſi forte pretioſior aqua eſt in miliario quam in fonte, aut animantibus reliquis aliquid ſupra hominem natura debebat. O ſordidum genus, barbarumque facinus! O feriores homines [3] quam humanam olim Androclus feram inve-

1 *Stomachi, tributum reparantis, &c.*] Ciborum appetitum ſignificat; nam is evacuato ſtomacho longe major eſt, quia vacuus ſtomachus ciborum repletionem appetit, quibus calor naturalis ſuſtineatur, dum circa alimenta agit, & ea decoquit.

2 *Hirundines utrumque ſolem metiuntur.*] Et ab altero polo ad alterum volant. Iſtæ ſunt ex numero avium tranſmigrantium. Plinius lib. 12. cap. 2. *abeunt & hirundines hibernis menſibus, ſola carne veſcens avis, ex iis quæ aduncos ungues non habent: ſed in vicina abeunt apricos ſecutæ montium receſſus, inventæque ſunt nudæ atque deplumes.* Ovid. 2. Faſtor. *Fallimur? an veris prænuntia venit hirundo?*

3 *Quam humanam olim Androclus feram invenit.*] Leone ferocior de hoc Androclo Plinius & alii non pauci. Ajunt ſcilicet hoc mancipium male plerumque exceptum à domino fuga ſibi conſuluiſſe, & relicta Roma, & domo Domini per ſolitudines dum exerraret Leonem inveniſſe qui læſam ſpinæ aculeo plantam pedis ei porrigeret, detracta ſpina ſic memor beneficii fuit Leo, ut pro ſuo Androclo perpetuo laboraret in venando. Abiit tandem ſolitudinis pertæſus ſervus fugitivus & à quærentibus repertus in carcerem intruſus eſt Leonibus in amphitheatro ſtata die exponendus, interim Leo de medico ſuo ſollicitus omnia veſtigat avia nemorum, concava vallium, prærupta montium; ſed & ipſe capitur à Venatoribus, & in cavea includitur. Stata dies illuxerat qua ſpectante ſenatu populoque Rom. ex amphitheatro, educitur in arenam Androclus; educitur & Leo ſupradictus è cavea, qui rugiens acceſſit ad Androclum qui actum de vita ſua jam exiſtimabat: ſed Leo pedem ocyus repreſſit dum

venit! Nec contentus hac objurgatione, palam excuſare imprudentiam meam cœpi quod nummis deſtitutus cauponam intraſſem, & totum in gentilitios mores transferre peccatum; Nam in veſtris, inquam, moribus non minus quam in regione hoſpes id primum rogo, ut innocentibus erroribus venia detur. Quod hic religioſum eſt, alibi profanum eſſe nihil prohibet. Nempe quælibet regio non magis ſuo aëre aut terminis, quam ſuis moribus definitur: neque aliquid peccavi, niſi exiſtimatis omnes homines ſub eodem cœlo naſci debere. Quamquam facio his excuſationibus injuriam humanitati veſtræ: à vobis nihil durum timeo. [1] Severitatem, ut audio, his annis depulit de ſumma ſede Clementia.

Videbam durare nemini riſu erumpente conſtantiam, ut etiam miſerrimam adhuc loquentis vocem cachinni petulantia confunderent: cum inſtaret præcipue ſupra ſuam artem improbus caupo, detractamque mihi veſtem auferre pugnaret, ut (ne ſine joco facinus iret) expeditus onere ſupervacuo, inquit, liberius revoles in amœniſſimas terras, quarum nobis etiam pœne deſiderium tua prædicatio admovit. Cohorrui ad hæc dicta, & [2] Gallico gelu frigidior metus etiam intimum calorem tentavit.

Sit

dum Androclum agnovit, eumque adverſus alias feroces belluas ſtrenuè tutatus eſt ſtupente toto conſeſſu, qui libenter annuit utrique libertatem. narrat exacte hiſtoriam Gellius Noct. Attic. 5.14.

1 *Severitatem, ut audio, his annis depulit de ſumma ſede Clementia.*] Clementia major his temporibus. Severitatem & Clementiam veluti Deas hic inducit, Et illa quidem dicebatur Nemeſis, quam ait è ſua ſede à Clementia deturbatam; hæc vero Aſtræa quæ tempore Saturni, aureo ſeculo apud mortales expulſo ſcelere imperabat. Athenienſes Clementiæ, cui lucus erat in media urbe nullum ſimulachrum fieri volebant. Statius lib. 12. Thebaid.

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma Deæ mentes habitare, ac pectora gaudet.

2 *Gallico gelu frigidior metus.*] Timor enim ex frigore, calore naturali ad corroborandum ad interiora recedente. Petron. Arbiter ſic habet: *Gallica hyeme frigidior*: Sed & Gallicæ hyemes in proverbium abiere.

Et mollia frigora Galli.

Dicam tamen Cardinalem quendam Romanæ Eccleſiæ, inter æſtus vix tolerabiles Italiæ natum (Ipſe eſt Bentivoglio) de caloribus Galliæ quaſi minime ferendis lepide admodum loquidum ſcribens ad alium ſacerdotem purpuratum ſic Epiſtolam exorditur: *Prima*

A 3 d'ogni

[1] Sic ubi terra parens, Clymenæo torrida partu,
In Phoëthontæam mittebat vota ruinam:
Aſpiciens juvenis nebulas igneſcere, Olympumque
Errantem ſenſiſſe diem; ceu ſaxea moles
Haſit, & ignipedi permanſit fræna jugali.
Non magis heu vivus, quam cum [2] pia turba cadentem
Condidit Eridano, *tumulumque cacumine texit.*

Trahebat interim veſtem epularum ſuarum pretium, & fœdam avaritiam riſu crudeliſſimo cumulabat. Et, Hoc eſt, cogitabam, quod promiſerat liberalis vultus filii ſui, & indigna fœdiſſimis moribus veſtis? hoccine quod mihi adulabar etiam infimam conditionem in his terris aſpirare ad virtutis nobilitatem? Jamjam callidum illuſtrium veſtium intelligo munus: ut humilem animorum fæcem illuſtri fuco velent, & quod maximum debuerat eſſe familiarum diſcrimen, confundant atque permiſceant. Ita profundiſſimum cœnum veſtit fragilis indigna fronde ceſpes; ita fumum nives induunt, nec ipſis anguibus pulchrum veneni tegmen, verſicolore tergo, & ſquamis fulgentibus deeſt. Miſertum eſt querelarum mearum aliquod proprium numen, aut ut verius dicam, me pejus afflixit, & injecit mentem Callioni ſplendidiſſimo homini (is negotiorum cauſa illo die in urbem venerat) ut me ſibi exiguo ære addiceret. Qui poſtquam interrogavit, an ejus augere familiam vellem, quid facerem, niſi ut me omni libertatis diſpendio eriperem ab inſtanti peſte, & graſſatore urbano? Diſceſſerat

d'ogn' altra coſa, per amor de Dio V. E. mi, laſci doler del calido. Et paulo poſt: *ô che caldo crudele, o che caldo di fuoco, Un caldo in ſomma ch' a tranſportato il Cielo d'Iſpagna in Francia, e Seviglia a Turs.*

1 *Sic ubi terra parens Clymenæo torrida partu, &c.*] Habes hic ſtrictim fabulam Phaëtontis filii Solis, & Clymenes; qui objurgatus ab Epapho qua ratione Regiam ſolis Patris adierit, currum ejus regendum aſſumpſerit, mundum pene conſumpſerit, in Eridani littora Jovis fulmine præcipitatus ſit, fuſe habes apud Naſonem Metamorphoſeos l. 2. Dictus eſt ἀπὸ τῦ φάυς à luce, & αἴθω uro.

2 *Pia turba cadentem.*] Sorores intelligit Phaëtontis dictas Phaëtontiades à poëtis; ſunt autem Phaëtuſa, & Lampetie quæ præ lacrymis in alnos ut Virg. Eclog. 6. vel in populos uti 10. Æneidos finguntur commutatæ, lachrymæ autem in Electram.

I In

Digitized by Google

ſerat in patriam navis, quæ me vexerat: longa erat redituro & inextricabilis via, per ambages, ac deſerta, & extremum mundi limitem. Quæ omnia ut diligenti ſolicitudine vincam, qui me illuc ſumptus deducerent, ſi vix unius horæ diverſitorem veſtis abſolveret. Igitur conditionem nihil cunctatus accepi, & qui modo comes aſſederam, conſurgo de menſa ad obſequium, turgenteſque oculos furtiva manu exfrico. Puduit Solem diutius hæc videre, & ſervitutem meam libera ſolutaque nocte occuluit: quæ cum radiis lunaribus illuſtris non omnino viæ diſcrimina confunderet, ſtatim curſoriis equis contendimus in Callionis munitiſſimam arcem: cum mihi, exultantibus cæteris, non tam viderer in equum, quam [1] in Salaminiam damnatus aſcendere. Muris ſuperbe eminentibus creberrimæ turres, pinnæque ad ſplendorem compoſitæ adornaverant domum: foſſæque non latitudine magis notabiles, quam ſtagnantibus aquis, prodigioſæ molis piſcem alebant. Ædificium partim nobile antiquitatis veſtigiis, partim recenti artificio elegans. Nihil Callion aut ad famam videbatur aut ad luxum omiſiſſe.

Sed quod reliquum noctis fuit, cum non per ſomnum 3
tranſigerem, & nunc intimis ſingultibus, nunc excitato per dolorem acerbo inanique riſu, mihi deſertæ patriæ imprudentiam imputarem, conſervis amentiæ ſpeciem feci. Crudeles ac fœdæ animæ, quas ultra Perſicum ſcelus euntes jam non virilibus nervis fraudare naturam, ſed animos & ſecare delectat, rem ad dominum detulerunt; cum-

que,

1 *In Salaminam damnatus.*] In exilium, & remotiſſimam regionem Salam. inſula eſt in ſinu Saronico contra Atticam, urbem habens ejuſdem nominis, in qua Telamon regnavit, Ajacis & Teucri pater. Verum cum Teucer capta jam Troja in patriam rediret, indignatus Telamon quod Ajacis mortem qui ob arma Achillis ſibi necem intulerat, non vindicaſſet, eum expulit; expulſus in Cyprum inſulam navigavit, ubi novam Salaminam, hodie Conſtantiam appellant, ipſe condidit. De qua Horatius lib. Ode VII.

Certus enim promiſit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.

Porro in Salaminam inſulam relegabantur olim damnati capitis, & in primitiva Eccleſia non raro Chriſtiani.

2 *Fle-*

que, proh facinus, placuiſſent auditi, figmentis etiam onerant calamitatem meam, & imponunt gemitibus lachrymiſque, ac riſui meditatas voces affingunt. Hic Callion [1] flagitioſo digito ſuperiorem explicans barbam, Bene eſt, inquit; erit illi felix & vegeta ſervitus: & ſi veſtis non mentietur valetudinem, ne queratur vitium mentis: juventute peracta læto etiam & viridi ſenio ſtabit. Vos tantum [2] in inſaniam impellite præcipitantem, & in Quirinalium Myſtam attollite. Accipiunt imperium lubentibus animis, & in me confeſtim toti telis ac machinis anguſtum profundunt omnem malitiam, quam ex ſentina aulica impuris animis hauſerant. [3] Tribus mediaſtinis datur negotium,

1 *Flagitioſo digito ſuperiorem explicans barbam.*] Perfunctoria vanitas. Per flagitioſum intelligit Indicem qui eſt ſecundus à pollice digitus, Græcis λιχανὸς, δεικτικὸς: ſic appellatus quod flagitioſos indicet ac demonſtret. aut ſiquando minamur, hunc movemus erectum. Tamen Medius, dictus olim Verpus, & impudicus, & infamis, Græcis μέσος, σφάκελος. Perſius

— Frontem uda labella
Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat. —

Et Juvenalis

— Ipſe minaci
Præberet laqueum, mediumque oſtenderet unguem.

Eraſmus item in Chiliad. Centuria 3. Adag. 68. ait: *Medio digito porrecto ſupremum contemptum ſignificabant.* Mart. l. 2.

Et digitum porrigito medium.

Et

Oſtendit digitum ſed impudicum.

Laërtius de Demoſthene; *indicat*, inquit, *porrectione digiti medii quippiam obſcœnum ſignificari.* fuitque priſci moris, ut ſi quos flocci facerent, aut inſigni contumelia, vel deformi convitio afficerent, id objectu medii digiti protenti denotarent: quod eſt à Græcis uſurpatum ut contractis reliquis digitis medium ignominiæ cauſa protenderent, quod σκιμαλίσαι dixere. σκιμαλίζειν enim, prætentare eſt digito an gallinæ ova conceperint: ſicuti ἀθερίζειν ubi quempiam flocci facere ſignificant. quare ab Athenienſibus medius catapygos, quod infamiam incuteret, & convicium, nominatus eſt.

2 *In inſaniam impellite præcipitantem, & in Quirinalium myſtam attollite.*] In claſſem ſtultorum. apud Romanos Quirinalium ſtultorum contingebant feriæ decimo ſeptimo menſis Februarii, de quibus vide Ovidium in faſtis, Varronem, & Feſtum. porro Quirinalia ſtultorum dicta ſunt, quia qui in fornacalibus non fuerant feriati, quique in ſua tribu, ut erat conſtitutum ſacrum non feciſſet, in Quirinalibus ſacrificio expiare cogebatur: nam omnibus diis & feriis conſtituta erant ſua ſacra quæ præterire, & tranſgredi fas non erat, ſine nota ſtultitiæ.

3 *Tribus mediaſtinis datur negotium.*] Famulis ſcilicet. Ulpianus docet ſervorum ſpecies à Juriſconſultis ab opera & miniſterio recenſeri multiplices, inter quos fuere Atriarii, focarii qui & mediaſtini inferioris ordinis. Milliarium autem dicitur vas ad coquendum accommodatum: de quo Cato de re Ruſt.

tium, qui me, tum primum in ſomnum labentem, poſtquam decoctum tota nocte dolorem prima lux ſopiverat, ſuppoſito petulanter fumo excitant: neque tardus urgentibus parebam, cum animadverto laqueis impeditos pedes ægrius procedere, nec aliud feſtinatione profici, quam ut laxiora vincula arctius in nodum jungerentur. Tum fœdiſſimus *mortalium* Pedo, maligno riſu dexteram, tanquam ſalutaret, porrigit. mihi vero jam non erat integrum, aut ſapere, aut decipi nolle: manum itaque trado, &, Rogo, inquam, mi contubernalis, quid injicitis vincula jam etiam parum libero ſine compedibus atque nodis? Dum hoc blandius pronuncio, interim dexteram meam religaverat ad thorum, omnique convicio male ſanas ingenii reliquias cum ſociis expugnare certabat. Itaque modo ſinum gelida perfundunt, modo acuminibus latera perfodiunt, [1] nunc etiam *titillationibus* importunos riſus excitant; ut jam mihi malorum *minimum* ſervitus eſſet. His officiis longiſſimum diem, mihique inſtar æternitatis ſtantem, exigunt, & ad affectionem hilares, ipſo riſu, ipſaque *lætitia* me improbe oppugnant: ſic ut [2] ad plectra atque fides quondam Attica munimenta conciderunt.

Me

1 *Nunc etiam titillationibus importunos riſus excitant.*] Ubi quæritur quare homo *tactus* ſub aſcellis citius ridet, quam *alibi tactus*? *Reſpondetur*, quia ibi eſt concurſus plurium nervorum, & quia medium tactus, ſcilicet caro eſt ibi ſubtilior; unde fit major, & ſubtilior ſenſatio. ſiquis hic tangitur fit diffuſio ſpirituum ex multis nervis ibi collectis. Tandem venit ſpiritus ad faciem; unde cauſa riſus. Sed ex medicorum ſententia ſplen ridere facit; unde diſtichon iſtud Ebardi

Cor ſapit, & pulmo loquitur, ſel commovet iram;
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

2 *Ad plectra atque fides quondam Attica munimenta ciciderunt.*] Ut omnino defecerim. An allegoria ducta à Megalenſium muris in Attica provincia Græciæ, ubi imperabat Niſus ille Scyllæ pater illius quæ viſo Minoë expugnatore urbis, amore illius ita victa eſt, ut reſecto crine fatali Niſi ceſſerit urbi Minoï expugnatori: Nam & dicitur Scylla percutiendo lapide muros, concentum Lyræ illos edidiſſe. Ita Ovid. l. 8. Metamorph.

Regia turris erat, vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Depoſuiſſe lyram, ſaxo ſonus ejus inhæſit,
Sæpe illuc ſolita eſt aſcendere filia Niſi, &c.

Ita legimus concidiſſe olim muros Hyerecuntis ad clangorem tubæ Gedeone expeditionis duce.

Dictus

Me autem cum ſub noctem jejuni cerebro ſpiritus deficerent, nec tam in amentiam deflecterem quam in mortem, copioſus cibus ditibus allatus ſportulis, & qui me ad veſcendum hortaretur relictus eſt Percas. Erat vir mitiori ingenio, naturamque ſuam parum in ſcelera detorquens, niſi ſi plurimum expediebat. Ille me ut conſalutavit, thoroque meo reclinis remiſit vincula, & oppeſſulatas fores diligentius muniit, cœpit uberius flere: necdum tamen ſynceritatis fecerat fidem, novoque cogitabam ludibrio ſuſpectas ſævire blanditias; cum prehenſam manum tenerius concutiens, Noſti me, inquit, Euphormio? Ego ſum qui heri domino Callioni perſuaſi, ut te in familiam admitteret. Itane? inquam. tu quidem habes triſtiſſimi beneficii reum. Sed quid in dominum omni ponto ac tempeſtate feriorem admiſi? aut quid deliqui tam atroci ſupplicio dignum? O ſi liberum ſaltem moriendi permittat arbitrium, aut quod annis pluribus ferre poſſum in atrocitatem dieculæ inhumana miſeratione componat. Illachrymatus eſt Percas, & digitos articulis innectens, demiſit ad umbilicum inverſas cum lacertis manus: cumque aliquantum defleſſet meam miſeriam, ac multis gemitibus interpolaret orationem; tandem veluti collecto ſpiritu animoſius inſurgens; Euphormio, inquit, & tu ſervus es, & ego. Quo tu jam loco es, poſſum deinde præceps agi, ſi herus annuerit; in ſervitute precario ſumus felices. Si mihi credis, propulſabimus communibus conſiliis fortunæ injuriam. Memento [1] Pyladis & Oreſtis fidem Tomos etiam evaſiſſe & Dianæ cru-

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. —

Mitto quæ de Sibaritis ſcribit Pomp. Trogus. Et poſt illum abbreviator ejus Juſtinus.

1 *Pyladis, & Oreſtis fidem Tomos etiam evaſiſſe, & Dianæ crudelitatem.*] Oreſtes Agamemnonis & Clytemneſtræ filius, ſic appellatus ob agreſtem, & quaſi montanam indolem: cui ſoror Electra necem parari ab Ægiſto qui patrem Agamemnona interfecerat, matremque conſtuprarat, prævidens, ipſum per pædagogum in Phocidem clam ablegat ad Strophium Phocenſium principem qui Agamemnonis uxorem duxerat. Illic duodecim annos demoratus cum pædagogo ſuo Argos rediit ubi ſub ſpecie hoſpitum Phocenſium, quos

crudelitatem, & [1] Thebis cohortem amantium multis inexpugnabilem annis laurum ſæpius quam apium decerpſiſſe. Nec mirere, quod arcanas cogitationes effundo confidentius in ſinum tuum: non videris mihi ignotus, tanto fortitudinis & conſtantiæ experimento. Te mihi primum conciliavit frons liberalis, & verecundi oris modeſtia; deinde ſervitus conjunxit; ad extremum ipſa miſeria acrius commendavit. Secundum hæc jusjurandum adjecit, & omnia quibus fidem orationi quæreret. Ego vero etiam [2] ad ſperandum tardior, quam ſi Ariſtodemus aliquis victoriam nunciaturus indigno vultu procederet, tamen allevari paullatim ſinebam animum meum, ſic ut aliquantulum reviviſceret ſalutis jamdiu ſepulta cogitatio.

Nutat

quos *Strophius* miſerat, ut Oreſtis obitum *nuntiarent*, *intromiſſi* ad Clytemneſtram, eandem cum *Ægiſto* adultero, conſcia Electra in ultionem patris occidit. Ita Sophocles, & Eurip. Poſtea agitatus eſt furiis Oreſtes quibus non purgari potuit, quam ad aram Dianæ Tauricæ, ubi tamen beneficio ſororis Iphigeniæ vitavit crudelitatem Dianæ cujus ad aram humanæ victimæ mactabantur: uti & Tomos urbem Ponti declinaverat ubi olim Medea dicitur Abſyrti fratris membra fruſtulatim diſſecuiſſe. Ex illo Oreſtes amicum in ultimis *habuit Pyladem* Strophii filium, omnium ejus peregrinationum comitem individuum, & periculorum ſocium. Porro tam arctum fuit inter utrumque amicitiæ vinculum, ut alter pro altero mori non dubitaret. Ita Cic. de Amicitia: cum ignorante Rege Thoante uter eorum eſſet Oreſtes: Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, ut pro illo necaretur: Oreſtes autem, ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe, dicere perſeveraret.

1 *Thebis cohortem amantium.*] Inter quos Cadmus, & Hermione, Semele, *Bacchus*, Alcmena, Hercules maxime *ſpectabiles* ſunt. Capanei apud Thebas mortui dum celebrarentur exequiæ uxor Euadne in rogum mariti ſe conjecit. Ovid. l. 3. de arte.

Accipe me, Capaneu, cineres miſcebimus, inquit,
Iphiasis in medios inſiluitque rogos.

Sed iſti viri inexpugnabilem laurum potius in expeditionibus meruere, quam Apium in olympicis ludis Coronabantur apio Olympionicæ. Et in Achaja certaminis Næmeæ victores.

2 *Ad ſperandum tardior, quam ſi Ariſtodemus aliquis victoriam nunciaturus, &c.*] Quantum conjicio, ipſe eſt Ariſtodemus Arecinorum victor: Etiamſi alios ejuſdem nominis reperiam, ſiquidem eſt Ariſtodemus Cumarum tyrannus cognomento mollis, aut malacus, cujus ſorores deſcribit Plutarchus de rebus geſtis illuſtrium mulierum. Eſt & Ariſtodemus Niſæus, filius Menecratis Ariſtarchi diſcipuli. Fuit & Ariſtodemus nobilis grammaticus præceptor filiorum Pompeii qui mane Rhetoricam, meridie Grammaticam docuiſſe dicitur. denique Ariſtodemus Meſſeniorum Rex propter augurium quod infauſtum ſibi fore ob neſcio quos latratus canum, in animum induxerat ſuum, violentas ſibi manus attulit.

1 Hu-

Digitized by Google

Nutat ut ingenti puppis circumdata ponto,
Quam tumidus nigro murmure ventus agit,
[1] *Humida cum pictos lacerarunt æquora divos,*
Nec ſemel intrepidos inſiluere viros;
Quaſſaque cæruleum paſſim intromittere montem
Occœpit picis tegmine nuda ratis:
Sic ſecura feri ſtant promontoria ponti,
Aut procul è ſpeculis commoda ſurgit humus.
Jam prope non meminit peritura nauta carinæ,
Quodque videt credit jam tenuiſſe ſolum.

Tum ego amplexibus hominem arctius alligo, & non contubernalem meum, ſed numen, ſed genium ac tutelarem Deum appello. Et, Tune, ajebam, ſolus es in hoc terrarum orbe, cujus ſpiritus nondum vitiorum contagione ſpurcatus ſit? tune ſolitarius homo [2] inter tot millia hominum ſpecie ficta? Silere me juſſit Percas, & potius quod à re videretur in medium conſulere. Mihi autem nullum erat remedium potius fuga, in quam jam animum intendebam, ratus ſocio tam deteſtabilis ſervitii pertæſo nihil hactenus præter authorem ad ejuſmodi conſilium defuiſſe. At ille triſtius ſupercilium contraxit, &, Neſcis, inquit, quibus te cruciatibus involvis. Jam huc illuc diſcurrent aſſeclarum turbæ; jam in aditu ac limine urbium ſtabit imago noſtra, & cuſtodia inexorabilis; quam ut mendaciis poſſimus fallere, vultu certe & fronte deprehendemur. Noli ad credulam ſpei perplexæ auram antennas ſolvere: [3] Cum Stratonico

1 *Humida cum pictos lacerarunt æquora divos.*] Pingebant ſcilicet in puppi aliquem deum, aut quid ſimile, maxime vero Caſtorem, & Pollucem,

— *Quos Nauta ſolutis*
Puppibus, & jam jam vincentibus invocat undis.

Inde Virgilius 3. Georgicôn
Pictas & abiete puppes:
Ovid. 1. Triſt. el. 3.
Monte nec inferior proræ puppiq; recurvæ
Inſilit & pictos verberat unda deos.

2 *Inter tot millia hominum ſpecie ficta.*] Sic Diogenes Philoſophus Cynicus hominem quærit in multitudine, cum laterna quaſi per noctem nec invenire poteſt niſi larvas hominum, & ficta ſimulachra, aut certe pecudes, quicunque à recta ratione ad vitia deflectant, nempe porcos, Lupos, Canes, Mulos, Tigres, Leones, quotquot mores iſtorum brutorum æmulati hominem penitus exuunt.

3 *Cum Stratonico.*] Reperio alium Cy-

Digitized by Google

tonico dixerim, ex omnibus navigiis tutiſſima eſſe, quæ
in terram nauta ſubduxit. Neſcis apud quem ſervias. Cal-
lion eſt, non iſtius modo vicinii quod incolit potentiſſimus,
ſed etiam gratioſiſſimus apud Principem, à quo [1] nummariam olim nobilitatem accepit. Neque hæc fugiendi auda-
cia per tantum gentis ocium expediri, aut facile inulta eſſe
poteſt. Is enim hodie Princeps eſt qui REQUIEM non
tantum orbis ſui medio, ſed & Metis indulſit. Inhorrui è
nova ſpe dejectus, &, Quæ, dicebam, igitur ſecuritati
via propior, quam ut laqueo jugulum frangam, ſi ſervienti
mors lentior deſtinatur, fugitivo crudelior? Vetuit 4
Percas deſperare, & cum dolori medicinam faceret mi-
tium verborum fomentis, cœpi diligentius percunctari
de regione ac moribus hominum, & præcipue de
Callione noſtro. Tum ille; Primum, inquit, te ſcire o-
portet, *nihil* tam ſanctum eſſe quod non corrumpat diu-
turnitas *temporis*, *multaque* probe à majoribus inſtituta
uno ſenectutis vitio deflexiſſe in turpiſſimos *ritus*. [2] Ferunt
olim

Cytharœdum ejus nominis. Et alium apud Plautum in milite glorioſo: ejuſdem fuiſſe ſententiæ Anacharſin ſentiunt.

1 *Nummariam olim nobilitatem accepit.*] Pecunia emit. viles ſcilicet illi tituli nobilitatis ementitæ qui pecuniâ comparantur, pecunia autem ſæpe ex rapinis; ideoque ex vitio non ex virtute, ſed ex Juven.

Nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.

Cujus rei cum verſentur nobis exempla ante oculos, vetera ego ſilebo: tantum lugebo priſcam nobilitatem calcari noſtris temporibus, novam hoc eſt nummariam dominari; dicant hi ut in Herc. Fur. Senecæ:

— Nobiles non ſunt mihi
Avi; nec altis inclytum titulis genus.

2 *Ferunt olim nobilitatem à plebe non aliter quam virtutis notâ diſcriminatam.*] Homo de humo quod ad corpus, & ex nihilo quod ad animam ſuum genus inſignire laborat quidem, ſed more corniculæ alienis plumis, hoc eſt aliena ſe virtute induens: ſtimulus eſt à natura cuique inditus, quo virtute nihil habeat ſanctius:

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra voco.

Ovid. 13. Metam. ait; ſed D. Ambroſius quam illuſtrius? *Familia hominum* inquit os illud ambroſia & nectare diffluens, *Splendore generis nobilitantur: animarum autem clarificatur gratia ſplendore virtutis.* utinam dicatur cum Cont.

Virtus patrimonia nobilis auxit.

Romanorum nobilitas in Curiis, Fabritiis, Cincinnatis, Stolonibus, quorum vita in ruſticatione, & amore virtutis agebatur, reliquere nepotes ab avorum virtute degeneres, & qui à vera nobilitate quæ in una virtute poſita eſt, deſcivere.

Qui enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis. —

olim nobilitatem à plebe non aliter quam virtutis nota diſcriminatam. Hinc Magnates conſtituti, hinc honores & cultus in ipſos delati ab iis qui ad tam ſanctum ſplendorem obſtupeſcebant. Hoc priſcis temporibus unicum remedium erat emergendi è latebris vulgi, cum omnes initio pares eſſe natura juſſiſſet. Si quis ingenio & prudentia pacaverat incitatæ multitudinis violentiam, ſi quis exteris gentibus ſuaſiſſet aut ſocietatem ſi integræ, aut ſervitutem ſi nonnihil attritis rebus affligebantur, illi ſtatim meritæ nobilitatis inſignia publici conſenſus deferebant. Illum diſciplina militaris, illum machinarum peritia, virtus omnes provehebat. Inde etiam filiis nobilium honor habitus, primum à paternis clientibus, deinde ab omnibus qui ineſſe in iis ſemina paternæ claritudinis arbitrabantur. Sed [1] jam Homericis temporibus non erat novum, filios degenerare à paternis inſtitutis. Cum abundarent opes in illuſtribus familiis, & luxuriantes copias avita induſtria peperiſſet, obſtupuerunt paulatim virtutis ſtimuli, & aliquid remiſerunt nepotes de paterna contentione ad gloriam: donec vertentibus aliquot ſeculis, vix aliud ad commendationem habuerunt, quam inanem prope fugitivam auctorum ſuorum memoriam. Sed neque te ſecretiori veritatis parte fraudabo. Raræ ſunt hac ætate primæ illius & ſinceræ nobilitatis reliquiæ.

Adeo Nobilitas ſine virtute, aurum eſt quod vilem materiam illuſtrat. Apud Helvetios, & Dacos nobilitas virtute ſola comparatur, non auro emitur. Unde Sen. in Her.

— *Qui genus jactat ſuum*
Aliena laudat. —

Sixtus V. Pontifex maximus irridens vanitatem iſtam dictitabat ex illuſtri ſe ortum eſſe domo, quandoquidem paterna domus defectu tegularum ſolis radiis eſſet illuſtrata. Reſpondit olim Sigiſmundus Imperator plebejo homini qui nobilitatis titulos ambiebat, *poſſum quidem te augere opibus, & dignitatum titulis, ac immunitatibus nobilium te donare. At non ego te, ſed una te virtus poterit nobilitare.* De his loquens Apulejus, *quos*, infit, *non opes, non generis excellentia: ſed ingenii mores nobilitant.* Sed loquatur aureum os; ille clarus, ille ſublimis, ille tunc integram ſuam nobilitatem putet, ſi dedignatur ſervire vitiis, & ab hiſce ſuperari. Sic D. Hieronymus vere nobilem Marcellam Romanam appellat non tam cauſa avitæ nobilitatis, quam virtutis.

1 *Jam Homericis temporibus non erat novum filios degenerare à paternis inſtitutis.*] Longior ſim ſi Argivos, Phrygioſque digniores recenſeam. Lege Homeri Iliadem, & Odyſſeam.

1 *Na-*

quiæ. Dominorum ac bellorum vices, & adeo ipſa ſors quæ familias extulerat, eas plerumque aut depreſſit, aut extinxit: [1] Naſcuntur in dies cognomina, & ſtatim primo ætatis die transſcribuntur in ſenium:

—— Qualeſque premunt nunc ſydera ſylva
A prima venere die. ——

[2] Quotuſquiſque eſt, quem avi ſui non pudeat? cui non eſt prope

1 *Naſcuntur in dies cognomina.*] Hinc Gallienus ait: *hi in nominibus tantum ſunt ingenioſi; ut & in cognominibus.* Attamen cognomen neceſſitas primum excogitavit, cum prænomen & nomen quandoque non ſatis eſſe videretur ad homines diſtinguendos. Qui autem agnomen aliud à cognomine tradiderunt, hi mihi ſatis, quod ſentiunt non probant. At cognomina appellant ea quæ tertio loco; quæ præterea ſunt, cognomina nuncupant, ut Africanum, & Aſiaticum, ſed hoc à Cicerone refutatur apud quem dicuntur cognomina etiam ea quæ quarto loco apponuntur. Ita enim ille pro Muræna: *quam landem ille Africa oppreſſa cognomine ipſo præferebat, eandem hic ſibi ex Aſia cognomen aſſumpſit.* Et in Somnio: *Eriſque cognomen id tibi per te partum; quod nunc habes à me hæreditarium.* Idem divitem cognomen vocat lib. II. de Officiis in M. Licinio Craſſo. Vide Sigonium de nominibus Romanorum. Id tamen in vanitatem degeneravit illam quam arguit Regius Pſaltes, Pſ. 48. *vocaverunt nomina ſua in terris ſuis.* Sic tamen Eraſmus Chil. III. Centur. VII. Expedit habere plura cognomina, Et Ariſtophanes in Pluto Ὡς ἀγαθόν ἐς' ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν, id eſt, ut bonum eſt ſi plura habeas cognomina. Convenit hoc adag. in eos qui multa ſimul profitentur, quo quæſtum faciant uberiorem: aut qui diverſarum ſunt partium quemadmodum veſpertilio in Apologis aliquando mus eſt, aliquando avis: quod dictum maxime de Mercurio qui variis gaudebat cognominibus: ſicut & Bacchus. Quod ad me ſic cenſeo, & ſue-cenſeo in alteratores cognominum aut potius amplificatores, quos Gallici annales ſub alio Rege aliter vocabunt, & aliter ſub alio: ſicque fit ut ignari tot cognominum in iis agnoſcendis non mediocriter laborent. Sinenſes Reges filii Solis inſano errore appellantur. Attende Eloquentiæ principem Romanæ ſic agentem in Piſonem, in Orat. pro Sextio: *Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum,* quarum ſimile habes nihil præter colorem.

Si modo non cenſus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos, ingeniumque facit.

2 *Quotuſquiſque eſt quem avi ſui non pudeat.*] Sæpe de ſutrina revera, aut de ſterquilinio. Auguſtus filius erat Argentarii ut ſcribit Suetonius. Iphicrates ſutoris è filio factus Imperator. Agathocles ex figulo patre. Juſtinus ex patre armentario. Mitto Maximinum, Pupienum, Aurelianum, Valentem, & alios. Xerxes Perſarum Rex coquum provinciæ præfecit, quod cibum opipare apparaſſet: alius nobilitatis inſignibus decoratus eſt, quod in facetiis & ſalibus primas teneret. Alius quod venereo morbo laborantem principem, lingua ſua lambendo ulcus ſublevaſſet. Alius quod lenonis munere egregiè defunctus eſſet. Cæteros ut ſileam quos pudet enumerare. Et hi tales nobilium jure gloriabuntur? Equidem ſic exiſtimo Equum Caligulæ conſulatu eſſe digniorem quam iſtos titulis nobilitatis. Juvenalis Priſcorum Quiritium nobilitatem lepide carpit dum eos ex pedo paſtorali &, mapalibus ad curiam evectos docet,

prope ſutrina vel pedum? pace tua dixero, ſæpe de ſterquilinio ſurgunt, & vix dum lotis manibus rerum publicarum negotia tractant. Rara ſunt & valde incerta veſtigia, quæ ducant ad venerabiles antiquitatis ſtirpes. Pleroſque intruſit vel in familias caſus vel error in cognomina: & ſi bene rationem ponis, virtutis jam opus agunt nummi. Ut quiſque ad decies centena pervenit, facillime de plebis tabula nomen ſuum eruit, & vel emptis faſcibus colitur, vel indigno conjugio ſuperbit, & illuſtrem ſanguinem fœda ruſticitate maculat. Jam hic noſter Callion, ſi ſcires quibus initiis extruxit tantæ potentiæ faſtigium. Pudet me miſerarum dignitatum, quæ tam fœda mercede veneunt. Parentem habuit æterna majorum vilitate, pœne etiam extra viciniam ſuam notum; qui prima ætatis elementa in anſerum cuſtodia poſuit, deinde ſebaceis componendis ſuſtentavit jejunæ vitæ ſupplicium, credo, ne periret veſtis olidæ pinguis ſqualor. Poſtea vertentibus fortunam ſortibus, ipſa armenta, paſtoreſque cum gregibus mercantem, & jam ægre ſua prædia numerantem ſtupebant amici, pæne in vindictam erumpente vicinia. Nec enim aberat expilatæ hereditatis ſuſpicio, cum plurimum in domo felicis ac nummati ſenis egiſſet. Uxorem olim duxerat:

Sed & hæc de plebe, ſuoque
Æqua viro fuerat.

at filium ſuſtulerat, qui Callionem præcedebat totis quatuor luſtris. Quem ut mediocriter eruditum ſchola dimiſit, ſtatim venerabili pallio circumductum ſedere inter Pontifices juſſit: & [1] in Antiſtitem ingenti pecunia evexit. O nu-

docet Sat. 2.

Unde nefas tantum Latiis paſtoribus, &c.

uſque in finem ſatyr.

1 *In Antiſtitem ingenti pecunia evexit.*] In prælaturam promovit. Duos hic ſatyra arguit, Simoniacos, & ignaros homines qui infulas ambire audent. Jure igitur queritur ſacroſanctas dignitates velut ad quæſtum eſſe proſtitutas: quotuſquiſque eſt qui liberorum ſuorum cunas emptis non premit infulis. Aut quis liberius hæreditatem ſub haſta licitatur quam ſacerdotium? Ecquid mirum ſi non ſanctius iſti vivunt? ſi in voluptatibus ſtertunt? animum vero nimio luxu ſolutum nervi deſtituunt.

1 Men-

numen cœliteſque, quam eſt difficile male partis bene uti? Licere Antiſtes credidit quod emerat vendere, & veluti licitatione facta aureis gradibus deſcendit de faſtigio ſanctiſſimæ dignitatis. Ac inter illos dies pulmonum dolore & cruenta tuſſi conſumptus eſt. Bene actum videbatur cum Callione. Immenſa vis erat pecuniæ, precioſiſſima ſupellex, ædes quæ bonam fortunam cum comitatu caperent, denique infamis mercimonii ſplendidus & elegans quæſtus. Quid quæris? felix Callioni ac lætum funus contigiſſe non erat qui non prædicaret; quod etiam in patre geminatum vix tantæ felicitatis capacem omnibus bonis prope obruit.

Efferuntur, pater & filius, pompa ſupra conditionem, pudendoſque natales, &, quod palam deriſere coæquales defuncto ſeni, [1] mendacibus titulis ſcutatiſque inſignibus non caruit ludicræ terminus ſcenæ. Ipſe Callion ſenſim in aulam intruſus eſt, multoque auro lubricum regiæ iter ſtravit.

1 *Mendacibus titulis, ſcutatiſque inſignibus.*] In ſcutis, aut vexillis, aut loricis impreſſere olim nobilitatis ſuæ ſymbola. Porro Clypeum quo ſe Romani ante ſcuti uſum protegebant, ἀπὸ τοῦ γλύφειν hoc eſt *à ſculpendo, cælandoque*, non pauci deducunt teſte Plinio; ut Clypeus quaſi γλυπτὸς id eſt *ſculptus* diceretur; cum enim chlamyde brachium olim clypearent, coriis tantum, & *pellibus*, quas & ſcuta dixere, præmuniti ad certamen deſcendere. Dictum autem ſcutum ἀπὸ τοῦ σκύτους *à corio*; vel ſi Varroni credimus *à ſectura*, quod ex minutiſſimis tabulis coaleſceret. Neque vero à cluendo dictum exiſtimamus, etiamſi virtutis vel avitæ, vel propriæ quam gentilitio ſymbolo exprimunt, ſtemmata ſint. Perſeus in ſuo ſcuto, ſicut & Pallas in ſua Ægide Gorgonæ caput expreſſerat: ſic Cæſares Aquilas, Reges Hiſpani Leones appinxere; ſed & ſuæ virtutis, aut illuſtrium facinorum inſignia generoſiſſimi Duces, & fortiſſimi heroës gentilitiis teſſeris notavere. Gotefridus cognomento *Villoſus* Comes Barcinonenſis pro *Ludovico Pio adverſus Saracenos* fortiter juxta atque fœliciter decertarat, cum etiamnum plagis, recenti ſanguine fluentibus, aureum Regi ſcutum obtulit, ut in eo inſignia exprimenda impetraret: Rex invicta viri virtute perſpecta, plagiſque non modicis quas adverſo pectore acceperat, inſpectis, quatuor ſuos digitos Comitis ſanguine è vulneribus ſtillanti, intingens, eoſdem ſanguineos per aureum ſcutum producens, totidem in eo lineas depinxit, æternum virtutis ejus monimentum ad poſteros tranſmittens, quaſi virtutis ſtimulos, ne ab avitis moribus ſint aliquando degeneres.

Non enim imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Uliſſes Delphinum aſſumpſerat, Agamemnon formidinem capite bovino, Mœcenas Ranas, Alcibiades Cupidinem cum ſagittis, Neocorus Aliareus draconem. Quidam Lacedæmonius in ingenti ſcuto muſcam minimam: Hanno Carthaginenſis in argenteo ſcuto Barchini Aſdrubalis imaginem appinxerat.

vit. Elegans illi ingenium, manus prompta; animus ut publice communis ac facilis, ita ſecretis abditiſque prudentiæ artibus munitiſſimus: ut ab aliis nec timeatur ut cautus, & ſubornatas ad fallendum adulationes ipſe naturali bono vitet. Quid hic aulicas artes, quid ingenii calliditatem explicem, qua etiam paulo ante dominii ſui favorem extorſit? Etenim cum ſermones maledici Principis gratiam avertiſſent, tanto aſtu fortunæ fugam celavit, ut nec ipſe videretur ſenſiſſe. Nam aſſiduus in regia, quamvis occultis ludibriis quotidie ſæviebat inſenſus Princeps, tamen ferendi conſtantia iræ pertinaciam vicit.

Non tuli diutius tam magnifice de Callione declamantem; &, Non, inquam, meminiſti, hominem illum, quem vis à Gratiis fictum, intolerabili ſævitia facere, ut paterna in eo vitia deſideremus? Tum ille: Ne erres Euphormio, non ingenii aut naturæ, ſed conditionis & temporum vitio peccat. Modeſtus ſua ſponte animus, inclinatione ſeculi rapitur in ſolutiora conſilia. Quoniam non eſt tutum, æquabalium morum integritatem afferre inter proceres; quæ vel reliquorum vitam notet, vel ut inſolens & multis jam extenſa ſeculis notetur. Quocunque inter illos, velato etiam capite, produceris: ſincera vaticinatione dices, non [1] quod olim Citharœdus, cauponam eſſe, ſed larvam, prodigium, ſcelus, perfidiam, nefas. Majorum virtus nihil ultra timuit, quam ne cœlum rueret: præſentis autem ævi impietas, niſi prorſus deſipuit, nihil amplius horret, quam hiatum dedignantis terræ ſui oneris improbitatem. Omnium ætatum crimina, omnium immanitas ſcelerum in hæc tempora confluxit. Nunquam effuſior libido, ambitus amentior, nunquam denique ſe latius effudit maledicendi licentia. Non impudens calumnia, non arena crudelis, niſi hæc tenebris, illa nomine diſſimulata ceſſavit.

5 Dum hæc proloqueretur, interim perditi lixæ applicue-

cue-

1 *Quod olim Citharœdus.*] An ille de quo Juvenalis Satyricus:

Accipis uxorem, de qua Citharœdus Echion.

1 Ne-

cuerant ſe ad laxiorem oſtii rimam, & quoniam erat ejuſmodi murmur noſtrum, quod etiam attentiſſimas aures falleret, continebant diligentiſſime ſpiritum, qui in [1] nequiſſimo Pedone diutius collectus, tandem cum aſpera ſonoraque tuſſi ſeipſum vehementius excuſſit. Perturbatus igitur Percas, qui rem altius erat exorſus quam ut paucis *totam* contexeret, compendioſa me doctrina præcipitanti *ruinæ* ſubtraxit. Magna, inquit, eſt ſapientia interdum decedere, vel per ſpeciem, de recto ſapientiæ curſu: tibi vero etiam neceſſitatem fortuna imponit. Finge ad tempus amentiam; prudentior, cum voles, receſſeris de concepto per ſimulationem morbo. Illud enim Callion his tormentis, & omni ſcelerum ſubtilitate molitur, ut per inſomnium & contumelias in inſaniam tranſeas; illinc aſſiduos ſibi jocos, & domeſticum ludibrium ſperans. Tu *everſæ mentis* vitium callide ſimula, & ut conſentias in artem *miſerrimam*, *indignanti* animo promitte ſalutem. Multis profuit, *commento verſatili omnem ſpeciem* induiſſe. [2] Non Paridi nocuit Idæum paſcuum, [3] *& Deos Ægyptus* humilibus formis abſcondit.

Nec

1 *Nequiſſimo Pedone.*] Injurioſa uſque ad infamiam & probrum appellatio.

2 *Non Paridi nocuit Idæum paſcuum.*] Id eſt, Paſtorem fuiſſe in Ida. Paris enutritus in ruſtica domo etſi *Priami* & Hecubæ filius, dum in Ida monte Phrygiæ circa gregem ſollicitus eſt, fit cauſæ Dearum arbiter Jove ſic ſtatuente, & quod pulchritudinis præmium pomum aureum dediſſet Veneri, Nympham totius Græciæ formoſiſſimam, Helenam, alioqui Semen bellorum, pro mercede conſecutus eſt. Unde Ovid. 4. Faſt.

Cæleſtesque Deas Trojano Iudice vicit.

Et Stat. 1. Syl.

Nec ſi Dardanius temerarius Ida veniſſes, &c.

3 *Et Deos Ægyptus humilibus formis abſcondit.*] Jure ergo appellatur à Mantuano *Deorum prodigioſa parens Ægyptus* propter vanas ſuperſtitiones, & Deorum portenta: Nam Cæpas, & Allium, & alia quædam adhuc viliora inter Deos poſuerunt Ægyptii: ut & Apim Bovem, & Iſidem ſub Vaccæ ſimulachro; Imo, & Canem, & Felem, & Accipitrem: præterea Ibim, Crocodilum, Piſces etiam olim pro Diis coluere: Unde Juvenalis Satyra 15.

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat, Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin.

Item:

Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.
Illic cæruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur: nemo Dianam:

 Por-

[1] *Nec magnum ambigui fregerunt Canea ſexus.*

Tum ne communicati conſilii aliis ſuſpicionem faceret, dimovet ocius clauſtra, admiſſamque familiam gaudere jubet: excidiſſe de mente Euphormionem, & per mille inanium rerum ſpecies quæſitam ſibi ridendi voluptatem. Mox illi circumſiſtere thorum frequentes, & quærere fidem dictorum Percantis, cum ſupercilium ſuſtuli, & veluti longa cogitatione defixus, agitare dixi quem ex iis ærario, quem ſupellectili præficerem; proclamantibus illis, vocem altius ſuſtuli, & in craſtinum abire juſſi: noctem deliberanti pro conſilio fore. Adjuvit rem Percas, & cum ſe thalamo meo præfectum jucunda aſſeveratione diceret, omnes velut per officium extra cubiculum deducit.

Mihi vero caſus meos tota nocte reputanti, jam minor quam antea ſolicitudo & anxietas animum perfodiebat. Eſt enim, ubi ingenti malo feſſi atque victi non diſputamus amplius cum miſeriis noſtris: triſtis illa quidem & ſolitaria voluptas; ſed quæ non minus animos permulceat, quam arridentis fortunæ irrequietus & exultans impetus. Deinde in lachrymas effuſus majorem doloris partem conſumpſi, & ſolicitavi animum ut cum fortunæ violentia, prudentia magis quam queſtibus & lamentis certaret. Igitur [2] tanquam

Porrum, ac cœpe nefas violare, ac frangere morſu.

1 *Nec magnum ambigui fregerunt Canea ſexus.*] In utroque ſexu excelluit Cænis, Theſſalica puella fuit, quæ à Neptuno per vim compreſſa ab eo muneris loco impetravit, ut in virum transformaretur, nulliſque unquam vulneribus poſſet ſauciari. Mutato itaque ſexu, etiam nomen mutavit, & ex Cænide factus eſt Cæneus. Hic cum Lapithis pugnans adverſus centauros, cum nullo teli genere poſſet violari, congeſta in eum magna arborum mole, vivus obrutus eſt, & in Cænidem avem tranformatus, ut fabulatur Ovid. lib. 12. Metam.

O ſalve dixit Lapithææ gloria gentis
Maxime vir quondam, ſed avis nunc unica Cæneu.

Quanquam Virgilius à morte non in avem transformatum velit ſed in muliebrem rediiſſe ſexum. Sic enim habet lib. 6. Æneid.

It comes & Juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus
Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.

2 *Tanquam ex Spartano Cothone.*] Etſi tam miſer eſſem quam Spartani pueri. Servius in hæc verba. *Hic portus alii effodiunt.* Æneidos primo docet in Peloponneſo portum vocari Cothones. Circa Cothonem Spartanorum rigidiſſima erat erga pueros diſciplina, qui ante Herculis aram certis diebus humanæ

Digitized by Google

quam ex Spartano Cothone miſerias haurirem, illas erectior animus mitiori ſpecie tegebat, & quodam modo faſtidioſum colorem celabat, ſic tamen ut, abjecta ſpe, hoc me unum ſolaretur, quod ad meas miſerias nihil jam Dii poſſent addere.

Exedit penitus corda latentia,
Et ſemper vigili ſpes ſtimulo furit.
Spem de ſollicitis tollite mentibus,
O quos implacidis juvat
In fatis animi quies.
Si non arboreis obvia fœtibus,
[1] *Si non ora forent obvia fontibus,*
Qui curſu refugo decipiunt ſitim,
Pars de Tantaleis malis,
O pars quanta recederet?
Spes implet tumidum naufragiis mare,
Spes captis onerat retia piſcibus.
Hac Bellona ferox uſa ſatellite.
Mortalem quoties ſolo
Fudit prodiga ſanguinem:
Stat curſus rapidi lentior ætheris,
Cum longos animum ſpes trahit in dies.
Non eſt ponderibus victa neceſſitas:
Quod ſperas onus excuti,
Hoc hoc ſævius opprimet.

Nec

manæ & inſontes victimæ uſque ad necem cædebantur. In priſco monumento Pauli III. Pont. Max. Symbolum iſtud legitur, à Bocco collectum.

Prudens ac fortis ratio, meditatio & uſus
Edocet omnipotens omnia dura pati.

Carmen

An tu enim Lacedæmone cernas
Quales extiterint pueri, innuptaque puella
Atque adoleſcentes in Olympico
Olim pulvere, quanvis graves plagas in arena
Barbarus excipiat, tacitusque
Perferat, an tu inquam virtutem natus ad ipſam
Ac decus, ut muliercula flebis, &c.

Sed forte id melius referetur ad Spartanum hominem miſerrimum, ſed conſtantem, nomine Cothonem.

1 *Si non ora forent obvia fontibus.*] *Quantum bonum ſpes eſt.* Interrogati Alexander, & J. Cæſar quid ſibi ſupereſſet, poſt tot victorias? Reſponderunt *Spes*. Tolle ſpem, tolles maximum bonum. Cujus occaſione Tantali mentio eſt, qui

In mediis heu miſer! ardet aquis.

Nec expectata luce erupi è ſtrato, & ad Callionem admiſſus [1] peto, ut diſſolvat nomen quo mihi in mille ſeſtertium tenebatur. cum rideret Pedo, inſilui in oculos, & non perfunctorie cædere cœpi, tutamque vindictam, omnibus pæne ſpiritum riſu excludentibus, exercens, Funeſtum, inquam, mancipium, etiam ultro me laceſſis, qui meo beneficio vivis? Si pergis maledicere, [2] exigam à te animam, quam nuper in prælio cum Arachoſis mea virtute ſum largitus. Igitur Callionem ambiens, & caute diſpenſans amentiam meam, intra breviſſimum tempus in potentiſſimum familiæ evaſi: utique poſtquam illi ſupplice & aſſiduo cultu perſuaſi, ſolum eſſe quem exciſa ratione adorarem, velut jubente natura, interdum etiam metuebam, ne importunius emergens veritas deprehenſam calliditatem in ſupplicium mitteret. Itaque commentis omnibus aſtruebam fallaciam: & nunc inanimes tabulas affabar, nunc caninis aſſidens Præſtitibus admovebam ſolicitas aures, & videbar loquentes audire. Neque verba tantum & incertos greſſus componebam ad mendacium, ſed commodabat etiam vultus aliquod amentiæ ſpecimen: quippe cum omnes motus, qui vel à tædio erant vel à metu, in argumentum violati traherentur judicii.

Tardius tamen parebant oculi, nec amoliri poteram conſtantiam ſereni placidique luminis. Eſt enim in vagis & cur-

Nota eſt omnibus ejus fabula, quâ ſpes inanes ludit: quis enim neſcit Pelopem filium ab eo membratim conſciſum, Jovi hoſpiti oblatum ad manducandum; ejus divinitatis probandæ cauſa: ſed eundem à Mercurio excitatum virtute Caducei: ſed Tantalum ad inferos detruſum, ubi in mediis Eridani aquis ſiti torquetur, quia fugiunt aquæ, aquas quaſi lambenti, nec poma labris impendentia guſtare poteſt ob ſceleris pœnam.

1 *Peto ut diſſolvat nomen quo in mille ſeſtertium tenebatur.*] Ut ære mihi debito ſe exolveret. Seſtertium & ſeſtertius, hoc valebat aſſes duos, & ſemi, unde ſeſtertius quaſi ſemitertius: ſeſtertium autem mille valebat nummos ſeſtertios: ita ut decem ſeſtertia valerent decem millia nummorum ſeſtertiorum: quod ſi per adverbium decies expreſſeris, decies ſeſtertium rediges ad ſummam centuplo majorem.

2 *Exigam à te animam quam nuper in prælio cum Arachoſis mea virtute ſum largitus.*] Inſanum in morem loquitur, dum ſe fortem ita eſſe jactitat, ut Callionis vitam conſervarit in certamine contra Arachoſios. Arachoſia Aſiæ regio eſt illius ubi Alexandria & Aracotes.

1 *Piſcem*

& curſim errantibus oculis irrequietæ indicium mentis: nec ulla pars eſt in homine, quæ magis cum arcanis affectibus conſentiat. Amplam & quodammodo vegetam aciem non niſi magni & viridi ſpiritus alunt. Blandior ac veluti illecebroſa, faciles, nec omnium hoſtes voluptatum, notat. Sic anguſtus oculus, & in imum carcerem deſugiens, animum nunquam aſſurgentem ſublimibus conſiliis, & cogitationum magnitudine, prodit. At vero cum aliqua perturbatio attonitos capitis ſpiritus confudit, ut jam omnium membrorum nexus & vincula ægre ſuſtineant, tum nervi præcipue, qui ex altiſſimo capite tranſverſim in oculos deſcendunt, viciniore malo laborant, & crebrius micantibus oculis occultum animi morbum livido ac truci aſpectu pingunt. Quis crederet? etiam interdum prudentibus verbis alebam amentiæ famam: quoniam nihil eſt *tam fatuum*, quod ubique deſipiat. [1] Piſcem natura vo*calem eſſe noluit*, & [2] *tamen in Ladone* non eſt mutus.

Sed pigebat tamdiu *rationem in vinculis habere*, & 6
artis tam contumelioſæ nauſea quotidie magis afficiebat indignantem ſtomachum. Jamque inſtar *vulpeculæ* Laconis vitalia aperientis feſtinabat prodi tranquillior animi ſtatus, & rejiciebat dementiæ veſtem, cum ea ſe occaſio dedit, ut crederes ipſos deos ad remedium invitare. Notaveram in domini ſacrario [3] reponi medicamentum multo Agarico

1 *Piſcem natura vocalem eſſe noluit.*] Id quaſi proverbialiter loquitur, ut intelligat tempus eſſe loquendi, & tempus tacendi: ſunt autem muti piſces defectu organorum, non enim ſunt eis pulmones, & alia: quod & in proverbium tranſiit: *Mutus ut piſcis.* unde Horat.

O mutis quoque piſcibus
Donatura Cygni ſi libeat ſonum.

2 *Tamen in Ladone non eſt mutus.*] Nugæ: forte ex compreſſione aquæ, aut aëris murmur aliquod excitat: nam ſi non eſt mutus; ergo habet in hoc amne pulmones, quod nemo ſapus dixerit. Ladon eſt fluvius Arcadiæ juxta quem poëtæ fabulantur Syringa Nympham in arundinem fuiſſe converſam.

3 *Reponi medicamentum multo Agarico imbutum: præterea Betonica credo, & Euforbii ſucco, &c.*] Proſunt hæc medicamenta purgando cerebro. Agaricon fungus eſt, aut certe radix Laſerpitio ſimilis, in arboribus naſcens, ſapore primum dulci, ſed mox in amaritudinem declinante. Naſcitur circa Boſphorum Cimmerium, juxta fluvium Agarum. Eſt mas, & fœmina. vide Plin. lib. 25. c. 9. Betonica geminæ eſt ſpeciei, una eſt herba unicaulis, ramulos

Digitized by Google

garico imbutum: præterea Betonicæ, credo, & Euſragii ſucco abundans, & temperata [1] herba qua Chryſippus ter mentem repurgavit. Recentioris Caſiæ & ſinceri Balſami ſuavitas leniebat Terebinthinum ſaporem, & ſeverioribus plantis obſtabat ad ignem durata Indicæ cannæ medulla. Huic tam multiplici remedio accedebat unionum liquor; dilutumque ſingulari artificio ſmaragdum puto non tam ad valetudinem feciſſe quam ad pompam.

Hoc medicamenti genus, quod Callion à fratre acceptum propria vanitate auxerat, religioſe ſervabatur, tanquam indubitatum deficienti naturæ auxilium, etiam vetuſtate potentiores vires trahens, & ipſius temporis, à quo cætera deſtruuntur, alumnum. Nec aliud ultra Callionem delectabat, quam de precioſiſſimo poculo vel audire, vel loqui; [2] illud Menecrates ſi haberet, ſupra Jovem iturum: illud

los habens pulegii, ſed tenuiores, & guſtu fatuos. Euſragium, herba quæ caput levat; ſed oculos maxime. Caſia frutex eſt ex Theophraſto ſalicis Amerinæ magnitudine, multis ſurculoſiſque brachiatus ramis, craſſiore quam cinnamomum, ſarmento, ſoloque cortice commendatus. Virg. 2. Georg.

Nec Caſia liquidi corrumpitur uſus Olivi.

Dioſcorides tria facit Caſiæ genera; unum ex nigro purpuraſcens; & roſæ odorem referens, Ziger appellatum. Alterum longius, & anguſtius, & fiſtulis plenum, aromatum, & vini miſtum odorem repræſentans, quod Arabum lingua, *lada* dicitur. Tertium moſylicum appellatum, paulo vilius cæteris eſt. Hyginus author eſt à Latinis appellari *Caſiam*, Cocci Cnidii fruticem. Eſt & Caſia fiſtularis ſiliqua Ægyptia à medicis dicta, hodie in uſu, oblonga & grana atra habens oſſibus immixta. Balſami pretium, Ægyptium dico, nemo ignorat, gummi genus; Eſt autem Balſamum, Opobalſamum, Xylobalſamum, Carpobalſamum. Denique in Judæa eſt vallis Terebinthi ubi frequens è corticibus guttus iſte colligitur. Vide plura apud Plin. his additus ſmaragdus dilutus, qui lapillus eſt viridis coloris, tertius in pretio demum.

1 *Herba qua Chryſippus ter mentem repurgavit.*] Elleborum putem quæ magnam viam habet purgandi cerebri. Eſt album, & nigrum. Præſtantiſſimum naſcitur in Anticyra inſula. Unde fit ut his qui minus ſano ſunt cerebro, Anticyram navigare jubeamus. Et πῖθ' ἐλλέβορον id eſt *bibe Elleborum*. Et ἐλλεβόρου δεῖσθαι, *indigere Elleboro* in proverbium tranſeat. Naſcitur autem talis planta in Anticyra inſula quæ pro Elleboro ſæpe ſumitur Synech. de qua Horat. de arte:

Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licinio commiſerit.

2 *Illud ſi Menecrates haberet, ſupra Jovem iturum.*] Syracuſanus iſte medicus nullam mercedem recipiebat: curabatque in primis morbum ſacrum ea lege, ut ſanati ipſi ſubjicerentur, eumque Jovem appellarent. Sicque ad Ageſilaum Spartæ Regem ſcripſiſſe dicitur: *Menecrates Juppiter Ageſilao Regi ſalutem.* Subridens Ageſilaus reſpon-

Digitized by Google

illud invidi cœli flammam provocare [1] ultra quam vitales Æſculapii manus: hoc ſanguinem ſiſtere, hoc reſtituere pulmonibus libertatem, afflare jecoris ignem, venaſque ipſas & nobiles cordis motus ſalubri temperamento mulcere. Dii boni quam eſt ingenioſa & ſolers neceſſitas; mihi Callionis quæſivi gratiam ab effuſo tam charo præſtantique remedio; utique cum aſſervatam negligentius arcam furtim iniiſſem, vividum liquorem ſparſim in terram deturbo, multoque pulvere obducens intercipio ſuavitatem odoris, & excludo ab advenientium ſenſu. Deinde tanquam direptum avide medicamentum exhauſiſſem, languidus in terram procumbo; ſi cogitata fraus non procederet, certus profecto laturam impune amentiam tam audax & grande facinus. Quærebatur interim Euphormio, & deſtituta aſſuetis ſalibus domini menſa videbatur marceſcere, cum ille meus Percas, cujus etiam conſcientiam in hoc conſilio exhorrueram, animadvertit procumbentem, & extinctum ratus omni celeritate familiam advocat. Ac Callion vacuam in mea manu pateram conſpicatus, non potuit in tanto diſpendio riſum tenere; &, O miſeram, inquit, ſimplicitatem! exiſtimavit deliciarum, non ſalubritatis poculum commendari.

Videbar interim obluctari meo malo, & vis totis concepta meatibus majore niſu ſanitatem moliri, quam ut natura ferret, cum olei jam ante ex compoſito ſumpti levis moles ſtomachum exoneravit, & marceſcentem vultum nonnihil reſtituit. Jamque omnes conclamaverant, tanquam ad exeuntis ſpiritus fugam, cum ego veluti revocatis ſenſibus, mihi melius eſſe dixi. Mirabiles tamen capiti tu-

ſpondit ſcripto, *Ageſilaus Menecrati ſanitatem.* Ita Plut. in Apoph.

1 *Ultra quam vitales Æſculapii manus.*] Dicitur author medicinæ, cujus vitales manus eſſe ait, quod Hippolyto mortuo vitam reſtituerint, ut fabulantur;

Nec niſi Apollinea valido medicamine prolis
Reddita vita foret, &c.

Ovid. 15. Metamorph. Sicut & Androgeo Minois filio, ab Athenienſibus interfecto. Proper. l. 2.

Et Deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis.

1 Tan

tumultus obverſari. & petendam quiete medicinam. Admiratus Callion novam in mę loquendi prudentiam, inferri grabbato juſſit, & ſilentium etiam ſuperſtitioſum circa me eſſe. Ibi reliquum diem, & quæ ſequuta eſt, noctem placidius; ortoque demum ſole cum omnes officioſe convenirent, veluti ex altiſſimo ſomno animum & oculos eruens, inquirere cœpi quid mihi inſolens contigiſſet: namque tota nocte deluſam falſis imaginibus mentem, quibus videbar inuſitata veſte per ædes licentiſſime vagari, & omnium ſalibus appetitus, nunc dicteriis, nunc verberibus referire. (Nam quicquid temporis amentiæ ſimulatione conſumpſeram, ita videbar omittere, tanquam illa primum nocte Callionis domum intraſſem.) Tum injeci oculos in Callionis vultum, & veluti feſſum caput allevato cubito fulſi, nec ille cunctatus ô miras in medicamine vires! inquit: non modo corporis morbis imperat, ſed & ſauciæ mentis vulnus etiam ſine cicatrice obducit. Nihil vanitati tribuo; ſed [1] tam præſtanti potione Melampus Argivum diadema non emit. Neque enim dubito miſeri hujus mentem eſſe epoti medicaminis virtute reſtitutam.

Pervaſerat omnes ingens ſtupor, & [2] tanquam Eleuſinii ſacri participes mutis obtutibus in me contuebantur. Præcipue Percas vix credebat oculis ſuis, aſtumque tam expectatum (nam quid egiſſem facile conjectabat) callido ipſe

ani-

1 *Tam præſtanti potione Melampus Argivum diadema non emit.*] Et hæc ad commendationem medicamenti. Porro Melampus Amythaonis Argivi & Dorippes filius, à pedum nigredine Melampus dictus: ſiquidem mater ejus, obtecto corpore toto, exceptis pedibus hunc infantem exponebat ſoli: Medicorum præſtantiſſimus æſtimatus eſt: ei erecta ſunt templa & aræ, feſti dies, & ſacrificia ſtatuta. Inter alias curationes filias Prœti furiis agitatas ſanæ menti reſtituit. Pauſan. lib. 1.

2 *Tanquam Eleuſinii ſacri participes, mutis obtutibus, &c.*] In ſacris Cereris ſilentium tantum ſervabatur, ut nefas eſſet nuſquam expiandum illa revelare; nam propterea Ageſilaus patria expulſus eſt; unde Horat. l. 3. Od. 1.

Vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaſelum.

Eleuſinia dicta ſunt ab Eleuſi civitate Atticæ, de qua tam bene meruerat Ceres, ut & templum ei in ſua urbe dedicarent, & ejus ſacra reciperent.

1. Ma-

animo reputans, adorabat ſolertiam meam, & quod ſolum poterat, interdum vibrantibus oculis egregio commento ſubſcribebat. Igitur cum proceſſiſſent aliquot dies, & [1]magis Æſculapio magiſque viderer obnoxius, neque ulla ſupereſſent prioris amentiæ veſtigia, mihi Callion litteras ad Fibullium amicum ex calculo ægrum tradit, in hæc verba conſcriptas. Quod amantium ſpiritus alieno ore trahantur, non alienis potius exemplis didici, quam ipſe exemplum eſſe poſſum. Quamdiu valebas incolumis, in te vixi: afflicta tua valetudine eo etiam plus dolui, quod tui corporis ægritudo mentem meam ſauciabat. Nunc oro obteſtorque, vel propter me reſtituas animi elegantiſſimi domicilium; corpori, inquam, aliquantulum vaca. Præſto eſt ſanitas, ſi admittis, tantum mihi curationis onus impone. Si non fidis, neſcio quibus carminibus deſiiſti eſſe Fibullius. Si experimentum deſideras, hominem ad te mitto, cujus everſam mentem unius poculi hauſtu compoſui. Jam quoties febrium æſtus levavi? quoties diſſipavi coëuntem ſanguinem, aut cibum ſicut erat ingeſtus fugientem ſtiti? Adeo vis nulla eſt mali, quam non facile amoliatur medicamenti ſalubritas, cujus apud te laudes à me ſæpe jactatas memini: nihil ſane mihi precioſius frater decedens reliquit. Percas, quem ex omnibus meis potiſſimum diligis, tanti miraculi teſtis fuit. Iſti imperavi, ut rem illuſtrius tibi exponat, & eorum examina computet, quibus mea miſericordia ſaluti fuit. Fidem meam ex illius conſtantia, & ex omnibus veracis animi indiciis metiare. Ad extremum rogo te, ne tam penitus ſalutem medicis credas, ut niſi eorum opera ſanus eſſe non velis. [2]Cave homines feros, cave Scythas ma-

1 *Magis Æſculapio magiſque viderer obnoxius.*] Cum Æſculapio Auctori & Deo medicinæ deberem, quod hoc præſtanti pharmaco ſanus eſſem. Mos erat poſt receptam ſanitatem mactare Gallum aut Capram Æſculapio, maxime in hoc templo quod ei dicatum erat apud Epidaurum natalem.

2 *Cave homines feros, cave Scythas magiſtra Medea dignos.*] Fuge medicos tanquam homicidas aut barbaros Scythas. Satyra nunc invehitur in medicos. Porro Scythæ gens eſt laboribus, & bellis aſpera; & ad certamina magis quam ad ullum humanitatis ſtudium idonea: vires corporum immenſæ: eo-

que

[1] magiſtra Medea dignos. Niſi quod pejores iſti non unum Peliam exhauriunt: [2] nec tam Iaſonis gratia quam aureæ pecudis furunt. [3] Evitabis tot veneficorum ſortes, ſi, quod tibi medicamentum paro, intrepidus hauſeris. Scio repugnaturos iſtos Machaones, & intempeſtivis ſcrupulis oneraturos animum jam ſatis morbo debilem. Sed memineris plus iis ex cruciatibus tuis venire, quam ex fide ſua, & eos abominari conatum meum, quo doceo aliam poſſe reperiri ſanitatem, quam quæ apud eos venalis eſt. Vale. Deinde tot nos mandatis onerat, ut jam non dubitarem, majus ipſi beneficium fore, ſi quis ſua opera ad ſanitatem uteretur, quam ei quem ægritudine levaret.

Sed hoc mihi videbatur inhumanum; ſub veſperam dimitti incertos hoſpitii, niſi quod longe eſſe diverſoria ſciebamus. Pernoctandum erat in campis, & quod ego duriſſimum

que improbitatis pervenere, ut cunctis ad quos acceſſerint, nares præſcinderent: unde Crinitus, *ſeu libeat Scythas ſpectare ſævos.* Incolunt Tanaidis, Mæotidis paludis, & Ponti Euxini littora. Fuere olim Europæi, & Aſiatici: hi verſus Orientem excurrentes, illi ad Boream & occaſum uſque ad Iſtri littora.

1 *Magiſtra Medea dignos.*] Medicos intelligit qui miſcendis herbis inſtar Medeæ mortem ſæpe pro vita ægrotis afferunt: nam ſi Medea illa Colchica Æſonem mariti Jaſonis patrem ad priſtinos juventutis florentis annos reſtituit, Peliam ejus fratrem, & Jaſonis patruum ultrix de medio ſuſtulit manu filiarum ejus Peliadum. Vide Metamorph. Ovid. & Senecam Tragœd.

2 *Nec tam Jaſonis gratia quam aureæ pecudis furunt.*] Sæviunt in ægrotos non tam perſonam ſpectantes, quam lucrum, dictum auream pecudem; alludit ad vellus aureum quod ex Colchide Jaſon Argonautis adjutus abſtulit: ſiquidem volunt non pauci vellus illud aureum nihil aliud eſſe quam Theſauros à Prixo in Colchidem deportatos. Auream autem pecudem appellat illam retributionem, quod alias effingerentur in numis noctuæ, boves, arietes: unde & pecunia à pecude dicta eſt: ſive quod olim ex corio fieret ſigillato,

Sic eſt pretioſa pecunia ſigno.

Adhuc in uſu non ita pridem in Gallia fuit Nummus aureus vulgo dictus *Mouton a la grand laine.*

3 *Evitabis tot veneficorum ſortes.*] Sortes appellat conſultationes, & præſcripta medicorum, quæ ſunt tanquam oracula, alluditque ad Apollinis ſortes: & quos ſupra dixit Medea magiſtra dignos quæ quidem erat venefica, eoſdem nunc appellat veneficos, quod venenum nonnunquam pro legitimo pharmaco miniſtrent ægrotis. Moxque appellat Machaones velut Ironice, & per deriſionem & contemptum: erat enim Machaon filius Æſculapii, & ipſe medicus clariſſimus: quippe qui Philoctetem Pæantis filium Herculis ſagitta hydræ veneno tincta vulneratum ſanavit. Propert.

Tarda Philoctetæ ſanavit crura Machaon.

1 Fa-

Digitized by Google

ſimum putabam, erat iter etiam luce commeantibus grave. Etenim pendebamus in arcto limite, hinc premente ſylva, virgultis paſſim ac fruticibus impedita, illinc præcipiti riparum voragine, quæ, ſi erraſſet veſtigium, nihil mitius promittebat, quam vorticoſum amnem, etiam tum ſuperbius decurrentem, quod largior imber nubibus excidiſſet, quas amnibus in pabulum æſtivum Natura immittit. Nec oppidum in propinquo erat, neque fumus domiciliorum index villæ alicujus humanitatem pollicebatur.

Sed, ne viderentur in nos caſus & domini crudelitas conſpiraſſe, prout declinabat in veſperam dies, aperiebant ſe viarum anguſtiæ, & aſpera locorum difficultas velut levigato itinere miteſcebat, cum tandem producto in noctem labore Solis radii errantes deſtituunt. Cæterum nihil obſtabat ſyderum luci niſi ſplendidioris Lunæ fulgor, quæ nullis impedita nubibus pulcherrime ardebat, & noctis initium ceſſantibus ſubinde rerum omnium motibus neſcio qua novitate non ingratum videbatur. Sed poſtquam conticinium omnes ita tumultus compoſuit, ut quodammodo ventus etiam quieturis frondibus parceret: tum paulatim inſinuare ſe animo horror, & ipſi poplites naturali formidine labaſcere. Exaudiebatur apertius decurrentium undarum fremitus, quoniam rebus aliis nox quietém indixerat, & liber alveus non mitius quam ſi ubique obices morarentur, ſeſe ſpumanti impetu effundebat, cum improviſo amnis, tanquam & ipſe nocti cederet, obmutuit, [1] faceſque aliquot ex ſtratis

1 *Faceſque aliquot ex ſtratis fluctibus emerſerunt.*] Unde & qui ignes illi de quibus tam frequens in hoc capite fit mentio, qui in aquis apparent ſubſultantes, & excurrentes? pingues credo ſunt vapores qui ſub occaſu ſolis attracti, neque à ſole diſſipati defectu virtutis remanent ſuper aquas & ad ſui admirationem ignaros rapiunt; apparent autem maxime vere, & autumno, quia minor eſt vis caloris ſolis. Vocanturque ignes fatui, qui fatuorum more nuſquam conſiſtunt. De his ignibus ita Plin. Natur. l. 2. c. 4. *Jamque ignium quod eſt quartum elementum, demum aliqua miracula. Sed primum ex aquis In Commagenes Urbe Samoſatis ſtagnum eſt, emittens limum flagrantem. Et, tactus ſequitur fugientes, quod fit ex moto aëre. Aut certe fugit ſequentes, & cupidos videndi in fluctus trahit.* Porro fieri poteſt ut his immiſceantur Dæmones ad perniciem hominum.

Digitized by Google

ſtratis fluctibus emerſerunt; & voces, tanquam viarum indices, nos ad ſe non obſcuro clamore vocabant. Tot miracula an vero metus prudentiam meam interceperit, haud facile judicarim: certe jam à via deflectebam, iterque ad ignem illum deſtinaveram, cum Percas lacertum meum tenuit, & à mortis limine revocavit ad vitam. Quo te, inquit, agis, Euphormio? quid te miſerabili letho involvis fluctibus, tanquam in terra mori non poſſis? Iraſcebar primo hærenti mihi fortiſſime, & amentiam meam ſuo pondere continenti. Sed tandem cum hæ faces non uno loco fulgerent, & nunc ſecundo, nunc adverſo amne decurrerent, hinc extinctæ alibi naſcerentur, modo infrequenti igne & maligno lucerent, cœpi ipſe damnare impetum meum, & Percantem interrogare, quis illius flammæ auctor, quæ alimenta igni in tanto undarum curſu, quis ille denique qui nos ad ſe tanquam errantes benignius vocaſſet? Tum ille: Spectra, inquit, & infelices ſpiritus, quibus nihil eſt hominum ruina potius, non in hoc modo gurgite, ſed in omnibus prope fluminibus nocturna hæc incendia excitant: Incauti viatores dum his utuntur ducibus, ſe plerumque vel nodoſis vorticibus implicant, vel ſi meliori genio ducuntur, cœnoſis paludibus impediti longiſſimam noctem inter preces & vota conſumunt.

Adhuc loquebatur Percas, cum [1] ingentis viri ſpecies exeruit ex fluctibus primum caput comis undique ac barba contectum, latiſſimum deinde pectus lacertoſque loris, ut ad Lunam judicari poterat, viriliter nodatos: cumque paulo infra umbilicum aperuiſſet corpus, ſtatim clunibus ad noſtrum latus verſis, eas utraque manu diu ac fortiter increpuit, riſuique barbaro inconditum clamorem admiſcens, ſeſe iterum in flumen immiſit. Innitebar ego Percanti deficientibus viribus, cum me ille forti animo eſſe juſſit, [2] Tritones

1 *Ingentis viri ſpecies exeruit ex fluctibus caput primum, &c.*] Deſcriptio lepida Tritonis, id eſt, monſtri marini ſpeciem hominis referentis.

2 *Tritones illos aut Proteos, &c.*] Fabulati ſunt Poëtæ Tritonem Deum eſſe

tones illos aut Proteos nihil ultra metam ſævire, nihil illis virium extra latitudinem amnis eſſe. Sed quid ſi nuper, inquit, in hujus regionis quadam civitate fuiſſes, ubi memorabile ſpectrum modo ludicra, modo formidabili forma domum nobilitavit? quam fortis miles ſtrinxiſſes gladium, & ſub infami tecto pernoctare quæſiſſes? Quanquam mihi Tritonis illius timor pæne non reliquerat ſanguinem, tamen Percantem rogabam, ut exſequeretur ordinem formidabilis caſus: ita decipi poſſe longiores noctis moras, & animum meum audito graviori periculo facile leviores formidines excuſſurum.

Erat, inquit, ingens militum copia, quæ Gallicam ur- 8
bem præſidii cauſa intraverat. Anguſtior domorum quam militum numerus detraxerat civibus capaciorem ædium partem. Nec id efficere potuit, quin milites aliquot incommodiſſime habitarent. Sæpe ingentium animorum comes eſt inopia, ſive aliquid fortuna ſingulis datum voluit, ut aliquos divitiis, alios præſtantiori munere & excelſo animo cumularet: ſive quod fucis parandus erat paſtus, quem ignavi conſumerent. [1] Apes vero in ipſis parentum operi-

eſſe marinum Neptuni, & Salaciæ Nymphæ filium, eumque Neptuni tubicinem. De Tritonibus Plin. lib. 4. cap. 5. hæc autem ſcriptis reliquit: *Olyſſiponenſium legatio ob id miſſa, viſum auditumque in quodam ſpecu, tuba canentem Tritonem ea qua naſcitur forma.* Id. lib. 32. cap. 11. & alibi paſſim mentionem facit Tritonum, & hominum marinorum, ſed & amplificator Æliani de quodam Tritone hoc reliquit: *Cum degerem in Græcia, in Albaniæ provincia, ad fontem prope maris littus ab accolis frequentatum, mulieres, & puellæ ad aquam hauriendam accedebant quotidie: quas cum Triton cerneret, in littore maris latitans ſenſim in terram emergebat, & clanculum ex eis quas vellet rapiebat, & violabat: qui tandem comprehenſus, & in carcerem truſus, mœrore confectus obiit.* Jam quod ad Proteos. Proteus ab iiſdem Deus marinus & ipſe creditus eſt, Oceani, & Thetyos filius Neptuni phocas, ſeu vitulos marinos in mari paſcens, idemque vaticiniorum peritiſſimus, & in quamlibet formam ſe transmutans, unde locus fabulæ, & adagio: *Proteo verſatilior.*

1 *Apes parto per laborem melle frui.*] Ut fuci ſunt ſymbolum pigritiæ, ita Apes, ut & formicæ ſunt ſymbola diligentiæ. quod ad primum, audi Virgil. Georg. 4.

Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.

Strenuitatem in apibus quis non novit; ad quarum diſciplinam eant inertes, & ſaginati per ocium animi: quantum enim operæ hæc animalcula ex propenſione naturæ totos dies amplectuntur, quantam ex opera voluptatem, melliťoſque fructus colligunt; Et vide ne inter

operibus natæ, gaudent parto per laborem melle veſci. Sic etiam tum erat quidem majoribus animis quam opibus miles, cui ſors viliſſimam delegaverat domum, quæ & ſordibus, & odore paupertatis indice, generoſum hominem totos dies in foro tenebat. Is cum perambularet urbem, & paſſim domorum tectorumque minas curioſis oculis perluſtraret, incidit in elegantem domum, binis turribus, & variis ſtatuarum molibus exornatam. Sed omnia velut in peſtilentia conticebant, fores pluribus aſtrictæ vinculis, feneſtræ aliquot negligenter apertæ, & omnia deſertarum ædium ſigna. Cum indignaretur miles vacare pulcherrimam domum, & eos qui pro ſalute civium vitæ curam projicerent, in peſſimas ſedes conjici, admonuit ſodalis, infeſtam ſpectris domum, cum aſſiduis tumultibus familiam laſſaviſſet, tandem dominum coëgiſſe, ut alio commigraret. Nullum aditu prohiberi, ſi cui audacia, niſi verius temeritatem dixerim, inquit, in infami ſede pernoctare ſuggeſſerit. ſed neminem in illum diem repertum, qui periculo nihil utilitatis afferenti vitam tradere voluiſſet. Hæc poſtrema oratio militem ſtimulavit. Exarſit animo cupiditas, ut princeps ſcrutaretur hoc malum. Quoniam ante omnes aut auſum aliquid aut inventum, veluti primitiæ quædam gloriæ animos efferunt, nihil præter laudem eximium in vita ducentes. Itaque ad Magiſtratum primo, ad dominum deinde ædium contendit, pollicetur, ſi quid fuci in his timoribus, ſi quid vicinia, ſi quid ſervitium fallaciæ committat, ſe impigre ſcrutaturum. Lychnis modo & lignorum copia inſtrueretur domus. Si hæc humana fraude contingerent, ferro ſe improbos ulturum: ſi majore vi excitaretur Tragœdia, non invitum pro laude & publicis commodis moriturum.

Ne-

inter Apum mellaria fucus laboris alieni edax appellere. Volucres Muſarum ideo forte vocantur à Columella. Audi Maronem Georg. l 4.

Ultroque animam ſub faſce dedere.

Vide plura de apibus ibidem. Et apud Plinium lib. 11. cap. 5.

x Tan-

Nemo erat quem non caperet tam generoſus impetus, cum famulus præterea militis promitteret ad omnia manus, firmaretque non fore aliquod diſcrimen domino, quod ipſe non adiret. Conveniebat ad militem vicinia, [1] tanquam ſi Hercules ſtetiſſet ad Tænarum, pugnaturus in mortis imperium, & inferorum pacem. Sed ille cum omnes arceri juſſiſſet, enſem curioſe detergit; ſi quid eo die rubiginis humenti vagina contraxerat, ſedulo artificio delet, ac ſub veſperam animis mediocri cœna refectis in deſertas ædes intrat: erat unicus comes famulus, quem etiam communicatæ gloriæ invidus arcuiſſet, niſi notæ fidelitatis homo juraſſet, aut ea ſibi nocte moriendum, aut cum domino eſſe vivendum. Igitur appetente jam nocte, cum neſcio quis tremor invitos occuparet, ignem in ampliſſimo triclinio excitant, paſſim lychnos ſuſpendunt, ac obfirmatis longa cogitatione animis, à ſe tandem impetrant, ut minimum in illa luce præſidii eſſe putent: *magnos homines à ſeipſis auxilium petere oportere, ſe ipſos obfirmare, nihil ſua virtute præſtantius ducere*, unde aut diſciplinæ ſanctitatem, aut pugnandi magnanimitatem hauriant. In ſolutiores deinde ſermones lapſi jocis etiam, & forte non vero riſu, primam vigiliam conſumpſerunt; cum in ſuperiore triclinii parte viſus eſt lacertus hominis ſeipſum immodice quatiens, ſic ut in pavimentum decideret. Dubitantibus illis ex alia ſeſe parte crus humanum exſeruit, ac deinde omnes paſſim corporis partes, ita ſanguine fluentes, ac ſi recenti cæde cadaver ſupplicium immane laceraſſet. mox in media ſede viſum eſt truncum caput velut ſeſe ex tabulato expediens, quod etiam ex alto deinceps ruptas humeris cervices

1 *Tanquam ſi Hercules ſtetiſſet ad Tænarum pugnaturus in mortis imperium, & inferorum pacem.*] Refert Suidas Tænarum promontorium eſſe Laconiæ, in quo fauces erant ad inferos deducentes. Revera olim circa Tænarum oſtendebatur antrum per quod Herculem ab inferis rediiſſe fabulati ſunt, Cerberumque victum, & vinctum catena triplici ad ſuperos traxiſſe: perturbaſſe autem inferorum pacem & quietem creditur Hercules dum ibi bella movit, & victor evaſit.

Digitized by Google

ces aptavit: inde artus inter ſe coire, colligari membra, viſa omnia convenire, ac ingentis ſtaturæ homo [1] velut ex Cadmi ſemine procreari; qui ferociter enſem quatiens, Tu vero, inquit, quiſquis in meam temerarius domum irrumpis, eia, mecum de imperio ædium certa, niſi forte inultus cadere malis. Nec militi conſilium in tantis monſtris nec audacia defuit. ultro ad provocantem advolat. Non impetus ut præcipitaret temere corpus, non timor ut fœde ageret, evincebat. Tanquam in media luce dimicaret in hoſtem, modo promovebat gradum, modo cum artificio ſuccedebat in latus. Tandem videbatur reſpexiſſe fortuna: enſem pæne ad capulum intra corpus inimici condidit. Expectabat ut rueret truculentæ molis homo. Sed nec cruor ex vulnere ſequebatur, neque titubabant veſtigia, neque vulnus quicquam ex purpura remittebat. Hæc militem incautius admirantem ferro inimicus excepit, neque tamen ſegnius depugnabat miles, aut aliquod ferri frigus in viſceribus ſentiebat. Cum deinde inimicum uterque pluries confodiſſet, horis plus minus duabus exactis, velut ſigno dato in capulum recumbunt, ſudorem exfricant, & arcte meantem ſpiritum tanquam per inducias extendunt.

Excitabat lychnos militis ſervus; pugnæque paratus, ſi dominus cecidiſſet, ſuccedere locum, & mortem ulciſci deſtinabat; cum Athletæ collecto ſatis ſpiritu ſæviori odio incurrunt. Miles nunc ſuccidere poplitem hoſtis, nunc viſus ferrum tranſegiſſe per latera, & ipſe modo lacertum ſibi eripi credebat, modo cervicem decidere, modo transfixo corpore ſanguinem emicare: cum nulla interim vulnerum veſtigia libarent integerrimum corpus. Sed major animo

1 *Velut ex Cadmi ſemine procreari.*] Notus eſt lippis & tonſoribus Cadmus, & Cadmea victoria. Is cum perveniſſet in Bœotiam & Draconem molis portentoſæ interemiſſet, avulſos ejus dentes in agro inſevit, unde ſtatim cataphracta manus emerſit: armatiſque ſubito ager inhorruit, & ſpicis ferreis; ſed tam ſubito procreati milites ſe mutuis confecere vulneribus: Stat. 3. l. Theb.

Crebrior Aonii quam cum de ſanguine Cadmi
Nuda venit, &c.

1 *Supra*

mo labor deficientem paullatim militem jam ad ultima deduxerat. caſſi ictus, tarda veſtigia, motus languidi, anhelitus crebrior: & incenſi pæne vultus quicquid erat in corpore humoris exhauſerant: cum ab hoſte averſus, ac veluti datis manibus, ſe in lectulum, quem dominus ædium ſterni curaverat, pæne ultimis viribus præcipitavit, & famulo pugnæ cupidine flagranti, quod dominum ex vulneribus extinctum crederet, locum amoris exercendi conceſſit. Ibi brevior pugna minori utriuſque diſcrimine finita eſt. Etenim collectus ex fruſtulis homo ſervum tam immaniter in vultum percuſſit, ut ille confuſo ſpiritu in pavimentum procumberet. Ac deinde ad lectulum venit, urget decumbentem ut ſurgat ad pugnam: utrumque offenſo corpore, utrumque parem eſſe; nec duobus victoriam poſſe concedi. Cum miles debilibus verbis à ſe juberet diſcedere; non poſſe poſt tanti temporis certamen aut ſicam aut enſem tollere: Te vero patior, inquit alter, ea conditione quieſcere, ſi vaniſſimam ſuperſtitionem ejuras, & quod Numen fictæ anicularum fabulæ tibi à cunis colendum inſinuarunt, ſanioribus conſiliis deteſtaris. Cum ſe miles ante ultima paſſurum ſupra vires vociferaretur, cum ad enſem excitatus reſpiceret, inanis ſpectri imago in aërem ſoluta diſceſſit. Lapſus deinde in ſomnum miles, cum non ante altiſſimam lucem evigilaſſet, ſtertentem famulum eodem quo deciderat loco excitat: quem perturbata diu mente jacentem ante ſopor oppreſſerat, quam aut de ſe, aut de domino cogitaret. Sed ecce poſtremum nocturnæ Tragœdiæ actum: non agnoſcebat dominus ſervum, ea vultus parte qua ictum acceperat, [1] ſupra omnes Æthiopes atrum. Donec errore

co-

[1] *Supra omnes Æthiopes atrum.*] Occurrit nuper ineunte nocte Equiti cuidam mihi amico ſpectrum atrum, quaſi homo equo inſidens, & per totum milliare ejus lateri adhærebat. Notiſſima ſcribo, & veriora quam ex tripode: de nigredine Æthiopum quoniam ſatis ſuperque diſſertatum ſuperius, unum ſubjiciam, non omnes in Æthiopia nigros reperiri; teſtis eſt Heliodorus in Cariclea, quæ ab illa nigredine Æthiopica diſcedebat. Et revera noſtris temporibus, anno ſcilicet 42 Pariſios acceſſit quidam nomine Zaga Chriſtus qui ſe filium Regis Æthiopum aſſerebat, ſed propter invidiam vulgi proceſumque ſo-

 lum.

Digitized by Google

cognito fores laxant, expectanti populo ſui copiam faciunt: omnium fidem decolor ſervi vultus faciebat. Exitus lætior, quod & exemptæ his incommodis ædes, neque miles modica mercede donatus, cùm tota regione diffuſus præterea rumor ampliſſimum homini præmium daret, quod illius laudes ac fortitudinem omnia loquerentur.

9 Hæc ego, non ut animum tuum vana ſuperſtitione implerem, qua plerique decepti ſi quid novum aut inſolens ſive audiunt, ſive vident, ſe Manibus infeſtatos puerili formidine credunt. [1] Pleraque arcanis Naturæ referenda ſunt, ut putreſcentis ligni, [2] ut vermium fulgor, [3] ut pinguio-

lum natale vertere coactum, is cum juxta dictam urbem vitam morte commutaſſet apud Ruellium, ut fama eſt, ſepulturâ donatur; cujus epitaphium hoc ſubjectum dicitur Cardinalis Richelæus ejus tumbis inſcripſiſſe

Cy giſt le Roy d'Ethiopie,
l'Original, ou la coppie.

Sed nec illi color ater erat, non receſſerant ſub frontem oculi, non labra multum intumuerant; aſſerebat autem ex Salomone, & Regina Sabæ genus ſe ducere.

1 *Pleraq; arcanis naturæ referenda ſunt, ut putreſcentis ligni.*] Monet revera Plinius multa eſſe in naturæ majeſtate recondita, quæ noſtros intuitus fugiunt; ut putreſcentis ligni ſplendor ille, de quo Plinius lib. 11. cap. 37. *Quin & in tenebris multorum piſcium refulgent aridi, ſicut robuſti caudices veſtuſtate putres.* Iſte ſplendor naſcitur ex alburno cortici proximo, & maxime in ſalicibus. Neque placet illorum opinio qui in putrido ligno aliquos generari vermiculos ajunt, ex illorum genere qui noctu fulgent: forte quod dicat idem Plin. eodem lib. cap. 33. naſci in ligno aliquos vermiculos.

2 *Ut vermium fulgor.*] Plinius meminit quorundam vermium nocte lucentium, quos appellat *Lampyrides*: Ita ille l. 11. c. 28. *Lucent ignium modo noctu laterum, & clunium colore Lampyrides, nunc pennarum hiatu refulgentes, nunc vero compreſſu obumbratæ, non ante maturâ pabula, aut deſecta conſpicuæ.* Et lib. 18. cap. 26. *Eſt & ſignum illius maturitatis, & horum ſationis commune, lucentes veſpere per arva cicindelæ; ita appellant ruſtici ſtellantes volatus, Græci vero Lampyridas incredibili benignitate naturæ.* Et capite ſequenti: *ecce tibi inter herbas tuas ſpargo peculiares ſtellas, eaſque veſpere, & ab opere diſjungenti oſtendo, ac ne poßis præterire miraculo ſollicito: Videſne ut fulgor igni ſimilis alarum compreſſu tegatur, ſecumque lucem habeat & nocte. Ego heri adverti talem vermem habere illum fulgorem in cauda, qui quam humore manaret. Blattam diceres.*

3 *Ut pinguioris aëris monſtra, quæ diverſas animantium imagines imprimunt.*] Sed ut ſileam cœleſtia prodigia, faces, lampades, trabes, bolides, cœli chaſmata, clypeos ardentes, crepitum armorum, clangoremque tubarum in aëre, uti temporibus Marii conſulis; denique nubium imagines, aliaque cœli oſtenta, de quibus Plinius lib. 2. unum exponam quod anno 1668. viſum eſt ſacerdoti cuidam ſpectatæ fidei, & Regi noſtro ab eodem enarratum. Is cum ab urbe navigaret fontem Bellaqueum, domum regiam, ſecundo flumine, viſa eſt aqua turbari, & ſurſum forma quædam ignis quaſi deſcendentis, in cujus medio haſta apparuit, ſed ea mox in ſeſe diviſa,

Digitized by Google

gnioris aëris monſtra quæ diverſas animantium imagines exprimunt, pleraque caſui aſſignanda; multa ægrotanti cerebro, & hæc ſibi prodigia effingenti. etiam quædam impiorum hominum fraudi imputanda ſunt. Et niſi me fallit exacti menſura itineris, prope ſumus ab oppido, ubi larvarum imagines ajunt ab impuro furcifero excitari: perſuaderi deinde rudibus oppidanis ac mulierculis, [1] *majorum* ſpiritus ad petendam opem in hunc orbem eſſe regreſſos. Ipſe, utpote pietatis fictæ homo, pecuniam levandis Manibus petit, provinciam ſuſcipit. aut in ſacra aut in opes aut in vias per vota ſuſceptas, ita nummos erogat, ut dolis interim furtiſque diteſcat. [2] Et jam præteriit luſtrum, ex quo

diviſa, cujus altera pars ſurſum ferri, altera delabi, Draco ingentis molis ſuccedere viſus; dum aqua tam ingenti tempeſtate agitabatur, ut exhauriri alveus ipſe arenaque decuti videretur; donec portentum iſtud evanuit. Excitari autem à magis, aut veneficis cantibus aliquando, aut naturæ vi, aut irato cœlo contingere non dubium:

Quidquid enim tellure ima, aut humentibus umbris
Exhalat, ſurſum mutato corpore ſurgit.
Si vapor aridus eſt, ignes per inane volabunt;
Frigidus eſt, bibulis bones fundantur in arvis,
Aut atræ incumbunt nebulæ convallibus imis,
Aut fuſæ è cœlo plantis ſparguntur & herbis
Fœcundi rores, &c.

1 *Majorum ſpiritus ad petendam opem in hunc orbem eſſe regreſſos.*] Quis dubitet ex purgatoriis inferis animas nonnunquam ad obtinenda ſuffragia in hunc orbem Deo annuente regredi? Multa narrantur, quæ vix creduntur. Sed non omnia ita rejicienda ſunt, ut non aliquid ex multis admittatur. Ivit nuper in lucem libellus inſcriptus, Hiſtoria Andreæ Bugnot, cujus auctorem me fateor ut aſſertorem, quæ quidem omnia viſa, audita publicis ſunt actis conſignata, iſte meus in ultimis conſanguineus per annos duos ſupra viginti ſtipendia meruerat, Ducis cohortis ſupremi munere defunctus, caſu ut inopinato ſic admirabili cæditur ille, qui in mille caſibus militiæ fatum declinarat, ſemper intrepidus, moritur eo pietatis ſenſu, ea mentis libertate, & ſubjectione qua debuit homo Chriſtianus; Tertio poſt die tonat, intonat, neque ceſſat ſex totis hebdomadis, donec in cubiculo interiore domus per dies novem ſacroſanctis myſteriis celebratis, alloquitur fratrem, cauſas edocet, quæ eum in hoc igne luſtrali retinerent; & hoc peracto recedit ſine murmure, ſed præſentes terrores ſolatio compeſcens. Idem nobis contigit anno 1668. à quodam ſacerdote, votis aſtricto: cujus rei fidem meam obſidem accipe.

2 *Et jam præteriit luſtrum, ex quo Plutonis nummis vivit.*] Elapſi ſunt anni quinque ex quo tempore multam inde pecuniam ad victum ſibi comparavit. Plutonis nummis dixit ſeu quod fingat defunctos eſſe in poteſtate Dæmonum: ſeu quod in eorum ditione theſauros eſſe, terra defoſſos, omniaque metalla, exiſtimet cum antiquis, qui Plutonem ideo vocarunt Sathanam ἀπὸ τοῦ Πλούτου à divitiis. Quòd autem per luſtrum ſpatium

quo Plutonis nummis vivit. Inter hæc verba intrabamus oppidum, adhuc obſcuriſſima nocte, & in hoſpitium quieturi tendebamus, cum in aperto campo, quo mortuorum cadavera efferuntur, viſum eſt ingens monſtrum, & omni Tritone deformius, huc illuc agitari. Caput erat, ut per tenebras videbamus, humanum, per cujus oculos emicabat ingens ignis, ut horribilis fulgor etiam extra orbes vacuos ſpargeretur. [1] Dentes longi, & omni candidiores nive, certis inter ſe interſtitiis diſponebantur. effoſſæ genæ, eminentia oſſa, rara coma, ac velut tormentorum magnitudine ſeſe in altum vibrans. [2] nihil unquam melius damnatorum à Minoë ſupplicia expreſſit. Hoc tam elegans caput à mole quadam candida undique per campum ferebatur, cum indignabundus Percas ſubſtitit, &, Vides, inquit, verborum meorum fidem? [3] vel ego ſum omni Therſite timidior, vel excutiam inanem impoſtoris fraudem, & tot oppidanorum ſpoliatas ædes ulciſcar. Ego furere hominem credebam, & rependere datæ ſalutis vicem aggreſſus, tenebam laciniam veſtis, negabamque me paſſurum, ut in illam furiam inſanus excurreret. At ille veſtem ex humeris re-

tium intelligatur quinque annorum, notum eſt his qui munus Cenſorum non ignoraverint.

1 *Dentes longi, & omni candidiores nive.*] Deſcribit hic terriculum, larvatum inquam hominem modo terribili: ſed cujus aſtutiæ revelantur.

2 *Nihil unquam melius damnatorum à Minoë ſupplitia expreſſit.*] Minos unus ex inferorum judicibus cum Æaco, & Rhadamante, propter ſingularem ejus in judiciis æquitatis obſervantiam. Hi juſtas exigunt à damnatis pœnas.

Continuo ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone, quatit inſultans, torvoſque ſiniſtra
Intentans angues vocat agmina ſæva ſororum.

Demum,

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum deſcribere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim.

3 *Vel ego ſum omni Therſite timidior.*] Id eſt omnium timidiſſimus, ut ſolemus dicere quaſi trito proverbio, Æſopo deformior, omni Lycaone immanior, omni Thereo libidinoſior, omni Minotauro crudelior, omni Satyro petulantior, omni Proteo mutabilior, omni Cyclope inhumanior, &c. fuit autem Therſites, ſi Homero creditur, Græcorum omnium fœdiſſimus, idemque ignaviſſimus, quem Achilles ſibi procaciter convicianteni pugno interfecit l. 2. Iliad.

1 Eva-

rejecit, & ut fuſtem manu tenebat, [1] evaſit in Chimæram illam, ac tam certis ictibus cervicem eliſit, ut collaberetur in partes, & majore meatu lucens ignis hominem proderet, qui in candida veſte fictilem larvam turpiſſima fraude geſtabat. Non pepercit improbis viri cervicibus Percas, ſed graviſſimis afflictas ictibus deduxit in terram, cumque me advocaſſet, intentavit in jacentis jugulum enſem, interminatus mortem, niſi fraudis conſilium fateretur. [2] Cum ille omnia velut in equuleo proderet, flens adjecit, fictili vaſe, quod rupiſſet Percas, ſe talentum abhinc biennio aucupatum. Tum oranti veniam pepercimus, & juramentum extorſimus, nunquam fucis illis oppidanorum pietati illuſurum: & in diverſorium deinde recepti, [3] nobis ad decimam diei horam indulſimus.

Cum deinde facilior via pridianas difficultates mulceret, viſum quoque eſt cœlum conſentire felicitati noſtræ. Solem leviores nebulæ temperabant, ac ventus præterea mediocri ſuſurro delectabat euntes, & extremis alis afflabat. ſed hoc mihi plurimum ſuccedebat ex voto, poſſe in ipſa via

1 *Evaſit in Chimæram illam.*] In hoc monſtrum irruit. Erat, inquiunt poëtæ, triforme monſtrum Chimæra, cujus

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν τε δράκων, μέσσον
δὲ χίμαιρα.

Prima Leo, poſtrema Draco, media ipſa Capella.

Eo quod mons eſſet flammivomus in Lycia minoris Aſiæ, cujus in vertice Leones gramen paſcerent, in medio Capræ pabula reperirent, in montis radice Dracones eſſent. Talis monſtri victorem fuiſſe Bellerophontem ferunt.

2 *Cum ille omnia velut in equuleo proderet, &c.*] Id eſt cum nihil omnino celaret: nam in equuleo veritas à ſontibus ſolet extorqueri, vernacule *Chevalet:* Equus eſt ſcilicet ligneus acutiſſimo dorſo. Eſt & Cataſta torturæ genus: aliaque pro locorum, & legum aut morum diverſitate. Ibidem talenti fit mentio. Porro ſecundum Budæum valebat talentum minus apud Athenienſes ſex millia drachmarum, hoc eſt ſi ad Galliæ pecuniæ æſtimationem redigas, coronatos ſexcentos, ſingulis coronatis ſolidis Turonenſibus triginta quinque æſtimatis. Fuit autem & majus Talentum quod pluris valebat. Sed de his & de aſſe Budæus pluribus, & Julius Pollux. Inprimis Clariſſimus J. Fred. Gronovius in libro de ſeſtertiis.

3 *Nobis ad decimam diei horam indulſimus.*] Dum addit horam diei, mox cogito horologia Italica, varia à noſtris, quæ poſt mediam noctem horarum ſeriem incipiunt: ſecus Italica, quæ die ineunte primam horam auſpicantur. De horologiis aqueis, ſolariis, arenariis rotatilibus, Clepſydris ſupra dictum eſt, ſi plura cupis lege Plin. lib. 7. cap. 60. & Pancirollum in libr. Memorabilium.

1 Tum

Digitized by Google

via cum Percante liberius agere, & nullo arbitrorum metu effutire dicterium in Callionis ineptias. Quod cum feciſſem hilarius, mutuumque riſum extorſiſſem, tandem honeſta adulatione dixi, fortunæ decretum aliquo peſtilenti fato eſſe turbatum. Illam enim inſtituiſſe ut Percantis dominio Callion cederet. Manifeſtum illinc indicium, quod hujus animum ad maxima ſuſtuliſſet; liberalem, ſedulum, fortem genuiſſet. At vero Callionis ingenium (quidquid in contrarium Percas ſentiret) ſervilibus vitiis eſſe corruptum. Paternam humilitatem cum infamibus aulæ vitiis obtendiſſe nebulas ſapientiæ, ne ſordidæ menti illuceſceret. [1] Tum illum denique meo judicio ſupra Percantem fore, cum anguſtæ Laconiæ Princeps Orientis domino non abnuerit Magni nomen: nempe ſi juſtitia, ſi virtute viciſſet. Id me profecto ſedulo comperiſſe, nihil hoc hominum genere ſtolidius eſſe, qui ſe Proceres appellitari jubent; ſi modo ſunt omnes Callioni ſimiles, aut iis qui paſſim in ejus domum familiaritatis jure divertunt. Nam corporis geſtus prope ad mimicam gravitatem componere, nutus omnes veluti pumice expolire, quid hoc ſupra ſimias, quas etiam longæ doctrinæ inſtitutio bipedes facit? At enim in magnatum cœtus, in nobilium fœminarum greges, tranquillos & intur-

1 *Tum illum denique meo judicio ſupra Percantem fore, cum anguſtæ Laconiæ Princeps Orientis domino non abnuerit Magni nomen, nempe ſi juſtitia, ſi virtute viciſſet.*] Hoc eſt, cum parvus quilibet princeps ſuperet juſtitia, & omni genere virtutis ſummos Imperatores, tunc major erit: quia ſcilicet magnis imperiis virtus potior eſt, juxta ſententiam Horatii lib. 3. od. 2.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Intaminatis fulget honoribus, &c.

Et eodem lib. od. 24.

Dos eſt parentum virtus.

Porro mentionem facit Laconiæ principis quam parvam appellat per antitheſim ad magnum imperatorem, ut ſignificet magnos dici debere qui virtute magis quam qui opibus excellerent. Fuit autem Imperator Orientis omnium imperatorum, potentia, opibuſque maximus, & nunc eſt: Lacones autem ſeu Lacedæmones, (habitant iſti in Peloponneſi parte auſtrali) qui Lycurgum habuere legiſlatorem, virtuteſque coluere, etſi exigua eſſet illa provincia, multam tamen ſibi peperere famam, & victores in bellis ſæpe fuere. Cicero de legibus: *Siquidem illa ſevera Lacedæmon nervos juſſit, &c.* Et Horatius:

Nec tam patiens Lacedæmon.

De eorum patientia & juſtitia paſſim auctores omnes, ne nimium videar divagari.

1 *Fa-*

turbatos vultus afferunt: dignum hercule illis diis miraculum. Date mihi ſplendidum familiæ gregem: [1] veſtium artificium cum materia certet: præterea ſeu generis, ſeu dignitatis decora ſpecies fronti majeſtatem inducat; jamque hoc imbecillitatis vitium, cujus infamia humiliorem conditionem aſpergunt, intelligetis poſſe cum ſordida veſte excuti, nec tam eſſe animi, quam fortunæ. Præterea *quod* aſſiduis ſalibus ſtudent, emiſſoſque jocos interdum non incommode refellunt, id quidem mihi maxime ſapuiſſe videntur, quod rudiores animos honeſto fuco adornare quæſiverint. Verum exigantur è quotidiani ſermonis limitibus, & in apertum eloquentiæ campum protrahantur, velim mihi fidem æternum abeſſe, [2] ſi ultra quam Apolloníenſis Satyrus perturbato & incondito murmure audientium aures hinniendo perfodiant. Exactiſſime canum victorias *ſolertiamque* computant: nec ingenioſior ad parendum equus, *quam illi ad prædicandum diſerti.* Illud nemus generoſiſſimas aves alere: *hujus campi extenſo ſpatio inæquales* lepores fatigari. Interdum *etiam in thalamis diſerti,* comptes & vocales ſtimulos ſuggerente libidine. Sed quam hæc omnia non à vera facundia? quam non adimunt eam cujus nomen extimeſcunt vecordiam?

Hæc tam præcipiti & calido impetu profundebam, ut 10
non notarem coëuntium nubium horrorem & obducti cœli caliginoſum murmur; donec laciniam veſtis corripuit Per-

cas,

1 *Veſtium artificium cum materia certet.*] De omnimodis veſtibus Francorum dictum in Icone animorum, ubi notavimus moribus & Genio Gallorum ſucceſſiſſe Francos, vel quod ad veſtium inconſtantiam, ut notat Cæſar in commentariis, quas & arguit Satyricus

Et tot nova nomina veſtis.

2 *Si ultra quam Apolloníenſis Satyrus perturbato, & incondito murmure audientium aures hinniendo perfodiant.*] Arguit lepide quidem Aulicorum & nobilium ignorantiam, qui quandiu ſermo erit de re domeſtica, de venatica, de gladiatoria, picas putes: inde ſermo abſtrahatur, & deducatur ad ſeria, piſces mutos. De Satyro Apollonii poëtæ Satyro-comici cogitaveram primum; quod autem dicat hinniendo nota fuiſſe Satyros, alios Hippocentauros, alios Ægipanes dictos, ut patet in vita JCtorum Antonii & Pauli apud D. Hieronymum. Sed ab ea ſententia vox illa, Apollonienſis Satyrus meam mentem deterruit; fuit enim apud Apolloniam Græciæ Satyrus Hiſtrio ſolertiſſimus: de quo Plutarchus in Demoſt.

1 *Num*

Digitized by Google

cas, &, Tu vero proſpice, inquit, ne furorem ſuum tempeſtas proceribus commodet, & quot maledictis laceraſti, tot ultoribus rivis inundet. Videbatur imber violentius erupturus, & verberata vento pluvia quicquid deprehenderet oppreſſura, cum tot cœli minis perterriti ſeceſſimus in vicinæ ſpeluncæ ſecretum, & naturali munimento iratis nubibus terga ſubduximus. Ingentes vacui ſoli receſſus fertilem agrum ſuſpendebant, multæque latebræ paſſim cæco ſpecu fefelliſſent errantes, ni luſtrata multoties ſede Percas diſcriminum errores & perplexum velut Dædali callem diligenter tenuiſſet. Igitur perductus in interiora admirabar Naturam, quæ ingenio ſuo artis mentiebatur induſtriam; &, ſi quando judicio meo relinquebar, repetebam veſtigia quæ ante triveram, & fallentibus gyris reditum meum non ſine proprio riſu turbabam: cum in aditu ſpeluncæ duas virgines notavimus, quæ ſi non pertimuiſſent intrare tenebras ſecreti horribilis, credi poterant Nymphæ præſides loci. Revelaverant honeſtiſſimas frontes, & micantibus genis internitebat ſuavitas purpuræ, apertique ad deſiderium ſinus plus etiam quod latebat commendabant.

Dum hoc taciti contueremur, anus decrepito ſqualore inculta proceſſit, manuque virgines ducens, in antrum audaciſſime penetravit. Pæne erat ut rogarem, [1] num Cumas nos delati, num ille eſſet inſanientis Sibyllæ vultus, [2] num in ſpeluncam nos ſævior Apollinis flatus egiſſet. Nam & antrum non erat indignum Phœbo, [3] & erat ejuſmodi anus,

1 *Num Cumas nos delati, num ille eſſet inſanientis Sibyllæ vultus?*] Juxta Cumas Campaniæ civitatem antrum eſt, Cumææ Sibyllæ domicilium, & ut ex viatoribus audivi, adhuc ſupereſt:

Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum,
Unde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.

Virgil. l.6. Æneid.

2 *Num in ſpeluncam nos ſævior Apollinis flatus egiſſet?*] Id eſt, an ab Apolline in hoc antrum fuiſſemus impulſi. De ſpiritu & flatu in tripode ſedenti Pythoniſſæ inſpirato ipſi pueri non ſunt ignari, unde oraculum ab ore parvo terræ hiantis. Porro ſub rupe Delphica antrum erat in quo reddebantur oracula, orbe toto celeberrimum; unde ſubjicit, *nam & antrum non erat indignum Phœbo.*

3 *Erat ejuſmodi anus, quæ etiam Æneæ temporibus vixiſſe potuiſſet.*] Alludit ad illam Sibyllam 6. libro Æneidos à qua poëta

anus, quæ etiam Æneæ temporibus vixiſſe potuiſſet. Perculerat animos noſtros inſolentis rei novitas: cumque rem ad exitum contueri placeret, conceſſimus in anguſtæ latebræ noctem, & humilitate ſedis corporum magnitudinem correximus: cum anus è ſinu [1] tenue cornu profert, quale extuberantem agnorum frontem perfodit; atrumque inde pulverem vehementi ſpiritu vibrans in ſpeluncæ aditum, excluſit penitus diem, & omnia denſiſſimis tenebris permiſcuit. Etenim pulvis, ut è cornu erumpebat, videbatur exiguam nubem componere, auctoque paulatim volumine huc illuc circumferri, donec triſtiſſima nocte opacus antri luminibus inſedit. Tum vero quam in nobis antea vocem curioſa ſedulitas tenebat, eam timor eripuit. Morti jam traditi videbamur, & omnia exſpectabamus conſentanea funeſtiſſimæ nocti; cum ſubito eadem anus excuſſa è ſilice flamma lampadem excitat, quæ maligne lucens magis vetabat noctem eſſe, quam lucem inferebat. Jam ipſæ virgines, niſi affuſus ſplendor fallebat oculos, graviſſime inhorruerant, [2] cum Hypogæa (id erat ſagæ nomen) bono eas animo eſſe juſſit. Vobis, inquit, hortantibus periculoſiſſimum ſacrum exorſa ſum, & quod multis petentibus negaveram, indoli veſtræ conceſſi. Eſte modo tam fortes ad ſuſcipiendum munus, quam ad impetrandum felices fuiſtis. Quid hic pavor, quid inanis membrorum trepidatio loquitur? quid denique frigidus mortis color vitale pulcherrimi oris decus extinguens? Vobis jam in aperto erunt decreta fatorum, & quod tantopere vultis, [3] certa futurorum con-

poëta fingit Æneam deductum ad inferos Odyſſæam imitatus:

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit
Obſcuris vera involvens, ea frena furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.

1 *Tenue cornu profert, quale extuberantem agnorum frontem perfodit.*] Hoc eſt illud parvum cornu ſimile erat teneris illis cornibus & novis quæ agnis tenellis adhuc frontem aperiunt.

2 *Cum Hypogæa, hoc ſagæ nomen.*] Ab officio notatio nominis ὑπὸ ſub, γέα terra: unde locus ſubterraneus dicitur *Hypogæum*.

3 *Certa futurorum conjugum ſpecies.*] Elapſis annis cuidam mihi in paucis familiari, & ipſi religioſo viro equo petenti Lutetiam occurrere ad tertium mil-

conjugum ſpecies curam, quæ ſuſpenſos animos exedit, diluet. Videbantur ad tam ſanctam pollicitationem reſpirare; ſed; O mater, inquiunt, etiam nobis promiſſorum hic ingentium ſucceſſus ſine infamiæ timore procedet, nec à nobis ſollicitatam infernorum fidem ulla fama vulgabit? Tum illa fluentes ſenio genas turpiſſimo riſu contraxit. Nec videtis, inquit, quam limitibus cuſtodiam appoſui? citius tellus hiantibus rimis inferos prodet, quam ut ullus in hanc ſedem me invita prorumpat; [1] neque illa quam cernitis lampas quicquam Celei facibus, [2] aut Eleuſinio ſilentio debet. Quæ tamen ſi palam efferentur, quæ inde nomini veſtro labes? O miſeram juventutem, quam hominum potius ſermo quam vita inſtruit! Quotuſquiſque eſt, qui noſtris artibus aliquid non debeat? quem non aut acre ingenium invitat ad myſtas noſtros, aut neceſſitatis acerbitas ad hoc perfugium cogit? Ita me ametis, [3] ultra quinquaginta hominum millia nocturnis ſacris hic annus initiavit. Jam

milliare tres Equites, quibus eminus clamantibus, Siſte gradum, mox ita ſubſtitit Equus, ut clavis pedes humo fixi viderentur. Accedunt illi, & unus ad illum; videre vis meam Amaſiam? abnuenti, & de equo ſollicito exhibuit iſte extractum perâ modicum ſpeculum, in quo vidit non ſine ſtupore puellæ effigiem. Mox iſti ad hominem, vale inquiunt, & jam abi: mox Equus tam citato gradu erumpere ut intra breviſſimum tempus Lutetiam in urbem ſe receperit.

1 *Neque illa quam cernitis lampas quicquam Celei facibus debet.*] Id eſt tam ſacra eſt quam faces quibus in ſacris Eleuſinis utebatur Celeus Rex Eleuſis, pater Triptolemi, quem Ceres, quod eſſet ab eo excepta hoſpitio, omnem agriculturæ rationem edocuit: propterea iſte Rex ſingulari cum religione ſacra Cereris, inde dicta Eleuſina, voluit obſervari.

2 *Aut Eleuſinio ſilentio.*] Tam ſecreta fore æſtimabat ſaga illa præſtigia, quibus puellarum votis ſatisfaceret, quam ſecreta olim fuere ſacra Eleuſina, ſive Teſmophoria, de quibus Horatius Carm. lib. 3. ode 1.

Vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcana, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaſelum.

Caruit patria Alcibiades, quod illa arcana revelaſſet. Non dubium, quia cum celebrarentur cum facibus & ululatu in memoriam raptæ Proſerpinæ, & à Cerere matre quæſitæ, & inclamatæ nocturna hæc ſacra, quin ad raptus puellarum, & alia obſcæna ſe quoque illi myſtæ, & religioſi viri converterent.

3 *Ultra quinquaginta hominum millia nocturnis ſacris hic annus initiavit.*] Plurimi ad me conſulendam venere, mearum artium induſtriam experturi. Numerus certus pro incerto. hæc autem addit ad commendationem ſuæ artis.

1 Cum

Digitized by Google

Jam vero quæ licentius publicum aſpiciunt, [1] charaſteres & ceremoniæ, & faſciolæ, & torques, & incluſa ignotis verbis ſanitas, nonne è noſtris ſcholis prodeunt? nonne omnes prope homines una regione tenent? Quid ultra vobis referam artis noſtræ præſtantiam? quid incredibilem vim, ac pœne divinam?

[2] Nunc adimit raucis, geminat nunc ſibila ventis,
Nunc aufert terraſque polis & ſidera mundo
Nube ſuperjecta. Dat vincula ferre Leoni,
Dat Damis ſævire, & inerti albeſcere rictu;
At trahit attonitam laxis radicibus alnum,
Monteſque, fluvioſque, & tecta ſequentia mutat.
O quoties ſola noctis pallentibus umbris,
Effigies diras, mœſtorumque ora parentum,
Traxit avernali ripa, ſeroque ſepulchris
Reddidit, Eoam jam forte morantia lucem.

Igitur de infamia nolite eſſe ſolicitæ, id à vobis eſſe factum negabunt veſtri mores; quod tamen ſi confiteri malitis, poſſitis defendere. Cum hæc pronunciaſſet, ſtatim tanquam in diverſas curas diſtracta, huc illuc cœpit circumferre

1 *Characteres, & ceremoniæ, & faſciolæ, & torques, & incluſa ignotis verbis ſanitas.*] His utuntur ſcilicet veneficæ præſtigiis ad illudendos eos qui ad eas transfugiunt. Characteres quoſdam in charta, vel lamina exprimunt, ut patet in vita ſancti Hilarionis, à Divo Hieronymo ſcripta, in qua juvenis quidam cum virginem formâ præcipuam adamaret, nec illa cupiditatibus illius obtemperare vellet, ille Memphim adit & in templo Æſculapii veneficos conſulit, qui laminam ex ære juveni offerunt ſub limine domus puellæ collocandam. Dictum factum: uritur illa, & quaſi furioſa amore juvenem continuo inclamat. ſtupent parentes, D. Hilarionem conveniunt; qui ſtatim philtrum aperit ſub limine latens, laminam ſcilicet, cui alligatum ait luxuriæ Dæmonem: ſublatâ laminâ pacatior puella reſipiſcit, poſitoque furore ſaniorem mentem concipit. Quod ad cæremonias, puta circuitus, vertigines, manuum lotiones, emiſſionem ſanguinis etiam humani, invocationem Dæmonum conceptis quibuſdam verbis, quibus ſolent præire, faſciolas, quibus, ut & vittis, & inſtitis membrum aliquod ligant. Sunt & torques, & bullæ, & id genus aliæ præſtigiæ, queis quaſi faſcinationibus utuntur veneficæ ad obtinendum ſuum votum aut eorum qui tales ſortes conſulunt: unde vernacule appellatæ *ſorcieres*, uti fatidicæ *les fees*.

2 *Nunc adimit raucis, geminat nunc ſibila ventis.*] Venditat artes ſuas venefica. Hoc eſt autem nunc temperat nunc excitat ventos.

Digitized by Google

ferre cervicem, & mox in terram obtutu nihil variante defixo conſulere vires ſuas, & ipſam artem interrogare. Jam aliquis mortalitate major ſpiritus vultum videbatur corrumpere, ac tumultus intra membra concipi quantum ipſa non caperet. [1] cum tres circulos humili radio deſignat, ſeque in eorum medio collocat, virgines ab utroque latere conſtituit, ac tum ore manifeſta ſæviente inſania, crinibuſque ſolutis, Audite, inquit, puellulæ; Non eſt amplius vobis cum Hypogæa negotium: [2] vatem atque antiſtitam Deorum infernorum cernitis; ſpatium quod radio definivi non poteſtis vivæ tranſilire. Tum ſubito [3] graveolenti ruta, verbenaque, quam flaventi filo in coronam texuerat, frontem cingit, ac deinde cultello pulverem è ſolo eruit, & in humilem cumulum tollens tremulis deinde manibus quadrat, [4] literaſque F. S. P. ſatis artificioſe acu comatoria ſcribit. Tum virginis, quæ ad dexteram erat, ſiniſtrum pollicem albo ſtamine ſtringit, & acu ſubtiliſſima educit provocatum ſanguinem, ſalivaque, qua ipſa palmam perfuderat, miſcet. Mox leviter oculos & jugulum puellæ intingit, aures præterea, & proximos fronti crines: reliquum cruentatæ ſalivæ in crenam quam cumulaverat effundit, tremula horribilique voce identidem intonans, [5] HOC LIBAMUS. Ea-

1 *Cum tres circulos humili radio deſignat.*] Ceremonias exprimit quibus veneficia ſua auſpicetur illa, dum radio, hoc eſt virgula orbiculos notat ac deſignat, &c.

2 *Vatem atque antiſtitam deorum infernorum cernitis.*] Id eſt Hypogæam illam veneficam manibus litantem ut inferorum ſacerdotem.

3 *Graveolenti ruta, verbenaque, quam flaventi filo in coronam texuerat, frontem cingit, &c.*] Proſequitur iſta inferorum antiſtita veneficas incantationes. Porro & ruta, & verbena, & flavus color Diis manibus ſacra eſſe volebant, & quidem herba iſta propter graveolentiam. Unde Pamph. *Cingebat ruta quæ comas multicoma, &c.* Virg. in Buc.

Verbenaſque adole pingues, & maſcula thura.

à Græcis ἱερὰ βοτάνη dicta teſte Dioſcoride, quod in ſacris ea uterentur. & à Plinio *Hierobotana.* Quemadmodum autem viridis color deſignat ſpem, cæruleus fidelitatem, rubeus vindictam, columbinus amorem, ſic notat flavus color deſperationem, & ægritudinem inferorum.

4 *Litteraſque F. S. P. ſatis artificioſè acu comatoriâ ſcribit.*] Quid innuunt iſti characteres veneficæ niſi hæc *fata ſapienti parent*: vel, *fata ſagæ pareant.* vel, *fatis ſuperi parent.*

5 *Hoc libamus.*] Verba ſunt ſacrificantis Veneficæ. Fiebat autem diverſimode libatio, de qua lege antiquitatum ſcri-

Eadem ceremonia in altera Virgine perpetrata, tenui primum murmure, mox apertis clamoribus, canem ſuum adeſſe juſſit. Expectabamus ingentem moloſſum, & Cerbero parem: mihi jam ad capulum erat manus, & educere ferrum cum vaginæ ac rubiginis tenacitate pugnabat, cum, exhalante primum nebulas humo, glis tandem prodigioſæ magnitudinis è terra prorupit. [1] Diceres in ſemiſopito animali productum tota hyeme ſomnum pæne adhuc cum vernantis cœli benignitate luctari. Cauda pro onere magis quam pro parte ſequebatur euntem, & [2] pigerrimæ alvi moles titubantia veſtigia confundebat. Hic tam elegans canis dominæ pedes mirabili cultu permulſit: donec juſſus accedere ad ſecretum, aliquid inſuſurravit in mulieris aurem, & ipſe, ut videbatur, imperium accepit, majoremque quam pro mole ſonum edens, in obſcuriſſimam nubem abſceſſit. Nobis ultra non erat animus, & tam inexpectatis monſtris non conſtantia magis quam ſpiritus excidebat, cum illa rabidis & minantibus oculis efferata, ferales ſuas preces certis numeris aſtrinxit.

[3] DI, quos profundo gurgite ac flamma ambiunt
Jurata cœlo flumina, inferni Dii,
Aperite manes, pandite immenſum chaos,

Laxate

ſcriptores, ſed libatio Diis inferis, vel etiam manibus ſolebat fieri ex humano cruore. Medea apud Senec. act. 4.

Tibi more gentis vinculo ſolvens comam.

& paulo poſt,

Tibi nudato pectore Mænas ſacro feriam
Brachia cultro.
Manet noſter ſanguis ad aras.

1 *Diceres in ſemiſopito productum tota hyeme ſomnum, &c.*] Glis animal muri ſimile, majori tamen corpore; bonam anni partem in ſomno conſumit, ut Plinius l. 8. c. 57. Et Martialis *ſomniculoſos ille porrigit Glires.* Idem l. 13.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

2 *Pigerrimæ alvi moles titubantia veſtigia confundebat.*] Talis à Plinio citato deſcribitur l. 8. c. 57. Mant. inde canit,

Glis brevis hiberno ſolitus pingueſcere ſomno.

Habebatur olim inter ſaginata animalia, dapeſque ganeatas: adeo ut Q. Scaurus, & collega ejus legem ſumptuariam ferentes prohibuerint, ne Glires apponerentur. Vocatur poſtea Elegans canis Ironice.

3 *Dii quos profundo gurgite.*] Deprecatio, & invocatio. Ita Medea apud Senecam act. 4.

Vos precor vulgus ſilentum, voſque ferales Deos, &c.

Laxate fines rerum, & infeſtas polo
Committite umbras. Vatis horrenda ſono
[1] *Attonita Regis urna Dictai vacet,*
[2] *Fatale ceſſet penſum, & hic Parcas dies*
Saltem quietas videat, ut noſtra hauriat
Imperia; ſternat mutus Acherontem pavor,
[3] *Silere jubeat triſtis Alecto comas,*
[4] *Stygemque nullo portitor conto eruat.*
Quos certa geminis fata virginibus parant,
Induite vultu conjuges: trepidis tamen
Ignoſcite animis: demite infernas minas,
Et placida nullus ſacra concutiat tremor.
Veniſſe jam vos decuit. O ſegnes moras!
Jam jam atra frangam Tartara, & pacem impia
Turbabo noctis. Sæva, ſi cogi placet,
Sunt ſæva nobis arma, queis vinci quoque
Voluiſtis, atris verba pejora inferis.
Et poſtquam aliena falce cubuerunt ſolo,

Ter

1 *Attonita Regis urna Dictai vacet, &c.*] Hoc eſt attenti ſint ad meum carmen inferorum judices Minos, Æacus, & Rhadamantus; ſileant Parcæ; ſileat Acheron; ſileant furiæ, & angues quas habent pro crinibus non jam ſibilent. Minos Dictæus Rex hoc eſt Cretenſis hic appellatur juxta illud Virgilii monoſtichon de Jove, Georg. l.4.

Dictæi cœli Regem pavere ſub antro.

Minos propter ſingularem juſtitiam apud inferos judex creditus eſt olim conſtitutus. Virg. 6. Æneid.

Quæſitor Minos urnam movet.

2 *Fatale ceſſet penſum, & hic Parcas dies videat quietas.*] Nota eſt de tribus Parcis quæ hominum dies nebant, fabula.

Clotho colum geſtat, Lacheſis trahit, Atropos occat.

Parcæ dictæ ſunt per antiphraſim. Penſum autem dicitur manipulus lanæ, vel lini, vel cannabis, qui ex colo pendet, & fuſo trahitur: unde *trahere penſum* idem ac nere. Acheron vero qui amnis eſt Epyri ex Acheruſia palude fluens uſurpatur hic pro uno ex fluviis inferorum, & pro ipſis inferis. Virg. 7. Æn.

Flectere ſi neque ſuperos, Acheronta movebo.

3 *Silere jubeat triſtis Alecto comas.*] Sumitur hic Alecto pro omnibus furiis quæ adjunctas comites habet Megæram, Tiſiphonem. Erynnis, & Enyo furiæ ſunt belli, & ſorores Martis. Comas inquit jubeat ſilere, hoc eſt angues & ceraſtas ſibilantes quas habent pro crinibus.

4 *Stygemque nullo portitor conto eruat.*] Nullis tonſis Charon portitor Stygem Tartaream paludem verberet ſilentii cauſa & attentionis. Vere Styx eſt fons ad Nonacrim Arcadiæ è ſaxis profluens, exitioſus omnibus animalibus, tamque frigidus ut potus ſtatim enecet, ferrumque & æs erodat; ſola Mulæ ungula poteſt contineri.

1 *Ter*

Digitized by Google

[1] Ter paſſa Lunam germina. Hoc iſtis ſat eſt,
Nimiumque ſacris. Plura ſi quærit furor,
Funeſtus atris ceſpes è tumulis adeſt,
Quem fulmen illa nube ſopitum ambiet,
Quæ me per omnes vexit incertam polos,
Hic hic in iſta veſte ſervatur cinis,
Pejuſque quiddam. Dira ſunt, Manes, loqui
Quæ timeo dira; Terga naſcenti modo
Detracta puero, cujus eliſa mea
Gemuere fauces dextera, in medium dabo.

Dum hæc proloqueretur voce geſtuque ad terrorem com- 11
poſito, lux paulo nitidior ſpeluncæ inſulſit, magiſque ac magis juxta lumen ventuſque increſcebant; ut jam priores tenebras furto noſtro deſideraremus. Etenim cum anus miraretur quid votis ſuis moram faceret, forte in noſtram latebram contemplationem injecit, & rabido clamore incitata, At vos, inquit, dii perdant; nefarii homines, quorum me prophanus jam aſpectus indigne trucidat. Tum contempta circuli ſui religione ad nos ultro advolabat, vel truculenta erecti oculi acie confectura jacentes, cum ingens ſimiarum numerus iter opportune intercipit; & hæ quidem in mulierculæ caput inſiliunt, hæ argutis ſtridoribus ad limen fugientem perſequuntur. Nobis autem ideo reddita videbatur audacia, quia fugere poteramus. Etenim ut mediocris terror animum naturali conſtantia exarmat: ita cum violentius ſævit, interdum deſperationem ad ultimos impetus trahit. Igitur conſurreximus, ac, veluti conveniſſet, in nos virgines, nos in earum ſinum mutuo terrore irruimus; cumque oboriretur ſæviſſimus veluti colliſarum nubium fragor, brachiis arctiſſime conſtricti in terram procubimus.

O dulcis fragor, O beatus imber,
O ſolatia plus emenda nobis!
Hoc ſemper pretio laboret ingens

Ful-

[1] *Ter paſſa Lunam germina.*] Herbas medicatas intelligit, quæ poſtquam per triennium crevere, falce per noctem concubiam demetuntur ad veneficia.

2 Nec

Fulmen cudere Mulciber Tonanti;
Et nos in ſimiles bonus revolvat
Minantis pluviæ timor cavernas,
Hoc ſemper pretio, dii deæque,
Pejus Theſſalico furore carmen
Pulſet Tartara pallidamque noctem.

Præcipue Percas, muliebrium aſtuum nequaquam inexpertus, tot blanditiis mulierem onerat, ut non ante conſurrexerit, quam ſolidam voluptatem ferret. Ego rudior, ut bis terque virguncula mea verbis inter riſum iramque trementibus deſævit, triſtem pudibundus victoriam invitæ conceſſi. Jam deſierat fulminis horror, jam repens ceſſantibus ventis tranquillitas magis formidabile antrum faciebat, cum ſe Percas itineris ducem præbuit, & ſpeluncæ anfractus ſubtiliſſime diſtinguens tandem in aditum perduxit. ubi poſtquam mulieres valere juſſimus, quoniam timebant ne deprehenſæ facerent ſuſpicioni locum, non impigre divertimus in aliam partem.

Mihi autem ſuffuſus rubor, ſudorque toto paſſim vultu deciderat. quem verecundia extortum, cum alia ratione exprimi Percas crederet: ſe vero fortitudinem meam laudare dixit, ſuadere tamen ut alias parcerem inſueto his officiis corpori. Quid enim ſi novus, inquit, imber nos in ſimilem ſpeluncam detruderet? quid ſi rurſus ineunda cum integris & valentibus pugna? Pudebat probitatem meam traducere, ſed & remedium in ſimiles caſus quæri placebat. Itaque, Neſcio, inquam, quid exiſtimes de mea fortitudine: ſed importunæ fœminæ pluſquam muliebris pertinacia ita meos conatus infregit, ut virum me non potuerim oſtendere. Non perſuadebam Percanti pudoris mei modeſtiam; ac poſtquam religioſe jurando fidem feci, dixiſſes iterum in ſpeluncam deſcendiſſe, & Hypogææ ſacris conterritum pene effluenti animo linqui. Deinde ut admirationem in riſum vertit: Mihi vero, inquit, quid accidit, ſemihomo belliſſime? non eædem arces fuerunt expugnandæ?

Digitized by Google

dæ? non extorquendum ab invita, quod ſibi non eripi doluiſſet? Flectebam in terram oculos erroris ſtultiſſimi pœnitens, & ad proximam aram Veneris indignationem deprecaturus; cum Percantem miſeratio mei ſubiit, &, Parco, inquit, adoleſcentiæ tuæ: nemo præſtantior artifex, quam qui per errores ſuos doctus ante, quod caveret, quam quod faceret, vidit. Tu modo intellige, nullum vatem extitiſſe diviniorem, quam qui de puellis hoc oraculum cecinit:

Aſpera ſi viſa eſt rigidaſque imitata Sabinas,
Velle, ſed ex alto diſſimulare puta.

Quo propius expugnaſſes, eo ſegnior torpuiſſet defenſio. Non audis urbes obſidionum initio civium diligentia muniri: captas non hoſtium ſæpius quam ſuorum manibus concidiſſe?

Audiebam avidiſſime perquam utilia docentem, & quotidianis præceptis rudem animum poliebam. Sed inſtabat parum opportunus viator, qui diligentius viam præcipitabat, credo, quod cum ſolitudinis hominem tæderet, nobis oneri quam ſibi eſſe maluerat. Igitur ut commode potuit exaudiri, Heus, inquit, juvenes, hæc via Baſilium ducit? Certe, inquit Percas. Et vos in oppidum illud uſque ad invidiam felix? Cum idem Percas reſpondiſſet; Quid igitur impedit, inquit, quo minus viæ tædium mutua humanitate fallamus? Nam & illuc non ſpectator tantum novæ felicitatis, verum etiam futurus particeps vado. Erexerat animos noſtros incertæ rei novitas, impetumque ſpeluncæ moras redimentem ſuppreſſerat. Itaque in medium receptus, veluti ne iret ſine ſermonibus via, perplexe rogabatur de Baſilianis, deque eorum ingenti fortuna. Non oportuit ulterius ſtimulos admovere homini in hoc ſponte jam imminenti, ut, quoties ſermo defeciſſet, illa ſemper materia faceret eloquentem. Nam &, quod ſummum eſt loquendi incitamentum, amabat, & humilioris vitio mentis, cum omnia in miraculum traheret, quæcunque animum af-

Digitized by Google

ſectu diducerent, his alios etiam delectari credebat. Eſt, inquit, ut audiſſe vos arbitror, Acignius, vir integritate vitæ mirabili, cujus animus ad ſublimia quæque natus, rerum quas in uſu quotidiano habemus humilitatem deſpiciens, iis ſolis acquievit, quorum magnitudo vix ipſo cœlo caperetur. Tum is non animum modo imbuere vaſtis cogitationibus, ſed & familiam his artibus præſtantiſſimis erudire cœpit, nihil ineptius quam primam ætatem voluptatibus dedere, laborioſis exercitationibus natam. Vanum eſſe, earum rerum cupiditate torqueri, quæ poſſint aut non haberi, aut, cum habeantur, effluere. Magnificentius atque illuſtrius contemni voluptates, quam admitti. His præceptis, & quod ipſius mores ſeverius etiam quam verba familiam ad occultum recti tramitem ducerent, effecit ut apud ſe virtus domicilium conſtituiſſe crederetur. Tum omnes ſe in diſciplinam dare, omnes certatim aut opibus conatus optimos, aut conſilio, aut gratia, provehere. Quid multis? in tantum potentiæ faſtigium evectus eſt, ut iiſdem modis deprimi non poſſet, quibus erat elatus. Populum ſacrorum & religionum terrore devinxerat. Juventutis, quam ipſe expoliverat, ſtudiis ardentiſſimis efferebatur. Principes populi metu; Magnates Principum ficta benevolentia tenebat. Denique omnium ordinum viros, privatæ domus limine concluſerat. Deſcribebat civitatum gubernationes, magiſtratus, provincias, imperia, omni gravitate & ſapientia mandabat: domeſticas etiam privatorum controverſias ſingulari artificio componens. Etenim nihil tam ſancte cuſtodiebat parietum fides, quod non ſanctiores mulierculæ efferrent in Acignii domum: aut ſervuli, quorum taciturnitatem pietas expugnaverat: ipſi denique liberi, cum eorum inobſervata diligentia latebræ omnes ſecretum proderent. Itaque nunc comiter, nunc aſtute, modo paterna lenitate, modo majeſtate cenſoris, ſequeſter erat conjugum diſſidiis, deponendis inimicitiis auctor, ſocietatum, nuptiarum, fœderum,

Digitized by Google

derum, pietatis, ſcientiæ, juſtitiæ, virtutis omnis & religionis arbiter. Ex hoc oraculo, quem quiſque quo tempore ſermonem habuiſſet, quibus moribus eſſet, quibus opibus, quo etiam inter penates genio, qua temperantia, qua libertate, noſcitabatur. Denique poterat orbis ſub hac diſciplina ad futurorum ſeculorum invidiam floreſcere, niſi ipſe ſuæ felicitati invidiſſet: itaque ubi quam ipſi extruxerant potentiam magnates timuerunt, omnia criminari, & in invidiam trahere, etiam benefactis criminum ſpeciem obtendere, exterminare denique præcipitem Acignium velle.

Sed videt hoc, videt ille Deûm regnator, & auſis,
Sera quidem, manet ira tamen.

Imo ſtatim manifeſta ultione numen deſæviiſſet, ſtatim liberales diſciplinæ rudi ſitu & inculto inhorruiſſent. Nulla literis majeſtas, nulla hominum animis fides diutius ſtetiſſet: videbatur probitas exulatura cum Acignio, & jamjam uno tanti facinoris metu in jejunam ſterilitatem fœcunda ingenia degenerare. Itaque neceſſitas Acignium in gratiam reduxit. Ampliſſimo decreto juſſus eſt non fuiſſe nocens. O non amoris magis quam veritatis vis ignea, ubique ſe prodens atque emicans! Ceſſit Acignio in gloriam maledicis ſermonibus fuiſſe violatum. Lana ſordidiſſimis ſqualoribus inquinatur, antequam purpuræ fulgor eam imbuat. [1] Nec prius aquila fœtum agnoſcit, quam dubitaverit agnoſcere.

Delectaverat animos noſtros libera pariter, & ſimplex 12
oratio. Nam & nihil in Acignio non amabat, nec aliquid quod

1 *Nec prius aquila fœtum agnoſcit, quam dubitaverit agnoſcere.*] Scilicet aquila probaturus utrum in ſobole ſit innatus vigor, an ſit potius ille pullus adulterinus ac degener, hujus aciem fertur ad ſolis radios explorare, quæ ſi reſiſtit in motu, non eſt dubio locus: ſi connivet, ut adulterinus excluditur ac deorſum præcipitatur, inquit Lucanus:

Utque Jovis volucer calido dum protulit ovo
Implumes natos, Solis convertit ad ortus,
Qui potuere pati radios, & lumine recto
Suſtinuere diem, cœli ſervantur in uſus,
Qui Phœbo ceſſere, jacent.

quod amaret, celabat animus, ipſius primum affectu, deinde noſtra patientia incitatus. Igitur in tantam familiam aſſcitus, Quem, inquam, nomine Acignii non terrueris? quem non libera & potens ſervitus tanget? Hic ille, quaſſatis aliquantulum cervicibus, Nihil me, inquit, iſta moverunt. Aliis gradibus in tantæ ſublimitatis cogitationem aſcendi. Nihil ultra mihi à puero placuit, quam eruditionis nomen. Elementa didiciſſe non memini: nec pœnitendi ſucceſſus ætatis initio acuerunt animum ad laborem. Quid verear confiteri jam in humilitatis diſciplinam me traditurus? ad annorum numerum decrevit ingenii vigor, ac ut [1] ex Ammonis fonte prognatum diceres, cum maxime deberet caleſcere, rudis animi impetus obſtupuit. Quam non huic malo quæſivi medicinam? vota non ſuſcepi? Sed ô Numen, non audiendis interdum precibus, quam differendis benignius! Hanc votorum frequentiam noluit niſi geminata felicitate donari. Animadverti nihil in Acignii familia honeſtis diſciplinis non excultum eſſe. Et primo in eam admitti nullos credidi, niſi quos jam ante illa bona ornaſſent. Tandem curioſus ſpectator notavi domus illum eſſe genium, ut inquilinos extemporaneæ doctrinæ ſpiritu afflet: veſtem illic dari non colore magis pullo, quam monſtris ac miraculis tinctam: ea vix ut temet incluſeris, eloquentia mentem elaborari, judicium induſtria. Denique quos ut deſpectiſſimo ingenio etiam infra me habui, jam in Acignii comitatum recepti celebrantur ſermonibus ſociorum omnium. Iis negant quicquam eſſe ſubtilius. Hæc, ne quid diſſimulem, ſtimulabant cupidum ſciendi, ſed incitavit vehementius res magno mihi nuper ſecreto credita. Hic cum moraretur, cœpimus familiarius inſtare, & prope velut eodem ſtudio tacti. Tum ille, Non modo, inquit, promit-

1 *Ex Ammonis fonte prognatum diceres.*] Dicitur iſte fons per noctem caleſcere, per diem frigeſcere. Sacer eſt Ammoni Jovi, hoc eſt arenoſæ Libyæ præſidi, quam cum olim Hercules peragraret, & nimia ſiti æſtuaret, Jovem enixè rogavit, qui ſub arietis forma illi viſus eſt terram percutere pede, unde ſtatim fons ille manavit.

1 Diſ

promittebatur eruditio huic militiæ nomen danti, ſed mihi in ignorantia conſeneſcendum ferebatur, ſi tam egregiam conditionem temnerem. [1] Dii multi nolunt ſibi ſacra fieri, niſi deſtinatis à ſe locis. [2] Non in quolibet antro invenies Trophonii ſpiracula, [3] neque barbarus ignis deos Græciæ delectat, [4] & ipſa Ceres quamvis omnia ſuis muneribus velet, anguſtas ſedes religionibus occupavit. Muſis jam non eſt aliud ſacrarium, præter Acignii domum. Nec ſe modo intra illam ſemper ædem produnt, ſed & me hercule tantum [5] ibi Oracula, ibi Themis, ibi Pegaſi liquor,

Vates ubi factus Apollo.

Quis alibi doctus? quis limata veraque elegantia cultus? Diceres barbariem ubique extra Acignii pomœria eſſe, & inceſtare magis Muſas quam colere. Jam ipſi prioris ævi ſcriptores, ut ſubmittunt vitta domita capita? nullibi medius fidius

1 *Dii multi nolunt ſacra ſibi fieri niſi in deſtinatis à ſe locis.*] Sic Cytherea dicebatur amare Paphum; erat Junonis habitaculum Argos; Apollinis Delphi, aut Patara; Tritoniæ Palladis Africa: Jovis Dodon, Arenæ Africæ, & Creta; Saturni Italia; Sicilia Cereris; Marti ſacra fuit Roma. De fiduciaria domo loquendi tempus erat: ſed de hac alibi.

2 *Non in quolibet antro invenies Trophonii ſpiracula.*] Iſte aditum vel ſpiraculum Delphicum ex quinque lapidibus ſtruxiſſe dicitur. Idem vel alius ejuſdem nominis cum in ſpeluncam deſcendiſſet, ibique aliquantulum commoratus eſſet, Agelaſtus, hoc eſt ſine riſu erat. unde proverbium, *in Trophonii antro vaticinatus es.*

3 *Neque barbarus ignis Deos Græciæ delectat.*] Origo ignium iſtorum artificialium ex Græcia emanavit, qui Trojam incenderunt: delectavit autem iſte ignis Deos qui ſtabant à Græcis, de quibus Naſo,

Mulciber in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Scilicet,

Manet alta mente repoſtum
Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ,
Et genus invíſum, & rapti Ganymedis honores.

Vocant hos ignes idcircò vulgo Græcos, Gallice autem *feux Gregeois*; vivunt ſub aquis.

4 *Et ipſa Ceres quamvis omnia muneribus ſuis velet, anguſtas ſedes religionibus occupavit.*] Hoc eſt, quamvis Ceres Dea terræ & frugum, terræ ſuperficiem velavit frumento, quæ ſunt munera Cereris, anguſtum tamen locum elegit ſuis ſacrificiis faciendis quæ revelare nefas, ſcilicet antrum, & locum ſubterraneum.

5 *Ibi Oracula, ibi Themis, ibi Pegaſi liquor, Vates ubi factus Apollo.*] Hæc in Acignium Ironicè jactata, quaſi penes eum eſſet omnis veritas, per oracula, omnis æquitas, per Themidem, omnis ſcientia per Pegaſi liquorem deſignata. De fonte Pegaſeo ſive Hippocrene, & Aganippæo, & Caſtalio quam multa poëtæ.

1 Niſi

ſidius locum invenient, [1] niſi cum pipere, aut ficu, aut paſſis in Martium uvis. Prodeunt diſciplinæ omnes meliore cultu, & ſeu politicæ, ſeu ruſticæ rei, ſeu patrum memoriæ & factis è pulvere excitandis, ſeu cœleſtis, ſeu terrena, ſeu aquatilis doctrina ſit, non erit alius quem delicata ferant ingenia, præter Acignii vernas, etiam literaria bella tanta conſtantia gerentes, ut & veneficas tenebras ſola face & ſtylo armati intrent, & [2] Romanas acies in ordinem ac veterem diſciplinam religioſa ſcrupuloſitate digerant. Cum excidiſſet imprudentius mihi riſus, timeremque ne quid in me odii conciperet ad Acignium iturus; Quis mortalis, inquam, non rideat oblata felicitate non utentes, nec magis fortuna propria lætos, quam irata ſeveraque triſtes? quotus enim quiſque eſt quem hæc moveant? quis tranſit in familiam tantæ ſpei, & in qua non modo docti omnes, ſed extra quam nulli? Tum ille, Fatum, inquit, illud eſt ætatis noſtræ luctuoſiſſimum. Sed pomaria vides non ſua magis pulchritudine capere tranſeuntium mentes, quam artificioſo rubi examine tuta ſpem fructuum domino conſervare. Laboribus, divitiis, pæne libertate emenda eſt illa quam poſcimus felicitas.

13 Dum hæc proloqueretur, jam ſe aperuerant Baſilii faſtigia, & ipſe ſublatis manibus hoſpes adoraverat locum, faciebatque quod expeditiſſimi curis elegantibus jocis traducerent. Sed notaverat Percas afflictum me novis curis, quas necdum ego adverteram. Nam & pallebam interdum, & improviſa ſuſpiria laborantem animum prodebant; nec jam ſemel imprudenti vultus exciderat. Itaque ſolicitavit polli-

1 *Niſi cum pipere, aut ficu, aut paſſis in Martium uvis.*] Eorum ſcripta ad piperis aut ficuum venditores mittit, quod vulgo dici ſolet, ad piper & oleum. Paſſæ uvæ etiam in Martium menſem uſque reſervantur comedendæ.

2 *Romanas acies in ordinem ac veterem diſciplinam religioſa ſcrupuloſitate digerant.*] Pædotribarum quorundam quos ſub Acignii nomine (eſt autem Acignius, minime Cignius, & candidus) leges & diſciplinam deridet & carpit, quippe qui ſuos diſcipulos in ſenatores, tribunos, Equites, in decuriones, quos penes ſit cura decuriarum, quibus & Imperatorem præficiunt, ordinate diſtribuunt.

1 *Venalis*

Digitized by Google

pollicem meum, ac ut ſibi conſtare venam ſenſit, & mentem arcano morbo quati, me hilarius interrogavit, vellemne etiam ad Acignium ſecedere? Cum ego ſubriderem; Immo, inquit, eremum, ut exiſtimo, malis, & ſpeluncam duobus internitentem aſtris, quorum pulchritudine jam in limine fati hærentes ad jucunditatem vivendi redimus. His dictis, ſuſpendit animum, fecitque, ut longa cogitatione morbum meum quærerem, qui fallebat adhuc inexpertum, & perplexis ſe tegebat ambagibus.

Etenim virginis illius ſpecies, quæ mihi pæne ſortito in ſpelunca obtigerat, perambulabat animum meum, & imbuebat affectu tenerrimo. Nec aliud tamen ſuggerebatur incertiſſimæ menti, quam quod humaniſſimam puellam offendiſſem. Nunc licentius egiſſe metuebam, nunc ſubruſticum meum pudorem accuſabam, nutus denique omnes atque vultus, tanquam iratæ mihi mulieris longa æſtimatione penſabam. Hæc aſſidue anxio morſu me carpebant, & lancinabatur animus inutili pœnitentia. Igitur poſtquam in urbem pervenimus, vix etiam Percantis colloquium ferens, quærebam miſeriæ meæ ſecretum, quo me affari, & objurgare dolorem liceret. Itaque dum cultum noſtrum in ſtabulum reponit, furtim ſubduxi me, & in proximam latebram conjeci, cœpique graviſſime accuſare perturbationem jam ſe magis magiſque prodentem, nec ſilebat intra me diſcors affectus, & prope vocalis Tragœdia ſe quærentis, nec invenientis animi ſubmovebat erumpentes ſingultus, & in hunc modum eloquebatur: Quam antea non videras, cujus etiam te nefanda curioſitas offendere debuit, ut te ſic imbecillem torqueat? eſto, ſit irata, ſit averſa; conqueratur de injuria, ſi quam merito ſuo accepit: cur hoc ægre fers? quare indignum maceras? Itane parricida! quanta timiditate peccaſti, tanta nunc audacia excuſas ineptiſſimum ſcelus? His dictis attentius hæſi, mihique videbar intueri, ſi quid turbatæ mentis confuſio ſuggeſſiſſet. Ac tandem id placere viſum eſt, quoniam ad ſumma & impro-

ba

ba vota non erat aditus, in ſecundis hærendum. Satis fore ſi ignoſceret errori meo, ſi illi cogitationes meæ palam eſſent, denique ſi amaret, licet fortaſſe nunquam ad oculos & aſpectum reditura.

Eia tollite perfidum, rebellem,
Eia tollite perfidum puellum,
De matris nivea ſinu puellum,
De matris nivea oſculis amorem.
Eia lictor ades, ferox ſevera
[1]*Venalis jaceat puer ſub haſta,*
Cui ſimul fuit & diem bibiſſe,
Et noſtras avide ebibiſſe venas,
Si quiſquam Scythicis adeſt ab oris,
Si quis Mygdonias reliquit undas,
Aut de littore venit Occidenti
Mercator rate vectus huc avara,
Hic brevi pretio relinque, lictor,
Illum, quem pretium putabo grande.
Si noſtris procul amovent ab oris,
Emant inſidias tyrannulumque,
Et quotquot mala trux, ferox, ſceleſtus,
Sua continet ampliora mole.
Nam quid (Numina) ſi Cupido noſtris,
Si noſtris adolet Cupido terris,
Et prima modo tam potens ſagitta
Dehinc cuſpide ſaviet virili?
Ibis per Scythiam ferox Cupido,
Aut per Mygdonias ligatus undas,
Aut in littore ſervies cadenti.
Ecce ut ejulat, ut latus tenellum
Suſpirans quatit. Audiit minantem;
Puer, parce tibi, & timere ceſſa:

Puer,

1 *Venalis jaceat puer ſub haſta.*] Ratio priſca auctionandi, & licitandi, hoc eſt vendendi tum pueros, tum ſupellectilem ſub haſta notior eſt quam ut de illa plura eloquar.

2 *Tan-*

Puer, parce mihi: Deos deaſque
Juro, jam mea jam reſedit ira,
Nec te frigida jam tenebit Arctos:
Nec Tarteſia te videbit unda.
Pulchro vulnere languidos ocellos
Pejus veſpere deprimens propinquo,
Aut te vix propria facis capacem,
Eoo poſitum nimis ſub axe,
Ures publica ſentietve flamma.
Has una redimes, proterve, pœnas,
Has una redimes puer, ſagitta;
Si pectus Dominæ meæ tenellum
Prorſus cuſpide ſcindis incruenta.
Tum qui me modo ſauciavit ictum;
Tum dextram venerabor, & ſecundo
Optabo nimium perire telo.

Poſt hæc veluti læſæ mentis inſomnia conſurrexi, & Percantem quærere cœpi. at ille jam in diverſam partem abierat, & curſim per urbem delatus, interrogabat omnes ex veſtium mearum notis, ſi quis errantem conſpexiſſet. Tandem ad Acignii domum venit, ibique præcluſis foribus diutius hæſit, donec oſtiarius, qui jam cellam deſtituerat, multis clamoribus & importuno pulſu arceſſitus, quadratum in medio oſtio cancellum laxat, ferreiſque maculis intendens oculos, negavit fas eſſe quemquam admitti poſt vigeſimam primam diei horam, præcipue, inquit, noſtris hodierno apparatu feſſis, quippe qui in craſtinum ſolemne ludicrum meditati, ſomnio intermiſere laborem. Hac repulſa accenſus Percas, ut non erat iracundiæ bene potens, neſcio quibus verbis ultus eſt abeuntem, & in ſtabulum ſe recepit.

Interim cum cœnulæ officium ancilla ſtrenue exequuta thoros & menſam ſterneret, profuſo ſudore madidus, & parum compoſito ſpiritu domum redii. Quippe quem lapidibus tota urbe exceperat petulans laſcivia quorundam adole-

adoleſcentum, qui excoli ab Acignio ferebantur. Illi primo contumelioſe peregrinum cultum irriſerant, ac cum ædiculam quandam prætermitterem velato capite, jam non contenti perſtringere advenam maledictis, [1] tanquam intraſſem in Lycei Arcadici penetrale, deſævierunt lacertis excuſſiſſimis, & lapidum veluti nimbo aërem condiderunt. At ego libertatis etiam memor, quam mihi olim dementiæ ſpecies dederat, è fuga in prælium converſus, remiſi graviſſimam molem, & anteſignani caput fregi. Ea res impetum furentium ſtitit, cum omnes in jacentem intenti, pars tollerent, pars ſiſterent ſanguinem, plures turbarent. Ego interim delapſus ad ſtabulum devolo, & laudatas inſigni fortitudine manus, cum adhuc ex pugna calerent, gelida perluo, non ſine Percantis riſu, qui lepide interrogabat, an in rivales meos incidiſſem?

14 At vero cum defeſſi conceſſiſſemus in triclinium, redeuntibus ſubinde curis angebar, &, amore animum in ſpes vanas erigente, vagis & inanibus commentis producebam ſollicitudinem. Itaque nullius rei diu patiens perambulabam cubiculum, & cruda vulnera cauſabar, quia pluribus locis occipitium ſaxis pueri pertuderant, cum interim ad oſtiolum noſtrum muliebre inſonuit murmur: egoque audaciam fingere cœpi, ſi, quod omnino ſperari non poterat, mihi dominam & pœnitentiæ locum miſericors fortuna reddidiſſet. Etenim quo ab illo diſcrimine magis aberam, eo ſuperbius ſecura gliſcebat audacia. ac ut Homericus canit, fugientem fortunam latrabam, & venientis imagine terrebar. Sed poſtquam laxatis foribus evaſit in cubiculum mulier quædam cultu mediocri, unoque comitata puero,

tum

1 *Tanquam intraſſem in Lycei Arcadici penetrale.*] Quod nefas erat intrare, & grande piaculum. Fuit autem Lycæus mons in Arcadia Jovi ſacer: ἱερὰ κορυφὴ id eſt *ſacer vertex* ab incolis appellatus, quod Jovem ibi educatum æſtimarent. Ibi Jovis ara fuit & lucus, quem ſi quis lege ſpreta eſſet ingreſſus, annum non ſupervivere credebatur. Conſtat tamen Lycæum montem non Jovi ſoli verum etiam Fauno ſeu Pani Paſtorum Deo ſacrum fuiſſe, unde Virg. Æneid. 8.

—— Gelida monſtrat ſub rupe lupercal
Parrhaſio dictum Panos de more Lycai.

1 In

tum ſoluti poplites corpus exanimum demiſiſſent in terram, ni mature veluti intermiſſam cœnam repetens, pulvino demerſiſſem timidiſſimum caput. At illa, demiſſo ante puero, ſalvere nos juſſit, nec mirari quod intraſſet ad nos audacius; ab iis ſe mitti, quæ amore ac benevolentia jus familiaritatis meruiſſent. Hæc non ipſe Percas immotus audiverat, & noſtrum jam iter pluribus credebat monſtris quam lapidibus notari, cum mulier ſoluto ſinu exilitatis exquiſitiſſimæ pyxidem mihi ad miraculum ſurgenti admovet, &, Rogo, inquit, non es Euphormio? Cum me eſſe non ſatis conſtantibus verbis retuliſſem, timuit falli, & trepidantem iterum confeſſionem extorſit. Sericum erat tenuiſſimum, purpura recoctum, quo pyxis revincta aureæ cælaturæ rubeum fulgorem admiſerat. Artificium autem mirabile, ut, quocunque illam verteres, eædem oculis ſpecies *ſubjicerentur*. [1] In ea emendatiſſima Cupidinis imago *Apollinis* contumaciam duplici telo ulciſcebatur. Hinc aureus Phœbus, iſtinc plumbata Daphne, omne præſidium collocaverant in pedibus, & ipſe gemmeos vultus Amor contrahens, matri ſuam victoriam puerili ſimplicitate narrabat. Illud præcipue ſtupebam, quod per rarum ſericum facillime admitteretur acies, ut ubique tecta pyxis videretur, & ubique nuda. Circulus præterea ſuperioris partis eminebat tam commode, ut imaginum gratiam divideret magis quam frangeret. Quodque rariſſimum eſt, elegantis doni moles maturæ avellanæ menſuram non implebat. Tum mulier frangere ſericum juſſit, & interiora ſcrutari.

Erat

1 *In ea emendatiſſima Cupidinis imago Apollinis contumaciam duplici telo ulciſcebatur, &c.*] De quo Ovidius Metamorph. 1. lib.

Deque ſagittifera prompſit duo tela pharetra

Diverſorum operum: fugat hoc, facit illud amorem:

Quod facit auratum eſt, & cuſpide fulget acuta:

Quod fugat obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.

Hoc Deus in nympha Peneïde fixit: at illo

Læſit Apollineas trajecta per oſſa medullas.

Protinus alter amat, fugit altera nomen amantis

Sylvarum latebris, &c.

1 Hy-

Erat autem vaſculum è mortuis formicis, & jam ad fœtorem ſolutis plenum. Quod non magis admiratus ſum, quam effuſam in riſum eam, quæ dederat pæne obliviſci modeſtiæ, & complosis manibus non ſemel repetere, *Illic te leges*. Tum Percanti litteras tradit, quarum ejuſmodi erat exemplum. Neceſſitudinis mutuæ credidi, ne te mirabili nuncio fraudarem, quod eſt ejuſmodi, ut non niſi mea fide tibi credibile eſſe poſſit. Nondum erepti è conſpectu noſtro amantes oculos fallebatis, cum ingens ſtupor nos avertit à contemplatione tam jucunda. Quippe laceratum cadaver, & in hoc vix integrum ut fuiſſe corpus noſcitaremus, ſparſis huc illuc fruſtis ſemel atque iterum lubrica veſtigia everterat, cum cruentum ſolum notavimus, quaque deficiebat ſanguis, omnia velut recenti incendio tegi: trabem etiam, cujus faſtigium curioſe acuminatum detruncatis [1] Hypogææ veneficæ cervicibus premebatur. Frons incultiſſimis ſulcis minax nihil omiſerat de viventis feritate, nec facile dixiſſes, an plus truculentiæ in viva fuiſſet, quam honoris in mortua. Ideo Veliam meam, fideliſsimam mulierem ad te mitto, quæ oret ut in ſpeluncam reditu maturato divertas. Ibi conſilio tuo & induſtria utar. Soror mea lepidiſsimum munus contubernali tuo miſit, & fortunæ ſuæ conveniens. Vale. Erat autem ſubſcripta Epiſtola tribus litteris inter ſe prope confuſis. *I. L. A.* nec aliud in cera, quam monetæ publicæ forma.

Perlectas ille cum oſtentatione affectus litteras mihi in manus dat, cœpitque à muliere quærere communis dominæ nomen. At illa hominem elegantiſsime riſit, &, Neſcis, inquit, cæcum eſſe in his regionibus Cupidinem? Reſtitue imprudenti oculos: docebis alis uti, & profugiendi libertatem. Quid amicam optimo gaudio ſpolias, & quod eſt in voluptate potiſsimum, noctem atque furtum ingratiſsima

1 *Hypogææ venefica.*] Deſcriptio non incondita ſagæ quæ appellatur Hypogæa, quod ſub terra, & in antris ſolent habitare, & ibidem ſua præſtigia facere.

2 *Cre-*

tiſsima mente detrectas? Tam audacter prolocutam, & jam rarioribus velis obducentem nequitiam, intenti aſpiciebamus, cum illa repente leves & nitidos vultus in laxiſſimam ſenectutem vertit. [1] Crederes Menelaum ſciſcitari à Proteo iras cœlitum & tempeſtatum vices; tam repente nova frons loquentem immutavit. Nec expectavit ſtupentium voces, ſed trementibus, & ad ſupplicationem componentibus timidiſsimos vultus, Me, inquit, me ipſam poſſetis agnoſcere? Aut putatis, eadem ruina quæ Hypogæam abſtulit, omne illius artificium cecidiſſe? Et animis novas ſpecies inducimus, & frontibus; nec felicius inveſtigabitis dominæ meæ limen, [2] quam aut Ceres, aut Inachus, amiſſos liberos quæſiverunt. Si tamen homines eſtis, id eſt ſi agnoſcitis ſuaviſsimæ mulieris imperium, date fidem in conſciæ ſpeluncæ ſecretum poſt diem ſeptimum redituros. Cum ita quaſſarentur capita noſtra ut annueremus, egreditur cubiculum, & in equum qui ad hoc pro foribus ſtabat, attollitur.

Nobis autem excitus à muliercula terror cum profuſum 15
ſudorem paſſim moviſſet, tamen poſteaquam diſceſſit, & ſoli conſtitimus in acie, creſcentibus ſubinde animis in profuſiſſimum riſum ceſſit. Sed præcipuus erat ſermo de mea pyxide, quid hoc callidæ puellæ commentum deſignaret. Cumque multa invicem diſputaſſemus, tandem in Percantem conſenſi. Volebat autem ſpeciem meam, quæ non ingrata virgini fuiſſet, per cælaturam amatoriæ imaginis pingi. At quoniam eidem ineptia mea perſuaſeram, effœtas intus & funeratas vires eſſe, ideo plenam emortuis formicis

1 *Crederes Menelaum ſciſcitari à Proteo iras Cœlitum, & tempeſtatum vices.*] Vide Iliadem Homeri. Proteus iſte Thetyos & Oceani filius vaticiniorum peritiſſimus fuit. Hinc Virg. 4. Georg.

Eſt in Carpathio Neptuni gurgite Vates
Cæruleus Proteus, &c.

2 *Quam aut Ceres aut Inachus amiſſos liberos quæſiverunt.*] Hic ſcilicet ſuam filiam à Jove raptam, Io dictam, poſtea Iſidem: Illa ſuam Perſephonem, quam à Plutone raptam accenſis in Ætna monte facibus per totam Siciliam fruſtra quæſivit. Metamorph. Ovid. & Claud. de raptu Proſerpinæ. Nota eſt & Io mutata à Jove in vaccam ut facta Jovis laterent Junoni. Lege iterum Metam.

formicis pyxidem Naturæ mendacium arguere, quæ interna vitia tanta ſubtilitate texiſſet.

Sed omnia trahebam in alimentum flammæ, & prope iraſcebar ſocio meo, qui tam docili febricula exæſtuabat, ut ſive tepeſcere morbus juberetur, ſive mori, audire poſſet imperium. Diceres nos à navicula recens egreſſos, & illum qui mari paruiſſet, durius torquenti ventriculum, compoſitos humores in littus extuliſſe: qui autem repugnaſſem elicienti pelago, demum in arenam dimiſſum, gravi capite, laſſiſque veſtigiis, reddi aquam mihi petere, ut ibi medicinam quærerem, unde morbum hauſiſſem. Verum hanc inter nos ſeditionem gravior tumultus compeſcuit. Quippe furentium hominum armato concurſu ædes inhorruerant. Paſſim audiebantur diſſilientium portarum caſus, & aſperæ minantium voces, & ipſa nox per ſe formidabilis inanibus omnia terroribus auxerat. Igitur exſpectabamus venientis procellæ ſævitiam: certi, quoniam nos in theatrum ſuum fortuna produxerat, noſtras etiam eſſe in illa fabula partes. Ego vero totius mimi argumentum eram, qui puerorum lapidationem remiſſo ſaxo compreſſeram. Inciderat enim moles in nobilem puerum, & timebatur vulnus altius intromiſſum, quam ut ſolæ carnes ſauciatæ eſſent. Jam Acignius [1] apud Dictatorem municipii intervenerat, & religionum auctoritate civilem armaverat vindictam. jam irruperat Dictator in triclinium noſtrum, ubi omnibus ad furorem tumultuantibus, Tune es, inquit, litterarum prædo, qui omnes deos & homines uno facinore violaſti? Niſi litteras nominaſſet, crediſiſſem etiam à virgine miſſum. Sed poſteaquam invidiam intellexi, non ſuſtinui dimittere ſupercilium, quod erexerat conſcientia laudatiſſimi facti: cujus rationem cum cœpiſſem reddere, barbara heu inimicorum

1 *Apud Dictatorem municipii.*] Cuilibet municipio Romano ſuus erat Dictator, ut patet ex Miloniana, ubi Milo dicitur Lanuvii municipii Dictator, quo profectus erat ad prodendum flaminem, & inde revertebatur cum occurrit Clodio juxta Bovillas via Appia, ut Cicero ibid.

1 *Pu-*

corum rabies non potuit innocentiam audire. Præcipitem exturbant de thoro, manuſque vinculis ſtringunt, nec proficiebam juſtiſſimo planctu, cum provocatum ac invitum in pugnam deſcendiſſe clamarem. Me quoque vulneribus affectum, & utrinque vindicandam pari ſeveritate audaciam. Sed cauſa eſſe non potuit, ut in patricium juvenem, & Acignii ſtudioſum, inſurgerem. Præcipue Dictator officioſam iram egregie fingebat; & ſe vero ſceleris mei vindicem, ſe alumnum & cultorem juſtitiæ affirmabat.

At Percantem primo rei novitas poſuerat extra ſe, ut interdum tacite quæreret, veris ne caſſibus, an per inſomnium ageremur: interdum contumacius inſurgeret in publicos ſervos, & ſublatas in meam perniciem manus ſui capitis periculo averteret. Mox ut fuſtium acerbitas ſanitatem mentis revocavit, & ſibi quoque intellexit parari vincula, Non *inultum hoc erit*, inquit, domino meo Callioni. [1] Putares revelatam Perſei parmam, & omnes pluſquam lapideo frigore obriguiſſe. Ita cunctis & animi, & manus ad Callionis nomen ceciderant. Quod ut ſenſit callidiſſimus Percas, manicas meas feriens, eas etiam jurabat Callioni impoſitas eſſe. Jam miniſtri lentius ducere, jam mitius imperare Dictator cœperat, & ego aperto circumſtantium murmure probus eſſe, cum Acignio nunciatum eſt Callionis eſſe ſervum, quem auctoritate ſua læſerat.

[2] O quæ ſacrilegas, prius relicta,
Terras filia deſeris Tonantis!
Nunc, Aſtræa, feros remitte vultus,

Nunc

1 *Putares revelatam Perſei parmam, & omnes pluſquam lapideo frigore obriguiſſe.*] Hoc eſt mirum in modum obſtupuiſſe. Fabulam de Perſei Ægide quis legit Ovidii Metamorphoſim & non novit? Iſte Jovis & Danaës filius Meduſam unam ex Gorgonibus quæ ſe aſpicientes in ſaxa commutabat harpe hoc eſt enſe adamantino à Vulcano cuſo cum occidiſſet, caput illius clypeo impoſuit cujus aſpectu omnes in ſaxa convertebat quotquot obvios habebat. Vide Ovid. Metam.

2 *O quæ ſacrilegas prius relicta, &c.*] O Aſtræa terras repete. Iſta Jovis & Themidos filia, hominum ſcelus pertæſa

Ultima Cœleſtum terras Aſtræa reviſit.

Ovid. Metam. 1. lib.

 1 *Tan-*

Nunc lenis magis, & magis ſerena.
Jam te protinus, ô potens virago,
Juſtis omnia cultibus reducunt.
Nunc eſt dignus honos, tuoque dignos,
Diva, numine nunc habes parentes.
Nunc ortam ſacra fama confitetur
Regum ſanguine, divitumque tectis,
Et penatibus inſerit potentum.
Et ne non pia, jam colas parentes,
Quod diti placet, aut placet potenti,
Aſtraam loquimur jubere factum.

Tum Acignius ad me ſumma celeritate contendere, tum aſpergere accuſationi fucum calidiſſimis excuſationibus cœpit. At magiſtratum major inceſſerat perturbatio, cum & ſermones hominum timeret, ſi tam facilis machina evertiſſet ſententiæ robur, &, ſi perſtitiſſet, Callionis potentiam. Sed aſſuetudine peccandi ſuccreſcunt ipſis ſceleribus excuſationes, & animus in flagitia promptus in expedito commenta, velut ſceleratæ vitæ cuſtodiam, habet. Itaque non multum moratus, Neque, inquit, juſtitiæ quicquam nego, neque Callioni aliquid dabo, quod vir integerrimus ſibi datum poſſit iraſci. Utinam non audiſſemus tantum nomen; ut ſponte liceret eſſe juſtis. Nihil fallo; ſed niſi provocatus pugnaviſſes, niſi tuam cauſam vulnera peroraſſent, niſi impune tuliſſes hanc feriendi licentiam. Sed audi, fortunam in te hactenus, non ſcelus, punii. Non oportuit populum levari fortuitorum terroribus, ne graſſandi licentiam inulti prætextus oſtenderent. Itaque habet à me Callion neque neglectam judicandi conſuetudinem, & gaudere me nullum fuiſſe ex ipſius familia, ira Domini, meaque ſeveritate dignum.

Sed jam in familiaritatem deſcenderat Acignius, & mira humanitate invitabat in craſtinum ad publici celebritatem ſpectaculi. Jam etiam ex vulneribus ægrum ad thorum deduxerat, ac blanditiis omnibus obſtinatum animum expugna-

Digitized by Google

pugnabat: pepercißemque forſitan, niſi cervicibus in ſpondam inflictis vulnera recruduiſſent. Præterea ſero conſenſerat in iram animus, & in ſylvis, quo difficilius molitur imber ramorum textiles nexus, eo pigrius admiſſæ aquæ ſtagnant.

At vero poſtquam tempeſtas in ſerenum tranſiit, & defatigatas mentes denſior ſomnus obſedit: terribilem fortunæ luſum, qui nos tota die verſaverat, nocturnæ imagines reddebant; ut infeſtior ſibi eſſet ipſe animus per miras cogitationes ſe terrens, quam fuiſſent externæ formidines: donec tympanorum ac tubarum clangor ſub rubentis Auroræ fugam inquietum ſoporem excuſſit, meque ad paratam ab Acignio ſcenam cum Percante adduxit. Sedebat mihi proxime modeſtiſſimus ſenex, cujus cum humanitatem libaſſem, ingemui, fortunam ejuſmodi moribus meam patriam invidiſſe. Nec difficilis fuit ſimilium morum conciliatio. nam & ſecretus impetus invitabat ad amicitiam, & orationi neſcio quis genius inſinuaverat fidem. Igitur nondum compoſito aulæi tumultu ludimagiſtrum ſpectabamus, qui nudis fere ad cubitum lacertis nunc firmabat orcheſtram, modo ſcenam, & verbis ad anhelitum expreſſis, hortabatur actores, hic regiæ meminiſſet gravitatis, ille muliebris pertinaciæ; riſum, lachrymas tenerent, & impoſitos mentirentur affectus. Interim optimum ſenem rogabam: num ut audiveram in Acignium conſenſiſſet omnis virtutum familia; num in verticem integritatis hominem Gratiæ manu duxiſſent? Hic ille

Suſpirans, imoque trahens à pectore vocem;

Et vero, inquit, ducebant. Quodque juſtius indigneris, non inviæ rupes, non aſpera cautium malignitas, auſpicata compreſſit veſtigia; ſed exiles ſtipulæ ſuſtinuerunt perſonam robuſtiſſimæ molis. Diceres domiti exercitus inanem umbram victorem animum terruiſſe. Ita fuſo vitiorum examine non potuit ſuſpicionem vitiorum fugere. Vanitatis, ambitus, aviditatis in republica, in re litteraria reprehenditur.

ditur. Cur non tollit ſuſpicionem? cur non extinguit incendium, quod illius famam invidioſis criminibus urit? Denique cur non mulcet, aut cur homo videri timet, & interdum erraſſe? Crederes cum illius actis cælitum decreta convelli, neque ſe quicquam à Numinis cauſa eſſe ſejunctum. Mirandum porro eſt infeſtam Acignii, (injuria credo) ſed infeſtam ſuperbiæ crimine famam, qui diſcipulum pæne nunquam dimiſit non ſuperbiſsimum, aut qui aliquem ultra ſe, magiſtrumque laudaret? Quanquam & illius gloriam plerumque corrumpunt, qui omnia ejus dicta factaque in miraculum trahunt: quoniam hac ætate ſic vivimus, ut quem factioſe laudaveris, huic ſeu invidia, ſeu contra ſentiendi ambitione ſis iniquior. Ac ne ſit aliquid in Acignio non inſolens, quam amici famam evertunt, imprudens inimicorum furor alit, dum calumniandi licentia juſtiores querelas enervant, & ineptis criminationibus veriora indicia deſtruunt.

Dum hæc proloqueretur, [1] tantum ſilentium totam domum occupaverat, ut altiore Sigalion excipi nunquam poſſit. Itaque ad ſcenam oculos convertimus, quam decorus adoleſcens perambulabat, qui fabellæ argumentum pandere cœpit, verſu non multum delicato. Fingebatur autem juvenis, fortuna & ingenio illuſtris, paternis bonis ſolitarium deſerti prætuliſſe ſilentium, nec ſanctiſſimas matris lachrymas, nec Principis auctoritatem religioſi cœpti fregiſſe conſtantiam. Nihil illo venuſtius, ſi fabula Roſcios inveniſſet: ſed omnes ad pedum numerum humeros torquebant, omnes fictitiis vocibus corrumpebant naturalem gratiam, & trita ſæpe barba inſolentiam teſtabantur aſcititiæ majeſtatis.

In

1 *Tantum ſilentium totam domum occupaverat, ut altiore Sigalion excipi nunquam poſſit.*] Magnum omnino ſilentium: nam Sigalion ſimulachrum erat apud Ægyptios in ſacris Iſidis atque Serapidis quod digito labiis impreſſo ſilentium imperare videbatur, unde & nomen accepit ἀπὸ τοῦ σιγᾶν quod eſt ſilere. Vid. omnino quæ novavit Scaliger ad Auſonium, præterea Alexandrum ab Alexandro.

1 *Ut*

In illis deliciis optimam lucis partem conſumpſimus; tandemque digreſſus ex moleſtiſſima ſchola, viam ad Fibullium cum Percante exorſus ſum. Ac ubi extra Baſilii munimenta conſtitimus, tum ſolutiore gaudio ridebamus pridianæ lucis prodigia, & memorabiles tot moleſtiis caſus, ex quibus nihil præter paucula in occipitio meo vulnera duraverat. At vero nihil eſt diuturnum, quod ſit extra fortunæ conſilium. Etenim Fibullius ad interitum æger marcentem familiam ad poſtremam ſolicitudinem deduxerat, noſque ab ipſo gaudii limine triſtitia veluti fugitivos revocavit. 16

Sed mirabar hominum genus totis Fibullii ædibus converſari, imperioſum, triſte, ſeverum, qui nec ingemiſcebant ad familiæ planctum, & frontes ad triſtitiam arte magis quam ſponte contraxerant. Quos ut Medicos ſæpius appellari audivi, non prius interrogare Percantem deſii, quam intelligerem omnem religionum differentiam in tres partes eſſe diſtinctam. Hos appellari Priſcos, illos Novates, tertium genus Medicorum eſſe, ſed potentiſſimam factionem Medicorum jam latiſſime dominari: [1] ut quod Spartacus regnum concupiverit, iſti ſervi occuparint. Jam procerum partem, jam Magiſtratuum, eruditorum etiam greges totos conſenſiſſe in Medicorum ſcholam, hæc & talia ſentientem: Aut Numen ſolis terroribus fingi, aut ſi eſt aliquod, omnia permiſiſſe diſpenſatrici naturæ: animum ita corporis domicilio inſinuatum, ut extra illum carcerem non duret: denique religionibus ſicut veſtibus utendum, de quibus & conſuetudo & ipſa vulgi inconſtantia judices ſedent.

1 *Ut quod regnum Spartacus concupiverit, iſtud ſervi occuparint.*] Is famoſus gladiator fuit è Thracia oriundus, robore corporis præſtans, qui una cum aliis effracto Lentuli gladiatorio ludo, manum ſervorum congregavit, cum quibus Circaſium montem in Campania occupavit, ubi cum à Clodio Glabro obſideretur, ejus caſtra diripuit, & Campaniam populatus raptis prætorum faſcibus appellatus eſt imperator: Lentuli exercitum in Apennino diſſipavit; apud Mutinam Caſſii caſtra delevit: tandem cum de urbe invadenda cogitaret, à M. Craſſo pulſus, fugatuſque cum Brutium angulum occupaſſet, nec in Siciliam præ navium penuria trajicere potuiſſet, cum ſuis fortiſſime dimicans occiſus eſt.

Digitized by Google

ſedent. His inſtitutis docti facillime peccant in hominum vitam, & novis experimentis radices omnes ac metalla tentant, nec perniciem hominum æſtimantes, nec numinis iram.

Igitur & Fibullium clades eadem afflixerat, cui ad vulgarem morbum inſolentia remedia quæſiverant. Etenim quos emulſerat humores vena ad ſiniſtrum renem pertinens, vis lienis ignea paulatim addenſaverat, ut omnem renis latebram coctilis & acuminati lapidis rigiditate compleret. Nec acerbos dolores ante crudelis fœtus moverat, quam exercitationis vehementia è naturali receſſu excuteretur in veteres anguſtias, nunquam hiatu tam immani ſua ſponte patentes. Tum autem ſæviſſimi mali atrocitas tam ventriculum ſuperne exonerabat; quam alvi libertatem compreſſerat. Cumque ad veſicam carneæ fibræ cum expellente natura pugnarent, illa in concepti flatus ſuſpicionem veniebant. Igitur medicamen infuſum eſt inferius, & omnia in alium forte morbum valitura tentabantur.

[1] At præcipue nefarius Ambrax oppugnabat adhuc vitalem Fibullii naturam, qui præceptrices Medicorum chartulas, temere in eorum officinis diſſipatas qui diluendis medicamentis præſunt, vigili ad ſcelus cura coëgerat, ac in ſecretam deinde merſerat urnam, paternæque artis temptor medicinæ ſcientiam mentiebatur. Tum ut interrogabatur de morbo, munitis diligenter foribus, verſabat manu vaſculum, &, [2] Eſte, inquiebat, ſortes nuſquam Prænestinæ, vel Lyciæ; ac præſcriptum, quod volventem manum primum impleſſet, ægris etiam formidoloſius, quam eſt periculum ſontibus, ad pharmacorum magiſtros man-

1 *At præcipue nefarius Ambrax oppugnabat adhuc vitalem Fibullii naturam, &c.*] Hoc eſt, inter alios nemo fuit qui Fibullii virtutem gravius læderet, quam pernicioſus Ambraciota qui, &c. Ambracia in Epiro. Invehitur autem Satyricus in Medicos imprudentes, & ſcioloſ.

2 *Eſte ſortes nuſquam Prænestinæ vel Lyciæ.*] Venus apud Præneſte, ſicut apud Pataram in Lycia Apollo reddebat oracula: unde

— *Patareus Apollo.*

Et. Lyciæ ſortes. —

Ibidem

mandabat. Sic ut interdum nefarias manus atroci cæde pollueret, interdum fortunæ temeritas pro prudenti conſilio eſſet. Sed non litaverat Fibullius imprudentiæ. Nam Ambracis chartula dictavit ova ad ignem bis cocta, & veterrimi piſi eliquatam viſcoſitatem. Præterea deambulationes raras juſſerat, & oſcitantem ignaviam molli thoro ſovere. Quæ omnia naſcentem in Fibullio lapidicinam ita duraverant, ut aſſidui cruciatus moriendi ſolatium quærerent: quod procul dubio ſolviſſet hominem tantis malis, ſi aliquid guſtaſſet de Callionis potu.

Non tenuit lacrymas mitiſſimus Percas, & miſerrimam domum ſublevavit gemituum ſocietate. Sed mea ſors erat duriſſima: quoniam certam opem negare Fibullio videbatur à mea humanitate alienum: & ſi remedium, quod in illum morbum ſtrenuum noveram, tentaſſem, timebam Medicos, tum etiam Callionem, denique ne non haberetur fides ignoto. Tandem vicit miſericordia nimis prudentes metus, propiuſque ad ſtratum accedens, O vir, inquam, propenſiore fortuna digne, quam nunc averſa eſt, aude ſanari. Da remedio quod affero triduum, & ſi ad votum meum ſanitas non reſponderit, illius iracundiam meo capite depreceris. [1] Mola vittiſque victimam mactari non abnuam. Exhorruit ad hæc dicta Percas, & de Callionis poculo ratus loqui, meo capiti, quod ego in ſuccidaneum dabam, juſtiſſima ſuſpicione timebat. Sed Fibullius, quam non, inquit, hæc promiſſa nova ſunt? Apage hæc ſecreta naturæ, & tot modo nati medici, vanam ſpem, ac inania verba,

Ibidem per ſex menſes reddebantur Oracula, & itidem apud Delphos.

1 *Mola vittiſque victimam mactari non abnuam.*] Nullum olim ſine mola ſalſa, ſeu farre ſale conſperſo ſacrificium: erant & vittatæ hoſtiæ: ὁλοχυτὰς inquit Plin. lib. 12. cap. 18. Plautus in Amphitr. *Prodigiali Jovi aut mola ſalſa hodie aut thure comprecatum oportuit.* Horat. Ser. 1. Satyr. 3.

Ante aras ſpargiſque mola caput, improbe, ſalſa.

Virg. Eclog 8.

—— *Sparge molam.*

Unde *immolare* quod idem ac ſacrificare. Idem Æneid. 2.

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

Ubi Servius, *vittæ quibus victima coronabantur.*

1 *Hic*

ba, æternis miſerorum cruciatibus, & indigna mercede vendentes. At ego, Crede, inquam, domine, ampliſſima erit merces homini tanto bene feciſſe, neque ſolum pro tua mihi valetudine, ſed pro mea etiam ſalute laborandum eſt. Si fallo, nec poſſum declinare familiæ tuæ impetum, nec domini mei iram. Tum ille, poſtquam aliquantulum dubitavit, interrogato etiam de meis moribus Percante, ut acerbitas mali cogebat, tentare igitur remedium juſſit, quod vel ipſius corporis ruina morbi pertinaciam expugnaret.

Hac facta poteſtate in proximum montem ſecedo, illamque partem, quæ tum imminentis jugi vertice, tum virgultorum & fruticum humili faſtigio, maturius umbrabatur, curioſa ſedulitate luſtro. Reſpiciebat locus aquilonem, & ut erat declivis, fluente paſſim per imbres humo, aridis tantum lapidibus ſternebatur. [1] Hic terna geniculatione Æſculapio votum feci, ſi ſanaretur Fibullius, [2] barbam auream ex proximo reſtituturum peculio, qualem Dionyſius ademit. Crederes deorum etiam ſuffragia emi. Nam ſtatim notiſſimam herbam oculis meis ſubjecit Æſculapius, quæ calculo bellum indixit [3] multo felicius, quam aut Veratrum amentiæ, aut vulneribus Aſciros. Hæc lanceatis foliis,

1 *Hic terna geniculatione Æſculapio votum feci, &c.*] Is fuit filius Apollinis ex Coronide Nympha, qui in medicina ſic excelluit ut Hippolytum dictus ſit ad vitam reſtituiſſe: divinis autem colebatur honoribus, & invocabatur numen illius maxime ab ægrotantibus qui etiam vota faciebant. Ternam addit geniculationem ſive adorationem, quia ſcilicet

Numero Deus impare gaudet.

2 *Barbam auream ex proximo reſtituturum peculio, qualem Dionyſius illi ademit.*] Dionyſius tyrannus Siciliæ cum aliquando in templum veniſſet, advertit ſtatuam Æſculapii ex ſolido auro juxta Apollinis aurei ſimulachrum, & tunc lepide ſacrilegus abradi barbam Æſculapii jubet; dicens non æquum eſſe longam barbam à filio geſtari cum pater ipſe Apollo tonſus eſſet, & imberbis. Inſuper nimis frigidam fore hyeme talem ex auro barbam, æſtate vero fore nimium gravem & ponderoſam.

3 *Multo felicius quam aut Veratrum amentiæ, aut vulneribus Aſciros.*] Illud vocant Græci ἐλλέβορον. Habet hæc planta virtutem purgandi cerebri, unde amentibus & furioſis dari ſolet. dictum putant à vertenda mente. Quod ad Aſciron pertinet, Galli vocant *millepertuis*, herba eſt hyperico ſimilis comas habens quæ manibus tritæ ſucco ſanguineo manant. Vide Plin. lib. 27. c. 4.

2 *Planta*

foliis, piloque ita brevi, ut pæne curioſos oculos fallat, crenis denique tenuibus, & ſæpe in obtuſam ſpeciem oras ſecantibus, mediocriter aſſurgit. Radix cauliſque lignea, ſubtiliorem ſuccum in herbam transferunt. [1] Planta ad ingenium terræ nunc cubitalis, plerumque eminentior, inſigne faſtigium floribus ad examen turgentibus cingit, & Virgæ aureæ eſt nomen, ſive quoniam aureæ ac pæne divinæ virtutis eſt, ſive quod præſtantis metalli colorem exigui floris venuſtas æmulatur. Cæterum contuſum in renibus calculum in innoxium pulverem ſolvit. Non in latere, non in veſica dolor: adeo ut tam facili remedio pudeat calculum timuiſſe. Etenim in hyemem ſiccatur æſtivis umbris planta, & ubi gravitas lateris coëuntem morbum præſagit, aureus pulvis ad drachmam mero delibutus ſumitur, ſive ovo leviſſime cocto permixtus.

Sed mihi non erat ad manum tam pretioſus pulvis. Itaque recentem adhuc herbam jubeo Fibullium mandere. Nihil eo die viſum eſt ad morbum feciſſe medicamentum: ſed biduo deinde repetitum, ſupra fidem eſt quam egregie refellerit acerbiſſimum morbum: ſordidus pulvis abunde veſicam exonerabat, cœnoſumque ſaccharum pæne ſanguinis imagine pingebat.

Jam ventriculo robur redierat, jam corpori toti vigor, & mihi ad perfectionem artis medicæ ſola deerat laurea, & emptitii teſtimonii liber, cum à Callione redduntur Percanti litteræ, ſe à Principe ad Labetrum mitti, ea pompa quæ utrumque deceret. Nos quam primum ſequeremur, vel ad Fibullium, ſi conſenſiſſet, laturi poculum, vel adornaturi magnificæ domus ſuperbiam. Tum à Fibullio epiſtolam ad Callionem impetro, qua ſe ingenti miraculo ſanatum confirmabat, & quoniam ſemel Numina curam egiſſent ſuæ valetudinis, nolle ea offendere alieni auxilii mixtura. Igitur gratiam habere oblati medicamenti, & ipſi præ-

1 *Planta ad ingenium terræ nunc cubitalis, &c.*] Mentionem facit plantæ quæ virga aurea dicitur, & calculo laborantes ſanat.

x *Inſi-*

præſenti aliquando pleniores habiturum. Timebam enim, ne Callioni, ſi reſciſceret Fibullium mihi ſanitatem debere, videretur indignum, prælatas meas artes illi medicamini, cui commendando etiam me miſiſſet.

Me autem cum in ſecretiorem thalamum Fibullius evocaſſet, ſemovit arbitros, &, Euphormio, inquit, nec tu ignoras quid tibi debeam, nec meriti tui magis quam ego es conſcius. Itaque diu deliberavi, quo me dono exſolverem: nec præſtantius inveni munus, quam ſimillimam tui partem. Tum mulierem advocat ſupra politiſſimas imagines cultam, quodque auxerat formam, tenera ut videbatur verecundia & pudore confuſam. Et, ſi mihi, inquit, credis, Euphormio, uteris beneficio & voluntate mea. Puellam hanc, cui dudum perſuaſi ne injuſſu meo nuberet, trado. Integerrimam mentem, & ſuo corpore dignam, honeſtæ frontis timiditas ſpondet. Ego vero dotem dicam, quantam capere aut agnoſcere tuæ conditionis homo poſſit: Hic ego non nihil tam eleganti forma motus, tamen [1] inſidioſum munus timebam. Et ſi abeſt, cogitabam, fallendi animus, cur hæc ſecreto peraguntur? Deinde quam ad manum hæc puella de occultiſſimo thalamo producta eſt? quam inſolens, [2] ut ſine flammeo, ſine aqua, ſine ſolenni igne, abſque vittis denique & matronis verecundiam mulcentibus tranſeat in alienam familiam virgo? Hæc moleſtiſſimis cogitationibus ſcindebant animum, & præterea quod

1 *Inſidioſum munus timebam.*] Inſidioſum munus fuit Pandora, inquit Heſiodus, prima mulier à Vulcano Jovis juſſu fabricata, & à Diis omnibus donis ornata, unde illi nomen. Hanc Juppiter cum pyxide clauſa miſit ad Epimetheum inſidioſum munus. Audi Mantuan.

— Heu fœmina ſemper
Inſidioſa mari! —

2 *Ut ſine flammeo, ſine aqua, ſine ſolenni igne, abſque vittis denique & matronis.*] Infauſtæ nuptiæ quæ abſque his ritibus initæ fuerint. Flammeum autem genus erat veli lutei quod à novis nuptis geſtabatur, ſic dictum quod his eo aſſidue utebatur flaminica, ſeu flaminis uxor, & quia non licebat flamini cum uxore divortium facere, inſtitutum, ut novæ nuptæ hoc veli genere uterentur, fauſto omine, & in ſignum indiſſolubilis conjugii. Unde Feſtus Pompejus: *Flammeo amicitur nubens boni ominis cauſa, &c. Deinde aqua, & ignis ante nubentes præferebantur. Tum vittis ornabatur Sponſa quam præcedebant matronæ pronubæ cum facibus.*

1 *Quid*

quod conſilio tempus non permittebatur. Erat etiam menſis Majus, quo tempore nuptiarum omen perhorreſcebam. Igitur ambiguo aſſenſu cogitabam ſic hominem non lædere, ut neque me laqueis, ſi qui eſſent, impediendum producerem. Certe, inquam, domine, parum amas puellam, quam pro nuptiis in contubernium mittis. [1] Quid, amplius irata Omphale à Lydis exegit, quam ut ſervis ingenuæ miſcerentur? Itane, inquit, neſcis ſplendidiſſimam libertatem in virtute poſitam eſſe? ac præterea jam ut conjugio emancipari liberos, ita ſervos [2] in ſocietatem juris Quiritum mitti? His dictis erigebatur animus meus in ſpem optimæ ſortis, & jam [3] ad novaculam videbar libertus reſpicere, cum Fibullium credere cœpi ex magnatum more facere: ſi nolis ut per illum tibi bene ſit, conaturum ut ſit male. Nec amplius cunctatus, in uxorem conſentio, & [4] præeunte religiones Fibullio, ac præterea oſculo bis terque repetito, firmavimus fidem: ac tum in publicum progredior, & ſponſus, & quod neſciebam, pater. Jam ſeptimus dies illuxerat, quo tempore promiſeramus reditum in ſpeluncam, ſed memoria non illubenti omiſimus ſuaviſſimum ad mulieres iter: quoniam jam ad Labetrum adventabat Callion, & urgebant aſſiduæ litteræ, ne ejus comitatum deficeremus, cum Percantis ſedulitatem, meque prodigioſe ſanatum, inſtar ingentis familiæ reputaret. Itaque expedito progreſſi itinere, antevenimus etiam Callionis curſus, & magnificam præmiſſi agminis tarditatem.

Præludebat autem Labetrus oſtentationi ſuæ, & pre- 17
tioſiſſimam ſupellectilem pandebat in Callionis adventum.

Ma-

1 *Quid amplius irata Omphale à Lydis exegit.*] Hæc Regina Lydorum fuit, cui ſervivit Hercules illius amore captus, ita ut lanificium ei imperaret, cum ipſa calathum, & colum ſagittis & clava mutaret. Hæc ob ſuſceptas à Lydis injurias conjuges & virgines à ſervis juſſit conſtuprari. Pauſ. Laconic. l. 3. c. 96.

2 *In ſocietatem juris Quiritum mitti.*] Hoc eſt à Romanis civitate donari.

3 *Ad novaculam videbar libertus reſpicere.*] Hoc eſt ad conditionem ſervorum, quibus novacula radebatur caput in ſignum ſervitii.

4 *Præeunte religiones, &c.*] Conceptis quibuſdam verbis à Pontifice, quibus ille ſponſis præibat.

1 *Pu-*

Digitized by Google

Machinæ per mœnia diſpoſitæ præbebant ſpeciem formidoloſi belli, & moniti cives, ut ad tubam in armis eſſent, pacificos cultus militari diligentia inſtruxerant. Juventus præterea nobilis arceſſita ad Labetrum, ſplendidis collucebat veſtibus, & exarata puellari manu pallia tota penſione redemerant: ut quoties menſa in illum annum poſita eſſet, Callionis meminiſſent. Sed maxime obſtupeſcebam ad principalis ædificii luxum. Thori ubique purpura ſtrati erant, ſtragula byſſo duplici inſignia notabantur, & aureis filis ſericum intertextum plus artificio debebat, quam naturæ.

Præterea cultu mirabili ſtabant diſpoſitæ per cubicula imagines, quæ mihi videbantur ſudantium vultus exprimere. Admiratus ego ingenioſam ſtatuarum novitatem, propius acceſſi, & materiam audaci digito ſcrutatus ſum. Sed profundius quam vellem fragilis materia manum admiſit. Perturbatus igitur imaginis cicatrice, fugæ conſilium cepi, cum ad latus ſe applicuit ſedulus miniſter, ſpumantemque hordeaceo potu ſcyphum humaniſſime obtulit; cumque incerti formidine vultus variis coloribus æſtuarent, putavit tantis conventibus inſuetum numeroſæ domus frequentia perterreri. Itaque vanitatem timoris mei ſtultiſſima conſolatione permulſit. Quid exhorreſcis, hoſpes, inquit, ad regalem ſtrepitum? quid exiſtimas triumphum quotidianæ familiæ rationem? Scio neſcire dominos veſtros tam prope ad cœlum deoſque accedere. Sed neque inſtar numinum promulgaverunt orbes alios, neque tam ſincera nobilitate incorruptam ſeriem ad ter mille annos ſervant. Tu vero in aliud tempus ſtuporem differ, dum Labetri gentiles videas majeſtatem nutantium cervicum circumferre, velut ad numeros; & audaci ponderoſæ orationis fiducia non tam ventos onerare, quam ſuperare aurium fidem. Jam vero, ſi tumultum ebriæ domus audiveris, [1]putes

1 *Putes ad Orgia Thyonenm deſcendiſſe.*] Id eſt ad ſua feſta trieterica, ſcilicet tertio quoque anno ſolita celebrari à Mænadibus ſeu Bacchantibus. Thyo-

tes ad Orgia Thyoneum deſcendiſſe. Crede mihi, natitabunt pavimenta hoc quem teneo liquore, & plus bibent thori menſæque, quam homines. Sed tu interim Labetri bonis utere, & audaci manu frange ſtatuæ butyraceæ auriculam: Præſto ſum, qui ſaturatis ſuaviſſimam potionem affundam. Cum ego negarem deformari ſtatuam oportere, ultro irriſit pinguiſſimus ſervus, & cervicem imaginis amputavit brevi gladio, qui ad hoc ex catenis argenteis de cingulo pendebat; &, Nondum ſcis, inquit, ſeptendecim eſſe cubilia, in quibus ejuſmodi quatuor imagines ex marmore angulos adornant, præciſis cervicibus, quæ quotidie recentiſſimo butyro reparantur; tum ut populus in jentaculum deſtruxit extemporaneos vultus, frons ſubinde alia reponitur, & in diem ſepties ac decies renovatur delicatiſſimum munus. Nondum hora diei nona eſt, & jam centies quadraginta butyri pondo hoc palatium abſumpſit. His atrienſis dictis audaciam ſumpſeram deſtruendi formoſum artificium, cum tubarum ingens murmur perſonuit, & deſolatum palatium nihil ex tanto populo ſervavit, niſi ſpem redituræ frequentiæ. Ego quoque tam cupidus inviſor quam novus regionis incola, deſpecto jentaculo in publicum deſcendi, & quanta pertinacia viam turba negabat, tanto impetu compoſitos in orbem lacertos rotabam; & per diſſectum inæqualitate itineris agmen immittebam robuſtiſſimum corpus. Deinde ut in obvium tumulum aſcendi, res expectatione gratior oculos meos delectavit. Erat enim Callion non mediocri ſtipatus manu, ad quem confluxerant ex ſacra Labetri domo, Cubicularius, Diſpenſator, Æditus, & magnatum ingens numerus, qui ficta humanitate quem timebam venerabantur. Ego quoque viam mihi cum Percante ad dominum feci, & ſtrato in ſupplicem

Thyoneum Bacchum appellat, quia Θυωνεὺς fuit ejus cognomen ἀπὸ τῆ θύειν quod eſt ſacrificare, nam inter mortales adhuc verſanti ſacrificavere. Quanquam non deſint qui hoc cognomen à matre Semele accepiſſe eum velint, quæ Θυώνη nuncupabatur. Ovid. 4. Metamorphoſ.

Additus his Nyſeus, indetonſuſque Thyoneus.

plicem cultum corpore, à tranſeunte veluti nutum extorſi: cum in elegantiſſimam perductus domum, & orationibus in atrio ad faſtidium longis exceptus, ipſe naturali eloquentia vividum ingenium prompſit. At ego tot nugis fatigatus, in Labetri domum redeo, potioribus miraculis paſturus curioſitatem ſedulæ mentis.

18 Erat autem in interiori palatio non tam hominum infrequentia, quam ſilentium: omnes veluti ſtupore contracti modeſtiſſimam vocem ad vicinas aures anxie tranſmittebant, & oculi non temere vagi in animum meum pietatis induxerant ſenſum. Igitur contemplatus ubique, num vel ara vel deorum imagines religioſos homines moverent: nihil advertere potui præter tunicam purpuream, quæ ex tholo catenis aureis pendebat, & capitis tegmen ſericis ad utrumque latus nodis inſigne; quæ & geſtaſſe juvenem Labetrum dicebatur, & in neſcio cujus ſenectutem aſſervari.

Sed cum promoverem inconſultos gradus in ſecretiorem thalamum, corripuit laciniam veſtis vir, ſi bene conjiciebam ex colore & turgentibus labris, Afer, & quid in loco tam illuſtri facerem rogavit. Commotus ergo ſtrictorum in me oculorum majeſtate, nihil habui quod opponerem tam vibrantibus telis, niſi Callionis potentiam: cujus ille nomine, tanquam fulmine proſtratus, Nihil, inquit, impedio. Tam gratioſa ſervitus omnia hujus familiæ ſecreta tibi facile producet. Hac venia factus audacior in proximam ſedem irrumpo, ubi etiam pauciores ſtabant, & plerique fuſco vultu horribiles. Diceres illos [1]regium Cyneæ ſenatum truci vultu fingere, ad cujus gravitatis imaginem Præfectus Prætorio neſcio cujus gentis maxime formaverat vultum, qui trecentis nuper mulis advenerat, ut doceret & fugere ſe ſcire, & his magis formidabilem eſſe qui à tergo, quam qui à fronte conſiſterent. Tum ego applicitus ad parietem, luſtrare cœpi omnium inceſſus, & ſuperbam ad faſti-

1 *Regium Cyneæ ſenatum.*] Ægypti quondam provincia fuit hoc nomine.

1 *No-*

faſtidium frontem, cum ſubito meatus includuntur ſuaviſſimæ luci, & denſa nox, feneſtris curioſe junctis, totam domum inſedit. Igitur metuens ne me in cuſtodiam publicam miſiſſem, errantibus veſtigiis repetere cubiculum cœpi, & in aditum, qua me confuſa memoria ducebat, tendere: cum ex altera parte dimota ſunt adverſæ januæ clauſtra, diductiſque periſtromatis tot cereos decori adoleſcentes intulerunt, ut timerem ne tenellum aliquod funus producerent ad numeroſiſſimum lumen. Sequebatur autem mulier aurea præſignis tunica, quæ ſublimi crine turpes prope in occipitio excitaverat, deinde vir, ipſa muliere brevior, ad cujus prolixum latus ſtabat. Tum quotquot in triclinio erant, libratis velut impetu corporibus longa veneratione jacuerunt. Ego autem altiſſime

Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Tantus enim pæne cultus Jovem Junonemque adeſſe perſuaſerat: ſed ita ut mutatis honoribus, hæc annis, ille menſibus præſideret. Interim mulier ad menſam gradu ſatis compoſito feſtinavit, meuſque deinde Jupiter inferiori lectulo conſedit. Sed inanis videbatur mihi pompa: nihil enim ultra panem in cœnam importatum cernebam, cum in genua procidit aſſueta his officiis Nympha, & humentem mappam purgandis manibus dedit. Tum diutius ignorare non potui, quæ Numina delectarentur ejuſmodi ſacris, & hominem, cui ſtabam proxime, interrogare cœpi de iis quos videbam. At ille, Nec te, inquit, majeſtas loci, nec ceremoniæ, & ritus ab ultimo ducti Oceano, monuerunt Labetri ſacrarium eſſe?

Adoravi ego Numina; ac deinde in diverſam cœnaculi partem furtivis greſſibus tendens, in ampliſſimam porticum deſcendi, quæ & ipſa ſolis facibus erat illuſtris. Circum autem elegantiſſimis imaginibus Labetri vitam ingenioſus pictor reddiderat. Quod ut intellexi ex verſibus, qui ad ſingulæ oram tabulæ legebantur, nolui tantæ fidei hiſtoriam

ignorare. [1] Nobilitatem Labetri modeſtus artifex non altius erat exorſus, quam ab Æneæ erroribus. Nam & Mneſtheum affinxerat, & Capyn, & Anium, qui contis infeſtas undas retundebant. Ac ut Labetro prænunciaretur jam tam armati maris injuria, ipſa tempeſtas prope ſorbebat majores ſuos. Deinde conſulatus ac triumphi longa ſerie parietem adornabant. Sed hominem, ut eram, illiteratum non multum delectavit evolvere, quæ vetuſtas multis ſeculis obtexerat. Itaque ad recentia rudem oculum converti. Erat autem effictus Labetrus in lucem prodiens, quem Aquila excipiebat ea purpura, quæ eſt triplicis prærogativa coronæ. Deinde adultus cognati Principis vicem magnifice ſuſtinebat,

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique ſacerdos.

Nec omiſerat artifex ſplendidi rationem conjugii. Stabat Labetrus novo inſignis cultu, ac [2] in Veneris legem tranſiturus, Martis primum ſacris initiaverat latus, inſolenti ferro grave. Deinde nubebat ampliſſimæ virgini dotis. Poſtremo erat effigies ſedentis ad Ilium, & tot molientis machinas, quot deſtruxit ſævitia maris, & callidi hoſtis importuna ſedulitas. Super hæc erat picta Diſcordia ex Averno prorumpens, quæ ante aliquot luſtra quietas Labetri gentes ſolicitaverat ad bellum, & hi verſus pæne in vertice imaginis legebantur.

[3] Eſt locus Auſonias inter notiſſimus undas,
Euboici coluere viri, cui nomen Averno
Dicitur. Hic diræ triſtis reverentia ripæ,
Hic campo crudelis honos. Nox impia pigros
Inſpirat cœlo ventos, & nubila ducit;
Cuncta ſilent circum, [4] ſi non in ſibila crines

Ferales.

1 *Nobilitatem Labetri modeſtus artifex non altius erat exorſus, quam ab Æneæ erroribus. Nam & Mneſtheum, &c.*] Vide elegantem errorum Æneæ deſcriptionem in quinque libris primis Æneïdos ubi frequens mentio Mneſthei, & Capys, & Anii.

2 *In Veneris legem tranſiturus.*] Id eſt ad nuptias.

3 *Eſt locus Auſonias, &c.*] Deſcriptio poëtica Averni lacus in Campania Italiæ.

4 *Si non in ſibila crines Ferales moveret Deæ.*] Si non ſibilant angues quas habent Furiæ pro crinibus.

1 Signa

Ferales movere deæ. Non gramina ripis,
Torpet iners tellus, Phœbumque æterna recentem:
Neſcit hyems mutare domos. Tantum improba late
[1] *Signa canis ſurgunt, ſpumaque infecta cruenta*
Lurida Cerbereos ſcribunt Aconita timores.

Hoc, ut fama, ſpecu, crudelis janua [2] *functi*
Orbis, & immenſi panduntur limina fati.
Attoniti horreſcunt manes, umbræque recenti
Hac pœnas intraſſe via, pars maxima pœna eſt.
Illac & gemino quondam Diſcordia curru
Extulit ad ſuperos dubium caput. Omnia retro
Abſtulit aſtra timor, totuſque expalluit æther.
Ipſa velut triſtes ducentia nubila gyros:
Velavitque diem, terriſque excluſit Olympum.
Tela manu, geminæque faces, vultuque ſevero
Ira rubet, pallentque metus; mutatque fovetque
Conſilium, pugnatque ſuæ Diſcordia menti.
Quam circum rapiduſque furor, luctuſque ſceluſque,
Iræque, inſidiæque volant. Sedet axe ſuperbo
Infelix Bellum, motiſque accenditur armis.
Hæc ſimul ut noſtris crudelis conſtitit oris,
Erexitque genas, metuendaque tela ſonanti
Incuſſit clypeo, & rapidi ter voce flagelli
Increpuit pacem, ter protulit impia cædes;
Tum primum excitæ ſtudia in Mavortia gentes,
Tum mortis properatus amor; tum ſemina belli,
Nondum bella tamen. Qualis certamine primo
Ventorum, minus aura furit, ſeſeque moveri
Indignantur aquæ, nec promptus ſurgere Nereus
Addubitat paulum, & cunctantes conſulit undas.

Deinde deſcribebatur Tempeſtas quæ ſe ab Occidente in illas terras infuderat, & quodammodo debili Diſcordiæ ſociaverat

1 *Signa canis ſurgunt.*] Cerberum intelligit cuſtodem & janitorem Averni lacus, ſpumaque illius circum tellus madet.

2 *Functi orbis.*] Averni Synecd: continens pro contento.

ciaverat manum. Quibus tabulis non indelectatus tranſeo in proximum thalamum, & deinde cum in penitiores intrarem receſſus, obrui memoriam labyrinthis ampliſſimæ ſedis. [1]Nam & implicatæ in ſeſe cameræ, & multiplici aditu aperta cubilia, auferebant viæ diſcrimina redeunti per inanes porticus, & magnifica ſpatia nobiliſſimæ domus, donec in ſecretum delapſus cubiculum, notavi ad dexteram litteris aureis ſcriptum: *Nemo in hanc ſedem injuſſus admittitor.* Et ad lævam auro item fuſili: [2] *Iiſdem ſanctus eſt pœnis ſacri thalami aditus, quibus Romanæ olim tranſitus foſſæ.* Quibus ego diligentiſſime perlectis, toto impetu foras proruere cœperam, cum ingens ſtrepitus timidiſſimas aures perculit. Erat enim muliebre agmen jam in cubilis gradibus, ut earum oculis meam fugam ſuffurari non poſſem. Igitur mutato conſilio in thalamum redeo, & cum ſtragula in terram prolixe defluerent, occului noxium caput ſub aurei receſſibus thori. Et jam noctis ſilentium ſtrepentem concurſantium tumultum ſuppreſſerat, cum mihi tum periculoſiſſimus carcer, tum [3]inanis ventriculus ſomni copiam non facerent. Unde remotiſſimos canum latratus audiebam, & tenuiſſimæ auræ murmur non fugiebat vigilis ſenſus ſubtilitatem. Tum mulier, quæ ſupra me in lectulo decubuerat, exigua tuſſi excitavit matronam in alio thoro jacentem, quæ ocius ſurrexit in pedes, pervaſitque ad vicini oſtium cubiculi, ac bis terque inflexi digiti articulo fores pulſans, in aliam ipſa deinde ſedem regreditur. Hic ego curioſitati tantum imperare non potui, ut ſtragula non dimoverem, quantum ad oculi libertatem ſatis erat. Neque multo poſt laxatis foribus intravit mirabilis viri ſpecies, cujus ego cultu exterritus nihil abſuit quin proclamarem. Erat enim linea

1 *Nam & implicatæ in ſeſe cameræ, &c.*] Deſcriptio Labyrinthi non vulgaris.

2 *Iiſdem ſanctus eſt pœnis ſacri thalami aditus, quibus Romanæ olim tranſitus foſſæ.*] Tam periculoſus eſt aditus hujus loci, quam fuit olim Remo, aliiſque tranſitus foſſæ illius quæ parvam Romam cingebat. Nota eſt vel pueris hiſtoria.

3 *Inanis ventriculus ſomni copiam, &c.*] Vacuo cibis ſtomacho ſomnum non admittit caput inane.

nea ſolum veſte inſtructus, manuque illa matulam argenteam ac facem, hac clavem auream, gladiumque geſtabat. His ille ornamentis inſignis acceſſit ad thorum, & , Domina, inquit, ad imperium tuum veni. Sed ego extra me poſitus tam inſolentibus, animadverti oſtium, quod in inferiores gradus tendebat, reſeratum eſſe ab ea matrona, quæ hominem advocaverat: igitur utendum opportunitate ratus, quam potui celerrime me ipſum de latebra eduxi,& ab utroque amantium conſpectus evaſi. At illi portentum rati, frigidis amplexibus, tanquam vino quod nullum ſuffocaſſet hauſto, omne robur amiſerant: cum ego ad Callionis fores elapſus, expectarem venturæ lucis ſolatium, gelidis interim poſtibus humidi aſtri malignitatem ut licebat declinans.

Cum deinde crepuſculo diſcuſſa nox ſpiſſior pallenti adhuc Sole rareſceret, advenit is quem rei domeſticæ Labetrus præfecerat, & ad Callionem jam in atrio ambulantem tendens, feſtinationem ſalutandi iis negotiis excuſavit, quæ totum diem Callionem tenerent. Ac deinde per varios ſermones in id lapſus, quod maxime quærebat, *Eſt*, *inquit*, nobiliſsima porticus, & omni antiquitatum referta genere, quam ex media Italia pæne curribus junctis ſublimem tranſtulit in has terras Labetrus. Ea non eſt magis auro conſpicua, quam non adulteratis antiquitatis notis; neque ſtudioſius illam juvenes perambulant, quam ſcholaſtici atque ſenes, qui omnia priſci moris veſtigia in argumentum eruditæ diſputationis trahunt. Non erit indigna, niſi me fallit novitas, eleganti tuo ingenio, & invenies, quod non oculos magis quam ingenium delectet. Si non moleſtum eſt ire, & vicinia invitat, & quoniam mea eſt cuſtodia, non admittetur hodie aliquis præter amicos tuos. Non abnuit Callion, non tam antiquitatis cupidus, quam captator communis auræ, & ſuper omnia illud ſpectans, ut litteras non tam neſcire videretur, quam temnere. 19

Igitur in publicum egreſſus, Præfecti ductu in porticum venit, ad cujus magnificas fores ſtabat Apollo laurea redi-

Digitized by Google

miltus corona, & novem Muſæ, quælibet ſuo inſignis artificio. Mox, ut intravimus, miræ ſpecies objectæ ſunt oculis noſtris. [1] Hercules, qualis primum ſervierat Euryſtheo, ad interius limen ſtabat, velut ad cuſtodiam, nec procul [2] infelix Laocoon violati equi ſolvebat Palladi pœnas, [3] & ejuſdem Divæ fulmen detrudebat de ſcopulo temerariam Ajacis fiduciam. ibi erat & aſpera velut naturali ſcabritie rupes, & tam artificioſi fluctus, ut timuerim calceos inundare. Erat etiam antiquiſſimæ aræ ſpecies, quam ajebant [4] Muſis cum Hercule fuiſſe communem. Deinde ulterius progreſſis hiſtoriam parum vulgatam oſtendit noſter index, quæ tabulis pæne totum parietem impleverat.

Erat

1 *Hercules qualis primum ſervierat Euryſtheo.*] Iſte ſcilicet Rex Mycenarum Junonis odiis obſequens Herculem ad difficillima quæque pericula obeunda adegit ſperans fore ut laborum opprimeretur multitudine: ſed ille clarior è tot periculis emerſit.

2 *Infœlix Laocoon violati equi ſolvebat Palladi pœnas.*] Iſte viſo Equo ligneo ominatus erat crudeles Græcorum inſidias; de quo Virg. lib. 2. Æneidos.

Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce.

Et paulo poſt,

Sic fatus validis ingentem viribus haſtam
In latus. —

Crimen ſequitur pœna comes; ſiquidem ſerpentes ad littus cum ſibilis irrumpentes

Laocoonta petunt, & primum parva duorum
Corpora gnatorum ſerpens amplexus uterque
Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus.
Poſt ipſum auxilio ſubeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus: & jam
Bis medium amplexi.

Et paulo poſt,

At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt, ſævaque petunt Tritonidis arcem
Sub pedibuſque Deæ, clypeique ſub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Inſinuat pavor; & ſcelus expendiſſe merentem
Laocoonta ferunt, ſacrum qui cuſpide robur
Læſerit, & tergo ſceleratam intorſerit haſtam.

3 *Et ejuſdem Divæ fulmen detrudebat de ſcopulo temerariam Ajacis fiduciam.*] De qua ita Virgil. 1. lib. Æneid.

— *Pallas ne exurere claſſem*
Argivûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto
Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei?
Ipſa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem
Disjecitque rates, ſcopuloque infixit acuto.

4 *Muſis cum Hercule eſſe communem.*] Herculem Gallicum intelligit, nam plures ejuſdem nominis fuere. Iſte pingi ſolet catenis aureis ex ore manantibus alios per ora, & aures trahens, quod eſt ſymbolum eloquentiæ cui Muſæ adhærent comites individuæ.

1 Ipſe

Erat autem exercituum ſpecies acriter dimicantium, quorum furor etiam in imaginibus legebatur, ac deinde Solem obducebant caliginoſæ nubes, & fulminis violentia obruebat alterius partium ducem. Mox velut aperti campi vorago continuo flagrabat incendio, & qui modo victoria exultaverant, demittebant in terram languidos vultus, ac [1] ipſe Rex, inſtar Agamemnonis, Iphigeniam lugentis, triſtiſſimam frontem coccineo pallio obduxerat. Non temere omiſit Callion rogare noſtrum ducem, quorum illæ imagines eſſent. Sed ille, non aliud, inquit, aſſeverare poſſum, quam quod vetuſtiſſimi verſus produnt, qui tabellarum margines implent. Sed truncata erat carminis ſeries, ac inprimis exordium victoriæ vetuſtatis ſitus deleverat. Nondum tamen aboleverant veſtigia, quibus litteras fuiſſe aureas deprehenderemus; nec tam vetuſtas exederat verſus, quanquam erant ſupra omnem fidem antiqui, quam muliebres faces, quibus quotidie parentabatur optimo poëtæ, cum aliud ejus monumentum ignoraretur. At Callion cum porticum oculis perluſtraſſet; eruditum hominem, cui Lucretio nomen, &, quod rarum eſt, ſimul in hac communi vita politum, ad ſe vocat, &, O mi, inquit, litterarum antiſtes, cur hos verſus non tollis ex hac porticu, & vetuſtati tantum jus in ingenia negas? nempe potiora ſunt Quiritum rudera, & inutilis effoſſi æris inſcriptio delicatiſſimis carminibus præſtat. Hæc cum feſtivius arridens dixiſſet, aditum fecit homini doctiſſimo diſputandi de litteris, & peſtilenti novitiorum genio, qui reviviſcentem doctrinam immani fato ſuſtulerunt. Itane, inquit, vir maxime; noſtra etiam amentia ſcholarum muris contineri non potuit, ſed loquaci rumore pervaſit ad magnatum domos, & litteratos

1 *Ipſe Rex, inſtar Agamemnonis Iphigeniam lugentis, triſtiſſimam frontem coccineo pallio obduxerat.*] Notum eſt illud pictoris eximii artificium in pingenda Iphigenia quæ ſacrificabatur Dianæ propter piaculum Patris Agamemnonis, cujus cum triſtem vultum vellet genuinis coloribus adumbrare, neque poſſet ſatis parem dolori, pinxit quidem Agamemnonem ſed vultu obvoluto, utpote qui nequiret tanti doloris gravitatem penicillo ſuo adæquare.

ratos omnes ſub eodem crimine infamavit? ¹abſit hoc ab Apollinis familia, ut nemo Æſculapium norit. Quanquam hoc nec invitus fateor: ſcholæ noſtræ periculoſis plenæ ſunt ſcopulis, qui adoleſcentulorum induſtriam quotidie naufragio ſubvertunt. Et niſi multi genio meliori ſalutem deberent, etiam optimæ mentes incurrerent in illa vada, quæ inſignis magiſtrorum imprudentia collegit. Tum Callion aperire tam funeſti mali originem rogat, & auctores pernicioſiſſimæ ſectæ, qui Muſis, inquit, dedi ad omne ſupplicium debent. Mox ille, ut neminem de artificio ſuo loqui piguit, fuſiſsime cœpit exponere initia peſtilentiſsimi morbi, qui litteras pæne ad mortis neceſsitatem adegit.

20 Primum, inquit, barbaria patrum noſtrorum temporibus omnem Muſarum ſuavitatem excluſerat. Non illi modo humaniores litteras neglexerant, ſed etiam cum ſeveriori doctrina non credebant delicato ſermoni convenire poſſe. Hinc peregrina dictio in Latinas invecta ſcientias, & eloquentiæ inductum exilium, ut mirum ſit, præſtantia ingenia, quæ illis ætatibus floruerunt, optimorum lectione librorum temperare non potuiſſe hoc veluti odium in ingenuas politaſque diſciplinas. Nullibi carmen ſuis conſtabat partibus, niſi quod bis terque in eandem ſyllabam caderet. Orationum periodos vel abſona verborum geminatio vel inepta ſubtilitas implebat, & ſi qua occurrebant vel ex antiquis moribus, vel ex priſci ævi memoria, rebuſque geſtis, ea nunc omittebant fœdiſsima ignoratione, nunc ad ſui ſeculi rationem detorta fictitiis ſenſibus corrumpebant. Hic Pyrrhum Achillis filium dicebat poſt expugnatum Ilium etiam Romana mœnia obſediſſe: ille Scipionum & Cenſorinorum nomina ad dignitates referebat. Hic Falcidiam legem, quod inſtar falcis legata reſcinderet, volebat appellatam. Alius, Gentiles, quia nullis ceremoniis

1 *Abſit hoc ab Apollinis familia, ut nemo Æſculapium norit.*] Etſi ſatis ſuperque omnibus notus, etiam lippis, & tonſoribus, qui fuerit Æſculapius, & quam peritus in medicina ſupra meminimus.

3 *Epheſi*

remoniis vero numini ſacri, ſic (ajebat) remanent, ut ſunt geniti; aut Ethnicos dici, quia per Ætnam montem ferunt aditum patere ad ſubterranea ſupplicia, ſtultiſſima aſſeveratione ſcribebat. Nullus erat, quem vitia temporum non traherent, ut [1] Epheſi natos diceres, ubi oportuit neminem excellere. [2] Pueri his magiſtris uſi nihil aliud diſcebant, quam non ſapere. Nam & Græcis elementis ne quidem tenuiter imbuti, ut verborum monſtra, quæ nova Philoſophia invenit, capere poterant, ſtatim ad inſanas & æternas argumentationes traducti, omittebant omnem doctæ eloquentiæ curam.

Sed non potuit diutius teneri ſolertia humani ingenii, novandis rebus nata. Itaque initio hujus ſeculi emerſerunt homines aliquot ex tantæ noctis immanitate, pæne non alio quam naturæ ſuæ auſpicio, ſtatimque auctores aliis extiterunt, ut fœdiſſimam imperitiam è Repub. litteraria tollerent. Verum ingentium malorum remedia nunquam ſuis periculis carent. Orbem, qui ſuo malo obdormiverat, ipſa medicina pæne obruit. Etenim homines ſupra cæteros docti, quamvis erant hujuſmodi, ut multa non viderent, velut in ipſo ſcientiæ orientis diluculo, tamen ambitione cœci, nominis famam petierunt ab indignis & inanibus rebus. Igitur hi deridenda cæterorum barbarie volumina implebant, illi novandis omnibus exercebant impigras mentes, & ut aliquid ſapuiſſe dicerentur, vertebant ſcientiarum

1 *Epheſi natos diceres, ubi oportuit neminem excellere.*] Unde dictum Epheſiorum ejecto Hermodoro frugi inter eos viro (ut refert Strabo) *Nemo noſtrûm frugi eſto aut alibi cum aliis eſto.* Quod & apud Athenienſes ſic invaluit, ut Ariſtides juſtitia inſignis idcirco exulare coactus ſit. Lex erat Oſtraciſmus.

2 *Pueri his magiſtris uſi nihil aliud diſcebant, quam non ſapere.*] Ita Petronius Arbiter ipſo initio ſui Satyrici: *Ego adoleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex iis quæ in uſu habemus aut audiunt, aut vident, &c. Sed mellitos verborum globulos & omnia dicta, factaque quaſi papavere, & ſeſamo ſparſa. Qui hæc inter nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quam bene olere qui in culina habitant. Pace veſtra liceat dixiſſe, primi omnium eloquentiam perdidiſtis, levibus enim atque inanibus ſonis ludibria quædam excitando, effeciſtis ut corpus orationis enervaretur, & caderet.* Hactenus ille, apud quem longe plura potes legere, ſed auctor ſum tibi ut libellum caute legas, ne dum micas auri quæris in ſtercore, totum ſterquilinium pro auro habeas.

1 Nam

Digitized by Google

tiarum partes, quæcumque rudi patrum ſeculo placuiſſent: adeo ut diſciplinarum ratio diverſiſſimas in partes diſtincta ſit, & ubique male ſentientium ſectas infelix ſeçuli genius induxerit.

Succeſſit huic malo crudelior peſtis, & luctuoſa ingeniorum funera edidit. Jacebant paſſim libri ſqualidiſſimo ſitu, & ipſe pulvis meliorum auctorum partem exederat. Itaque neceſſarium videbatur, ut homines docti tollerent maculas, quas vel librarii, vel tempora inuſſerant, tum diverſorum voluminum lectione, tum antiquitatis peritia, etiam interdum divinando. Quis deinde ad hoc ſtudium ſe non accinxit? quis provinciam, quam permitti non oportuit, niſi ſumma auctoritate viris, privatis auſpiciis non ſuſcepit? Quis ſe in virum non evaſiſſe credit, quis non æternitati litaſſe, cui ſtylus hæc vocabula permiſerit, *deleo*, *interpungo*, *corrigo*, *manuſcripti ſic habent*, *hoc ab antiquo ritu*, & cætera ineptiſſimæ ambitionis verba? Cum tamen hos etiam qui plus in litteris ſapiunt, ſæpe juſtiſſimus æmulorum riſus ſuſpenderit. Quam inviſis moribus, qui ubique pæne *inuſitata* in *inviſitata* permutat, qui non fert volumina, ſi curari, & non durari veſtes dicant; [1] *Nam ducum taceo duces.* Quorum ille ad Prætorem curare, non currere, legit; alter, quamvis profundiſsimæ doctrinæ, tamen non credit putea dici. Hic eſt ille ſcopulus, quem vel curioſi homines vel incauti, raro illæſis navibus prætermittunt; ſeu mavis, hoc peſtiferum ſydus illuxit, quo ſurgentes litteræ nondum adulta ſtirpe exaruerunt. Etenim ingenia ubi ſeſe applicuerunt huic ſtudio, ſpe maxima hanc Rempub. fraudant, & inutili labore pallida, neque veræ unquam gloriæ, neque ſuavioris litteraturæ guſtum ſentiunt. O miſeram juventutem, quæ vanis exercita laboribus, id tantum apud doctores conſequeris, [2] ut ne quidem Latine dicen-

1 *Nam ducum taceo duces.*] Hæc ex Ennio deſumpta non ingratè meminit.

2 *Ut ne quidem Latine dicentem intelligat ſenex Numa, niſi divinantis Egeriæ vaticinia conſulat.*] Id eſt, nemo ut loquentem etſi eruditiſſimus audiat, niſi ad vatem recurrat, vel ad Oraculum. Numa Pompilius ſecundus Romanorum

dicentem intelligat ſenex Numa, niſi divinantis Egeriæ vaticinia conſulat. Nam qui antiquitatem è tenebris eruunt, ipſi tantis tenebris onerant ſtultiſsimam orationem, ut id unum quæſiiſſe videantur, [1] Pythia vate, aut Carmenta, obſcurius loqui. [2] Neque aliud jam in ſcholis detonant, quam num in urbe juſtitia, vel extra pomœria humanitas, olim carnificibus habitationes decerneret? Quis meretriciis titulis color, quæ fornicibus anguſtiæ eſſent? Ubi ſacrum urinarium, quo patres conſcripti veſicam exonerarent? denique quot fibulis ſtaret veſtis, quot gradibus tutelæ conſcenderent? In his nugis non modo ipſi conſumunt optimos dies, ſed commiſſos etiam induſtriæ ſuæ adoleſcentes verſant. Quis ad politum verſum auditorem accendit? Quis ſæpius orationem acrioris animi impetu exaratam repoſcit, quam incertum & inutilem Italiæ morem, tam extra videndi conſuetudinem hodie poſitum, quam à loquendi uſu ac ratione ſemotum? Etenim ſi delicati ſermonis formula, ſi tenera & auribus apta oratio, ipſis legentibus occurrit, id faciunt quod ægri, qui corruptis ſenſibus epularum ſuavitatem averſantur. Quæ antiqua, quæ ſolis tenebris nobilia, miſerrimis laboribus colligunt, quæ ſubinde redeunt in animum, ac velut ſtylum trahunt, cum ipſi ad ſcribendi ſtudium efferuntur. Iraſci etiam ſuperbe nugatores

rum Rex, ſed ſapientia & ſcientia nulli ſecundus fingebat commercia cum Nympha Egeria habere ſe nocturna, & ab ea quidquid legis præſcriberet populo ſingulis noctibus accipere.

1 *Pythia vate, aut Carmenta obſcurius loqui.*] Apollinis vates ſeu Sibylla obſcura prorſus & ambigua reddebat oracula. Fuit autem Carmenta Arcadica Vates, Evandri mater, ſic dicta à carminibus quibus reſponſa dabat, cum vulgo diceretur Nicoſtrata, Carmentalis porta ab ea dicta eſt, unde Virgil.

Et Carmentalem Romano nomine portam.

Poſtea tamen dicta eſt Scelerata, quod per eam ſex & trecenti Fabii cum clientum millibus quinque egreſſi adverſus Hetruſcos ad amnem Cremeram ad unum interfecti ſunt. de hac Ovid. Strabo, Solinus, &c.

2 *Neque aliud jam in ſcholis detonant, quam, &c.*] In ſcholis aliud nihil auditur, niſi utrum æquum ſit à magiſtratibus ad ſuburbia carnifices ac tortores adigi, ut civium conſuetudine non utantur. Diſputant de titulis quos è propatulo ſcorta exhibent. Qualia iſtarum meretricum in lupanaribus cellaria. Ubi fuerit communis ſenatorum poſita matula, &c.

I Nihil

tores audeant, & qui ſcriptiones eorum vix capiunt, è doctis eximere: quaſi vitio legentium fiat, ut qui Marones, Statios, Lucanos capiunt, ii ex eorum chartis [1] nihil amplius, quam ex diſſipatis Sibyllę foliis diſcant.

At vero tam ſubtiles priſci ævi indagatores, ut quotidianum vitę ac judiciorum morem, dii boni, ignorant! ut in hominum exercitatorum cœtu fœde obmuteſcunt, qui cum ſolis priſcis & ſapere didicerunt, & loqui. Sed enim, inquiunt, qui hęc neſciet, hęrebit ubique in meliorum auctorum ſcriptis, ubique illi oborientur tenebrę, velut erranti per ignotam regionem. Ego vero nihil damno curioſum ſtudium, ac quantum vultis utile, dummodo hęc ſobrie in altioris uſum ſcientię aſſumas, neque te ſenium in ſternenda ad ſcientias via occupet.

Certe ſi in auctorum ſcriptis, per tot diffuſis volumina, eſt aliquid ignorandum, malo pauculos mores negligere, & verba pæne cum hoc orbe nata: quam ut conſumpto in iis ſæculo amœniſſimos vel ſermonis vel doctrinæ fontes omittam.

[2] Sed ne omnes pro Catilina ſteterint, & Conſuli Tullio bellum indixerint, reperti ſunt, qui contrariis machinis Rempublicam noſtram evertant. [3] Iis nihil purum aut ſincerum, quod ex Cicerone non hauſerint, nulla periodus proba, quæ numeroſa verboſitate non tumeat; digni medius fidius homines, qui ſemper in Tulliano vivant. Hi ut

1 *Nihil amplius, quam ex diſſipatis Sibyllæ foliis diſcant.*] Hoc eſt nihil omnino, nam cum ſoleret diſpoſitis in ordine frondibus Sibylla oracula pandere, ſi ventus exoriretur vehementior, ſtatim confuſa folia, & extra locum poſita nil niſi confuſionem ſciſcitantibus relinquebant. Virg. 3. Æn.

2 *Sed ne omnes pro Catilina ſteterint, & Conſuli Tullio bellum indixerint, reperti ſunt qui contrariis machinis Remp. noſtram evertant.*] Id eſt, non omnes ſeditioſi Catilinam ſecuti ſunt cum reperti ſint ſimiles illis qui remp. conati ſint evertere, ſaltem litterariam.

3 *Iis nihil purum aut ſincerum, quod ex Cicerone non hauſerint.*] Eraſmus in Colloquiis familiaribus ſic inducit loquentem quendam, cui ipſe reſpondet, facta quaſi Echo: *Decem annos conſumpſi in legendo Cicerone, Ry. O ne.* ſequitur, *digni medius fidius qui in Tulliano vivant*: Digni quippe qui in ſolius Tullii lectione hæreant, ita me Deus fidius adjuvet. Antiquum jusjurandum.

ut ſunt plerumque eruditionis reconditæ expertes, vel lectione Poëtarum, quos tamen interius nunquam guſtant, auditores detinent; vel immanibus Rhetoricorum præceptis obruunt, quibus nec uti juventus poſſit, nec ipſe unquam Tullius magis ad uſum invenit, quam ad celebritatem nominis, ac poſterorum famam. Stylus plerumque in hominibus illis non gravis ac nervoſus, ſed vanus & inanis, nullum in verbis judicium; nullum in oratione acumen. Æternę figuræ altis & turgidis dictionibus nixę. Nunquam ſimplex oratio & verba in ſuum ſenſum eleganter fluentia, veluti errarent in montibus, ab elata Metaphora in aliam ſaltitant. Ubique fulmini, tempeſtati, fluctibus inveniunt locum. [1] Picas diceres, quibus planum veſtigium Natura interdixit: ita numquam ſuis & æqualibus verbis loquentes ad diverſa dictionum prodigia volitant, quo illos inſtitutio, & inopis ingenii ſterilitas cogit.

Quid igitur? quæritis quibus præceptis imbui adoleſcentes velim? [2] Non ſum tanti, ut Apollinis familia ad præſcriptum meum vivat. Sed tamen ſi fidei meæ committeretur diſciplina tironum, primum [3] prætextatæ pueritiæ non pateret virilis noſter campus: deinde delectum ingeniorum haberem, ut, quoniam non omnibus eandem vim natura inſevit, quam cuique partem ſtudioſus impetus deligeret, ad hanc non hortarer modo propenſam juventutem, ſed curioſe adigerem. Pueros, inquam, non admitterem ad ſeria, [4] neque miſceri nucum putamina paterer cum laureis baccis. Quoniam intempeſtiva in ea ætate ſtudia creſcentes primum

1 *Picas diceres, quibus, &c.*] Perſius in Prologo:

Quis expedivit Pſittaco ſuum Χαῖρε
Picaſque docuit verba noſtra conari.

Porro Pica ſaltitat potius quam ambulat.

2 *Non ſum tanti ut Apollinis familia ad præſcriptum meum vivat.*] Ut adoleſcentes litterarum amantes, & Philomuſi meæ diſciplinæ ſubjiciantur.

3 *Prætextatæ pueritiæ non pateret virilis noſter campus.*] Id eſt, adoleſcentuli ut debiliores non iiſdem informarentur præceptis, aut ſcientiis quibus Robuſtiores. De prætexta puerili intelligit quæ mutabatur in viridem circa annum decimum ſeptimum.

4 *Neque miſceri nucum putamina paterer cum laureis baccis.*] Metaphorice docet, non eſſe ad ſeria aut altiora ſtudia compellendos pueros. Sunt ſuæ lauro baccæ.

1 Nam

primum vires & vixdum coagulati cerebri robur ſolvunt, ut juventus deinde provectior nec integram valetudinem ad litteras afferat, nec vividi acumen ingenii præmaturis olim laboribus vigiliiſque retuſum. [1] Nam quos ante ætatem viros cernimus, & ſcientias ad ſuorum menſium calculum numerantes, ii vel cito maturi occidant neceſſe eſt, vel ut in eam ſtultitiam quam infantes declinarunt, ſenes incurrant. Sed ut illis qui ad fidicinam deſignantur, jam in ipſis cunis datur plectrum, & laceratæ citharæ nondum prorſus ſoluta compages: ut infantibus ipſa lux non ſit antiquior, quam paternæ artis rudimentum: ita nec pueris, quos parentum vota ſacrario litterarum deſtinant, jam à prima ætate chartas ac libros auſero, ea tamen cautione, ut ætatulæ tam debili conſentanea diſcant, [2] nec urgeantur ſevera magiſtrorum caſtigatione, vel ipſi ſua ſponte ad ſtudia incitati noxiæ temeritati permittantur. [3] Nam & alternis jocis, & omni exercitatione, quæ illos annos capit, refrænandus eſt nocentiſſimus curſus; ac omnia maxime præmiorum fuco tegenda ſunt, ne initiorum acerbitas deſiccata ingenia deterreat. In primis hiſtoriæ inſerantur etiam dormientium manibus, & quoniam vel inanes fabulæ infantium animos capiunt, aſſidue imbuantur monimentis antiqui ſeculi; ut memoria, quæ in illis eſt conſtantiſſima, creſcentibus ſubinde annis pulcherrimam rerum variarum cognitionem emergenti judicio tradat.

[4] His elementis inſtructus adoleſcens, ut primum ingrata Romanæ linguæ initia evaſit, ſtatim ad amœnitatem Ciceronis

ceronis

1 *Nam quos ante ætatem viros cernimus, &c.*] Eſt quoddam ingeniorum præcox genus, quod vix unquam pervenit ad frugem: nam herbulæ iſtæ inanibus ariſtis ante meſſem flacceſcunt.

2 *Nec urgeantur ſevera magiſtrorum caſtigatione, &c.*] Non tamen emendanda diſſimulet nec objurget quaſi oderit, non in iras præceps abibit, &c. Inquit Fabius Quintil.

3 *Nam & alternis jocis.*] Amant alterna Camœnæ.

4 *His elementis inſtructus adoleſcens, &c.*] Vide apud Fabium prolixam illam nec ingratam inſtituendi à puero juvenis methodum, in cujus initiis longe plura habebis, nec minus amœniora; nam hunc ab ipſis cunis ad forum uſque deducit, docetque quos auctores illi prælegere operæ pretium fuerit, & quinam Auctorum delectus habendus.

ceronis traducendus eſt. Selecti quotidie varietatem ſermonis præceptoribus reddat; ſtylum vix dimittat è manibus, & ſcribendi aſſiduitate rem omnium difficillimam in mitiorem cogat naturam: veluti feras cernimus ſæpius manu plauſas ſaltus & nemora dediſcere. Mox in omnes paſſim auctores evagetur licentius liberum ſtudium; nec Petronium, Livium, Salluſtium, Cæſarem, Terentium, Curtium pudeat miſcuiſſe Ciceronianæ dictioni; Tum etiam *Plautus*, Varro, Lucretius, & ejuſmodi doctrinæ notabiles aſſumantur; & è novis hominibus ii tantum, qui hos antiquitatis principes Pallade magis propitia coluerunt. Nec difficilis eſt delectus. Vix quatuor hoc ſeculo ſupra invidiam ſcripſere, quos adoleſcenti ipſa facile fama, & omnium commendatio prodet.

Sed expectatis fortaſſe ut Poëtam inſtruam. Næ ego tam male de juventute mereri nolo, ut illis ſternam iter ad immane præcipitium, & notabilem multorum funere voraginem. Pauci enim hoc Parnaſſi iter ingreſſi ſunt, qui [1] ex alterutro montis vertice non deciderent, nunc in humillimos contemptus, aut fœdam amentiæ famam. Parcite, Pierides; non vos laceſſo; nec veſtra injuria tam miſeri caſus affligunt inconſultos. Sibi quiſque debet hanc calamitatem, & dum ab Apolline arceſſi credit in præſagum montem, non advertit pro deo veſanam eſſe libidinem, & imprudentis adoleſcentiæ æſtum, quem intemperanter exaudit. Etenim quoniam hoc eſt inutile ſtudium, & ad ſolam delicati animi voluptatem faciens, non poteſt non explodi è doctorum cœtibus, niſi quando artificii elegantia, artis vanitatem excuſat. Scilicet velut extrema convivia bellariorum appoſitu luxuriant, & ſuaviora condimenta reparant famem abſumptam; ita ſolidioribus ſcientiis ſaturati non capientur hoc quantum vultis divino Poëtarum cibo, niſi

1 *Ex alterutro montis vertice.*] Geminus dicitur Parnaſſus ob geminos apices, quorum alter Pindus, alter Niſa dicitur: creditus eſt autem in terræ meditullio à Deo poſitus.

Digitized by Google

niſi guſtum jam languentem excellens voluptas excitet. Ut non tam artem mihi mutaſſe videatur, quam artis materiam, is qui è culina prodiens primus Olympica verſibus extulit. Certe ſi quis in Parnaſſi verticem incolumis aſcendit, non nego, quin ut meditullium terrarum obtinet, ita illuſtri fama cognoſcatur ab omnibus gentibus humanitate aliqua politis. Sed quam hoc rarum fuit, non dicam in una ætate aut populo, verum in omni memoria atque gente! Mihi profecto nunquam tot Poëtas dabitis, quot ſeculis Latinitas floruit. Etenim tantis difficultatibus horret hæc ſemita, ut faciliore ſtudio vel Juris prudentiam, vel Eloquentiam demereatur adoleſcens, quam Nympham verſuum præſidem, quæ ut ſit faventiſſima, plerumque gloriam æterna mendicitate vendit.

[1] Verum in hac parte præceptores peccant, qui velut æquali ſtudio utcunque campum adoleſcentibus proponunt, ut & inſudent verſibus, & ſolutiores periodos libero ſpiritu quadrent. Nimirum quoniam diverſis motibus agitur animus, vel ab Eloquentia inſpiratus, vel à Poëſi, non eſt poſſibile, tantam fieri mentis immutationem, ut ſtatim abeat in diverſos habitus, & ad voluntatis nutum diſſimillimis caloribus æſtuet. Nam in inſaniam verſuum aptanti ſtrictæ mentis aciem, deponendus eſt prius Orator, & cum ſtudio exuendus habitus eloquentiæ, quem aliquot paulo ante vigiliis emeras: & rurſus omittenda eſt Cithara ingredienti Rhetoricam, & ſedandus tanto labore furor, quanto quæſitus ac expreſſus præſagientem animam afflaverat. Sic in utroque ſtudio aſſiduus transfuga, non jam procos inſtar Ithacæ mulieris orſa deſtructaque in ſingulos dies

1 *Verum in hac parte præceptores peccant.*] Attamen,

Dignum laude virum Muſa vetat mori:
Cœlo Muſa beat. —

canit Horat. Sciant igitur poëſim non adeo vilem eſſe, eam ut erubeſcant qui in ſolidioribus ſtudiis agunt; poëtamque alium attendant in puerorum inſtitutione longè ſecus ſentientem,

— *Det primos verſibus annos*
Mæoniumque bibat fœlici pectore fontem,
Mox & Socratico plenus grege, mittat habenas
Liber, & ingentis quatiat Demoſthenis arma, &c.

1 Ro-

dies tela, ſed fortunam tuam geniumque fraudabis. Quis majeſtatem eloquentiæ tam magnifice ſuſtinuit, quam qui arma togæ cedere juſſit; quis porro ineptior Poëta, aut quis aſperius ſyllabas in numeros coëgit? Nec meliori genio ad forum uſus Virgilius, quam Tullius ad carmen. inveniſſet mehercule qui poſtremæ voluntati paruiſſent officioſos amicos, niſi Æneam ſuum non magis navibus aut caſtris, quam verborum numeris includens, [1] Romana pæne ad lyram mœnia novus Amphion condidiſſet.

Igitur duo ſunt tantum, quæ Poëtarum exilium à ſcholis, quæ effingo, deprecentur. Primum, ut animus inſolentium avidus aliquando recedat à quotidiano paſtu, [2] ac veluti in Hybla, aut vernantis Ætnæ vallibus, mirabili floſculorum varietate fatigatos ſpiritus levet. Deinde, ut Poëtæ, qui quam rari ſunt, tam magnis viguerunt ingeniis, attollant *ſenſuum ſubtilitatem*, & acuminibus innumeris, tanquam telorum impetu, legentem ſic feriant, ut excitatus animus ſe ſentiat.

Sed ne illos, qui primi dicendi artifices fuerunt, omittam, nolo ſqualere Græciam ſitu barbaro, vel ad pompam ſubornari animum aliquot ſententiarum jactatione atque fuco, qui in hujus calliditate ſeculi niſi rudibus ac imperitis hominibus non imponet. Sed artes illæ hominum, qui non præclarius vixere quam loquuti ſunt, tum informabunt ad eloquentiam animum mille orationum floſculis, tum abundantem rerum copiam ſuggerent, ne ſola verborum majeſtate fulta oratio, tanquam deſtitutum nervis corpus, concidat.

Verum

1 *Romana pæne ad lyram mœnia novus Amphion condidiſſet.*] Quemadmodum Amphion Thebanus urbem ſuam olim canendo Cithara ædificaverat. Ita Horat. de Arte:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis.

2 *Ac veluti in Hybla, aut vernantis Ætnæ vallibus.*] Mons eſt Siciliæ Hybla floribus vernans, & apibus abundans. Tres Hyblas in Sicilia olim fuiſſe aſſerunt antiqui Geographi, majorem, minorem, & parvam. Valles autem Ætnæ monti ſubjectæ amœniſſimæ ſunt unde fingunt Proſerpinam ibi tunc legere flores cum ab Orco rapta eſt.

Verum his querelis præceptiſque fortaſſis erat tempus paulo ſupra hanc ætatém. Nunc inani ſpe fallo juſtiſſimos metus, & veluti nondum fractis tabulis in litterarum ſalute diſputo. Quid autem apud vos loqui timeam, qui certe non eſtis Muſarum heredes? Jam in extremis ſcientiæ agunt, & cogitant de diſceſſu. Ætas jam grandior verendæ illarum ſenectuti terminos ſcripſit. Etenim [1] hoc omni ſeculo, quamvis per diverſas injurias, floruerunt diſciplinæ, & per omnes veluti ætates actæ proceſſerunt in ultimam ſenectutem. Habent enim ſuos dies non literæ tantum, ſed & mores, & linguæ, definiuntur ſuis temporibus, & quod eſt amplius, regna ipſa & civitates non effugiunt mortalitatem. Nihil detrahendum eſt ſummorum virorum gloriæ. Quamquam plerumque in docendo peccatum ſit, tamen extiterunt hac ætate paſſim clariſſima lumina quæ omnem ſcientiarum partem exactiſſime eruerunt de miſerrima nocte. Nunc illa ingeniorum fertilitas paulatim excidit, neque ulla virgulta ſurgunt, quæ decidentium truncorum majeſtatem ſuſtineant. Quis ad Themidem familiaris admittitur? cui hodie juniorum Sophia, cui Cœleſtis ſcientia, cui ipſa Eloquentia, cui Poëſis, ſpes ſuas demandavit? Qui literarum famam pondusſque ſuſtinent, præter pauculos ſenes, qui velut familiæ extremi Muſarum nomina atque inſignia in tumulos trahent? Nihil erat, cur tam modó acriter avocarem à Poëſi juventutem: jam ſatis humilis nihil ſpirat excelſum. Ac præterea nec laborioſæ arti honos eſt, nec ulli prope genti cum ulla ſcientia, ac præcipue cum Parnaſſo, convenit. Nam & callida [2] Auſonicæ gentis crudelitas ex ſuis finibus exterminavit Apollinem, ubi ſtylus non tam rubi-

1 *Hoc omni ſeculo, quamvis per diverſas injurias, floruerunt diſciplinæ*] Seculum ſcientiarum ideo non fruſtra appellatur, nullum enim reperio ſeculum niſi forte ſeculum Ciceronis in quo magis Reſpub. litteraria floruerit omni genere diſciplinæ. Floret Themis hoc eſt jus civile, floret Sophia, hoc eſt Dialectica, & Phyſica; Cœleſtis ſcientia, ſive Theologia, denique Eloquentia, & Poëſis.

2 *Auſonicæ gentis.*] Italiæ, unde videtur jam exulare etſi è natali ſolo Latinitas, quæ in aliis regionibus cum pompa extollitur.

1 In

Digitized by Google

rubigine maculoſus, quam ſanguine ſævius hoſtes perfodit, quam omnis veterum oratorum acerbitas. Neque Ibericæ dictionis tardum pondus, neque dura Germanorum aſperitas, Muſis apud ſe locum fecit. Tentaverant etiam Sauromatas & Polonos; ſed [1] in ipſo limine tenellulæ virgines ſecularibus nivibus inhorruerunt. Nam quid de Gallia dicam, quæ optimum Poëtarum vix tenui pulvere ſemiſepultum non erubeſcit: quæ inter tot ſubſtructionum minas, & vaſtiſſimas templorum moles, [2] non magis ſuo quam Apollinis alumno rudem lapidem negat.

Cum hæc triſtiſſima voce pronunciaſſet, cœpit intueri, num aliquis in Muſarum funere lacrymas mitteret. Cumque aliquantum, longæ orationis tædio, frontes noſtræ horruiſſent, exiſtimavit tanta declamandi peritia moveri. Cæterum & ipſe, inquit, aliquando Muſis grande votum feci, ſi aſpiraſſent tendenti ad carminis gravitatem, mihique neceſſitatem attulerunt ſua benignitate exſolvendi promiſsi. Nam plantarum ingenia & virtutes exorſus ſum, ſtylo, niſi me fallebant amicorum ſuffragia, ut non altiſsimo, ita ad materiam non inepto, & aliquantum æquabili. Hic nonnihil cunctatus, ut rogaretur aliquos verſus expromere; cum

1 *In ipſo limine tenellulæ virgines, &c.*] Muſas intelligit: ſed tamen circa oras illas quas Aquilo rigidiſſimis flatibus efferat virgo nata eſt noſtro ævo omni Amazone clarior, miraculum orbis, purpuræ decus, naturæ compendium: parentem nacta eſt quem in mediis Tropæis invida Bellona demeſſuit Aſiæ domitori parem. Attamen virgo quaſi obluctatura fatis quæ tantum columen vixdum adultæ invidiſſent, cœli, Muſarumque patrocinium quæſiit, & habuit Parnaſſum omni palatio gratiorem. Neque adeo hanc alumnam dedignatæ ſunt Muſæ quin eam in decimam ſororem videantur adoptare. Chriſtinam Suecorum, Gothorum, Wandalorum Reginam putet: quæ cum populo leges ferre deberet, quæ Baccho & Veneri aſſueta; melioris frugis patiens eſſe neſciret, omni ſpe avitæ religionis reſtituendæ dejecta generoſiſſime juxta ſanctiſſimeque ipſam ſe regno abdicavit, regnique habenas alteri dimiſit; quem antea publicis comitiis ſceptri heredem dixerat, exemplum illuſtre ad æternam poſterorum memoriam relinquens, dum legi divinæ obtemperare ſatius quam inſanis imperare æſtimavit. Viſa eſt & alia virgo apud Batavos ipſi coæva, ſcientiæ miraculum.

2 *Non magis ſuo quam Apollinis alumno.*] Theophilum dicit, quantum ego conjicio Poëtarum Galliæ facile principem, cui is fuit interitus quem ſciunt omnes.

cum nemo id faceret, ipſe ſua ſponte poëma in hunc modum recitavit.

Germina, quæ late, primum ſurgentibus arvis,
Undantem veſtitis humum, cum pallida cœlo
Cedit hyems, feſſaque inſpirant mollius auræ,
Vos mihi, quæ primis tellus alimenta miniſtret
Imbribus, unde novo lætentur jugera vere,
Dicite, quæ ſuccis felicibus augeat annos,
Quæ fera tartareas virtus animaverit herbas.
Vos mihi naturæ penetralia pandite veſtra,
Et quo quiſque modo divûmque, hominumque recentes
Induerit truncos; quis origine truncus ab ipſa
Mitibus æternas repararit ſolibus umbras.
[1] *Sic vos humenti, ſic aureus evocet aura*
Dux Amphionidum: nec vos aut Seirius urat,
Aut Nothus, & fragiles rumpant mala nubila culmos.
Viderat æthereos late gemmantibus ignes
Collucere polis; & toto ſydera mundo,
Alma parens tellus, tum quæ curvamina flectit
Solis iter, totum diſtinguens circulus annum,
Tum quæ fixa ſibi poſuere cubilia ſtellæ,
Et quæ multiplici properant, unaque recedunt
Aſtra via, ſemperque ſuis ſibi curſibus obſtant.
Ipſa ſinus vacuos, & inerti ſqualida cultu
Brachia protendens nudoſque ad ſydera vultus,
Naturam alloquitur ſupplex, Quid me optima, dixit,
Æternum ceſſare jubes, & in ocia ſolvi?
En ſoror aſſiduis evolvere monſtra laborat
Fluctibus, & tantos [2] *numerat jam Tethys alumnos,*

Naja-

1 *Sic vos humenti, ſic aureus evocet aura Dux Amphionidum.*] Apollo ſive Sol dicitur adjuviſſe Cadmum & ejus ſocios in ædificandis Thebis, non opera tantum ſua quod dicunt etiam de Laomedonte in condendo Ilio; ſed etiam conſilio, ſiquidem Cadmus oraculum Apollinis apud Delphos conſuluerat, ex quo audierat ædificandam urbem ubi Boves albas geminas reperiret, unde & Bœotiam appellavit. Amphion Thebas muro circundedit, unde & dicti Thebani Amphionides.

2 *Numerat jam Tethys alumnos.*] Occa-

Najadaque, Glaucumque vehens, divoſque biformes.
Ipſa, pudet, vidi liquidum per inane volucres
Deferri, & nullos deſertos aëre calles.
Ecce ſui cœlo fœtus, & nocte coruſca
Tot volviſſe faces, tot lumina ferre ſuperbit.
Sola vaco. Mœſtis meditantem plura querelis
Reſpicit, & blando vultu Natura ſerenat.
Tunc erat hyberno qualis ſub frigore nimbus
Cogitur, & nivea candeſcit mole pruina,
Talis humus; ſic illa rigens ſic orbe nivali
Pendebat, gelido nonnunquam interluta Nereo.
Hic primum ingentes aperit Natura receſſus,
Viſceraque, arenteſque ſinus, venaſque capaces,
Atque illi tacitum lambendo ſerpere pontum
Imperat, inde aliis iterum prorumpere terris,
Jam ſale mutato, ripiſque minoribus actum.
Illic & toto liquidum mox aëra cœlo
Ire jubet, gelidaque domus umbrante caverna
Jam fieri fontes, puriſque excurrere campis.
Utque ſatis pingui maduerunt jugera limo,
Nec latebris hiat ulla ſitis, tum pectore toto
Incubuit Titan, fœcundaque lumina miſit,
Protinus innumero tenues examine culmi
Prorupere ſolo. Pars mollibus humida ripis
Tollitur, illa jugis, hæc valles induit imas,
Qualis ineſt cœlo facies, cum luce coruſca,
Pallida purpureos ſuccendunt ſydera vultus.
Primus ab Eois, gelida mox alter ab Arcto,
Unus ab Occiduis, alter micat: ignis ab Auſtris.
Sic fœta telluris honos nunc pectora cernit:
Nunc virides creviſſe humeros, fœtuque recenti
Exultat, lateque ſuos miratur honores.

Hæc ego cum ſcripſiſſem, opuſque univerſum dirigerem in

Oceanum puta qui ſcatet monſtris marinis quorum eſt veluti, parens, quod in ejus ſinu formentur, & nutriantur. Nereus idem ſonat inferius.

in aliquot libellos, matura pœnitentia conatum prævertit, & aliquid ultra lyram ſapere juſſit.

21 Diu erat quod mirabar Callioni patientiam durare cum moleſtiſſimo præceptore. Nam & auditores aliquot, qui paulatim acceſſerant ad loquentis tergum, tandem ſe ab infinita oratione ſubduxerant: cum opportune nunciatur Callioni, inſtructos ad limen proceres ſtare, quibus ipſe ad Labetrum duceretur. Igitur valedixit magiſtro, doctrinæ utilitatem auditorum tædio corrumpenti, juravitque ſibi nunquam ſuavius fuiſſe.

At ego, dum Callion in interiori Labetri ſacrario penetrat, notavi forte duos vicinæ gentis homines inter ſe ſatis acriter diſputantes; quibus auditorem me præbui, ratus illos de Ilio nuper expugnato, aut de ingenti miraculo loqui: quod diverſarum gentium ſtudia ſic à Neptuno conciliata ſint, ut Jupiter ex pugnantibus cœlorum motibus conſpirantem ordinem & concentus pæne muſicos inſtruxerit: [1]quodque Juvernæ lyra, ubi leopardis & leonibus convenit, auguſtiſſimum ejuſdem Neptuni numen ſecuro carmine adoravit. Erat autem inter ipſos quæſtio de quercinis & faginis tabulis, utra materies eſſet ad quadra præſtantior: neque agreſtes interim avellanas dentibus ad hoc exercitatis ſegnius moliebantur. Sequutus deinde intrantes cœnaculum, ructibus quater afflatus, excepi prope redeuntem jentaculi cibum, & neſcio quo fumo perſtrictus, parum fuit ut olidi convivii conſpectum ſuſtinere non poſſem. Igitur ægra corpora medicamentis levari credebam:

1 *Quodque Juvernæ lyra, ubi Leopardis, & Leonibus convenit, &c.*] Quod lyra Hiberniæ cecinit conſentientibus cum Leopardis Leonibus. Juverna inſula in Oceano ſeptentrionali tantum fere à Britannia diſtans, quantum Britannia à continente. Plinius Hiberniam vocat: Claudianus in quarto Honorii conſulatu Iernam: hodie Irlandia nominatur. Juvenal. Satyr.2.

— Arma quid ultra
Littora Juvernæ promovimus?

Sed & Cæſar lib.6. *Hiberniam* vocat, dimidio quam Britannia minorem. Porro Lyra eſt inter inſignia Hiberniæ, ſicut Leopardi & Leones ſtemmata ſunt Britanniæ. Atqui ſub Jacobo Rege cum tria regna ſcilicet Anglia, Scotia, & Hibernia in unam coaluerint, dicuntur Leones & Leopardi cum Lyra conveniſſe.

2 *Et*

debam: quod amplius mihi perſuaſit panis tam modicus illatus in menſam, ut ad uncias crederem datum, cum ſubito pelvis aſſa bubula cumulata, ſic ut quatuor ferentes deprimeret, ipſam pæne menſam fregit. [1] Et ne eſſet Libero Vulcanoque rixandum, quis diluendis poculis invocaretur, non ea lymphæ mixtura temperabant, ſed Indicæ cannæ ſuccum infundebant in merum, & vacuata ad umbilicum pocula ſic agebant, ut ſemper grandior latage expectaret ſecundam affuſionem. Interim plaudebat Labetri familia, ſtupebatque hanc velut magnanimitatem edendi: gens plerumque magnorum non capax, & velut patria gravitate depreſſa in humilitatem cogitationum: cum tamen exurgit, nulli cedens capacitate magnæ mentis. Quoniam ingentibus vitiis magnæ virtutes parum abſunt.

Dum hæc agerentur, interim improviſo ad latus acceſſit ſuaviſſimus Percas, &, Quamdiu eſt, inquit, quod te quæro? non fuit locus in hac domo, quem bis omiſerim ſcrutari. Nam ſub hoc medicaminum fumo non credebam delicatum hominem vivere poſſe. Cum quærerem quid novi contigiſſet? Æquiſſimus, inquit, conditioni tuæ dominus te in vicarium ſuæ dignitatis aſſumit. Mox ut juſſi miſſos aſſuetos ſales faceret, ipſe protractum extra cœnaculum manu prehendit: &, Scis, inquit, quo dominus viam deſtinaverit? Certe, inquam ego, ultra terminos montium, qui feſtinatis nivibus æternitatem hyemis continuant. Tum ille, Tibi vero munus, inquit, præeundi decrevit, tum ut ruſtica diverſoria genius humanitatis tuæ mitiget, tum ut municipia moneantur, ne illuſtri concurſu tanti hominis fraudent adventum. Nam de tuis moribus tam apte ad fidem dixi, ut te nihil jam credat eſſe prudentius. His dictis ad Callionem perduxit, qui quam plurimis oneratum mandatis dimittit in proximam urbem, juſſitque ut

1 *Et ne Libero, Vulcanoque rixandum eſſet, &c.*] Diis propinandi, libandi, aut eos laudandi, & invocandi quis literatus morem fuiſſe apud antiquos neſciat? vide paſſim Horatium in Carm. lyr.

ut expedito progreſſus itinere diverſitores inſtruerem in noſtræ humanitatis leges : cum ecce molienti mihi per compoſitos ſedilium gradus adſcenſum in prægrandem equum, attulit ruſticus quidam à Fibullio literas quibus urgebat ut definirem pactis nuptiis certum diem : quoniam, inquiebat, multis in eandem ſpem erectis præmia meæ ſanitatis in ſecuro tibi eſſe ardentiſſime volo.

Interrogavi nuncium de Fibullii valetudine, ac deinde de muliere noſtra, quam cum illi deſcripſiſſem, ſic ut internoſceret laudatiſſimos vultus : Bene, inquit, & illa habet, niſi quod alvi pondus excreſcens, marcidi oris purpuram aliquantulum extinxit. Tum ego, cujus aſſueta cubili faſtidioſum morbum contraxiſſet, interrogo. Certe, inquit ruſticus, ferunt jam ſextum ex Fibullio peperiſſe, pudicitia tamen tam notabili, ut nullis pervulgaverit corpus, niſi magnis hominibus, ſecreto etiam ſua furta celantibus. Non potui erumpentem impetum premere, quin animum in Fibullii pœnas elatum in epiſtolam effunderem. Itaque bis terque diſſectam pedibus in terram deprimo, illud intra me repetens, magis optabile eſſe, [1] ut ex Libitinæ templo mihi funeris apparatus prodeat, quam turpiſſima conjux, & cum iracundia prudentiam extinxiſſet, ne relato quidem verbo admiſſis frænis in provinciam meam iter cepi, quod non potuit tam funeſto exordio non luctuoſiſſimum eſſe.

22 Nam cum octiduum conſumpſiſſem inter gentes utcumque non barbaras, tandem confragoſis exceptus montibus, adverti, feros homines cum locorum difficultate conſentire. Etenim cum errores viarum timerem, vel

mali-

1 *Ut ex Libitinæ templo mihi funeris apparatus prodeat, &c.*] Notum eſt in templo Libitinæ Veneris Romanos vendidiſſe ea quæ ad funebres exequias pertinerent, ſcilicet ut eo ipſo fragilitatis humanæ admonerentur, certo ſcientes exitum ab ortu non procul abeſſe, cum eadem Dea & morientibus præeſſet, & vitam ingredientibus. Alii hanc putavere eſſe Proſerpinam quæ præeſſet mortuis : Horat. Ode ult. l. 3.

Multaque pars mei Vitabit Libitinam.

Ferunt & Hymenæum in eodem templo ſolitum celebrari.

1 *Erat*

Digitized by Google

malitioſo ſilentio negligebant orantem, vel ipſa vocis petulantia non tam expediebant ignorantiam, quam perfidioſis ambagibus laceſſebant. Deinde in hoſpitium perductus, cum fames urgeret quanta non vindicavit exciſam Cereris quercum, & cœnulam meam diligentius curarem, Rogo, inquam, amici, cur ignis non excitatur? jam nox appetit, & nondum culinæ fumus diſſipavit coëuntis aquæ gelu. Num hodie cibi in hac urbe ferias agunt? Provocati illi inaſſueta libertate iniquis oculis aſpexerunt, riſuque inter ſe excitato inconditum ſuſtulere clamorem. Tum anus fœdiſſimo ſqualore inculta proceſſit, veſtemque altius præcingens, poſtquam lippitudinem oculorum multoties manu permulſit, ad cameræ altitudinem exiguæ ſellæ aſcenſu admota eſt: ac laridum ſpiſſiſſimo veſtitum fumo, enſe qui niſi duabus manibus non rotatur, artificioſe præcidit. Prunis deinde, quas ſubinde folles excitaverant, imponit, & ut ſincerum cibum daret, nihil ex eo vel radentis cultelli acie, vel aqua mundatrice deterſit. Non ferebat ſtomachus nondum ingeſti cibi tam deformem aſpectum. Itaque panem pæne lapideum, & qui incorruptus navigaret, in manus ſumo: ac ne urgeret ad cœnam, tanquam videndæ urbis avidus, ad exterius limen conſiſto.

Hic aliud majus miſero, multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.

Stabat enim ad vicini oſtiolum bos, tum diffuſa cornuum procerirate. tum eximia corporis magnitudine præſtans, quam ipſe dominus in tripodem ſedens fœdiſsime emulgebat, cantu etiam quodammodo triti uberis liberalitatem provocans. [1] Erat illius nepos, quem tam magnifice ſuo pridem Mauſoleo ajunt Luſitaniam condidiſſe. Non tuli hanc virilis conditionis infamiam, & [2] velut Baſiliana lapidatio mea bene ceſsiſſet, raptim exiguam molem in ſpurciſsimum

1 *Erat illius nepos, quem tam magnifice ſuo pridem Mauſoleo ajunt Luſitaniam condidiſſe.*] Fabula.

2 *Velut Baſiliana lapidatio mea.*] Vide ſuperius.

1 Iam

ciſsimum caput miſi. Sed incidit lapis in articulum bovis, qui cum tibia ſuperiorem partem tenacitate nervi ligat; & animal œſtri ſuſpicione motum emulgentis pectus excuſſiſsimo calce pertudit, ac per totam urbem disjecta cervice decurrit; ſicut [1] Ium credimus admoto Junonis ſtimulo non reliquiſſe in orbe partem, quam furioſa præcipitatione non adiret. Recipiebam me timidiſsimis paſsibus in interiorem domum, cum ipſa familia jacentis hominis clamorem exaudit, concurſuque viciniæ facto unus alium, ut quiſque poſtremus advenerat, de facinoris auctore rogabant. Jamque omnibus in eam mentem verſis, ut mero caſu laſcivientem vaccam crederent calcem in dominum rejeciſſe, nequiſsimus puer, qui me forte notaverat cum ſaxum emitterem, Peregrinus, inquit, qui ad lilium hoſpitatur, manſuetum animal emiſſo ſaxo concitavit. Tum omnes impetu facto me jam in mortem intentum diripiunt. Et quanquam puerilis imbecillitas teſtimonio fidem tollebat, tamen apud barbaros tanti erat externum hominem laceſſere, ut etiam timerent, ne innocentia ſuſciperet defenſionem meam. Nec diu luctatus cum furentium vocibus, quia proponebantur tormenta, id facinus, nequaquam ut arbitrabar inexpiabile, confeſſus ſum: ratus nihil ſeverius decreturos in vulnere bovis, [2] quam quod in Cycni cædem Britannia ſervat; ubi expiatur nocens tanto frumenti cumulo, quanto appenſam avem condat. At illi propria voce damnatum, quoniam ad ſupplicii ſpectaculum lux jam in tenebris vergens erat anguſtior, in carcerem ipſa cruce deteriorem mittunt. Ubi tamen ſomni neceſſitas gravitatem malo-

1 *Ium credimus admoto Junonis ſtimulo, &c.*] Dicitur Io filia Inachi à Jove adamata, & in vaccàm transformata: ſed à Junone Zelotypa, œſtro percuſſa ab eadem Dea in Ægyptum fugiſſe, ubi implorato Jovis auxilio priſtinam formam recuperavit, Regique Oſiridi nupſit.

2 *Quam quod in Cycni cædem Britannia ſervat.*] Cujus ſcilicet necem tam ægre tulere Britanni veteres, ut expiari tantum poſſet nocens tanto frumenti cumulo, quanto Cycnus avis poſſet appendi, & pondus illius quantum eſſet.

malorum obruit, & lento ſopore non tam ſolvit ſolicitudinem, quam ad alias curas tranſtulit; ſeu me quietum eſſe nulla fata volebant, [1] ſive meam contumaciam, quod in ſpeluncam non rediſſem, Dione ulciſcebatur, quam etiam recentiſſimo exemplo ſævire videmus, ut qui aliorum matrimoniis moram fecerint, ipſi ſe intempeſtivo conjugio implicent. Videbatur enim mihi adſtare mulier illa quæ in ſpelunca ſuo pudore impetum meum vicerat, & trucibus oculis inſpectare jacentem; cumque ſeveriſſimis verbis diu detonaſſet, tandem in hæc verba perorare: Sed ne quid dubites de Numinum ira, illas pœnas dabis, quas ego, quæ tuo ſum ſcelere violata, non exultem magis quam horream: tu exilio, tu cruci, tu ferro deſtinatus es, tu amiciſſimorum odio flagrabis, tua denique ſupplicia nihil morabitur, niſi forte ut in pœnam diutius dures. Nec me ut veneficam aut profligati pudoris fœminam maledicas. Non enim te arceſſiſſem per Veliam, niſi amaſſem verecundiam pudoris tui, nec anus quam vidiſti me unquam maleficis immiſcuit ſacris; ſed, ut ferme mos eſt nobilium puellarum, inſontibus tantum ſortibus, &, ut appellamus, albis, inſtruxit. Et tamen traduxiſti apud familiares tuos meum nomen: tu me inter veneficas, nequiſſime, tu me inter ſolutiores numeraſti.

Cum hæc dixiſſet, tanto metu cohorrui, ut ipſa membrorum trepidatio ſoporem diſcuſſerit: Et quoniam ſomnii piaculum gelida luſtrare non poteram, oculos ſaliva linii, cum nocturni horrore prodigii faſcinationis periculum expaveſcerem.

Quid interim facerem? quæ me artes hoc ſpecu eximerent? Non erat culina, quæ me vimine ac cratibus velut 23
antiquo clypeo circumtectum celatumque reciperet; non ſalta-

1 *Sive meam contumaciam Dione ulciſcebatur.*] Venus. ſed tamen Dione una ex Nymphis Oceani & Tethyos vel ex Jove mater Veneris: unde & ipſam Venerem Dionæam vocat Virg. 3. Æneid.

Sacra Dionææ matri, diviſque ferebam
Auſpicibus. —

1 *Erat*

ſaltatrix cuſtodia, quam per luſum fallerem: non etiam Medicus, cujus olidum medicamentum ſic efferrem, ut ipſe protecta fronte naribuſque obductis, aliorum etiam à me vultus arcerem. Lux deinde illuſtrior cum nocturnæ imaginis terrorem diluiſſet, carceris mei fores tumultus formidabilis fregit, & intromiſſi ſatellites ipſa barba ſine armis horribiles moriendi neceſſitatem denunciant: ſimulque de funeſta domo erutum in vaſtam ac inanem aream producunt. Tum appoſiti cuſtodes etiam diurna officia non omittebant. Hic reclinata ad parietem haſta centonem multiplici colore ornabat: ille muliebre cingulum corio nondum abraſis pilis bene lævo aptabat, & gemino plumbatorum clavorum ordine diſtinguebat: pars denique filum picis tenacitate induebant, pars calceis prope cubitalibus denſiſſimam ferri ſeriem ſupponebant: cum interim mihi ſuccurrit meo clypeo, id eſt, Callionis nomine, uti. Sed nullus, opinor, deorum extra cœlum ſuum regnat. Idipſum tumultuantes acrius incitavit, & impune proclamant, licebit uni genti apud nos eſſe injuriæ? & alienam timebimus nobilitatem, qui gentilem projecimus? nam quid apud nos ille populus regnabit, qui extra patrios fines ubi pedem in ſuo ponat non habet? num temeraria juventus atque levis, quæ ineptis clamoribus, quæ affectata tripudiorum laſcivia, ubique inſolentem audaciam pro vivida indole jactat, erit potior ſeveritate noſtrarum legum, & imperii majeſtate?

Inter has tumultuantium voces alius ſubinde clamor exortus eſt. Nam adducebatur famoſiſſimus latro, qui preſſi lactis menſuras aliquot demerſerat in profundæ cellæ noctem, & capellam fœtu ac ubere notabilem in ſolitariæ rupis ſecretum abvexerat. Igitur adhuc incertus ad laqueum, an ad ignem damnaretur, ad meum latus ſeſe applicuit; cum ex alia parte mantilia extenſiſſimam inſtruxerant menſam, & piperatus panis, vitellis artificioſe mixtis, abunde allatus eſt, ac deinde bubula ad fumum cocta, piſciſque

non

non garo vel gutta notabilis, ſed creberrimum zinziber cum mixtura ſalis condiebat humiditatem aquaticæ naturæ, & ad genium regionis acuebat inexpugnabilem ſitim. Tum capaciſſimæ amphoræ ſexdecim velut in convivii præſidium conſtitutæ, utramque menſæ oram æquali pondere librabant. [1] Erat dignum Bromio ſacrum, quem rerum ſuarum auſpicem venerantur, non juvenem tantum ſed [2] qualem patris fœmina reddidit: credo quia [3] nunquam apud illos Nymphis ac fontibus nutriciis crevit.

Cum hæc omnia mirarer, lictor cujus manus jam ſpectabat jugulum meum, me ad poſtremas dapes invitat. Ego vero dum inutilem in damnatos humanitatem ſperno, video ſupplicii mei ſocium jam honoratiſſimo loco ſediſſe, ac plurimis paſſim ineuntibus convivium, mihi tamen in ſecundis ſervatam eſſe ſedem. Igitur velut in Thraciam deveniſſem, ubi convivarum aliquis cæterorum riſum ſuo ſuſpendio excitat, ad menſam moriturus acceſſi, longoque defixus obtutu illud tandem mecum cogitare cœpi, ſi præteritæ noctis ſomnium non imprudens caſus, ſed vel iratæ mulieris ſortes, vel præſagientis animi divina vis obtuliſſet, non poſſe tam celeri fato mea exire ſupplicia. Ubi enim exilium, ubi amicorum odia, ubi minæ omnes, quæ vix poſſint tanto tempore recitari, quanto ad deſtinatam hodie mortem ſatis eſſet?

His argumentis, & quodammodo ſpe futurorum ſuppliciorum refectus, ac præterea quod nebuloſus horror, qui plerumque morituros terret, animum non obtenebrabat, concipiebam ſecretiſſima vota, & ab irata fortuna provocabam.

1 *Erat dignum Bromio ſacrum.*] Sacrificium placabat Bacchum qui dictus eſt inter innumera pæne cognomina Bromius ἀπὸ τῦ βρέμειν, id eſt, *à fremendo*: vel ἀπὸ τῆς βροντῆς, *à tonitru*, eo quod parturiens mater tonitru perempta ſit. Ovid. 4. Metam.

2 *Qualem patris fœmina reddidit.*] Coxa Jovis, in qua incluſus per aliquot menſes delituit. Ibid.

3 *Nunquam Nymphis ac fontibus nutriciis crevit.*] Vinum virtutem ſuam aqua mixta deperdit; etſi apud Rom. juxta aram Bacchi, Nympharum aram collocaſſent, quatenus ita ſignificarent vinum aqua temperatum eſſe innoxium.

1 Qui

cabam. At vero pœnæ meæ miſerrimus comes, [1] qui Mycerini æmulus vitam in mortis decretæ ſolatium obleᶜtabat, cum jam duodecies propinantibus mirabili fortitudine reſpondiſſet, tandem querelis, mox fletibus proſequebatur ſuam calamitatem, & alternis admittebat miſerantium voces. Cumque identidem profuſo fletu repeteret, id ſe unum mirari, quod recentis triumphi memoria non obſtitiſſet ſeveritati judicantum, auſus ſum ab eo petere qui mihi proximus conſederat, quo ille prælio triumphare meruiſſet? Nuper, inquit, cum aliis miſſus, qui renovarent clariſſimum fœdus, certantibus de bibendi peritia populis, ipſe tres congios præter omnes exhauſit; cottabeque accepto illuſtrem familiam ditavit. Juvit me quod tam funeſto loco eram: alioqui riſum nunquam tenuiſſem in tam elegantis certaminis memoria, & ulciſcenda ſeverius culpa obligaſſem ignorantem animum, quam ſi bovem iterum ad inſaniam provocaſſem.

Jam erat in extremo convivium, cum iterum ad intempeſtiva pocula provocati, tandem ad magiſtratum ducimur, qui parum, ut in re proviſa, moratus, utrumque ad laqueum damnat; converſuſque ad participem meæ ſortis, Tu, inquit, ſolis expiabile flammis nefas admiſeras: Sed quoniam crux huic miſero fuit erigenda, malui utrumque brevi compendio puniri, quam in totum diem tenere lictores. Tum injecta manibus vincula; collo etiam circumdati funes, & utrique ſacrorum miniſter datus, qui æternitatis admoneret. Si mihi creditis, non gravius dolebam quam vel Pedonis ludibrio fatigatus, vel iniquo Baſilianorum judicio preſſus. Non enim lætitiam haurimus aut mœrorem ad ſucceſſus vel miſeriæ modum, ſed anguſtiæ pectoris noſtri ſæpe minoribus malis ſic implentur, ut ad ſæviſſima fortunæ

1 *Qui Mycerini æmulus vitam, &c.*] Mycerinus Cleopis Ægyptiorum Regis filius erat, qui poſtquam patri ſucceſſit in regnum, ita paterna facta peroſus eſt, ut populo ad extremum calamitatis afflicto res ſuas agendi fecerit poteſtatem. Is præ regibus omnibus tamen dicitur exercuiſſe juſtitiam. Ita Herodot. l. 2.

fortunæ tela graviorem ſenſum non admittant. Eram etiam, niſi me fallo, vultu gravi, neque malis dejecto, cum ſaltem in extremis conſtantiæ laudem quærerem.

[1] *Aſſyrius veluti redivivo funere Phœnix*
Heres ipſe ſui, cum jam natalia buſta
Conglomerans carpit poſtremo nubila curſu,
Magnanimæ ſtipantur aves. Regemque verendum
Sollicitæ obſervant, & fati in limine credunt
Altius ire ſibi. Collo jam pulchrius aurum,
Et mox arſuris ſtat major gratia pennis.

Interim ad infauſtam arborem celeberrimo conventu producti, & infamibus appliciti ſcalis, reputabamus proximæ mortis horrorem, cum tacitis mecum votis ſic loquerer; [2] O ſi iſtæ minæ ſanctiſſimam Neptuni iram imitentur, quem ovatio ſupra triumphum delectat! qui & juſtitiæ dedit capitales ſcenas erigi, & eas incruentas eſſe ſuæ naturæ conceſſit. Tum lictores gentilem primo ſuum ſupplicio admovent, & in tantam altitudinem provectum, ut vertice tangeret faſtigium crucis, hic depulſis humeris, ille pedibus extra ſcalas protractis in liberiorem aërem trudunt. Nec alio modo maturabant interitum, ſed ipſa corporis gravitas lentiſſimam mortem ægre moliebatur.

Mihi deinde cum injicerent manus, vox ſtatim familiaris, illius nempe gentis, apud quam ſervieram, aures perculit, & ſpe ad auxilium erecta, neſcio quomodo blandita eſt meis malis, ut ſuggereret Callionis domeſticos adveniſſe. Erat autem Fibullius, mihi tum ob diſſectam epiſtolam infenſiſſimus, qui præcipitabat etiam in Italiam iter, ac tum immani detentus ſpectaculo interrogabat, quod nos facinus

1 *Aſſyrius veluti redivivo funere Phœnix, &c.*] De Phœnice quam multa fabulantur, quæ avis unica creditur in orbe iſto, & ex cineribus ſuis renaſcens poſtquam ad ſeram pervenit ſenectutem, ſed iſta mera commenta ſunt Plinii & aliorum.

2 *O ſi iſtæ minæ ſanctiſſimam Neptuni iram imitentur, quem ovatio ſupra triumphum delectat!*] Certe fiebat ovatio cum in pulvere, & citra cruorem parta erat victoria: fiebat autem non in curru, ſed in equo, qui ſacer eſt inventori Neptuno.

Digitized by Google

nus in crucem efferret, cum agnovit confuſos triſtitia vultus, & veluti improviſo telo confoſſus exclamavit; Ergo ſceleri tuo tantum fortuna pepercit, ergo tam propitios invenit perfidia divos, ut meis ſubtraheretur manibus ſceleſtiſſimum caput, nec à te fœdiſſimi contemptus pœnas repoſcerem, tam grandi injuria provocatus? Nunc etiam ſceleratum mancipium, faſtidii inſolentia durat, & ſervile ingenium ne beneficiis quidem & donis tractabile? Obſtupuerant omnes ad inexſpectatiſſimos queſtus: cumque facinus à me commiſſum quærerent, ac vel inani laſcivia ſervile profudiſſe peculium, vel libertum procurationis tabulas malitioſe corrupiſſe clamarent; ego interim lictores orabam, ut me matura morte ſubducerent tot caſibus, veluti per diverſos alveos inundantibus miſerrimum caput. Sed manſueta benignitas timet in barbaris pectoribus inveniri: meque ad laqueum feſtinare dicebant, quoniam eluenda videbam flammis crimina, quibus me onerabat advectus mirabili deorum conſilio hoſpes. Non ſum primus, cui ſalutis exordium ſævitia calamitatis attulit. Nam altercantibus univerſis, dum me alii cenſent ad tormenta ſervandum, alii datæ integritatem ſententiæ nullo prætextu libandam, meus interim genius Callionem attulit, qui præmiſſo ad tumultuantem cœtum Percante, poſtquam periculi mei gravitatem audiit, dolore ac iracundia ferox, admiſſo equo in mediam turbam invectus eſt. Et quoniam viles erant, & inculti, cogitabat ſevere agere, ac orationi auctoritatem per audaciam facere. Sed reputato dedecore, ſi exitum conatus non haberet, ſuppreſſi erumpentem impetum, &, Peto, inquit, ne ſanctiſſimum fœdus in vilis perſona mancipii cadat. Quæ iſta vis, cives optimi? Quo abiit ingenerata his terris benignitas? Neque innocentem eſſe quem damnaviſtis, prædico. Abſit judiciis veſtris detraham integritatis famam. At certe reſervare potuiſtis famuli pœnam in adventum domini jam ſtantis ad mœnia veſtra.

Tum oravit, ut dilato ſupplicio una ad Magiſtratum irent.

Digitized by Google

lrent. Nec Fibullium interim adverterat, præcipitantis negotii caligine cæcus, aut ſalutationis blanditia ſuperbiam ferocis animi nulla dedecora præ contemptu æſtimantis permulſerat. At Dictator poſtquam diurna publici officii munera impleverat, ad domeſticas ſtatim curas traduxerat impigrum corpus. Igitur diutius in limine cunctatus Callion, tandem aſſiduis pulſibus laſſavit audientem, qui uxore juſſa aperire urgentibus, ipſe non ſegnius, juvenco ex ſcalis appenſo detrahebat viſcerum molem; cruentis adhuc manibus quibus paulo ante illius jugulum reſolverat. Sed ut inſuetum intrantium ſplendorem advertit, cultellum in reſeratos inſerit dentes, manuſque in præcinctam pellem tergens, nocturnum capitis tegmen extremis aliquantulum digitis movit: Ac ut Callion per Principis ſui reverentiam, & per eorum manes oravit qui primi fœdus iniverant, ut juventuti meæ parceret, nec in crucem mitteret temeritatem, riſu potius aut datis ad numerum verbis dignam, cum metueret Dictator, ne male purgata ſanies juvencum corrumperet, Bene eſt, inquit; agat auctoritati tuæ gratias, ac illud meminerit, non potuiſſe nos ſalutem dare, niſi mori meruiſſet. Procidi ego ad pedes, & cum Dictatorem, ac deinde dominum adoraſſem, exceſſi eadem lætitia ab ædibus, qua Theſeus Plutonis exutus vinculis primum ſolem aſpexit.

At Fibullius, ut accepta injuria ferox, tum quod fraudabatur ſpe noſtri ſupplicii, tum quod ſalutationis officium Callionem neglexiſſe credebat, concoquebat dolorem mutum, & in vindictam erectum, cum ex improviſo Callion advertit hominem, & in amplexum decurrens, O mi, inquit, Fibulli, quis Deus ex voto hunc ſuaviſsimum occurſum obtulit, & barbaræ feritatem regionis humanitate amicitiæ noſtræ lenivit? Cum tanta verborum blanditia extorſiſſet ab irato ut orationem non ſeveram, ita parum priſcæ benevolentiæ memorem, uterque in diverſa hoſpitia pervolvat, curatiſque illa nocte corporibus, ut incommodæ 14

ædiculæ ferebant, prima luce Fibullius ad Callionem adhuc thoro inhærentem intravit, & blandiſſimo vultu ſalvere mulierculam juſſit, quæ frigoris metu ſtrata ſervaret. Arriſit ad hunc ſalem Callion, & Fibullium ad ſedem pulvinis oneratam invitabat, cum ille ſecretiſſimo murmure aliquid in aurem Callioni dixit. Et quoniam geſtus erat ſupplicantis, deprecari credebamus pridianam ſeveritatem. Erat autem, ut poſtea intelleximus, modeſta excuſatio ad certamen ſingulare provocantis. Neque, inquit, ullus eſt, cui plura quam tibi debere confitear, aut amicitiam tuam ullo magis tempore colui. Sed ſcis, te illo ſeculo vivere, ubi minima infamiæ ſuſpicio paternam charitatem vincat. Non poſſum integra fama heſterni contemptus imaginem pati, quod nec verbo excuſaſti, cum tantopere meis votis obſtares, & Euphormioni ſalus me invito data eſt: quod utinam in contumeliam utriuſque familiæ non vertiſſet.

Non defuit Callioni apertiſsimus ad excuſandum campus, ſed timiditatis opinionem facere noluit, tanquam invaſores nocturni, qui ad majorem vim fœde planorum imaginem ſumunt. Itaque bene ſenſiſſe Fibullium affirmat, ac ne impetum moleſta ſedulitate domeſtici turbent, ſuffurandam eorum oculis generoſitatem tam inexſpectati conatus. Igitur omnes in diverſam curam intendere animos juſsit, ac præcipue jentaculi munus officioſiſsimus mandat, dum, inquit, in proximum hortum Fibullium abduco, libertate aëris poſiturus faſtidium cibi. Tum veſtem quam mox abjiceret, parum compoſuit, gladioque veluti pro more ſumpto, pervadit in hortum. Nec omiſere huic amentiæ familiares nugas. [1] Junxere ſtrictis amplexibus pectora quæ mox confoderent, & inanem veniæ fucum crudeli piaculo præmiſerunt; ſcrutatique patentes ferro ſinus, mox quiſque ſuam, quiſque alienam aciem intuebatur. Sed facinus differente fortuna avertere bis eluſos ictus, ſemel

1 *Junxere ſtrictis amplexibus pectora quæ mox confoderent.*] Invehitur in eos qui ſingulari certamine congrediuntur, quorum geſtus deſcribit ad amuſſim.

1 Ne-

mel breviore ſica, iterum obliqua fuga pectoris in latus averſi. tandem Callion, ut ira juſtior obfirmaverat manum, adverſum violentius enſem repulit, gladiumque in crus inimicum altius imprimens, firmitatem ſubcidit veſtigii. Ille corpus ægrum in terram deducens non omiſerat enſem, ſed animo ſupra vires forti Callionem iterum vocabat in pugnam, & ferrum debili manu rotans fortunæ iniquioris imperium negabat admittere. Contra victor, ne fortitudinem ſuam in odium vocaret, negabat ſe adjuturum urgentia Fibullium fata; clementiamque fovebat nulla ignaviæ ſuſpicione damnatam.

Igitur poſtquam Fibullium exoravit, ne vinci ulterius vellet, reducit in domum, ac mirantibus nobis infirmitatem cruris, in culcitram dextra ad ſcrupulum parcente reponit: Deinde valvis diligentius munitis redeunt in gratiam, crebris amplexibus ejurantes memoriam certaminis. Nihil eo fœdere integrius ſi hoc alia victima quam meo capite ſanxiſſent. Nam dum amabili colloquio periculi cauſas repetunt, nec de ſe amplius, ſed de fortuna queruntur: Quid autem, inquit, Callion, in te miſer Euphormio peccaverat, quem etiam tuis olim literis mihi chariorem eſſe volebas? Hic Fibullius, ut acerbitatem vulneris meo veluti fato leniret, docet à me oblatum remedium, quod, inquit, morbi mei atrocitatem, ne quid mentiar, diſtulit. Tuum autem, quod tantopere commendaveras, ultro irriſit nequiſſimus ſervus, neque à te prius literas tradidit, quam ſuæ perfidiæ meam valetudinem permiſiſſem. Cumque aliquantulum levata mali violentia inducias mecum faceret, hanc epiſtolam, quam tibi à me reddidit (fateor) ut ſcriberem, ingenti ſanitatis promiſſo compulit. Quid audacia verba referam; quid ſubtiles ſceleris artes, talentumque velut coëmendis medicamentis emunctum? Miraris igitur me illius pœna gaviſum, à quo fœdiſſime deluſus ſum, ſic jam ut me crudelitatis meæ pudeat? Nam redeuntibus ſubinde tormentis, graviori metu pendeo, ne infelix laterum

Digitized by Google

fertilitas longe funeſtiſſimos partus creet.

Videbam diligentiori cura per rimam oſtii colloquentium frontes. Cumque formidoloſa mihi eſſet reconciliatio tam familiaris, diffuſa temere familia ſtabam ſolus ad valvas, & alternas aures laxis opponens compagibus, tum etiam interdum oculorum judicio metiebar ſalutem meam; gnarus furioſa magnatum odia illorum ſanguine placari, qui controverſias ſeu forte ſeu malitia incenderunt. Veluti arborum fiſſuræ, quas ictu ſonanti diſtendit agricola, non niſi fracto aut expulſo cuneo redeunt. Tum Callion, ut obtutum in terram defixit, trucique vultu minax immaniſſimi in me odii acerbitatem concepit, percunctabatur de Percante, an illi quoque conſilium meum placuiſſet. Sed non erat Fibullio animus, gratuita injuria in ſe Percantem concitare, tum ut illo teſte meam mutaret perniciem, tum ne ſales aperiret quibus ipſe accuſator in Callionem luſerat.

O Di, ſi veſtras tangunt mortalia curas,
Di, quibus imperium cœli, qui nigra tenetis
Tartara, & undoſi queis ſæva potentia ponti,
Aſpicite hæc, tuque ô victor, quicunque deorum es,
Cui labor infelix; & noxia munera ſurgunt,
Res turbare hominum, non hæc tibi mole ſevera
Tempeſtatis opus. Jacuiſſem vulnere parvo,
Semianimis parvo cecidiſſet vulnere cervix.
Heu pietas! annon ignota occumbere dextra
Infelix potui, tantoſque evadere luctus,
Nec ſaltem cecidiſſe nocens? proh impia fata,
Crudeleſque deos! Illum illum reddite campum,
Reddite funereaſque cruces, & vincula collo.
Hac tantum mihi morte ſalus. Sat funera vivus
Excepi, atque uno repetitas corpore mortes.

25 Etenim Callion furore ſæviſſimo ardens ad oſtium procurrit, ac Euphormionem Percantemque turbata voce appellans, non tam cædis metum, quam deſiderium attulit.

Sed

Sed cum intraſſemus in thalamum, ſtatim Percantem à me Fibullius ſeduxit, arceſſitumque ad colloquium, dum in me atrociſsimis verbis Callion deſævit, peſtilenti imbuit fraude. Sic ut in illa tempeſtate nonnunquam animus procellis excelſior conſideraret verſatilem hominum mentem, à virtute & amicitiæ charitate tam facile in perfidiam ac ſcelus degenerantem. Nam urgebat etiam ultra imperium domini paulo ante fideliſsimus comes: quoniam ejuſdem particeps culpæ ſic amoliebatur omnem criminis ſuſpicionem.

Tum juſſus accipere plagas ſexaginta, ac præterea ſerviles in fronte literas, quas adhuc omiſerat qualiſcunque domini clementia, Percanti tanquam acerbiſsimo vindici trador; cum hæc mecum cogitare cœpi, tolerabilem Percantis eſſe larvam, qua dominum palam demereri ſtuduiſſet. Jam ut ſecreto licuerit amicitiæ ſacramentum ſervare, haud dubie pietate ac miſericordia meriturum, ut diſſimulationis offendiculum ex animo delerem. Sed ille nequaquam mitigatus domini abſentia, tam immaniter ſupplicem contempſit, ut inciperem oculorum fidei timere, & notiſſimæ frontis veſtigia perſcrutari. Chariſſimi ſodalis tergum mille verberibus diſtinguebat, etiam ultra imperatæ numerum pœnæ: Et literis deinde crudeliter inuſtis, non altiſſimam modo conſumpſit frontem, ſed indicium ſervitutis pæne ad oculos ipſos deduxit.

Igitur jam Pedo, jam cæteri notæ nequitiæ ſervi, conceptam in me iram in miſericordiam verterant. Ac præcipue Percantis ſuperbia excitabat invidos animos, qui præmio ſuæ proditionis potens non libertatem modo, ſed vicarium in nos imperium erat adeptus: docebatque nullos deterius dominari, quam quos ad ſerviendum Natura creavit. Videbam conciliabula conſpirantis familiæ, & aſpernantis ſecundum hoc ſervitutis miſerrimæ jugum; poteramque fortaſſis adjuvare muſſantes, ni timuiſſem pœnas conſilii ſolus dare, quod mihi ſoli non quæſiſſem. At præ-

Digitized by Google

terea legeram Epitaphium Sibronii Conſulis, quod in quodam libello in hæc verba conceptum eſt. *Depoſitum Sibronii Conſulis, qui Lutentium bono acerrimam conſecraverat mentem, domi foriſque clariſſimus, omnium in juvanda patria princeps. Quem ampliſſimis in Rempub. meritis clarum populus interfecit, ne diſſimilem exitum ſortiretur priſcis Rerumpublicarum patribus, quorum ſemper exemplo vixerat.*

Tutius ergo ratus Percantis gratiam machinis omnibus adoriri, illo curas omnes intenderam, ne quod officii genus omitterem. Sed jam [t] noſter Athenion philoſophiam projecerat, & in hæc vitia ut primum potuit lapſus, quæ quondam in aliis tam ſeverus cenſor notaverat, aſpernabatur affectatum obſequium; totius familiæ adulationibus laſſus. Et præterea ſi me humanius appellaſſet, timebat, ne homines meminiſſent communis noſtræ ſortis.

Mihi tamen aliquantum profuit tam inexpectata faſtidii atrocitas, & documento fuit, quam multis cautionibus intima familiaritas ineunda ſit cum ignoto. Etenim quam excellens eſt veræ conſenſus amicitiæ, tam eſt difficilis atque rara connexio animorum, ita divina atque præſtans. Nam ut radii horarum indices, quot rotis & ponderibus aguntur in deſtinatos curſus, tot aberrantibus inſtrumentis mendaci monſtratione fallunt: Ita ſi ex infinitis rebus, quæ ſinceram charitatem componunt, aliqua ſe conditio ſubtraxerit, laudata amicitiæ forma degenerabit in turpiſſimum monſtrum. Primum ampliſſima virtus non ubique ſui capaces animos invenit; & magnas deinde mentes plerumque occupant ejuſmodi vitia, quibus nullum eſt cum hac diva commercium. Igitur cum maximam mortalium partem (fas ſit eloqui) aut parum ſupra pecudes, aut certe infra magnitudinem quam requirimus, fata poſuerint; ac deinde ratum ſit magnis hominibus, ut ſimilem alterius indolem, quam

amenr,

t *Noſter Athenion.*] Hi tales appellantur qui philoſophiam celebrant, cujus ſedes Athenæ. Celebratur ejuſdem nominis imperator, ſed ipſe crudeliſſimus & pictor eximius.

t Nam-

ament, nanciſcantur: plura ſunt ad amicitiæ aram donaria nuncupantium vota, quam exſolventium. Illud autem in amicitia præcipua religione cuſtodiendum eſt; ut quemcunque exitum habuerint amici negotia, eundem tuis eſſe ſtatuas. Ne illi obſignata arca, ne clauſa mens, ne corpus ad laborem tardum elangueat, ut mutuo ſolatio (qui maximus eſt amicitiæ fructus) penitiores audeas curas in fidos ſinus effundere. Ut jocari, & animum lætius diffundere, iraſci etiam interdum poſſis, & exerentes ſeſe impetus non celare: quoniam neminem ſuis vitiis carere Natura voluit.

His neceſſitatibus, quibus finem nulla lex præſcripſit, poſiturus chariſſimam libertatem, diu ante videndum eſt, cui te navi credas. Num in eam pervadere pœnitentia poſſit, ut, quam felicitatis ſedem duxeras, ea te moleſtiſſimo carcere teneat. Quanquam illa ſpes puerorum deponenda eſt, quibus nihil promptum eſt aggredi, niſi jucunditatem aſſiduam ſtulta mens fingit. Aſperi ſæpe caſus incurrunt in amicitiam, & tam affligere poteſt ruina ſodalium, quam felicitas mulcere. Itaque nec amicitia turpibus niti fundamentis poteſt, ut lucri cupiditas induat præſtantiſſimos vultus; nec impetui, cui neſcio quod inveniam nomen, extemplo parendum eſt, qui non ſæpe nullo rationis auſpicio ad amandum impellit. Alioqui ſera pœnitentia reflectet in tergum ſtultiſſimam cervicem, ut ſaltem oculis repetat portum, quem egreſſa eſt; & ceſſantibus illis motibus, qui velut melle conditi ad amandi ſuavitatem egerant, deſtituetur præcipuis ſolatiis amicitia, & in illa morabitur eſca, cujus nauſea aſſidue faſtidientem ſtomachum premet.

Cæterum quibus opes charitate potiores ſunt, ii ſeſe ultro excluſerunt ab amicitiæ limine, &, quanquam diſſimillimo vitio, ii quorum luxuries nullo patrimonio impletur. Præterea qui linguæ modum neſciunt, aut qui vana facilique indole, diverſis occupati amicitiis, & futili initio amorem ordiuntur, & inepte deponunt. Nam in eorum animis ita trudit pridianam familiaritatem enaſcens ho-

die affectus, ut qui jamjam exuberantem pluviam alius imber obruit. Duorum aut trium conſpirans benevolentia illam felicitatem componet, quam Dionyſius auro gravis, & ægre ſuſtinens potentiæ ſuæ molem, non invenit. Nam ſi pluribus poteſtatem animi facis, ſacrilego furto detrahendum eſt prioribus tempus, & affectus quem in novos impendas. Præterea conditionem diſparitas ſæpe naſcentem in cunis amicitiam jugulat. Quoniam ut diuturnus non eſt amor, qui ſola jurgandi ac feriendi licentia (velut æqualitatis indiciis) conſtat; ita familiaritate alitur, & quodammodo mutuos ſales jocoſque velut ad quotidianum paſtum quærit.

Sed & funeſtiſsimo didici experimento, amantium vota in hoc eſſe arctanda, ne nimium ſodales evehi cupiant. Quamdiu Percas meam parum ſortem exceſsit, tamdiu hæſit charitatis conſtantia. Deinde ut in altum evectus cœpit deſpicere humilitatem meam, ſic egit, ut non hominem, ſed divitias peccaſſe arbitrer.

Dum hæc diligentius penſabam, & quærebam à ſapientia auxilium, intravit domum noſtram mulier, ut videbatur, nobilis, magnoque comitatu tenuiſsimæ veſtis modeſtiam excuſans. Nulla erant circa collum vincula, quæ morarentur tranſeuntium mentem. Non ſtalagmium erat, non ſpinther, non ſpathalion; non purpura aureis clavis fulgens. Notabiles erant bullæ varia magnitudine diſtinctæ, quibus onuſtum cingulum nonnihil deflexerat. Illa ut ad Fibullium ex vulnere ægrum admiſſa eſt, & notiſsimam frontem eruit defluentibus velis, hominem admiratione prope ad ſtuporem deduxit. Erat enim Lapicia, Fibullii ex Vocula fratre neptis, mulier genere ac divitiis, ſed præcipue fama præſtans, quæ adhuc adoleſcens, cum illi juvenem maritum morbus abſtuliſſet, iterum nubere ſeu conſtans ſeu pertinax abnuebat. Inſiluit Callion in cervicem, longa neceſsitudine familiaris, & Rogo, inquit, domina, quæ te in has terras fortuna deduxit? amœnitas, puto,

puto, regionis, & ſuavior populi cultus. Aut ſi hæc non ſunt, [1] numquid te tua venatrix cœlebs Diana compulit in hos montes, & nemora, [2] pæne qualia circa Stygem pinguntur? Tum illa, ut ſe templum religionis miræ, quod ultra Alpium clauſtra colitur, inviſiſſe docuit, quod bis ab hoſtibus petitum, bis divino volatu eluſerit furentium manus, cœpit rogare quod vulnus Fibullium afflixiſſet. Utque per ambages intellexit pugnæ dementiam, tanquam ſola peccare neſciret, mille geſtibus averſata eſt improbiſſimum ſcelus. Ridebam ego pietatis ſuperbiam, cum illa homines arceſſi juſſit, quos habuerat viæ comites, ac ſeverioris diſciplinæ magiſtros, quorum certe tumulis, ſi morientur, ſaltem [3] exemplo Metelli, corvum debebit.

Horum unus, quoniam bonæ ſortis ac ominis erat, intrepido vultu præceſſit. Alter ſemicandida veſte, nec avare manicata, ſequebatur: Qui ut intraverunt thalamum, ea ſalutatione, quæ profeſſionem proderet ſtudioſorum, pæne riſum expreſſere ſpectantibus. Ac deinde magna volubilitate ſermonis, omnes ſibi vices tradidere loquendi. Non Callioni, non Fibullio, non ipſi Lapiciæ permiſſa vox: ſed illi, velut theatrum aſcendiſſent, aut ineptiæ ſuſpicionem per audaciam loquendi tollerent, varia Sanctorum dicta factaque nimis oppido tenaci memoria recenſebant. Quanquam, niſi fallebar, ita appoſite, [4] ut ſæpius Cadmus, quam Harmonia canere videretur. Ac dum modo in ſcientias ludunt humani judices recti, modo conju-

gium

1 *Numquid te tua venatrix cœlebs Diana compulit in hos montes, &c.*] Quod gaudeat Diana montibus & ſylvis teſtatur Catullus,

Montium domina ut fores
Sylvarumque virentium
Saltuumque reconditorum, &c.

2 *Pæne qualia circa Stygem pinguntur.*] Et qualia deſcribuntur ſexto Æneidos cum Æneas comite Sibylla inferos petit, ubi hic ramum aureum gladio reſcidit, Perſephonæ offerendum.

3 *Exemplo Metelli, corvum debebit.*] Ipſe, ut opinor, eſt Metellus, qui Pœnis & Siculis ſocia adverſus Romanos arma parantibus Imperator cum eſſet creatus omnibus Diis Veſta excepta ſacrificavit.

4 *Ut ſæpius Cadmus, quam Harmonia canere videretur.*] Num forte melius Hermione quæ uxor erat Gadmi? Hanc enim Harmoniam Ovidius vocat. Fit autem alluſio ad vocis Harmoniam.

1 *Num*

gium frigidiſſimo ſale proſcribunt, paulatim ad diſſerendum lapſi tam acriter cœperunt contendere, ut res meo judicio ad manus pugnamque ſpectaret. Vix reſtabant ſedilia lacertis pulſantibus, & ipſæ manus vehementius productæ aërem pæne in ſibilum cogebant. Cohorruere omnes ad divini ſtrepitus miraculum, & nobis, quotquot Romani ſermonis expertes non eramus, audiendi curioſitas altiſſimum ſilentium indixit. Sed illi, quæ confuſa & indigeſta mente conceperant, tanta intelligendi difficultate fundebant, ut non modo non Latine, ſed nec humane loqui crederem. Jam non inter ſe ipſi, jam ſe quiſque non intelligebat, cum uterque vinci arbitrio ſpectantium nollet, & in hoc victoriam poneret, ſi prior non deſtitiſſet loqui. Igitur horas pæne quatuor præliantium æſtus abſumſit, cum id unum quærerent, [1] *num ad ſyllogiſmum ſit neceſſaria concluſio.* Cumque creſceret difficultas per obſcuriſſimæ diſputationis noctem, tandem erupit ille qui ſemicandidam veſtem pæne ſudanti fumo fucaverat, & [2] conſumptis ſubtilitatibus provocavit ad injurias, ut qui attrito enſe fractove deſtitutus gladiator, ad luctam, velut ad compendium pugnæ, æmulum ſtrictis amplexibus cogit. Tu vero, inquit, ineptiſſime, mihi etiam controverſiam moves tanquam in meo regno non eſſem, id eſt, tanquam alius id, de quo agimus, aut laborioſius quæſiviſſet, aut felicius inveniſſet? Teſtes ſan-

1 *Num ad ſyllogiſmum ſit neceſſaria concluſio.*] Tali ratiocinationi perfectæ non dubium quin neceſſaria ſit, ſive expreſſa, ſive ſatis intellecta, ut vulgo. Nam ajunt Dialectici poſt Philoſophum ſyllogiſmum conſtare duabus præmiſſis, hoc eſt propoſitionibus Majore & minore, & concluſione quæ infertur ex præmiſſis, ubi ponitur majus extremum, & medius terminus: unde illatio neceſſario ſequitur.

2 *Conſumptis ſubtilitatibus provocavit ad injurias.*] Sophiſtæ tales & ita deſcripti non animi paſtum, ſed faſtum ſuperbæ ſcientiæ & inanes fallacias ex ſcholis hauriunt, unde adeo tument ſcioli ut in ineptias pluſquam mimicas nonnunquam efferantur; adductoque ſupercilio grandia verba trutinent buccis crepantibus. Imo more Bufonum turgentes parum abſit quin disrumpantur: quaſi vero quod ſyllogiſmorum ſuorum vanitate non potuerunt aſſequi, hoc dicteriorum ſuorum procacitate valeant, nulla habita humanitatis, nedum religionis ratione, comparare: nempe crimina vaſis librant in antithetis:

Arcadiæ pecuaria rudere credas.

3 *Adole-*

Digitized by Google

ſanctiſſimæ domus noſtræ parietes, qui toties ad laterum meorum vires obſtupuerunt, dum non minus menſes IV. [1] adoleſcentes noſtros declamando & ſcribendo exerceo, ne, hac ſemel quæſtione ut oportuit excuſſa, quid de ea amplius à quoquam diſcere poſſent. [2] Vix ducentis horis legas, quæ in hanc materiam ex pluribus auctorum millibus ſolita brevitate decerpſi. Neque eſt aliud, quod te jam in diſputationem trahat; niſi quod ut teſtes in noſtram dicaces familiam, id demum exiſtimatis ad gloriam veſtram facere, ſi aliquid ex noſtris moribus doctrinaque carpetis. Vos, quod ab antiquitatis auſteritate noſtra paulatim vivendi conſuetudo deflexerit, quod opulentior cultus, quam quem auctores dictaverint noſtri, privata nonnunquam cubilia inſtruit; quod in neceſſarios quiſque ſumptus pecuniam, quod in hyemem veſtes, in exercitationem libros, extra cæterorum communionem proſpicit, ingentibus monſtris effertis, totamque proſcribitis domum. Si ex æmulatione, indignor. Si ex vero dolore, miſereor medius fidius ſtuporis veſtri, quos plus aliena mala cruciant, quam quæ veſtra præcordia fœdiſſima tabe conſumunt. Utrum eſt enim deterius, fruticum inſtar omni vento permittere fragilitatem ſuam; an pertinaci ad obſiſtendum trunco concitare flami-

1 *Adoleſcentes noſtros declamando, & ſcribendo exerceo.*] Demoſthenes percunctanti cuidam quid eſſet in eloquentia præcipuum? Reſpondit ὑπόκρισις, id eſt *actio*. Roganti quid proximum, reſpondit iterum, *actio*: interpellatus quid tertium, aliud nihil reſpondit quam *actio*, tantum huic parti tribuens, ut in ea totum decus orationis poſitum exiſtimaret. neque puta hic agi de actione illa quæ ſcenica, & mimica eſt; ſed de forenſi atque civili, quæ vocem & corpus ad affectuum præſcriptum attemperat. Eſto eloquentiæ Rom. pater Comœdorum Roſcii, & Æſopi diſciplinæ ultro ſe ſubdiderit: nam & immodicus motus, & excuſſio nimia ludibrio ſunt. Jam quod ad exercitationem ſcribendi pertinet: hoc habe, irrita fore præcepta ubi exercitatio defuerit juxta monoſtichon

Artifices unus qui facit, uſus erit.

Eſt autem exercitatio aſſiduus uſus, conſuetudoque ſcribendi quam Fabius à cunis docet eſſe perutilem.

2 *Vix ducentis horis legas quæ in hanc materiam ex pluribus auctorum millibus ſolita brevitate decerpſi.*] Hoc ipſum eſt ex indicibus ſapere. Sunt qui congerunt incondita ſcriptione codicillos dum in compendium auctores optimos redigunt: quod Hiſpani facere dicuntur ſatis inepte, ſed quantum hi tales reip. litterariæ diſpendium afferant liquet ex Abbreviatore Pompeji Trogi, Juſtino, & aliis.

Digitized by Google

flaminum ſuperbiam, quæ radicem vim concitati aëris deſpicientem evertant? Nos ut priſci ſeculi ratio tulit, ſelegimus abhorrentem ab ea, quæ jam in uſu eſt vitam. Mutatione deinde temporum facta, & vertentibus omnium cum ætate ac ſæculo moribus, non abnuimus his tempeſtatibus agi, diverſiſque præceptis familiam imbuere, ut ramis ac frondibus ſeſe ad fortunæ nutum torquentibus clementior ventus, & ipſa victoria facilis, radicibus parcat. Vos autem imaginem antiquitatis ſcrupuloſiſſime conſervantes, quæ non, dii boni, ludibria, qui non meliorum mentium ſales & joci conſequuntur? Quid prima ſcholam veſtram ineuntium pugna; cum ſolus tiro apud rudem ignarumque ſatellitem deſtinato clauſtro declamat, [1] & aliquot ſententiolis ſolitariam domum affatus, ſibi auditor, ſibi teſtis, ſibi judex, interdum etiam petulantiſſimus irriſor exiſtit? Huic rei non invenio nomen, ſi non eſt indigna affectatæ antiquitatis vanitas, vel ſtulta religio, excindere horrentium, quod jam ipſi auctores tollerent, ſi eorum manes conſuleretis. Quid deinde convivalis inter vos laudatio? quid à nobis ſumptus extorti, quos egenos non eſſe damnatis? quid ille veſter ductor non niſi quaternis in diem epulis ſatur? quid ejuſdem veſpertina cum tironibus repetitio, cui ſtatim epulæ, velut mercede conſtituta ſuccedunt?

Jam vero de pietate veſtra nihil diſputo; modo illam ſcrutari omiſeris partem in nobis. Alioqui non quæ latebræ celant excutiam, aut in re dubia quæram facinoris ſuſpicionem: Quæ vulgo, quæ palam in famam veſtram tela jaciuntur,

1 *Et aliquot ſententiolis ſolitariam domum affatus, ſibi auditor, ſibi teſtis, ſibi judex, &c.*] Diſceptat Quintilianus utrum ſit ſatius adoleſcentem erudiri in umbraculis paternæ domus, quam in luce publica ſcholarum; aliquis corrumpi mores in ſcholæ palæſtra. Quaſi vero, inquit ille, non domi, ubi mollis illa educatio nervos omnes mentis & corporis frangit, mores non corrumpantur. In ſchola ex tot addiſcere poterit, quot diſputantes audiet. Subditque idem Fabius: Is cui in media reip. luce vivendum eſt, aſſueſcat jam à puero non reformidare homines; non illa ſolitari, & umbratili vita palleſcere. Hic excitatur laude æmulatio: & quanquam ambitio vitium ſit, frequens tamen cauſa virtutis eſt, cum acriores dicendi faces ſubdantur.

1 *Et*

ciuntur, aſſumam, Ambitus, ac perjurii crimen. Infremuit Callion tam inexpectato commotus judicio. Jam Fibullius, jam Lapicia, velut ad miraculum, vocem non inveniebant, ac ipſe præcipue vates, cujus domus tam fœda ſpargebatur infamia, ad inſaniam rabiemque properabat, cum alter, Utinam, inquit, tantam ad peccandum verecundiam attuliſſes, quantum ad excuſationem audaciæ. Non magnifico per urbem equo delatus potentiorum foribus toties aſſediſſes. Non interdiu amicos ac ſocios, noctu animum ad fraudem & injuriam acuiſſes, ut illis ad veſtrum ordinem aſcendentibus, qui quadrienni rudimento meruiſſent, is princeps non eſſet, quem & eruditionis ſuffragium, & populi expectatio in hunc locum manu ducebant. Et ſolennibus tamen verbis promiſiſtis, nec ambitu nec favore paſſuros corrumpi judicia veſtra, ut cuiquam ad hunc honorem aditus, niſi à virtutis ac meriti templo, pateſcat.

Videbatur nobis omnibus ipſum facinus ſuo nomine lenius, & quos atrocitas vocabuli ad horrorem egerat, exiguæ rei momentum rapiebat in riſus. Cum acrius inſtitit declamator, Eruditionis vero, inquit, certamen non in eo, quoniam vinci vobis eſſet honeſtius, quam noſtræ familiæ certaviſſe. Ridere barbariem ſermonis inculti, quæ in majorum noſtrorum libris nihil ſimplicibus animis inhæſiſſe fuci demonſtrat. Certe vos ſinceram doctrinam è noſtris hauritis fontibus: vos ſcientiam velut è ſancta ruſticitate avocatis, [1] ac figmentis orationum pictam jam id primum docetis fallere, quod ſe pro veſtra gerat. Tum alter, ut omnem audiendi patientiam conſumpſerat, O mi, inquit, homo, collige paululum redeuntem animum, ut cæca maledicendi licentia, ſi deſit quod in externos jactetis, etiam diſcat, quid in vobis damnare poſſitis. Eruditionem à veſtris aliquam accepiſſe non pudebit confiteri, ſi

vos

1 *Et figmentis orationum pictam, &c.*] De vana Eloquentia in quam invectiva eſt, habet multa Petronius Arbiter initio ſui Satyrici. *Pace veſtra dixerim*, inquit, *primi omnium eloquentiam perdidiſtis, &c.*

1 *Quam*

flaminum ſuperbiam, quæ radicem vim concitati aëris deſpicientem evertant? Nos ut priſci ſeculi ratio tulit, ſelegimus abhorrentem ab ea, quæ jam in uſu eſt vitam. Mutatione deinde temporum facta, & vertentibus omnium cum ætate ac ſæculo moribus, non abnuimus his tempeſtatibus agi, diverſiſque præceptis familiam imbuere, ut ramis ac frondibus ſeſe ad fortunæ nutum torquentibus clementior ventus, & ipſa victoria facilis, radicibus parcat. Vos autem imaginem antiquitatis ſcrupuloſiſſime conſervantes, quæ non, dii boni, ludibria, qui non meliorum mentium ſales & joci conſequuntur? Quid prima ſcholam veſtram ineuntium pugna; cum ſolus tiro apud rudem ignarumque ſatellitem deſtinato clauſtro declamat, [1] & aliquot ſententiolis ſolitariam domum affatus, ſibi auditor, ſibi teſtis, ſibi judex, interdum etiam petulantiſſimus irriſor exiſtit? Huic rei non invenio nomen, ſi non eſt indigna affectatæ antiquitatis vanitas, vel ſtulta religio, excindere horrentium, quod jam ipſi auctores tollerent, ſi eorum manes conſuleretis. Quid deinde convivalis inter vos laudatio? quid à nobis ſumptus extorti, quos egenos non eſſe damnatis? quid ille veſter ductor non niſi quaternis in diem epulis ſatur? quid ejuſdem veſpertina cum tironibus repetitio, cui ſtatim epulæ, velut mercede conſtituta ſuccedunt?

Jam vero de pietate veſtra nihil diſputo; modo illam ſcrutari omiſeris partem in nobis. Alioqui non quæ latebræ celant excutiam, aut in re dubia quæram facinoris ſuſpicionem: Quæ vulgo, quæ palam in famam veſtram tela jaciuntur,

1 *Et aliquot ſententiolis ſolitariam domum affatus, ſibi auditor, ſibi teſtis, ſibi judex, &c.*] Diſceptat Quintilianus utrum ſit ſatius adoleſcentem erudiri in umbraculis paternæ domus, quam in luce publica ſcholarum; aliquis corrumpi mores in ſcholæ palæſtra. Quaſi vero, inquit ille, non domi, ubi mollis illa educatio nervos omnes mentis & corporis frangit, mores non corrumpantur. In ſchola ex tot addiſcere poterit, quot diſputantes audiet. Subditque idem Fabius: Is cui in media reip. luce vivendum eſt, aſſueſcat jam à puero non reformidare homines; non illa ſolitari, & umbratili vita palleſcere. Hic excitatur laude æmulatio: & quanquam ambitio vitium ſit, frequens tamen cauſa virtutis eſt, cum acriores dicendi faces ſubdantur.

I Et

ciuntur, aſſumam, Ambitus, ac perjurii crimen. Infremuit Callion tam inexpectato commotus judicio. Jam Fibullius, jam Lapicia, velut ad miraculum, vocem non inveniebant, ac ipſe præcipue vates, cujus domus tam fœda ſpargebatur infamia, ad inſaniam rabiemque properabat, cum alter, Utinam, inquit, tantam ad peccandum verecundiam attuliſſes, quantum ad excuſationem audaciæ. Non magnifico per urbem equo delatus potentiorum foribus toties aſſediſſes. Non interdiu amicos ac ſocios, noctu animum ad fraudem & injuriam acuiſſes, ut illis ad veſtrum ordinem aſcendentibus, qui quadrienni rudimento meruiſſent, is princeps non eſſet, quem & eruditionis ſuffragium, & populi expectatio in hunc locum manu ducebant. Et ſolennibus tamen verbis promiſiſtis, nec ambitu nec favore paſſuros corrumpi judicia veſtra, ut cuiquam ad hunc honorem aditus, niſi à virtutis ac meriti templo, pateſcat.

Videbatur nobis omnibus ipſum facinus ſuo nomine lenius, & quos atrocitas vocabuli ad horrorem egerat, exiguæ rei momentum rapiebat in riſus. Cum acrius inſtitit declamator, Eruditionis vero, inquit, certamen non in eo, quoniam vinci vobis eſſet honeſtius, quam noſtræ familiæ certaviſſe. Ridere barbariem ſermonis inculti, quæ in majorum noſtrorum libris nihil ſimplicibus animis inhæſiſſe fuci demonſtrat. Certe vos ſinceram doctrinam è noſtris hauritis fontibus: vos ſcientiam velut è ſancta ruſticitate avocatis, [1] ac figmentis orationum pictam jam id primum docetis fallere, quod ſe pro veſtra gerat. Tum alter, ut omnem audiendi patientiam conſumpſerat, O mi, inquit, homo, collige paululum redeuntem animum, ut cæca maledicendi licentia, ſi deſit quod in externos jactetis, etiam diſcat, quid in vobis damnare poſſitis. Eruditionem à veſtris aliquam accepiſſe non pudebit confiteri, ſi

vos

1 *Et figmentis orationum pictam, &c.*] De vana Eloquentia in quam invectiva eſt, habet multa Petronius Arbiter initio ſui Satyrici. *Pace veſtra dixerim,* inquit, *primi omnium eloquentiam perdidiſtis, &c.*

1 *Quam*

vos in ſolam barbariei hereditatem admiſſos ingenua profeſſione firmatis. Sed agam lenius & refutandi modeſtia tuam convitiandi libertatem opprimam. Vitam, exiſtimationem, inſtituta, non perſtringam. Illud unum interrogo, cur legibus veſtris varia interpretatione diſtractis, ut hi nomen, illi veſtem, pleriquc ceremonias ad diſcrimen induxerint, nondum reperti ſint qui Latium vetent pronunciatione barbara violari, nondum qui indicere Tullio bellum; Quamquam quid fruſtra in arcana veſtra intueor, vobis omnibus ſolitariis æſtimationibus cuncta reputare conſuetis: unde tuta cubiliorum ſecreta, unde horribilis in juniores ſanctio, ne improviſi in ſeniorum ſedes irrumpant.

27 Cum alia his ſimilia, vel etiam frigidiora pararet, venit ab Archoropo nuncius, & diremit ſteriliſſimam litem. Qui ut audiverat in Italiam properare Fibullium, ultorem injuriæ quam minus bonis temporibus acceperat, cum ipſe Archoropus domeſticis implicato negotiis inſultaſſet, direptis aliquot ſarcinis, cum curribus, quibus ipſæ vehebantur, primo nuncium occurrere juſſerat, ipſe deinde quam maximis ſequebatur itineribus, nulla damna præ Fibullii odio æſtimans. Igitur poſtridie, quam attulerat nuncius literas, Archoropus advenit, tam magnifico cultu, ut illum vix animo, nedum oculis capere poſſem. Auri argentique omni fide copia major, equorum nobiliſſimi greges, ingens ſervorum numerus, & omnia velut ad pompam faſtumque ſubornata. Tum ad deprecationem verſus, ut ſibi Fibullius ſatis fieri ſineret, ideo exorare non poterat, quod inanis pompæ ordo in ſupplice pro contumacia reputabatur: & hæc ſecum Fibullius longa cogitatione penſabat. Quid hic tantæ numerus familiæ? quid ſumptus in luxuriam vergens? Num aſſimulatione vaniſſima ſupra ſe magnos effingit? Num mei raritatem miniſterii ſpernit; & ſibi admirationem quærere, & meorum fidem corrumpere hac arte quæſivit? Auxit hanc in Fibullio ſuſpicionem ambitioſa in nos Archoropi liberalitas, & pæne ipſis accipientibus

bus gravis. Nam ut illuxit dies alia, neſcio quot ex Fibullii & Callionis domo ſalutatum introivimus, & Archoropi ſomnum exultantibus tympanis, tubiſque perfregimus: qui diſpenſatore qua nos cum ſportula dimitteret interrogante, tantam effundi pecuniam juſſit, quantam non caperet aviditas noſtra. Nec humilius quam erat loquutus expediri munus juſſit. Quippe productus eſt ſaccus ingens, numis argenteis plenus; permiſſuſque diripientibus nobis, nunc onerantes ſinum, nunc deprimentes laciniam veſtis, tandem gratiſſima fœcunditate laſſavit. Nihil unquam eo munere plenius. Nam ſumendi cupiditatem muneris amplitudo exhauſerat.

Ego præcipue, jam ſpe animum in diverſas curas intendente, ad ſolam onuſti corporis debilitatem argenti pondus æſtimans, ab Archoropi beato limine poſtremus exceſſi, ſociiſque nunc pondere, nunc gaudio æſtuantibus facinus ingens auſus, ad vendentem fucos intravi, & mutatis modico pretio vultibus, factoque mihi Gelonis nomine, à miſerabili ſervitio fugere cœpi. Ac cum dies aliquot locorum ignarus aberraſſem, tandem in eam regionem veni, ubi ſævum & inſanum mare conjuges conſultiſſimos habet. Hi privignam jam olim Venerem admirati, ſe ſuamque Cyprum barbaro permiſiſſe imperio, matronarum pectora nudant, & illius ſacra operoſius colunt, ut eximii lepôres deam ad reditum invitent. Nec jam Verona longe aberam, cum cuidam Apulo ex Gallia redeunti conjungor. Ille ſe *Cæſarem* vocari dicebat: cui ego, utpote & itinerum docto, & in urbem aliquam tendenti, quam ego ſtudioſiſsime perquirebam, perſuaſi fœdus faceremus, neutrum à ſocio niſi perfecto demum itinere receſſurum. Quod cum pluſquam militari ſacramento firmaſſemus, Veronam pervenimus incipiente primum nocte, & ad Antonium Cæſaris familiarem divertimus. Is ea primum cœna lactucis, naſturtio, columbiſque lectiſsimis excepit, &, ne, ſi ſolitarii dormiremus, nocturna prodigia mentem diducerent,

gratiſsima benignitate providit. At vero qui ſequebatur dies, jam non vulgari menſa, ſed epulo pæne cultus eſt. Tranſalpinæ ovis particula, & galli ſpadones plurimi viſebantur. Pavonum columbarumque numerus, turdorum etiam & coturnicum pæne examina; juvencæ præterea aliquot adventum noſtrum ſua morte luerant; hortum deſpoliati amiſerant flores, & omnis ædium decor in triclinium noſtrum confluxerat. Cum deinde conſideremus ad menſam, pocillator ſingulis aſtitit, minaci fronte, vultu terribili, cuſtodiæ propius quam convivii ſatelles. Detraxerant illi galeam; [1] quam continuo inſtar Vulcanum fugientis Palladis geſtant; parmamque aliquantum in latus defixerant, ut in quieta pace pugnæ memoriam ſpargerent. [2] Credebam æmulari Antonium Domitianam menſam, ad quam olim proceres, cum omnia pullus color indueret, urgerentque ſepulchrorum imagines, pæne lethalis horror affixit.

28 Celabam tam inviſi faſtidium moris, fucumque timori prætendens, ſollicitabam Cæſarem, ut explicato convivii ordine, & deficiente jam fame, hoſpitem relinqueret. Nobis eſſe viam etiam præcipitantibus longam, & infeſtum, ut ajebant, latronibus iter non oſtendere ſpem veniæ errantibus, ſi noctu nos in ejuſmodi plagas noſtra temeritas detuliſſet. Igitur Sole jam ultra altitudinem mediæ lucis producto [3] Verona exivimus, & paſsibus ter mille confectis, ruentem admiſsis frænis equum, ex attritu ſolidi primum campi, & ex concrepantibus deinde lupatis audimus. [4] Erat equus

1 *Quam inſtar Vulcanum fugientis Palladis geſtant.*] Vulcanus Junonis filius valde deformis propter fabricata Jovi fulmina Palladem obtinuit; ſed illa amans pudicitiæ conatus & amplexus impudici Vulcani declinavit quantum in ſe fuit.

2 *Credebam æmulari Antonium Domitianam menſam.*] Hæc habes apud Suetonium & alios in Domitiano.

3 *Verona.*] Civitas iſta à Gallis, quorum Dux erat Brennus, condita, & Brenona appellata, poſtea vero mutatis litteris ſucceſſu temporis dicta eſt Verona, patria Catulli. unde Ovid.

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

4 *Erat equus Cycnorum nivi æmulus.*] Ovid.

Candidior Cycno. —

1 Pro-

equus Cygnorum nivi æmulus, niſi crus alterum & apertiſſimum pectus ſubcineritii pili fucarent. inſidebat autem homo, ille ſcilicet, qui ad menſam aſtiterat mihi, vinum, & quæ illius artis ſunt, ſerio cuncta diſpenſans. Agnovi ego irruentem, Cæſarique monſtravi, & cœpi vereri, ne quid ignorantes ab hoſpite tolleremus. Nec dubitavi quærere, quæ illum præcipitatio, vel quo gentium ferret; cum ille turpiſsimi nihil pudore facinoris tactus, ultro docuit, domini ſe juſſu in medio foro primarii juvenis cæde imbuiſſe manus. Jam in alterius ditionem urbis contendere, & tum ad ſalutem perventurum, cum exiſſet Veronæ ſuæ fines. Perceperam toto corpore horrorem frigidiſsimum, & velut inaudito ſcelere perturbatus, cum jam hominem equi fuga pæne à conſpectu noſtro tolleret: O memorabilem, inquam, Cæſar, audaciam! quid unquam ex omni memoria tam atrox & luctuoſum referas, ut publice ſicarii non expectent equuleum, ſed velut glorioſum facinus ſponte confeſsi, omnes timere jubeant, quoniam ipſi de ſe nihil timent? quid, inquam, ſimile omnibus monimentis accepimus præter Fimbriæ factum? quem non credo [1] protervius vulnerato Scævolæ inſultaſſe. Excuſare ſe Cæſar errorem meum dixit, quod ad frequentiſsimum crimen obſtupeſcerem ignarus ſæviſsimi moris qui in illa regione pæne omnium capita proſcripſit. Equus, ait, celeritate notus, & modici æris liberalitas, præmium erit homicidæ, qui vel lares domeſtico ſanguine contaminabit, vel publico barbaræ feritatis exemplo deſæviet. Venalis hominum vita eſt, & licitatores capitum noſtrorum publice regnantt etiam pæne infamiam conſuetudo ſuſtulit. Ac ne quidem tutæ amicitiæ, aut neceſſitudines periculo carent. Jocus forte, aut imprudens in feneſtram aſpectus, ſecretiſſimo ſcelere vindicatur. Sæpe in ferrum cautos venena ſuſtulerunt,

1 *Protervius vulnerato Scævolæ inſultaſſe.*] Mutium Scævolam notat qui penetrans in tentoria Porſennæ, & iratus dexteræ quod erraſſet non cædendo Porſennam in foculum eam comburendam immiſit.

runt, aut facis illitæ fumus, aut corrupta floris ſuavitas, aut fatalis cultelli acies, qui eodem tempore & intactam liberis dapem diſſecat, & adverſario mortem. Æterna ſunt ſemel læſæ mentis vulnera; & plures reconciliatio, quam profeſſum odium extinxit. Hæc ipſa quam modo reliquimus civitas, quale ſævitiæ nuper exemplum prodidit, cum illuſtris familia, ſublatis tribus fratribus, miſerabili ruina deceſſit? At ego dum flagitiorum frequentiam nego mihi quicquam ex ſtupore ſubducere, video agreſtes aliquot ad anguſtiſſimas ſylvæ fauces, veluti ad conſilium, coiiſſe. Inter illos viragines duæ lacertos extulerant, & videbantur ad pugnam promittere manus. Nec dubitavit Cæſar, quin latronum inſidiæ in illa ſylva frequentes illam pavidorum manum cogerent, qui tunc adventu noſtro recreati, quoniam accincti ferro eramus, una ſylvam tranſmiſſuri prorumpunt, Cæſaremque, utpote gentilem hominem, &, ut ajebat, eorum fortiſſimum, qui nuper ex illis regionibus Gallias infeſtaſſent, ſibi ducem faciunt, haud dubie in omnia pericula audaces, ſi quis eſſet qui ſuo exemplo fortitudinis admoneret. Cum igitur poneremus conſilium, num quadrato agmine famoſiſſimam viam inire, num una, num diverſis cohortibus præſtaret: ecce tibi occurrit aliorum hominum agmen, & irato fremitu ita militarem viam implet, ut circumſtantis ſylvæ confraga tumultu formidabili exſonarent. Nulli prælium minus quam Cæſari placebat. quem ego ut timidiſſima fronte vidi penſare digitorum ſuorum articulos, metumque pallore confiteri, vicimus, inquam, Cæſar, ſi audemus non fugere. Latrones ſunt, & ſi mihi credis, plus timori noſtro quam ſuæ virtuti nituntur. Non negabat Cæſar vera eſſe, quæ dicerem; tamen conſulendum liberis clamabat, & propinquorum pietas tenerrimam perfuderat mentem. Jam diſperſi hoſtes occupaverant viam, jam diſtrinxerant ferrum, aut præuſtas in humerum extulerant ſudes, cum repetito clamore incitati procurrimus. Ego digladiabar acutiſſimo fuſte. Paucis ru-

ſticorum

Digitized by Google

ſticorum ferrum erat, ſed obvio quiſque telo armaverat manum, & ipſe Cæſar [1] frigidiore quam Demoſthenes ignavia non projecerat parmam, ſed omnium veſtibus amictus, quas expediti noſtri projecerant, negabat eſſe fas in primis ordinibus conſiſtere ducem. Non ferendum, ut fortunæ liceat unius caſu affligere univerſos. Sibi curæ fore, ne poſſint circumveniri noſtræ alæ. Incitaturum ad pugnam, ordinaturum aciem, deinde incorrupto judicio de ſingulorum virtute dicturum.

[2] *Bellum, ô Hendecaſyllabi, cruentum,*
O bellum numeris referte dignis;
[3] *Quali Thyades inſonant cruenta,*
[4] *Cum jam Nebridibus graves lacerti*
Huc thyrſos virides regunt & illuc.
Non hic Mæonia exſonet tumultu
Iratis tuba dignior catervis.
[5] *Adſit tibia, vel forata buxus,*
Sacrorum Phrygiam admonens Cybelen,
[6] *Aut qua tympana mollibus miniſtris*
Mitras frontibus imperant recingi,

Nuſ-

1 *Frigidiore quam Demoſthenes ignavia.*] Et ignavus & tumultuoſus à Sidonio appellatur.

2 *Bellum, ô Hendecaſyllabi.*] Hendecaſyllabum carmen ipſum eſt quod & Faleucum appellamus, quo excelluit apud Gentiles Catullus; apud Chriſtianos Sidonius.

3 *Quali Thyades.*] Bacchi ſacrificulæ, quæ & Mænades, & Baſſarides, & Evantes: à Thyja Sephiſſi filia quæ prima omnium Baccho initiata ejus orgia celebravit.

4 *Cum jam Nebridibus.*] Nebrides Damarum ſeu Cervorum pelles ſunt quibus uti veteres in Bacchi ſacris ſolebant. νεβρὸς enim Dama, ſeu Cervus eſt.

5 *Adſit tibia vel forata buxus.*] Hoc inſtrumentum maxime in uſu erat in ſacris Cybeles matris deorum, quæ & Ops, & Berecynthia dicta, & Phrygiæ quem Dyndima vocavere, in quo ſacra ſibi per Corybantes inſtituit, unde & ipſa rurſum Dyndimene appellata, & Peſſinuntia, & Idea. Propert.

Vertice turrigero juxta Dea magna Cybelle.

Alii dictam volunt παρὰ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, quod Galli ejus ſacerdotes per furorem motu capitis comam rotantes ululatu futura pronunciabant, & hoc maxime in Ida monte Phrygiæ.

6 *Aut qua tympana mollibus miniſtris.*] Eunuchos Gallos ejus miniſtros intellige qui ſtrepitum non ululatu modo, ſed & tympanis, & tibiis per ſacra excitabant, revincti tempora mitris, quod genus erat pilei.

[1] Nuſquam hic vulnera, purpurave triſti
Undabat tepidus cruore campus.
Solus præcipitat timor cadentes,
Solus corpora ſauciabat horror.
Sed tandem geminas rotare gyro
Jam forti mihi jam manus placebat,
Jam concurrere, jam probare dextram,
Cum ſparſit ululans comis virago
Audacem ferit, excutitque telum.
Quali Thyades inſonant tumultu,
Cum jam Nebridibus graves lacerti
Huc thyrſos virides regunt, & illuc.
O bellum numeris referre dignis,
Bellum, ô Hendecaſyllabi, cruentum.

Sublato tandem errore omiſimus bellum: quoniam hæc erat virorum & muliercularum acies collecta ex vicinis mapalibus qui & ipſi prædonibus bellum illaturi convenerant. Omnes vulneribus intacti prælio exceſſerant, niſi quæ ſævisſimo fuſte mulier lacertum meum oneraverat, & Cæſar præterea noſter, cum retro cæcis veſtigiis iret, incurrerat in vepres, perfoſſiſque ſpina clunibus tam miſerabiliter exclamaverat, ut graviſſimo telo ictum crederemus hanc poſtremam vocem edere. Igitur compoſitis præliantium mimis qui hoſtilibus modo armis concurrerant, etiam ad nos venire Medicum jubent, lacertique mei vulnus perfundere unguentis, & omni artis ſuæ benignitate mulcere. At Cæſar fœdiſſime per campum volutatus, Quæſo, inquit, Geloni: ſcito me agere in vicinia mortis, nec tantorum vulnerum hiatus ulla medicina coituros. Grande tamen perituro ſolatium relinques, ſi permittis ut intelligam prius quam alta morte pereo. Ego, quamquam marcentes nervi deſtituerant lacertum, & omnis ſpes in feſtinatione medi-

1 *Nuſquam hic vulnera.*] Puta Gallos Cybeles miniſtros in ſacris ejus ſolere genitalia ſua reſecare. Idem ſignificat Barcl. in lib. Arg. cap. 1. *nec mitius quam Thebano aut Phrygio more ululanti.*

1 *Ia*

medicaminis erat, tamen flebili lamentatione victus, confeſtim Medicum rogo, ut ad Cæſarem tranſeat, & exploret deſperatæ latebras plagæ. Tum vulneris locum juſſus Cæſar oſtendere, dimiſit in clunem manus, & mox diſpoliatus nos odore tam peſtifero ſparſit, ut crederemus illas partes non tantum emortuas eſſe, ſed in fœtorem etiam pæne ſolutas labi. Neque aliud erat vulneris veſtigium, quam exiliſſimæ ſpinæ via, quæ exiguo ſanguine maculaverat cutem.

Tarde perſuaſum eſt Cæſari, ſe valere; nec quamdiu blande eſt habitus, ſucciduis & titubantibus veſtigiis innitebatur. Sed poſtquam teneriora Medicus virgulta ſuccidit, & aliquot plagis medicamentum opperientem excepit, nunquam magis alacer Cæſar etiam præcipitantius, quam ſi adhuc ſtarent hoſtes, effugit. Ac tandem mora ſimul pudoreque victus, fortioribus conſiliis locum dedit.

Jam evaſeramus formidabilis ſylvæ noctem, jam die- 29
rum aliquot iter emenſi per confragoſos plerumque ſaltus & importuna montium juga, emerſeramus ad ampliſſimam urbem, in quam meum cum Cæſare fœdus erat compoſitum. Ac cum ad Mauritii domum (is erat Cæſaris neceſſarius) tenderemus, occurrit nota jam olim Cæſari mulier, quam ille parciſſime ſalutatam me advertere juſſit, & omnia diligentius intueri. Auream veſtem aliquot inſuper gemmæ aut colebant, aut ipſæ ornabantur; decentiſſimi collo torques, crinis theatrali pęne gradu conſcendens, cothurni omni tragœdia altiores fœminam extulerant; levia veſtigia omittebant intactam pęne terram: eaque reclinata molliter in humerum adoleſcentuli dextra tollebatur. Gradus tamen ipſa teſtudine tardior differebat huc illuc laſcivienti modeſtia vultus, tardeque ab oculis obviorum tranſeuntem rapiebat. Interrogavit Cęſar, qualem ego mulierem crederem, quę tam prodigo cultu, tanta frontis tranquillitate procederet? Ego Dynaſtę alicujus conjugem cum dixiſſem, tanto riſu ilia commovit, ut etiam manus

Digitized by Google

ad lateris ſubſidium adduceret, &, Certe, inquit, ſutoris conjux eſt, ut intelligas [1] in hac urbe regnare judicium Paridis, & Minervam, Junonemque minori faſtu quam Venerem ire. Ac ne quid tibi ad miraculum deſit, ſcribendis olim matrimonii legibus adfui, tabulis etiam ſubſcripſi, in quibus dos hæc erat ſcripta: *ſtanni pondo novem, & mantilia ſingula in omnes anni menſes.* Sed longe maritus largior, etiam ultra morem effuderat liberalitatem ſuam. Is donabat patrimonii partem, & præterea veniam, ut hilari licentia utrique conſuleret. Cæterum alterna eſt hæc pompa, & quam publice decora eſt hæc mulier, tam domeſticis ſordibus eſt infamis. Nihil illa fœdius cum abſunt amatores, nihil magis neglectum. Victus, pace tua dixero, [2] qualem vel Eriſichthonis fames refugiat: Veſtis tam ſqualida, ut aut ream eſſe, aut elatum maritum deflere exiſtimes.

Hæc Cæſarem familiarius exequentem, jam Mauritii domus acceperat: nec audebam ignotæ domui ſuccedere, antequam Cæſar humanitate mirabili à domeſticis cultus me etiam per familiares arceſſeret, occurreretque Mauritius, & per ampliſſima deducens triclinia, paſſim aureos oſtentaret parietes, nobileſque cameras novarum indices opum, ubi multa priſcæ urbis veſtigia extabant, & celeberrimæ tabulæ ex everſæ urbis incendio non ſemel conſervatæ. [3] Multa Gallico auro cælata fulgebant: ſive Brennus fugiens

1 *In hac urbe regnare judicium Paridis, & Minervam, Junonemque minori faſtu quam Venerem ire.*] Meretrices ſcilicet ſuperbius indui ſolent, quam matronæ nobiles. Nihil vulgarius apud omnes judicio Paridis, manet alta mente repoſtum: & ipſi pueri ſciunt. Quis illarum cultus fuerit habes in Theopompo noſtro.

2 *Qualem vel Eriſichthonis fames refugiat.*] Totus eſt in deſcribendis meretricis moribus, & habitu foris magnifico, domi ſordido: victum etiam qualem Eriſichthonis fames refugiat. Iſte cum auſus eſſet in ſylvam Dianæ ſacram ſecurim immittere fame confectus eſt; etiamſi Methra ejus filia quatenus fami tantæ ſubveniret ſub variis beſtiarum formis venderetur.

3 *Multa Gallico auro cælata fulgebant, ſive Brennus fugiens reliquerat.*] Hic cum trecentis armatorum millibus in Italiam irrumpens Romanos profligavit; deinde ad urbem pergens eam cepit, & exuſſit totam præter Capitolium, quo juventus nobilior confugerat; ſed cum illo convenerunt Romani ut acceptis aliquot auri talentis obſidionem ſolveret. Cum igitur aurum penderetur, ipſe dux gladium vagina educens, & hunc

ſugiens reliquerat, ſive ipſi per publicos tumultus avexerant. Præcipua deorum cura fuerat. Stabat Jovis Junoniſque ſpecies ſupra homines venerabilis: Deinde [1] ſpirans ubique Ganymedes, & [2] Æneæ mater Venus poſteros ſuæ originis admonebat.

Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!

Cum omnia diligentius perluſtraſſem, & truncos majorum vultus, ſemeſaſque imagines contemplarer, neſcio quis me Deus funeſtiſſima Mauritii voce obruit, qui Cæſari prædicabat, illam domum Fibullio tranſalpino homini tantum ſacram dicatamque non eſſe, ſe illius nomini omnia debere, expectare etiam poſtridie ab illo nuncium, qui frequentiſſimis literis & colebat amicitiam, & ſua beneficia tuebatur. His ego perculſus vocibus, tantum non amiſeram ſpiritum, ſed pallorem, qui ſubinde membris ſuffuſus eſt, excuſavi extemporaneo morbo, quaſi omnes corporis articulos febris ſubito tremore tentaſſet. Cæterum nihil opportunius ſuccurrebat, quam fugere, ne me illic à Fibullio nuncius deprehenderet. Igitur nec expectata cœna, quaſi perluſtraturus urbem, effugi ſuſpectam Mauritii domum, votoque ad fortunam facto, ut aliquando ſatiaretur meis malis, non civitatem modo, ſed provinciam reliqui, & miſerabili locorum imperitia, cum totius orbis exul huc illuc fugæ meæ notas ſpargerem, tandem in ipſa Callionis patria, in ipſis hoſtium penatibus ad populoſiſſimam urbem veni, in qua tanta erat frequentia, ad negotia diſcurrentium, [3] ut aliquandiu crederem ſeminarium eſſe, ex quo morta-

& hunc pendi imperavit: quod negantibus Romanis Camillus qui exul & abſens dictator creatus eſt, collectâ manu Gallos ex improviſo adortus eſt, qui relicto auro cum maximo ſuorum diſpendio in fugam ſe dederunt, quos perſequens Camillus ex Italia expulit.

1 *Spirans ubique Ganymedes.*] De Jove & Junone, atque de Ganymede Jovis pocillatore, nam à Jove è regia Trois raptus eſt ut fingunt poëtæ, Aquilæ miniſterio, trita eſt fabula, lippiſque & tonſoribus nota.

2 *Æneæ mater Venus poſteros ſuæ originis admonebat.*] Romani, maxime vero familia Juliana, genus ſuum ab Ænea, & Venere olim jactabant.

3 *Ut aliquandiu crederem ſeminarium eſſe, ex quo mortales Jupiter in orbem emittit.*] Hyperbolica loquendi ratio.

mortales Jupiter in orbem emittit, vel quo fatis vocantibus homines coëunt, ad vitam iterum ſolemque redituri.

[1] *Quicquid Arabs, quicquid dubiis Naſamones arenis,*
Aut laſciva tenent effœti littora Lydi,
Invenias: illic etiam Mavortia Thrace
Quicquid alit, quicquid Scythici trux incola Ponti,
Quicquid in immenſo late pulcherrimus orbe
Aut facit, aut alio ſpectat Sol nomine factum.

Etiam omnigeni fructus, etiam mala Cotonia, prope regiæ culinæ fores exurgunt. Illic virtutum, illic vitiorum collegia, & ne parum dixerim, cælum cum tartaro mixtum. [2] Urbem autem ajebant de Priamidis nomine Alexandriam appellari. Nec longius quæſivi latebras meæ fugæ. Nam velut in ſolitudine errarem, in quot incurreram homines, in tot incidiſſe ſimulachra fingebam. Ac mihi præterea perſuaſeram, tarde crediturum Callionem, me ad regionis caput fugere, cujus ipſe corporis pars pæne maxima credebatur.

30 Erat ædes laxiſſima, ad quam multis gradibus ſurgebat aſcenſus. Celebres circum porticus, & venalitiis rebus plenæ morabantur euntes. Ibi nobilium fœminarum ingens numerus, pennata procerum vanitas, litigantium quoque vigiles turbæ, furum etiam, & eorum qui fortunam, ubicunque inveniunt, amant. Cum illic animum in tot miracula

Fingunt poëtæ Jovem hominis auctorem, ut & Prometheum. Ita Heſiod. Naſo, & alii.

1 *Quidquid Arabs, &c.*] Hoc eſt, ibi reperitur quidquid Arabia producit, quidquid & Lydia ubi olim Crœſus Regum opulentiſſimus imperavit; ibi & populi præ nimiis opibus in laſciviam effuſi ſunt, quidquid & Thracia, quidquid Scythia; denique quidquid producit ſol, aut videt. Naſamones populi Arabiæ: Mavortiam autem Thracem appellat, quia illa gens Martem adorabat in primis.

2 *Urbem autem ajebant de Priamidis nomine Alexandriam appellari.*] Aliqui octodecim hujus nominis civitates enumerant ſcilicet Ægyptiam, Thracicam, Opianam circa Indiam, Ciliciam, Cypriam, Cariam, Bactrianam, Arachoſianam, Macarenam, Sorianam, Indicam, Ariam, Melanam, Sogdianam, Tanaitidem, Carmanicam, Migdonicam, Troadem, &c. Quæ fuerit autem Priamidis nomine, an hæc poſtrema? An illa quam ædificaſſe & nominaſſe creditur Alexander Paris filius Priami?

1 *Quod*

cula dividerem, vir quidem, ut videbatur modeſtiſſimus, paulatim accedens, ultra loci genium ſalutavit ignotum, & an vellem emere profundam auri maſſam quæſiit, vili etiam addictam, &, quod eſt miſerrimum, cui præter invidiam nihil pretium minuebat. Cum omnino non reſpuerem, ſeduxit à turba, & nonnihil modeſto gemitu cunctatus, Quam eſt durum, inquit, bonis mentibus, vel infamia ſeculi, vel hominum criminationibus inundari! Aurum, quod Naturæ genium exprimens ſolerti induſtria conflavi, palam efferre timeo, ne judicium, quod in omnes artis noſtræ homines jam olim rumor tulit, me ſub communi cauſa obruat. Cæterum ſi populo non omnia credis, ſervaſque judicandi arbitrium, potes hic per compendium properare ad ampliſſimas opes. Aurum exiguo pretio permittam. Tu auctione certiſſima dives, non ad optimam ſemel prædam, felicemque mercatum redibis. Et ne me putes fallendi animo hęc facere, ſi placet, hodie una cœnabimus, ut familiare ſuper menſam colloquium, tum fidem tibi meam, tum veritatem, certius inſinuet.

Tam erat appoſita oratio, tam vultus ad lenitatem compoſitus, ut nefas crederem, ſi mihi tam ſanctus homo in ſuſpicionem veniſſet; cum etiam, inſtar Antiſtitis ſummi Jovis, videretur ab omnis juramenti atrocitate ſimplex animus refugiſſe. Itaque facilis, & nondum ſatis Fibullii donis edoctus, ut extemporanea beneficia vitarem, promiſi ad cœnam, & etiam condicto maturius adfui, ubi meus ille planus accenſum modice ignem, &, niſi fallebat, æternum, follibus ad menſuram turgentibus alebat, & prunas ſcrupuloſe excitans, Mercurium ſuum humido, ut loquebatur, ac quodammodo pingui calore fovebat, ut, inquit, feliciſſimus pulvis, per tot artes tantamque ſolertiam natus, id mortalibus innoxie tribuat, [1] quod ne quidem dii Midæ

1 *Quod ne quidem Dii Midæ ſine damno dederunt.*] Iſte Rex Phrygiæ Gordii bubulci filius à Baccho quem humaniſſime exceperat obtinuiſſe dicitur ut quidquid

Midæ ſine damno dederunt, & metalla omnia in altiorem transferens ordinem, doceat Naturę induſtriam humana ſedulitate vinci. Etenim ubi tellus, optima morientium omnium parens, auri ſemina in abditiſſimo ſinu concepit, & inſpirantem benignius Solem admiſit, humillimo primum initio tam chari ac præſtantis fœtus elementum orditur. [1] Nam Mercurius ille, ex quo quicquid metallorum eſt componitur, veluti certis gradibus ſeſe in pręſtantiorem naturam adaptat, donec volventibus jam pęne ſeculis in hunc fulgorem evadit, qui omnium oculos tam ambitioſe delectat. Nos autem lenta corrigentes incrementa Naturæ, primum Mercurium maſculum è montium medullis excipimus, lentoque ac vitali calore imitantes ingenium Solis, ad altiorem ſphæram agimus, [2] ut à Mercurio ad Venerem, inde ad ſublimitatem Solis aſcendat, id eſt, ut per omnes velut ordines actus, ea ſede conſiſtat, à qua ſi metalla deflexerint, quacunque velint parte, deſcendant; idque tantum menſibus novem, nempe juſto tempore, quo ſe fœtus humanus ad vivendi dignitatem inſtruit.

Sed eſt fortunæ rariſſimæ, & in quam nec temeritas, nec caſus incurrat, ita digerere naſcentis auri cunabula, ne vel immodico æſtu conſumptum, vel lento nimium igne torpeſcens, ſpem hominum & induſtriam fraudet. Multi nondum ſolverunt de littore ratem, cum jam naufragium ſentiunt: alii in ipſo curſu, & ſpe jam adulta, etiam aliquando in portu, tam mirabilem & lucri & famæ fortunam de

quid tangeret, in aurum converteretur; ſed cum vel ipſæ dapes ab eo tactæ aurum fierent, ipſe pæne fame interiit.

1 *Nam Mercurius ille ex quo quidquid metallorum eſt, componitur.*] De lapide philoſophorum mentionem inducit, vulgo pulvis projectionis dicitur; ajunt autem componi ex Mercurio, & igne temperato; ſed hoc opus hic labor eſt. Ferunt inventum tale ſecretum conflandi auri vel argenti ab Herme Triſmegiſto antiquitus, & noſtris fere temporibus à Raymundo Lullio qui & ipſe de ea re libellum compoſuit, quod multi alii fecere, ut Baſilius Valentinus monachus, neſcio an ſatis fœliciter. Hîc autem vulgaria præcepta hujus artis proponit Auctor. Sunt qui putent Midam hanc artem calluiſſe dum fingunt poëtæ eum in aurum quidquid tetigiſſet, convertiſſe.

2 *Ut à Mercurio ad Venerem.*] Paulo ante de Mercurio loquebatur ut metallo, nunc de eo loquitur ut planeta.

1 *Sacer*

de manibus amittunt. Sæpe fornaculum ſerius ad ignem poſitum, ſæpe vitrea vaſculorum fragilitas elatam expectationem eludit, & ſi verum fateri audeo, pleriſque ſui cultoribus hæc ſcientia nihil relinquit, præter inaniſſimam ſpem emendandi quod prioribus experimentis peccaverint. Deſidit interim quantumcumque profundus patrimoniorum alveus, nudaque ſpe ac ſterili his ignibus carpitur, unica curioſi animi voluptate tot diſpendia, tot maledicæ plebis contumelias repenſante. Sed generoſis mentibus, & nihil præ mirabili arte æſtimantibus, eſt etiam quædam paupertatis in hoc ſtudio ſuavitas, ne gratis in Naturæ ſecreta pervaſerint. Nec ullus eſt in egeſtatem tam magnificam actus, cui plus aliquid doleat, quam quod ceſſantibus opibus, [1] ſacer ignis, & Phrygio Romanoque divinior cadit. Populus autem, & qui obſtinato pectore ſinceræ voluptatis guſtum non ſentiunt, execrantur hanc bonorum voraginem, & modeſtiſſimi quidem riſu, petulantiores maledictis inſectantur, ſeveriſſimi pœnis. Inde monetarum adulterationes, inde fraudes & latrocinia eſſe clamantes, & quæcunque exhauſta patrimonia per injuriam implent. Nec illuſtrium hominum ſplendor, nec Aquila noſtrarum jam partium facta, amplitudine ſua humilium vitiorum, & quæ anguſtis tantum capiuntur pectoribus, infamiam à nobis detergit. Quotquot in id ſtudium tendimus, ſi ex optimatibus, fatui; ſi ex tenuioribus, impoſtores audimus. Iniquiſſima tamen ædepol conditione, & quæ facile populum judicaſſe commonſtret. Etenim ne me jam aliorum oneret defenſio, id cælo teſte ac interrita fronte prædico, me à puero incubuiſſe in hanc artem, me quicquid eſt ſecreti atque abditi indefeſſis laboribus quæſiiſſe; meam tamen fidem aut integritatem nullo propterea eſſe

1 *Sacer ignis, & Phrygio Romanoque divinior.*] Ignem intelligit, cujus ope conflatur aurum; quem quidem ignem extollit ſupra ſacrum ignem à Trojanis & deinde à Romanis tanta cum religione cuſtoditum, & à Veſtalibus Romæ tanta cum ſollicitudine ſervatum.

1 *Omnes*

eſſe ſcelere violatam. Jam vero & humilia in aurum transferre metalla, & vilioribus ſaxis gemmeam inducere dignitatem, mihi tam promptum eſt, ut non ſociorum magis, quam ipſius Naturæ invidiam pertimeſcam. [1] Omnes Neptuno littora gemmas concipiunt, omnia afferunt. Jam ſacrarium illius dei pæne tot radiis eſt illuſtre, quot animus virtutibus dives. Etiam talentis nuper pluribus principem lapillum emit: ſed nulla illius fortuna mea felicitate non eſt minor. Cum hæc dixiſſet, ſolvit ſacculum ſatis grandem, meque introſpicere juſſit. erat autem partim laminis aureis plenus, partim ſplendentibus gemmis, & oculos ipſa luce fallentibus: & quanti omnia æſtimarem, vultu ad blanditiem deflexo quæſivit. Ego, quem inopinato radii tam illuſtres ceperant, tribus talentis æſtimavi, id etiam, quod plerumque lenes homines ſolemus, timens, ne humiliori pretio, tanquam mercium contemptu, rogantem offenderem. At ille, Sic me nunquam educandi metalli ſolertia fallat, inquit, ut tam illuſtres gemmæ ſeptem facile talentis venient. Tibi tamen hoc erit orientis amicitæ pignus, quod deſtinata, tuo judicio pecunia, tribus inquam talentis, ſacculum auferes.

Nihil ineptius, quam apud inverecundos latrones pudore teneri. Ego ne viderer homini diffidere tam docte blandienti, cœpi veſtium nodos ſolvere, eductamque de variis pecuniam receſſibus numerare: hoc uno ſapiens, quod particulam, quæ in ſumma veſte prope humerum latebat, intactam omiſi. Igitur cum ſeſquitalentum prompſiſſem, negaremque alios mihi eſſe in præſentia nummos, ſceleratiſſimus carnifex primo ſacculum ſuum recludere cœpit; mox ut etiam à me reponi pecuniam vidit, inquit, Quicquid gemmarum eſt, potius ſorte fideliſſima partiamur. Ego in duas partes quam potero juſtiſſime diſtinguam; tu ſeſ-

1 *Omnes Neptuno littora gemmas concipiunt.*] Oceanus Orientalis, ſed & Gangetis & Indi littora lapillos generant Solis primitias, quibus antiqui templum Neptuni Dei, ut putabant, maris ornabant.

1 *Quo-*

ſeſquitalento quam voles partem optabis. Placuit etiam amentiæ meæ conditio. Itaque diviſis exquiſitiſſima ut videbatur diligentia gemmis, cum expenderet pretia, & videretur optima fide ſolicitari, omnem ex animo meo ſuſpicionem abſtulit. Laminæ etiam aureæ in diſtributionem venerunt; ut feliciſſimo mercatu crederem à me exiſſe pecuniam. Cum igitur, tanquam ille quondam Philoſophus, pro Punicis malis ceram tenerem, hilares ad cœnam conceſſimus, & ſuaviſſima remiſſione animi condivimus epulas ad faſtidium pompamque venientes.

Ac poſteaquam in domum meam redii, nunquam mihi ſuavius fuit, cum animus lucri confidentia plenus etiam in medio ſopore non ceſſaret, & inani cogitatione deluſus, gemeret tantum temporis ſuis quæſtibus intereſſe, quantum moræ lenta nox opponeret.

Pons in illa urbe celebris lignea radice conſurgit, & trabibus artificioſe compactis non tam undis tranſeuntibus obſtare laborat, quam auri argentique ponderibus anhelans ſub pretioſa mole deficit. Hinc & illinc aurificum domus & officinæ quaſi continuo ſplendore lucentes, unionum quoque gemmarumque ſupra felicitatem Indi littoris copia. quo etiam meas merces cum tuliſſem, ſenex quidam, inſpectis diligenter gemmis, Et me, inquit, deridere credis, jam à cunis inter gemmas educatum, qui vitreæ fractæ particulas pro lapillis rarioribus objicis? Ego indignans, velut à cauto ſene deluderer, maledixi tabernæ tam inſigniter mentienti, & in aliam me contuli: ubi me pæne totum crudelior fortuna evertit. Nam cum Hyacinthinam inaurem fabro traderem, pretiumque velut ab alio empturus rogarem; Quanti, inquit, cryſtallum emeres ineptis ac ruſticis fucis imbutum? Tum ego ſmaragdum porrigere, ac pellucidam unionem, [1] quantam Ægyptia mulier non diluiſſet,

1 *Quantam Ægyptia mulier non diluiſſet Antonio.*] Cum enim Cleopatra Ægypti Regina luxu menſæ ab Antonio ſuperaretur, unionem quæ ex aure pendebat ingentis omnino pretii aceto diluit, & uno hauſtu abſorpſit. Ex quo Antonius dans manus ſe ſuperatum confeſſus eſt.

1 Si

diluiſſet Antonio. Sed cum omnia ejuſdem notæ eſſent, non averti tantum artifex aut ſpernere; ſed convitiari ac palam non impoſtorem modo, ſed furem dicere cœpit. Quotquot vero permeabant per ſublicium pontem, cum teneri furem crederent, ſic reſtabant ante ædiculæ limen, ut liberæ undæ ad ſubditi obicis retinacula colliguntur. At ego non alias minus vivus omnem doloris ſenſum amiſeram; nec advertebam hominem omnes veſtium mearum receſſus importune ſcrutantem, palamque efferentem ſaxa gemmarum colore tecta, laminas æneas, quæ auri ſpeciem tenui cælatura traxerant. Igitur non amplius audiebam ut latro, ſed ut adulterator monetæ & publicæ vindictæ ſervandus, cum ſubinde redeuntibus nervis in hoc ſaltem miſeri ſenſus patuerunt, ne ignorarem me miſerrimum eſſe. Tum profuſis lachrymis, vultuque qui non tantum à me nefas commiſſum eſſe diceret, jam ſilentem populum & audiendi avidum affatus ſum. Si non omnis miſeris fides cum calamitate decedit, illud juro, non ſcelere meo, nec fraude, id quicquid eſt concitum turbæ: Virtus, & credulitas fidei meæ teſtis, in has me anguſtias conjecerunt, malitiæ dolique rudem; de quo id hactenus ſenſi, primum eſſe nefas in ſe admittere, ſecundum in alio ſuſpicari. Itaque cum heri bonæ fidei integritatem, ſeu verbis, ſeu inceſſu, ſeu etiam aliquo geſtu, incautus prodidiſſem, viſus ſum præſtigiatori turpiſſimo facilis præda, & quæ maculas magis pondere, quam exeundi ſubtilitate turbarem. Nec illum fefellit opinio. Nam hæc pæne inania gemmarum ſimulachra ſeſquitalento permutavit.

Cum non ſolum lamentabili fletu ſermones meos, ſed omni etiam execratione firmarem, circumſtantis populi impetum ſtatim fregi. Itaque aliis ad riſum, pluribus ad commiſerationem verſis, peto rogoque, ne mihi nullo merito calamitoſo deſint: eant una in ſycophantæ domum, & ſceleris tam atrocis præmium ex facinoroſis manibus extorqueant. Id ſaltem ſolatium paupertatis fore, ſi non ini-

micum

Digitized by Google

micum ditaviſſem. Aſſentantibus cunctis, ſeu qui odio in ſcelus ducerentur, ſeu quos in miſerabilem pietas excitaret, ſeu denique qui turbas ad flagitia peterent, ducem me prębui; cum ſubito lictores publici aſtiterunt ad latus, moleſtiſſimo ſatellitio, & aut in meam, aut in æmuli pecuniam intenti, quorum paulo ante aliquod nobile ſuæ artis facinus ediderant. Nobilem fœminam de curru detraxerant. Flagitabant nummos, quos neſcio quis creditor per judicem petiiſſet. At illa, ſe vero non abnuere, non negare, dicebat. paterentur iret in ædes, expeditos traderet numos, neu ſe vel cuſtodia, vel abſtractis equis, indigne laceſſerent. Nec impetravit aliquid à barbara gente, etiam licentius ſæviente, quod extorquere verbera vellent, magni ſemper ſeu fuſtem ſeu lorum ementes.

Cum autem jam eſſemus in limine, venit intrepido vultu caupo, &, quid apud ſe vellemus, audacia quæ conſcientiam celaret, interrogat. Tum ego; mediocris ſtaturæ hominem, macilentum, calvum, fuſca barba, pallida cute, me quærere dixi, quo cum heri cœnaveram. At ille tamen apud ſe divertiſſe, aut omnino pridie quenquam cœnaſſe in ſuis ædibus negans, me ipſum turpiſſima ſuſpicione perſtrinxit. Jam apertis clamoribus laceſſitus nihil mollius vinculis expectabam: cum cauſæ meæ fiduciam deſtrueret diverſitoris conſtantia, nec elatis omnium vocibus, ſatis audiretur defenſio. Itaque geſticulanti dextera, etiam hianti ore, ſignificavi eſſe quod loqui vellem. Tandem impetrata pax dicendi locum fecit, &, Si, inquam, neminem in domum admiſiſti, dic, ſi potes, qui erant illi homines, qui in ſuperiore cœnaculo totum diem bibendo conſumpſerunt? Quos cum ebrios ac petulantius rixantes velles compeſcere, ictum in ſupercilio accepiſti, projecta lance, & per ſolutam cutem uſque ad ſoliditatem oſſium merſa. Dic etiam, num affines tui, num familiares erant, quos ex ultima Iberia venientes longo ſermone excuſaſti, quod noctis ad epulas ſocios adduceres. Neque in re incerta verſor:

Digitized by Google

Meam cauſam eorum ſarcinæ agent, ipſique præterea hoſpites, ſi expectatis, dum à negotiis ad prandium redeunt.

Cum tam indubitatis indiciis agerem, cogeremque adverſarium quærere quod diceret, mutatum vulgi ſtudium, & innocentiæ meæ favor pæne cauponem evertit: cum is omnium clamor eſſet, hominem nequam & arte ſua dignum, non ſceleris modo gnarum, quod in me, quiſquis erat, ille planus cogitaſſet, ſed etiam prædæ participem, per indignam advenæ calamitatem augeri. Receptatorem latronum, & ipſis pejorem aggreſſoribus ad publicum exemplum caſtigari debere. Nihil mihi unquam illo jucundius extitit; quoniam non deerant, qui vinciendum cauponem, ac ſervandum dicerent. Sed nihil fiebat tardius, quam quod omnes imperabant. Nullus injiciebat manum, aut pro imperio in cuſtodiam ſequi jubebat. Nam lictores, ut qui lucrum captarent, nec hominem tenebant, quoniam poſtea dimitti non poterat; nec abituri erant, niſi ſceleris pretium ſupra debitam juſti officii mercedem duplicaretur. At diverſitor, ſeducto ex lictoribus principe, quadraginta denarios in ſingulos lictorum, qui adeſſent, erogaturum promiſit tanta ſubtilitate, ut nemo adverterit, niſi per ſimilem malitiam doctus. Incipiebat mihi eſſe ſuſpecta lenti ſupplicii mora, cum lictor, cujus venalis fides conductam operam præſtabat, vanum eſſe de quo diſputaremus ait: id ſolum quæri, num adeſſet qui me adulteratis gemmis deluſerat. Scrutanda penitus omnia, nec abditiſſimis domus latebris eſſe parcendum. Tum irrupit in ædes, & ſtabulario nequiſſimo (id quod moliebatur) effugiendi locum fecit. Interim ad negotia populus deflexerat, & ut in tumultibus ſolet, omnium impetus in turpiſſimum languorem deſinebat: cum ſolus, & inviſus, ad ſceleratum limen adſtarem, & lictores omnia permiſcerent in ædibus affectata diligentia, quæ quo erat falſior, eo ſtruebatur ſolertius. Cumque inanem diu laborem finxiſſent, tandem nunciant abeſſe hominem, &, ſi quid in cauponem haberem, magiſtratus

juſſu

Digitized by Google

juſſu ad judicium evocandum: ſe non poſſe indemnatum, & cujus flagitium erat ita obſcurum ut poſſet negari, in cuſtodiam trahere. Id reſtare, ut largius laboris mercedem numerarem: quoniam bona fide me ſequuti tres pæne horas conſumſerant. At ego tanta improborum contumacia excitatus, negavi aliquid proditoribus daturum, præter preces, ut evenirent quæcunque publicum in illos odium quotidie concipiebat.

Nec jam languide iratus ad Prætoris urbani tribunal devolo, ſcelus cauponis & lictorum perfidiam veris indiciis delaturus. Erat autem in Arcula (ita Prætorium appellant) nam frequens concio, ut inſtar unius molis aut corporis coiret arcta & congeſta frequentia. Simul movebantur, una ceſſabant, & quod eſt rariſſimum, uno veluti ore nunc ſilebant, nunc in riſum effuſiſſime concitabantur. Cum jucundum remiſſumque tribunal admirarer, adverto judicem indigniſſimum qui inter mala verba habitet, ſublimi ſede, vultu gravi, ore ad antiquorum majeſtatem compoſito, pæne ad ridiculam controverſiam moveri, ut ſeveritatem judicantis non ſervaret. Stabat enim ludicro amictu reus, ore purpureo, viridi cucullo, cur, cum fatuorum principatum aliquot jam annos tenuiſſet, repente æmulus tantæ fortunæ controverſiam faciebat. Nec deerat patronus magnificæ cauſæ, qui principem numeroſiſſimæ gentis de ſtatu dimicantem tueretur. Illum patre, avo, majoribus fatuis ortum prædicabat; matris familiam nunquam ſapuiſſe, nec pium filium degeneraſſe à gentilitia mente. Meminiſſent magiſtratus, in quanta cauſa judices ſederent. Concuti rempubl. ſi bene animati in Principem fatui ducis injuriam perſequerentur; qui me hercle, inquit, ſi omnes ad arma properabunt, non inveniet ſapientia defenſores. Quot enim vel ex iſtis, qui me nunc audiunt, taciti, & velut in partes non abſtracti, [1] ſi ſemel Moriæ vexillum effulſerit, pro

1 *Si ſemel Moriæ vexillum effulſerit, pro ſtoliditate pugnabunt? Non hoc ſeculo Clazomeniis ſolis inſanire publico decreto conceſſum eſt.*] Sunt qui de ſtoliditate ſua

ſua

pro ſtoliditate pugnabunt? Non hoc ſeculo Clazomeniis ſolis inſanire publico decreto conceſſum eſt. Nihil tutum, nihil ſincerum relinquetur; nec aliud pugnam cædemque prohibebit, niſi ſi forte in quos ſæviant non habebunt. Magna imperia nec apud prudentes ſine formidabili concuſſione mutantur. Verendum eſt, ne, ſi tantæ multitudinis jam placida tranquillaque moles excitabitur, non magis de imponendo duce, quam de ſedando exercitu quærendum ſit. Patiamur fatuos conditionem ſuam ignorare. Sint ſuo judicio prudentes, nec cogamus & vitium eos & vires agnoſcere. Adjuvabat omnia princeps fatuus, ridentibus lachrymis, nutuque, ſi vinceret, ſingulis apud ſe dignitates deſtinans.

Videbam non vacare miſeriis meis judicem, neque potius per me quam per diſertos patroni queſtus rem publice deferendam. Itaque cum hora pæne duodecima litem jucundiſſimam diremiſſet, admiratus tot cauſidicos è ſubſellis ſurgentes, quot olim cauſæ non erant, omnium ora vultuſque penſabam. Illius torvum ſupercilium horrebam, illius explicatam laſcivamque barbam oderam: nec erat quem non aut reverentia aut faſtidium prohiberet adiri. Cum jam omnes dilaberentur, ſeu fato, ſeu fortuna, poſtremus exceſſit [1] vir cenſorii vultus, ore, inceſſu, modeſtia Cato: Quem ego tandem audacior cum ſubmiſſione viliſſima ſalutaſſem,

ſua inanem gloriam ſe conſequi putaverunt, quales olim fuere Clazomenii, ſive Marathuſii. Sed & noſtra ætate non procul à Belgio urbecula eſt quæ vulgo dicitur Ham, cujus cives non raro talem fatuitatem affectant, quam in ſupremis gloriæ ſuæ titulis ponunt, hoc ſane titulo digni.

1 *Vir cenſorii vultus, ore, inceſſu, modeſtia Cato.*] Hoc eſt vir graviſſimus. Appellatur vir gravis, homo cenſor & patruus. unde Perſius:

Cum ſapiunt patruos.

Sed & quis dicitur cenſoria virga dignus: quia cenſorum non ſolum præire modeſtia cæteris; ſed etiam aliorum mores coërcere. Catonis autem mentionem facit, an Uticenſis illius qui puer adhuc, ut narrat Livius, Legatos ad avunculum accedentes, & deprecatorem cum pro ſua legatione poſtulantem torvis ſemper intuebatur aſpectibus? An Cato Porcius, cui poſtea è cenſuræ dignitate Cenſorii cognomen inditum eſt, quem ob morum gravitatem ſingularemque juſtitiam Virgil. 6. Æneidos inferorum judicem facit,

Secretoſque pios, & dantem jura Catonem.

lutaſſem. Si es, inquam, quod te hominum exiſtimatio, quod te probitas, quod ipſa juſtitia prædicat, conditionis miſerorum columen, afflictæ virtutis patronus, noli contemnere benefaciendi materiam, quam heu! meo tibi damno fortuna ſuggeſſit; quem ex florenti ſtatu facilitas aſtutis prædonibus patens in indignam calamitatem miſit. Tum prolixam mali ſeriem dolentibus verbis, & ipſis pæne gemitibus in conſpectum dedi. Nec pro re moveri videbatur. Sed poſtquam medium ejus, quod ex lite conſequerer, promiſi; tunc allevare oculos cœpit, tunc mulcere animum meum, doloriſque ultionem promittere. Igitur poſtero die ad tribunal adeſſe juſſit, vultu quantum poſſem funebri, liberali tamen veſte, fictaque conſtantia, ut viderer judicibus & bono loco eſſe, & ſolo adverſarii ſcelere miſerabilis, cætera ſuæ fidei concrederem. Cum ſic ab eo diſceſſiſſem, ut omnia optimo ſtatu eſſe putarem, liberius totum diem variis cogitationibus impendi; nunc Callionem ac Fibullium in meum ſupplicium incenſos, nunc crudelem Percantis adulationem reputans, ſi qui me caſus ad immite ſervitium retraxiſſent: [1] & fronti literas eſſe, quas crinis utcumque celabat, velo ut in obvios nec cogitantes fideli, ita in curioſos & ſcrutantes imbecillo: & me teſtibus, ſi negarem, poſſe convinci, & ipſam domini potentiam mihi copiam defenſorum non facturam. Contra obſtabat regium Gelonis nomen, animuſque ſupra ſervum erectus, & nullum de ignota ſtirpe præjudicium, niſi quod de externis præclarius ſentimus.

Cum hæc ſollicitudo animum in craſtinum protraxiſſet, iremque ad Prætorium, occurrit in ipſo aditu vir, qui magnificus videri poterat, ſi quod inter illuſtres veſtis diſcrimen faceret, meque nec cogitantem benigniſſime ſalutavit. Incipiebam timere, ne venales etiam gemmas afferret, cum ille habere ſe dixit quæ è re mea forent audire, commodarem

1 *Et fronti literas eſſe.*] De mancipiorum notis, quibus eorum frontes inurebantur ſatis dictum eſt initio.

Digitized by Google

modarem aliquantulum aurem, neque ſi me aliqui circumveniſſent, ex alieno ſcelere ſuam fidem metirer. Quamquam omnibus diffidebam, non videbam tamen quæ fraus timeri ejuſmodi colloquio poſſet. Itaque humaniſſime, & tempus, & ſecretum, ſi res poſtularet, promitto; ſimulque in oblongam porticum deſcendens, cœpi expectare ſermones hominis longa cogitatione ac veluti ſuſpiriis ſibi præſantis. Non alias, inquit, durior natura extitit, quam cum levari mala voluit atrocibus remediis, ut interdum morbo ſævior medicina valetudinis deſiderium tollat. Multi dolores non leniuntur, niſi membra quæ dolent exſeces, & interdum eſt levius ægrotare quam ſanari. Idipſum quoniam deteriora Naturæ imitamur, humana diſciplina decrevit. Etenim lædi, ſpoliari, contumelia violari, magnum malum, & ſeu famæ noſtræ, ſeu fortunis acerrimus morbus: ſed remedium diluit tam amarum conſuetudo noſtra, ut non tam invitare videatur ad ſanitatem ægros, quam ſanos prohibere ne doleant. Judicia dico, & crudeliſſimos Advocatorum aſtus; quos, ſi litigare perſiſtis, intelliges nihil minus quam prædones ſævire, niſi quod lentius cædunt. Ille diverſitor per quem damnum te feciſſe clamitas, ecce tibi omnibus modis purgaturus crimen eſt, etiam ſponte pecuniam refuſurus, quantam nulla tibi judicum ſententia dari imperet. Conſcium fuiſſe ſceleſti conſilii, quo te fucatis gemmis vir nefarius deluſit, negat. Sed cum nollet domum ſuam infamia laborare, te prohibuit cum lictoribus irrumpentem in ædes. Et jam anxias litium curas, jam avaras patronorum artes omni pretio redimit; me legatum ad te miſit, utpote qui mutui commodi admonerem. Tuo bono reduces veſtigia, dum adhuc in limine hæres, nec dum interius tractum adducto velut oſtio incluſerunt Patroni iniquiſſimo labyrintho: ubi te calumnia atque mora, [1] omni Mæandro pigrius ſtante, ludificentur. Semel

1 *Omni Mæandro pigrius.*] Mæander fluvius eſt Aſiæ minoris famoſiſſimus ortus è lacu, plurimaque allambens oppida, auctuſque variis fluviis, ita ſinuoſis

Semel mihi controverſia fuit, quam componi per Judices vellem, cum omnes interpellarent ſtultitiam meam, &, quod nunc tibi vaticinor, mihi plerumque minitarentur. Audies, hoſpes, rem admirabilem, & quæ te non alio ſtupore circumfundat, quam ut quæras, num eo uſque pertigerit mortalium ſcelus. Eram paſſus atrocem ab amico injuriam, qui epulis obrutus, poſtquam appellavit contumelioſe, etiam graviter multaverat, immiſſo in me ſervitio, dentemque, ne nullum eſſet ſceleris veſtigium, ab ore excuſſerat. Quid multis? conveni in judicio: elegi patronum qui cum diſertiſſimis certabat, nec corpori parcebam, nec pecuniæ. Sed hoc mihi nocuit, quod incideram in opulentum hoſtem, qui prævaricatorem turpiſſimum (illum, inquam, qui mihi Advocatus erat) duobus talentis emit; ut non amplius niſi ſua voce loqueretur. Languebat Oratoris mei facundia, quoties jubebatur pro me loqui, nec ſententiæ ſequebantur, nec pæne cohærebant verba: ut Judices eloquentem hominem crederent non naturali vitio, ſed cauſæ infirmitate labaſcere.

Cum igitur ſpem meam multis dilationibus fruſtraretur, tandem exactis aliquot annis reſtabat, ut quæſitor aliquis pronunciaret. At ille nefarius, ſuſpectos mihi plurimos ex iis qui ſedebant in cauſa judices proclamat: ac ut in me moveret odium, quanto non laborant nocentiſſimi rei, petit ut ſancti quique Judices nominatim excedant: id à me mandatum iniquiſſima vociferatione firmabat. Aberam unius diei itinere, cum hoc per amici literas nunciatum reditum meum in urbem tantum non præcipitavit. Nihil expeditius videbatur, quam ut hunc probare poſſem dolo malo intervertiſſe cauſæ meæ famam; ac cum deinde ſequeſter, de cujus manu talenta duo ab adverſario meo ſumpſerat, interpoſitis inimicitiis, rem ad me detuliſſet, in jus vocare hominem, & prævaricationis accuſare auſus ſum.

ſinuoſis currit flexibus, ut ſæpe ad fontem credatur reverti. Unde obliquitates omnes Mæandros appellarunt.

ſum. Exitum meæ miſeriæ ſic comprehendam, ut & intelligas nefarium ſcelus, nec mihi moleſta ſit fuſa calamitatis narratio. Tot artibus egit, tot fucis circumamictum crimen ſuum velavit, ut immineret periculum, ne in me velut laceſſitæ innocentiæ temeritatem vindicaret. Viciſſe mihi viſus ſum, quia non perii, nec aliquid amplius impetrarunt amici mei, quam ut integra fama poſſem à lite diſcedere.

Non nego ſanctitatem Judicum hæc mala mulcere, non patronorum ſanctitatem (eorum qui à communi facinorum orbita deflectunt) publicam aliorum infamiam velut abſtergere. Sed notum naufragiis mare non ſalute aliquot navium amittit crudelitatis nomen: [1] nec proba eſt Sirenum vicinia, quoniam tranſeuntem Ithacum non evertit.

Jam vero quibus pœnis digni ſunt, qui hos homines propellunt in forum, qui, inquam, nihil minus quam peritos æquitatis humanæ ad Oratorum ſubſellia trudunt? Sacerdotes & [2] Antiſtites Themidis dico, quorum è ſcholis inexperti adoleſcentuli cum empto teſtimonio ad clientum ruinam ac pæne fatum proruunt; ut, quod olim ferebant; [3] *aſinus ad lyram*, id oraculum putem in hæc tempora deſtinatum.

1 *Nec proba eſt Sirenum vicinia, quoniam tranſeuntem Ithacum non evertit.*] Allegor. ſi Ulyſſes per inſulam Sirenum tranſire potuit illæſus, & intactus earum illiciis aut cantibus, non tamen minus periculoſum eſt iſtud fretum. Notum eſt ex Homeri Odyſſea quanta cum induſtria Ulyſſes audire Sirenas molliter cantantes potuit ipſe illæſus & malo alligatus, ſociis in profundum ſe præcipitantibus, utpote cantu allectis. Vide Metam. Ovidii.

2 *Antiſtites Themidis.*] Juriſconſultos intelligit.

3 *Aſinus ad lyram.*] Græci ὄνος λύρας ſubaudi ἀκροατὴς, id eſt, *Aſinus lyræ auſcultator*, in eos qui propter imperitiam nullo ſunt judicio, craſſiſque auribus. Hunc titulum proverbialem M. Varro Satyræ ſuæ indidit. Ejuſdem apud Gellium extant hæc verba ex Satyrâ cui titulus, Teſtamentum; *Si quis mihi filius, unus pluresve in decem menſibus gignuntur, ii ſi erunt* ὄνοι λύρας, id eſt, *Aſini ad lyram, exheredes ſunto.* ὄνους λύρας appellat indociles bonarum artium. D. Hieronymus ad Marcellam; *quos ego cum poſſem meo jure contemnere (aſino quippe lyra ſuperflue canit) tamen ne nos ſuperbiæ, ut facere ſolent, arguant.* Et idem adverſus Vigilantium, illud eſt apud Græcos proverbium ὄνος λύρας. Lucianus de iis qui mercede ſerviunt τί γὰρ κοινὸν, φασὶ, λύρᾳ καὶ ὄνῳ; id eſt, *quid enim commune, ajunt, aſino cum lyra?* Idem adverſus indoctum, ἀλλ᾽ ὄνος λύρας ἀκούεις κινῶν τὰ ὦτα, id eſt, *ſed aſinus lyram audis auriculas mo-*

ſtinatum. Quid ille qui nuper cum inter patronos referri quæreret, protulit teſtimonii libellum, quem non magis quam Juriſprudentiæ codices lectum, etiam ſibi abſens procuraverat? Credebat contineri, ſe civilis ſcientiæ ſtudiis meruiſſe quem omnia tribunalia audirent. Erat autem ſcriptum, illum medicinæ peritum cooptandum in numeros eorum, qui præcocia fata ſaluberrima ratione morarentur. Hinc riſus ab iis plurimum editi, qui tantum eruditius peccaverant. Videbatur haud ſpernenda monuiſſe, volebamque ulterius audire ſuadentem, cum Percas ad me veſtigandum miſſus, neſcio qua fortuna in eandem porticum ſe conjecit, meque nec opinantem ſæviſſima oratione perſtrinxit, &, Teneo te, inquit, Euphormio, teneo fugitivum, teneo ea cruce dignum, quæ etiam ultra mortem deſæviat. Cum aſſueviſſem eſſe miſer, & pallidi vultus nullo metu ultra poſſent albeſcere, intentavi in irruentem manus, & conſtanti lumine tantum non transfixi minantem: ac deinde cum aſperrimis vocibus detonaremus, & ille veluti pro præda, ego pro ſalute dimicarem, jam advolaverát ad nos populus, quantus pridie ad cauponem non iverat, & tanquam in arena luctantes etiam pęne hortabantur ad pugnam. Sed cum ille me ſervum vocaret, ego impoſtorem dicerem; cum ille Callionem, ego libertatem, inclamaremus, alius minis, alius fletu ageret; uterque veluti per compendium confluentes ad ſpectaculum homines ſuæ cauſæ admonet. Ille Callionis ſervum, Callionis fugitivum dicebat; Ego contra liberis parentibus ortum, unaque cœna improbe emptum referebam. Viſa res multitudini digna, quam non aliis

movens. Unde & hoc pacto effertur adagium, ὄνος τὰ ὦτα κινῶν, *aſinus auriculas movens*. Eſt autem Aſino naturale aures movere, veluti ſignificet ſe intelligere quod non intellexerit. Apud Suidam:

Ὄνος λύρας ἤκουε, καὶ σάλπιγγος ὗς.
Aſinus lyram, ſus audiit ſtolidus tubam.

Alias proverbium referunt ad aſinum non auſcultantem, ſed canere conantem lyra. Lucianus, καὶ μάλιστα ὁπότεν ᾄδῃ, καὶ ἀστεῖος εἶναι ὄνος αὐτολλύρας, φασί. id eſt, *maxime ſi quando canit cupitque feſtivus, ac lepidus videri, aſinus, ajunt, lyrâ canens.*

aliis mandaret. Statim obtinet miſeriæ favor, ſtatim vindicias ſecundum libertatem dandas cenſet: Percantem importunius obſtantem expellit. Ego vero per Curiæ veluti poſticum egreſſus mox [1] Alexandria me proripiens, & in tutiorem urbem diſceſſi; & quoniam res ad populum traducta eſt, vos qui hæc auditis, qui legitis, quamquam eſtis omnes improbi judices, non recuſo.

1 *Alexandria me proripiens.*] Aliqui per Alexandriam Barroducam in Lotharingia volunt intelligi.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PARS

Digitized by Google

PARS II.

Illuſtriſſimo & Nobiliſſimo Heroi,

ROBERTO CECILIO,

Comiti Sarum, Summo Quæſtori, & Regiorum Secretorum Præfecto, Nobiliſſimi Ordinis Periſcelidis Equiti, Sanctioris Conſilii Senatori ſanctiſſimo, &c. Euphormio S. D.

NIhil mihi debes, ſed virtuti tuæ (Inclyte Heros) quod hic liber honori tuo datur. Neminem oportuit omitti in publico queſtu, & qui in vitia non patebas, ſaltem nimiæ virtutis debuiſti accuſari. Durum enim impoſuiſti mortalitati onus, quam poſſe ad tantum faſtigium pervenire docuiſti, pæne ad Superos virtutis conſortio provectus, ſic ut nemo humanæ Naturæ imbecillitate jam aut humilitatem ſuam aut ignaviam excuſet. Et hanc accuſationis tuæ laudem quicquid hodie eſt eruditorum ad Nepotes mecum deferent, eritque mirabilius, quod jam Orbe ſeneſcente repertus ſis, qui omnibus famæ magnitudine umbram feceris, quorum fidem vel induſtriam antiquitas laudavit, licet ad omnium ſeculorum interitum ſcelera morientibus virtutibus ſuccedant, neque Cronus magis veritatis quam vitiorum pater ſit. Ego ſane tibi hoc libello, veluti longo plauſu gratulor, cujus ſonus in omnem ætatem durabit. Et quidem tuæ gloriæ meos & meorum enſes vovi. nec interim credidi inutile munus, ſi te quoque exermis colerem, & tuum nomen legeretur in hac charta, quam publici favores tam benigne ſuſcipiunt. Magni homines ſcribentium pennis ab invidia ad æternitatis ſudum feruntur, & quantum ad poſteros nihil amplius Achilles fecit, quam placuit benevolentiæ Homeri. Et nunc quidem ſatis erit te Quæſtorem iſti judicio feciſſe, ut omnia facinora tua voce damnentur, quæ in hac Satyra velut ad tribunal tuum coëgi. Cæterum hoc deinceps vigilantiſſima de-

votione

votione enitar, ne quid ex tuis virtutibus poſteritatem lateat, & tanto latiori volumine, quam quod hic vitia caſtigat, tuas laudes implebo, quanto eſt humanius gratulari dotibus naturæ, quam flagitiis iraſci. Vale.

1 IO nunc exilia atque luctus, io mortalium ſcelus & fraudes, & quicquid in Euphormionem crudelius Numen invenit; io nunc ceſſiſtis triumphanti! ego te, quicumque Euphormionem Deus urgebas, ego te pertinax fortuna laſſavi. Jam de fluctibus extuli pedem, jam evaſi de naufraga rate, & arenulam ſecuris oſculis adoravi. Et nunc de littore Oceanum luſtro, cauteſque & vada, quibus me iniquior tempeſtas illiſit, gratiſſimo horrore contemno. Juvat ô Luſiniam reliquiſſe, juvat per errores meos, & Callionis injurias, fraudeſque ſodalium, hanc conditionem emiſſe, quæ me hodie florentem contumacibus fatis oſtendit. Sine cauſa iraſcebar meis malis: & [1] me cum Themiſtocle calamitas felix in altiorem extulit ſortem. Ecce jam effugi fortunæ imperia, ecce jam [2] in Scolimorrhodiam perveni, regionem feliciſſimam, meaque Luſinia meliorem. Illic me miſeriarum pelago vagum humanior portus accepit: illic tranquillior aura demulcet, [3] & jam Parcæ mitibus decretis ſuum

1 *Me cum Themiſtocle calamitas fœlix in altiorem extulit ſortem.*] Iſte ab ingrata patria exul factus ad Xerxem Perſarum Regem confugit, à quo dux exercitus adverſus Athenienſes creatus maximo cum honore.

2 *In Scolimorrhodiam perveni.*] Britanniam magnam intelligit in quam ſeceſſit regnante Jacobo filio Mariæ Stuartæ; ſeu certe Angliam, ipſius partem.

3 *Et jam Parcæ mitibus decretis ſuum in me crimen excuſant.*] Galli verterent, *Et desja les Parques s'excuſent de la rigueur dont elles ont uſé en mon endroit.* Omnia Parcis vel fato ſubjici ſentiebant antiqui vel ipſos deos: unde *Parcas* dici volunt per antiphraſin, quod nemini parcerent. Alii vero à *partu*, ita Varro, eo quod naſcentibus bona vel mala inferre putarentur: unde Deas fatales appellarunt humanæ vitæ ſtamina diſpenſantes, tres aſſignant quæ ſunt Clotho, Lacheſis, & Atropos, queis convenit monoſtichon:

Clotho colum geſtat, Lacheſis trahit, Atropos urget.

Lacheſis dicitur à ſortiendo, Atropos à vertendo, Clotho à nendo.

ſuum in me crimen excuſant. Hac mercede calamitas placet, & quam antea miſerabili ſtylo depinxi, ea quoque jucundiſſima ſerie hanc chartam implebit. O ſordidi amatores terrarum, ô capaces ſcelerum mentes, neque vos peccandi libidinem expleviſtis, & ego maledicta non conſumſi. Jam in Scolimorrhodiæ littore tutus inſiſto, [1] jam donaria templis appendi, & in ipſa reſidens ara, ex qua diis æquoris libavi, veſtra flagitia atque neſas liberrima exprobratione promulgo.

Cum Alexandria diſceſſiſſem, & crudelitatem Percantis fugiens, & Callionis potentiam, ipſa malorum conſuetudine robuſtus, per varias gentes fluviorumque diſcrimina [2] inſtar Æneæ aut Ulyſſis diu exilium meum circumtuli, donec in amœniſſimam civitatem deſcendenti ex vicinis montibus ædificiorum cultus, & camporum pulchritudo, aliquam quietem perſuaſit. Flumen ſatis capaci alveo planiciem, quæ inter montes extenditur, percurrit; & humore æqualitatem camporum colliumque radices ſubeunte, liberalis gleba rerum omnium culturam admittit; ſummi montium vertices lætiſſimis ſilvis æſtatis voluptatem, & hyemis ſubſidium alunt: vites deinde atque horti continua ſerie ad planiciem extenduntur, quæ in paſcua & fruges diſtributa innumerabiles vicos pene in civitatis majeſtatem conjungit. Circa urbem hinc feliciſſimum olus, hinc aperta ambulantibus ſpatia viſuntur, præcipue qua fluvius exceptum convallibus montium calorem leniſſimo tepore perfundit. Urbs ad utramque ripam poſita ſatis operoſo jungitur ponte, habetque non ſuperbæ molis domus, ſed lapidibus optimis & elegantiſſima arte porrectas. [3] Delphium urbi

1 *Jam donaria templis appendi*] Proſequitur illuſtrem Allegoriam ſuam: mos autem fuit antiquitus declinato naufragio, qui portam ſalutarent donaria ſeu votivas tabellas in quibus adumbratum eſſet naufragium quod evaſerant, Deorum templis conſecrare.

2 *Inſtar Æneæ aut Ulyßis diu exilium meum circumtuli.*] Notæ ſunt navigationes, peregrinationes, errores Æneæ & Ulyſſis vel ipſis pueris, quæ omnia fuſe deſcribit Odyſſea Homeri, & Virgilii tota Æneis.

3 *Delphium.*] Nonnulli Muſſipontum

urbi nomen eſt. Ibi plures externi quam cives, propter commercium literarum, vivunt: quippe diſciplinarum ſtudia non alibi illuſtriora habentur, & Acignianorum fama veluti ad orbis ſupplementum æternam ibi juventutem conſervat.

Ego vero poſteaquam intellexi, quam multi ſe literis ex paupertate vindicaſſent, etiam ignorantiæ pertæſus, quæ mihi rerum antiquarum notitiam auferebat, ut neque veterum miſeriis ad ſolatium uti poſſem, conſtitui me in eruditorum diſciplinam dare. Jam grandior adoleſcentia, & pene in maturam virilitatem declinans abhorrebat à puerorum conſortio, quibus me elementa literarum miſcebant: ſed non fui ſub pudore, & meta itineris, quod intrabam, omnem ſaxorum ſcabritiem, ſpe dulciſſima lævigavit. Etiam perſuaſi iracundiæ meæ, ne repudiaret beneficia, quæ ab Acignio offerebantur, id eſt, ne injurias, quibus olim innocentiam laceſſiverat meam, in me ipſum ſtultiſſimo furore punirem.

Igitur anguſta habitatione contentus, mihi de quibuſdam libellis, qui ibi optime emuntur, providi, & ad gymnaſiarcham Acignii miniſtrum veni. Ille tum terribili gravitate in neſcio quam puerorum levitatem ſæviebat, & pene [1] me ipſo ſupercilio inſtar ſimulati Saureæ abegit. At vero poſteaquam animum explicui meum, excuſavique annos, quibus iniquior fortuna inviderat manſuetudinem ſtudiorum, ſane viſus eſt miſereri meæ ſortis, quæ mihi pueritiæ labores in illam ætatem ſervaverat: & aliquantulum hortatus, ne pulcherrimum curſum ſinerem contrariis ventis perverti, me ad infimi ordinis Scholaſticum manu duxit, & in auditorum numerum redegit.

[2] *O pater, Aoniæ moderator maxime turbæ,*

Qui

tum intelligunt, an ab antiquo Stemmate civitatis? Ibi certe illuſtris Academia.

1 *Me ipſo ſupercilio inſtar ſimulati Saureæ abegit.*] Tam gravis iſte Saurea gravis, & gravitate terribilis viſus eſt, ut vel hoc apud illos tranſiret in proverbium.

2 *O pater, Aoniæ moderator maxime turbæ.*] Apollinem invocat non ſolum Muſarum Chori præſidem ac moderatorem,

[1] Qui Xanthum Lyciamque colis, Delonque vagantem,
[2] Et Claron, & Delphis famam vocalibus addis:
Da faciles vultus, meque ad tua limina deduc.
[3] Non ego Bacchæos inſana per avia thyrſos,
[4] Non buxos Phrygias, [5] aut ſancta ſilentia poſco,
Queis Celœa domus, queis ſe bona jactat Eleuſis.
Tu tantum mihi Numen eris: te præſide terras,
Phœbe pater, totumque licet contemnere cœlum.
[6] Te, cum diſpoſitis imponis carmina nervis,
Mirantur laudantque dii, vincique fatentur:
[7] Et qui certa fero molitur fulmina jactu:
[8] Et qui Biſtoniis acer deus imperat oris.
Nec minor in terris regnans pater: [9] Orphea nigri
Victo-

rem, verum & qui oracula ſoleret reddere.

1 *Qui Xanthum Lyciamque colis, Delonque vagantem, &c.*] Qui reddis oracula tua in Lycia, cujus urbs Xanthus, apud Delon autem natus eſt, nota eſt fabula. Sed vagantem Delon appellat, quia in eam inſulam inſtabilem inſiliit Latona œſtro Junonis percuſſa, ubi geminam prolem Apollinem & Dianam luci dedit: moxque iſta inſula cum aliis Cycladibus juncta eſt, & immobilis eſſe perſeveravit.

2 *Et Claron & Delphis famam vocalibus addis.*] Celebrata ſunt & duo iſta oracula, à quibus Apollo & Clarius & Delphicus dictus eſt. Delphos autem vocales appellat, quia ibi celebratiſſimum fuit oraculum, quod naſcente Chriſto vero Deo obmutuit coram Auguſto.

3 *Non ego Bacchæos inſana per avia thyrſos, &c.*] Id eſt, non invoco Bacchum, cujus miniſtræ fuere Bacchantes thyrſis armatæ.

4 *Non buxos Phrygias.*] Memorat & ſacra Berecynthiæ, in quibus ſacerdotes tubis buxeis utebantur.

5 *Aut ſancta ſilentia poſco, &c.*] Non invoco Cererem cujus ſacroſancta ſunt ſilentia. Horatius l. 3. Ode 2.

Vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus fragilemque mecum
Solvat phaſelum.

In his autem Urbibus Atticæ præcipue obſervabatur culta Ceres, vigebantque illius ſacra.

6 *Te, cum diſpoſitis imponis carmina nervis, &c.*] Vulgata eſt Cytharæ inventio ab Apolline facta cum teſtudinem reperiſſet, eique carne vacuatæ fides accommodaſſet. Unde Horat. lib. 3. od. 11.

Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis,
Nec loquax olim neque grata, nunc &
Divitum menſis & amica templis, &c.

7 *Et qui certa fero molitur fulmina jactu.*] Jovem intelligit fulminantem, qui & ipſe lyræ concentu ſe victum fatetur.

8 *Et qui Biſtoniis acer deus imperat oris.*] Et Mars miratur qui Thraciæ Rex olim fuit, quæ quidem à Biſtonia urbe præcipua cognominata eſt.

9 *Orphea nigri Victorem ſenſere dii.*] Non ignota eſt fabula Orphei ad Tartara deſcendentis repetendæ cauſa conjugis Euridices, quam obtinuit ipſe à Plutone capto dulcedine lyræ, ſed tamen cum conditione.

1 Te-

Victorem ſenſere Dii, [1] *tecumque loquutus*
Horriferum Ajacem timidus confecit Ulyſſes.

Cæterum quod in pueris eſt ſeveritas parentum, aut ſupplicii timor, illud mihi erat pertinacia virilis, & proprii conſilii decretum, ut improbo labore ætatis diſpendium redimerem. Et qui quondam jam ſeverus alienos penſaveram mores, tandem eruditis cogitationibus intentus ſupervacuas omiſeram curas; cum Acignianorum diſcordia, quæ illos in Delphio cum quibuſdam etiam literatis committebat, me ad priſtinam indignationem reduxit. Proh cæca vitiorum libido! proh rerum minimarum in ingentia crimina ſat patentes anguſtiæ! Non leviori collidebantur certamine, non minus atroci ambitu pugnabant, quam ſi diadematis fortunam tam ludicra promiſiſſet victoria. Qui aliis imperarent in anguſta urbe, inter homines liberales quidem, ſed obſcuros, pertinaci æmulatione quærebant; ſufficiebant odiis inania dignitatis nomina, faſceſque ſine ſecuribus puerorum tergis hærentes. Nulli interim ſeverius in ambitum dicebant, nulli frequentius numerabant ſuperbiæ mala: & dum parvis occupati neſciunt ſe gloriæ impendere miſerrimam mentem; in illuſtrem ambitum magnatum, in ſolicitas Principum curas ridiculi declamatores inquirunt, quaſi interſit inter ſordidam & magnificam vanitatem, niſi quod hæc peccandi impotentiam oſtendit, illa autem ſplendidis velis ſaltem mortalium crimen excuſat. Nam ut optimæ meſſes fortiore nutu ventis reſiſtunt, & inanium ſegetum caſſi vertices nullis auris obluctantur, ita capacibus honorum non niſi digna gloria imperat, immerentes autem ſolum dignitatis nomen corrumpit. [2] Romani Bletoneſios publico judicio poſtularunt, quod hominem Diis immolaviſſent; cum ipſi duos Græcos, totidemque ex Gallia mulie-

1 *Tecumque loquutus Horriferum Ajacem timidus confecit Ulyſſes.*] Iſte Ulyſſes ſcilicet cum Ajace oratione decertans pro armis fatalibus Achillis conſilio & ope Mercurii ſuperior extitit.

2 *Romani Bletoneſios.*] Hos populos barbaros fuiſſe teſtatur Plato cum agit de Romanis; hos Bletonetos appellant alii, ajuntque fuiſſe Belgii populos.

1 Me

mulieres in foro Boario etiam per ſacrorum ſuperſtitionem viventes defodiſſent. Adeo malignum eſt de alienis judicium, & multi cum Acignianorum turba iraſcuntur illis vitiis, quibus ipſimet ſuam famam indigniſſime maculant.

Hæc ſæpius reputabam inter Muſarum otia, cum interim aliquantulum deflexit meæ fortunæ malignitas, & quietem ad colligendum ſpiritum conceſſit. Erat in Delphio vir externus, omnium ſuffragiis ad probitatis famam provectus; Themiſtius appellabatur. Is cum modicas opes ſua induſtria quæſiiſſet, neque genuiſſet liberos, ſe nonnunquam fortunatum prædicabat, cui arbitrium heredis natura conceſſiſſet. Ego me in illius familiaritatem non altiori ſpe, quam jucundiſſimæ conſuetudinis, immerſi: cum neſcio quo Deorum beneficio mei mores & ipſa cupiditas ſciendi optimo ſeni placuiſſet. Forte per auditorum ordines promotus exordiebar ſapientiæ ſtudium, cum me Themiſtius in proprios penates recepit, & cum tempore convictuque fatalis amicitia creviſſet, nec repugnante conjuge, quæ jam anus non cogitabat de liberis, in bonorum heredem adoptavit. Cæterum averſatus improbitatem mortalium, non minus ſæpe querebatur quam ego, quod olim florentiſſimam patriam incautus juvenis reliquiſſet, quippe ſe in Scolimorrhodia natum eſſe, feliciſſima regione; ubi cęlum optimos campos continuo tepore perfundit, & tardiſſima ſenectus reſolvit expectantes; illic autem homines vivere, non quales in aliis regionibus videbam, ſed ſinceris animis innoxios, & qui à Deorum vita ſola mortalitate diſcreparent. Sed dum in exteris regionibus, inquit, adoleſcens vagarer, forte incidi in amorem, qui [1] me veluti per Calypſus aut Circes blandimenta perpetuo exilio damnavit. Nam cum iſtam conjugem duxiſſem, elegantia morum

rum

1 *Me veluti per Calypſus, aut Circes blandimenta perpetuo exilio damnavit.*] Non tamen exul Ulyſſes perpetuus, quandoquidem promiſſis immortalitatis poſthabitis utrumque reliquit, ut ad ſuam Penelopen advolaret. Vide Odyſſeam paſſim.

L 1 Ne-

rum & formæ pulchritudine mihi conciliatam, nunquam aut illi perſuaſi commigrare in patriam tam felicem, aut mihi, ut relicta chariſſima parte ſolus tantis bonis incumberem. Tu vero Euphormio, quem mihi jam præcipitanti in tumulum velut ad extremum ſolatium fortuna perduxit, ſi fides amori meo, cui ad orbitatis levamen ſuffeciſti, vide ne, cum extremum mihi diem numeraverint fata, hæreas in iſtis regionibus, ubi nihil invenies aut Scolimorrhodia mea, aut Luſinia dignum. Sed in patriæ meæ humanitatem concede: de qua tantum timeo, ne tibi omnium charitatem admiranti etiam in contemptum mea benignitas veniat. His ille & ſimilibus verbis ſæpe apud me extollebat Scolimorrhodiam: ut jam nec dubia mihi eſſet profectio, ſi tam bono parenti ſuperviverem. Sed diſcedere à latere ſpirantis neque ego voluiſſem, neque ipſe niſi moleſtiſſime laturus videbatur.

Ecce autem dum in hac felicitate ſaginor, & pæne errorum memoriam tam commodi penates obruunt, jam in alia terrarum parte mihi nova malorum ſemina fortuna quærebat. Quippe florebam in alia civitate, famaque pulcherrima ubique efferebar, quod veluti ſecretus cum Themiſtio vivebam; [1] neque lupercalium videbam laſciviam, [2] & cum ſibi diſſimilis Saturnus gaudebat, publicam licentiam mea abſentia damnabam. Jam me modeſtiores ambiebant, neque erat parum ad laudem, ſi quem frequenti conſortio dignabar. Forte accidit, ut inter Themiſtii cultores juvenis quidam optimæ frontis, quodque maxime amabam, pæne nimia modeſtia lenis, meam familiaritatem pertinacius quæ-

1 *Neque lupercalium videbam laſciviam.*] Id eſt, abhorrebam à vitæ licentia. Et vero laſcivia & petulantia pleni erant infames iſti ludi juxta atque ridiculi in honorem Panos, vel Romuli inſtituti, in quibus luperci nudo corpore aut pellibus negligenter obducto lymphatum in morem diſcurrebant per urbem laſcivientes ubique; & certe iſta lupercalia à Bacchanalibus noſtris putaverim vix abhorrere.

2 *Et cum ſibi diſſimilis Saturnus gaudebat.*] Id eſt cum ſenes vel graviſſimi licentiæ plus æquo indulgerent, ego à tali vitæ contubernio ſponte aberam.

1 Me-

Digitized by Google

quæreret. Nec contentus communi benevolentia, quam facile in omnes expromebam, ad arctioris amicitiæ ſacramentum incitavit. Non potuî diu negare tam officioſum munus, præſertim cum pignora haberem animi non languide ad virtutis difficultatem exſurgentis. Itaque paulatim ad extremam charitatem deducti ſumus; reſtabatque arctiſſimæ neceſſitudini, ut illi prioris vitæ miſerrimam ſeriem narrarem: ego viciſſim, quis eſſet, & ex qua gente aut parentibus, cognoſcerem. Hæc diutiſſime non ſine pertinacia celavimus: nam & ego contemptum ex tot fortunæ ludibriis timebam, & ille altioribus cauſis deterrebatur aut patriam aut genus confiteri.

Forte in Themiſtii umbraculis eramus, & poſt ſuaviſſimos ſermones, Ego vero, inquam, Anemon, ſi tantum mihi virtutibus notus eſſes, tamen rogarem cui arbori precioſum ſurculum orbis deberet: nunc vero quoniam intima vitæ conſuetudine permixti in eandem felicitatem eoſdemque juravimus caſus, noli admirarî, ſi vehementius exopto, & parentum fortunam, & rationes tuas, nihil diſſimulata oratione audire. Ille corpus meum amabili brachio incinxit, oculiſque mœrore blandiſsimo in me defixis: Vides me, Euphormio? inquit, mihi crede, & hic cultus & vivendi ratio meæ gentis dignitatem ſubtiliſsima ratione mentitur. Quippe magnis parentibus natus in hanc communis vitæ ſimplicitatem, mea ſponte, & clandeſtinis conſiliis deſcendi. Jam illud à pueritia cognovi, quantis caſibus humana omnia vertantur, & nihil tam ſecuris radicibus niti, in quod violentia fatorum non valeat. Nam ut pater in altiorem conſcenderat locum, eo apertior tempeſtatibus fortunæ, nullas rerum viciſsitudines, & inconſtantiam Principum intacto remigio evaſit. Quis ægritudines animi, quis ſpem implacidam, aut pervigiles curas, nunc metuentis ruinam, nunc aliis imminentis, exponat? Et hæc mihi videbam inſtare, ſi in parentis veſtigiis hærerem: vitam ſolicitudinibus veluti aſsiduis ſentibus hor-

rentem: ut ambitioni, & curis & nunquam voluptati ſinceræ ſic vacarem, ut mihi impendere diem non poſſem: ſucceſſuram interim mortem, quæ in ultima ſcena aulæum tolleret, & veluti puerorum luſum finiret. Audiebam quæ multi de æternitate loquebantur, & illius cupiditas mihi turbam, aulaſque & negotiorum nomina inviſa faciebat. Neque languide ambitionis & potentiæ ſupplicia effugi. Nam cum me deſtinatum audirem ad artes theatro arenæque ſimillimas, ut gladiatoriam facerem, neque aliud ex priſca doctorum hereditate quam citharam haberem, primo impetrare veniam tentavi; ut ad ſerium animi otium mihi literarum ſtudia darentur: & poſteaquam obſtinatum parentem minime inflexi, communicavi audaciæ conſilium cum uno Acignianorum, qui mihi primus hunc ſyderium amorem injecit, & exiguo commeatu in hanc urbem furtivis itineribus prorepſi: ubi ſi me ſcholaſticorum induſtria produxerit ad conſuetudinem Muſarum, ſtatim in arcanam Philoſophorum diſciplinam me dedam, illorum quibus unica eſt ſolicitudo, per moleſtias corporis laceſſitamque paupertatem ſinceros animos ſyderibus transfundere. Et nunc parentes mei deſolatæ ſenectutis orbitatem queruntur, mihique per lamenta & miſerrimos planctus certiorem ad Numina viam ſanciunt. Quod ſi me audis, & potes felicitatem leviſſimo impendio emere, tu quoque Themiſtium relinques, abdicatiſque mortalitatis commodis te in clientelam ſyderum committes.

Poſt hanc orationem etiam vehementius Anemonem amavi, & exoſculatus ſum impetum animi tam averſum ab humilitate voluptatum. At cum indies inter nos muſſitaremus de Philoſophorum vita, ad quos ipſe properabat, tandem ego non conſcius tantum conſilii, verum etiam particeps evaſi. Ipſum conſpirationis ſecretum, quod inter nos fideliſſimum erat, & præterea quod amicos ab hac mente averſos ſciebamus, utriuſque pertinaciam maligna voluptate acuebat.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterum cum conſuetudinem meam triſtiori ſeveritate 3
horrentem Themiſtius miraretur, diligentiuſque ponderaret ſermonum meorum ſanctitatem, non potuit amplius decipi, & pene [1] mecum orationem habuit, quæ Æneam Carthagini ſtitiſſet. Sed non profuit apud obſtinatam mentem, cum etiam crudelitatem in pietatis parte ponerem; illudque omnino reſpondi: apud me quidem omnia quæ ſunt in humanis rebus Themiſtio cedere, Themiſtium autem cœlo. Ille poſt iracundiam, & lachrymas, & cætera quæ in me valitura arbitrabatur, cum aliquando manus dediſſet; Si fata, inquit; voluiſſent, Euphormio, ut pios digitos meis luminibus ad extremum officium admoviſſes, neque ego me ſenſiſſem mori inter tuos amplexus, & has opes, quibus ſenectutem meam oblecto, etiam poſt interitum ſervare crediſiſſem. Sed quoniam fata inviderunt miſerrimo ſeni, & te fortaſſe malignior fortuna exagitat, ego quidem longo luctu tuæ familiaritatis pœnas luam, te vero & conſiliis informare antequam diſcedis exopto; & quoniam ad tua in Italiam vota contendis, honeſto cultu inſtruere, ne te Philoſophi ad ſe egeſtate compulſum arbitrentur. Cæterum ne pelagus ignores, quod audaciſſima nave ingrederis, tibi ego tempeſtates, ego fluctus, & fortaſſe pœnitentiam prædico, & ſi te humana conſilia in illos curſus egerunt, nihil de naufragio dubito. Me quoque dum primam adoleſcentiam ex aliorum conſiliis regebam, pæne eadem procella evertit, cum blanditiis invitarer ad laborem, & pæne hamum ſub ſpe dulciſſima non ſentirem. Quid infeſtis vocibus planorum audaciam ad publicas depoſcimus pœnas: aut quid illi tam triſte merentur, qui cædibus iracundiam ſatiant? cur inter nos impune verſentur graſſatores urbani, qui familias totas excidunt, & quod

1 *Mecum orationem habuit quæ Æneam Carthagini ſtitiſſet.*] Hoc eſt tam ſuaſoriam orationem, ut ſi Dido talem olim habuiſſet apud Æneam, eum diutius fuiſſet remorata apud Carthaginem, vide lib. 4. Æneidos.

Digitized by Google

[1] quod de Sirenibus loquuntur, audientes per ſaxa & naufragium ad imaginem voluptatis invitant. [2] Hæc eſt illa diſſimulata Juno, quæ tot Semelas hodie prætextu ſyderum pervertit, hæc crudeliſſima peſtis, quæ orbitatem clariſſimis gentibus & ſolitudinem fere reipub. implacabili furore minatur. Nam ut feræ, quæ ſemel maculas ruperunt, magis indomita natura ſe ſylveſtribus dumis abſcondunt; ita quicunque deliniti blandimentis ſe in ſanctitatem illius Philoſophiæ dederunt, poſteaquam male fundatos conatus aut conſtantia aut robur deſtituit, pudorem voluntaria ſolicitudine intra penates ſuos damnant, vel licentius libidinibus indulgent, ut ſincere videantur priorem conſuetudinem ejuraſſe. Neque Philoſophi poſt tot familiarum incommoda, poſt omnium publicos queſtus, à damnatis criminibus recedunt; ſed imprudenti ætate abuſi ita de æternitate loquuntur, ita flammas & ſupplicia, & ſeveritatem Numinum inclamant, ut juvenes nondum ſatis adulto robore ingenii obſtupeſcant ad tot monſtra, [3] nec aliter ſe declinaturos ſcopulum exiſtiment, quam ſi in eorum nave trajiciant. Quod ſi ea mente agerentur, cujus nomen inanibus larvis præfigunt, ſi vero Numinum & adoleſcentiæ amore tenerentur, illud ſaltem cogitarent; non omnes ea firmitate animi eſſe, ut deſertis voluptatibus in aſpera Philoſophia durent; etiam plerumque maxima ingenia avidiora libertatis

1 *Quod de Sirenibus loquuntur, audientes per ſaxa & naufragium ad imaginem voluptatis invitant.*] Hoc eſt cum periculo & diſpendio rei familiaris. De Sirenibus quæ inter ſaxa & ſcopulos laſcivientes cantu, nautas ſæpe, ut Homerus in Odyſſea, ad naufragium corporis & animi inducebant; quod Ulyſſis ſociis contigiſſe fabulatur.

2 *Hæc eſt illa diſſimulata Juno, quæ tot Semelas hodie prætextu ſyderum pervertit.*] Iſta Juno, ut teſtatur Naſo in Metamorph. vultus emenrita ſub anus habitu ſic decepit pellicem ſuam, ut ei ſuaderet à Jove poſtulare quatenus eadem majeſtate ipſam ſe viſeret qua Junonem in cœlo ſoleret.

3 *Nec aliter ſe declinaturos ſcopulum exiſtiment, quam ſi in eorum nave trajiciant.*] Hoc eſt non poſſe vitare æternitatem ſuppliciorum niſi in eorum ſocietate numerentur: hic autem multis, ut ſolet, ludit allegoriis; hæc ſumitur à navigatione, altera autem ab aucupio. Per Philoſophos homines intelligit religioſe viventes, & per philoſophiam religioſam & communem vitam.

1 Qui

tatis ſuæ eſſe, & raro ſolitariæ gravitatis vinculis poſſe conſtringi. Nunc autem quaſi nulla pars reipublicæ præter Philoſophiam procuranda ſit., omnem adoleſcentum induſtriam ad ſe vocant, & veluti tyrannicis dictis territæ juventuti imperant: neque fere ulla avis non relinquit ad vimina plumas, quæ illos aucupes audivit. Quid quod diverſæ Philoſophorum Scholæ ſubhorridis præceptis ſuos greges diſtinxerunt? Omnes ſub iiſdem votis argumenta adoleſcentibus proponunt, omnes eundem exitum laboribus profitentur: tamen vix aliquis ex iis adoleſcentem laudabit, niſi qui in eandem Philoſophiæ ſectam, in qua ipſe vivit, jurabit. Adeo pæne omnia ſibi mortales affectus in ea venatione vindicant; & Philoſophi miſerrime decepti non ſapientiæ cultum, ſed ſuam rempublicam diligunt.

At vero miſeri parentes, quorum periculo iſti quotidie peccant tam inultis ſceleribus, poſt ingratam ſolicitudinem curaſque, & ſæpe prodigum amorem, cum primam tot laborum mercedem à jucunditate adoleſcentum expectant, omni ſpe fraudari plerumque ſuam meſſem hoc turbine interverſam deplorant: ſed nec tutis ſuſpiriis deſolatos penates proſequuntur, dum ſimplicitas vulgi omnibus fraudibus aperta, quæ religione adumbrantur, lamenta orbatæ ſenectutis pro flagitiis accuſat; & ne in hoc gradu calamitas conſiſtat, cum parentes lachrymis & tempore pæne dolorem exſaturaverunt, ſæpe liberos abdicare Philoſophiam, non minore indignatione, quam cum eos amiſerant, vident. Tu tamen, Euphormio, ſi te non vera prudentia, ſed veneficia ambientium juventutem ad hanc ſolicitant vitam, & alienando in ea defeſſus ad priorem quietem ſuſpirabis, noli multum tuo peccato imputare; & ego immodeſtius lætabor, ſi jam conclamatus filius mihi iterum vivet. Cum in hunc modum affectu ſimpliciſſimo peroraſſet, & optima mulier implevifſet omnes intimæ veſtis receſſus ingentibus donis, ego ultimis amplexibus acrius amorem irritavi, ac deinde cum Anemone Delphio profectus

ſectus ſum, & in Italiam iter converti. At vero poſteaquam ſuperatis navibus Mediolanum pervenimus, cum fama civitatis nos aliquandiu teneret, non ſine deorum mente occurrit, qui hunc impetum ſaluberrima ratione moraretur,

[1]Qui fluctus tumidos, aut facilem notum
Mutare, aut tepidis vellera nubium,
Quæ ſemper coëunt veris honoribus,
Audacia poterit modo
Certis ſubdere vinculis;
Hic ſolus juvenum corda ferocia,
Hic ſolus tumidi flectere ſanguinis
Æqualem rapidis ignibus impetum,
Hic ſolus dare turbidæ
Mentem ſtultitiæ poteſt.
[2]Nunc blande juvenis deliciis perit,
Nunc illum pietas aſpera decipit:
Da tempus tenebris; jam veniet dies,
Jam pulchrum roſeis jubar
Titan curribus advehit.
Sed nec, quæ celeres præcipitant aquæ,
Certes oppoſitis frangere pontibus.
Nec tu dum calidus luxuriat cruor,
Optes imperio truci
Lætum ſiſtere turbinem.
Flumen ſponte ſua clauditur alveo
Quando non vetito luſit in æquore,
Et deſideriis qui furit impotens,

Poſt-

1 *Qui fluctus tumidos, aut facilem notum Mutare, &c.*] Hoc eſt, quicunque poterit certis legibus cohibere fluctus maris, iſte poterit refrænare juvenum auſus.

2 *Nunc blande juvenis deliciis perit, &c.*] Inconſtantiam arguit juventutis quæ nunc ad voluptates inhiat, nunc ſe dedit pietati; demum ætate matureſcente ad ſana conſilia & conſtantiorem animum ſe recipit: & quæ fuerat prius arundo agitata, aut ſimilis fluctui maris qui à vento circumfertur, poſtmodum inflexibilis manet. Inde Salomon tria dicit eſſe quæ neſciſt, quartum autem ſe penitus ignorare, viam avis in cælo, viam anguis in lapide, viam navis in mari, & viam viri in adoleſcentia.

1 *Quo-*

Poſtquam crediderit ſibi,
Vivet conſilio ſenum.

Forte in eodem diverſorio, in quod nos ſive caſus, ſive numinum conſilium tulit, paulo ante advenerat addictus quoque religionum pietati, ſed aliquanto prudentius quam aut ego aut Anemon, vir dulciſſimæ conſuetudinis, & in quo nulla ſeveritatis triſtitia liberalem arctaverat frontem. Theophraſtus appellabatur. Ille noſtra conſuetudine delectatus, cum pæne iiſdem ceremoniis diem exigeremus, eademque curioſitas maxime nos ad templorum moles deduceret, paulatim inſinuatus in familiaritatem, qui & unde eſſemus, [1] quove ſtudio Tyberim quæreremus, à nobis voluntaria confeſſione expreſſit. Præter eximias virtutes in Theophraſto ætatem quoque reverebamur: & ille mitiſſima manu paulatim profundis vulneribus ſine noſtro ſenſu medebatur. Nam & ſolertiſſima ingenia penſabat, & ut hominem viderat, [2] veluti ex garrula invidentis Momi feneſtra recludebat intimam mentem. Ille nos nec duraturo impetu Philoſophiam petere prævidit, & Anemonis quidem facile ingenium eſſe, ſubitiſque deſideriis exardens, me autem ſpontaneæ captivitatis impatientem, qua auſtera Philoſophia damnatur. Et jam illi faciliores eramus, quoniam pietatis ſtudiis exardens, non quidem contra Philoſophorum præcepta diſputabat, ſed tantum noſtros impetus regere videbatur. Cæterum, neque amplius Anemoni parentum cuſtodia obſtabat, egoque veluti obicem Themiſtii ruperam, & utriuſque animi faces, quia nemo jactatas inflammabat, ſpontanea remiſſione languebant. Itaque paulatim placabiliores illecebris facti, quibuſdam gradibus de ſubhorrida ſanctitate exceſſimus. Et Anemon qui-

1 *Quove ſtudio Tyberim quæreremus.*] Id eſt quo fine cogitaremus Romam.

2 *Veluti ex garrula invidentis Momi feneſtra recludebat intimam mentem.*] Id eſt, interiora cordis aperiebat, quaſi addita cordi feneſtra, quam optabat Momus eſſe humano cordi ut paterent arcanæ illius cogitationes, hanc homini deeſſe feneſtram ſolebat dicere iſte Philoſophus.

quidem revocatus in memoriam gentilitiis ſplendoris, cum ſenſim parentis hereditas paupertatis conſilium deſtruxiſſet, tandem ad penates redire conſtituit, & veniam ætati depoſcere. Ego vero ſuperba deterrebar verecundia, ne ad Themiſtium redirem. Et jam tantum Muſis debebam, ut earum beneficio ali poſſem, ac præterea frequentibus ſtimulis Theophraſtus urgebat, ut ætatem in literis ponerem, cum laudaret ingenium meum, mihique inter Scholaſticos promitteret nomen.

Cum igitur quærerem, ubi maximus literarum quæſtus eſſet, & omnium populorum famam diligenti examinatione penſarem, [1] non dubitavi quin commodiſſima eſſet Marcia, civitas in vicino. Quippe Acigniorum familia inde contumaci ſeſe exilio ejecerat; & tum novis doctoribus avidiſſima juventus vacabat. Et hoc quidem conſilium Theophraſto minus placebat, quia atrox rumor bellum in proximam veris commoditatem minabatur. Itaque quanquam & ipſe locum quærebat ubi literas non ingratis ſudoribus promitteret; tamen graviori fama deterritus receſſit in [2] Eleutheriam; cum inter nos feliciſſimum morem non vulgari fœdere ſanxiſſemus. At vero Anemonis cervicem creberrimis amplexibus attrivi, neque divelli à chariſſimo ſodale, ſed aliquam partem mei relinquere videbar.

Sed poſteaquam illi quidem in montium barbariem, ego autem verſus Marciam conceſſi; tunc vero moleſtiſſima ſolitudine afflictus me rediiſſe ad malorum conſuetudinem ſenſi, & hoc quicquid calamitatis erat velut ultionem dolorum, quibus Themiſtium meo diſceſſu oneraveram, non ſine triſtiſſima facinoris confeſſione toleravi. Nam ut illi orbitatem impoſueram, ita me Numina amicorum ſolatiis deſtituebant. [3] Sic Peleus cædem Phoci ſuorum interitu perſolvit,

1 *Commodiſſima eſſe Marcia.*] Venetias volunt intelligi à Divo Marco Euang. qui iſtius reip. patronus eſt.

2 *Eleutheriam.*] Franciam puta à Græciſmo ſic appellatam.

3 *Sic Peleus cædem Phoci ſuorum interitu perſolvit.*] Peleus iſte fuiſſe creditur Æaci & Æginæ filius, qui ex Thetide genuit Achillem: Phoci fabulam habes Metamorphoſ. Ovid. l. 7. fab. ult.

1 Et

ſolvit, [1] & Cadmus ſatis fecit Martio ſerpenti dejectus in ventrem. Quicquid mortales peccamus, aptiſſimas pœnas dii inveniunt, nec ingenioſiores ſumus ad ſcelera, quam illi ad vindictam.

[2] Marcia in effuſis paludibus collocata, qua ocioſum mare torpenti licentia deſtagnat, veluti provocat naturam, & hominum domicilium intra profundi limites protendit. Ego ut primas turrium minas in mediis aquis deſpexi, non audebam cogitare civitatem: ſed veluti lapideas naves, aut ſi quid mirabilius animo occurrebat, mutus ipſe torpenſque contuebar. At vero poſteaquam mediocri rate in mediam urbem perductus, ab utraque navigii parte ſplendidiſſimas domos, marmoraque & aurum & tecta operoſis minis pendentia conſpexi, dii deæque! quam non opes civitatis, ſed naturæ divitias, & [3] pluſquam Apollinis miraculum vidi, qui errores labentis patriæ impoſitis radicibus aſtrinxit. Ac deinde cum fora ingentibus ſpatiis aperta, ædeſque publicas, & fanorum religionem perluſtraſſem, terraſque velut æquoris victrices ligneis fundamentis in hanc audaciam ſuccreviſſe mirarer, tunc ego nec quo vultu omnia exciperem, nec quibus verbis uterer, ſciebam, [4] & pallium, quod pictor Agamemnoni circumvolvit, in tam manifeſto ſtupore optabam.

Sed cum in medio foro novus hoſpes ambularem, oculoſque ad publicam pulchritudinem ſuſtuliſſem, forte quidam in peſſima veſte, caputque dimidiato orbe humiliter te-

1 *Et Cadmus ſatis fecit Martio ſerpenti dejectus in ventrem.*] Iſte, cum occidiſſet Draconem Marti conſecratum, multis poſt annis in ſerpentem ipſe una cum Hermione conjuge mutatus creditur in Metamorphoſi.

2 *Marcia in effuſis paludibus collocata, &c.*] Deſcriptio urbis Venetiarum quæ ſita eſt in paludibus Adriatici maris, vide Geographos.

3 *Pluſquam Apollinis miraculum vidi.*] Delphi revera inter orbis miracula debuere cenſeri, templum inquam illud in urbe Bœotiæ juxta Parnaſſum magis rupibus & locis natura quam humana arte munita.

4 *Pallium quod pictor Agamemnoni circumvolvit, in tam manifeſto ſtupore optabam.*] Timanthes pinxit Iphigeniam aris immolandam, parentibus quidem lachrymantibus, ſed velato patris vultu, cujus luctum non ſatis poterat exhibere.

tectus, in me incurioſius vagantem ſuperbiſſimo ictu offendit. Ego tanquam de altiſſimo excitor ſomno, contemplatuſque vilem habitum, non ſuſtinui decedere præcipienti. At ille ut dextera ovillæ fruſtum tenebat, fortiſſime in oculos nihil tale cogitantis impegit. Perturbatus, & præter commune injuriæ dedecus perfuſus quoque verecundia, quod indignum certamen mihi cum coquo judicarem, repente multitudine incingor, interrogatuſque num in ea civitate habitaſſem, poſteaquam me externum confirmavi, gravioribus quidem pœnis ereptus ſum: cæterum ſeveritate verborum non perfunctorie caſtigatus. Ille autem non modico faſtu ovillam ſuam quatiens, per adorantem populum vagus, tandem olus etiam mercatus implevit laciniam veſtis, ſeque in ſcapham conjecit, quam in proximo religaverant nautæ. Ego me in diverſorium turbatiſſima mente recepi, ſtabulique dominum rogavi, num in illa civitate præfecti culinarum imperarent? agnito ille errore intemperanter riſit, &, Quem inter abjectiſſimos numeras, inquit, ab origine pæne ipſos Deos recenſet. Nam hic genus optimates profitentur non ſtipatorum agminibus, aut habitu ad novitatem mollis elegantiæ correcto, ſed ſecularium veſtium conſtantia, ut tales agnoſcamus, quales ipſi majores in imaginibus oſtendunt; adeo conſuetudini apud illos eſt reverentia: nec ſi bellis attriviſſent orbis opes, aut triumphos invenirent ad luxum; aut manipulare fœnum in Aquilam mutarent. Cæterum videbis macella pererrantes, neque illa, ad quæ ſtomachus connivebit, pudor eſt ad penates nobiliſſima manu deferre. Et his moribus noſtri quidem nobiles nomen libertatis indiderunt. Sed externi ruſticitatem horridæ vetuſtatis, vel ignobilis negotiationis veſtigia lepidiſſimis jocis infamant.

Dum hæc mihi ſtabularius ex diverſorii feneſtra memorat, egoque in ſubjectos vicos curioſis oculis vagor, multæ ſcaphæ diverſiſſimis hominibus plenæ per anguſtias canalium ferebantur; ac ut publicos conventus crederem, tunc

om-

Digitized by Google

omnium gentium voces & diſcrimina veſtium faciebant: & cum à diverſitore quærerem, quæ cauſa tam diverſam multitudinem coëgiſſet, Gephyrii minæ, inquit, & in hanc urbem contumax furor, pæne totius orbis ſtudia excivit. Et jam legati ab omnibus imperiis venerunt: illi quidem ne Gephyrii nos ad turpitudinem iniqui fœderis deducant; alii ut incendii furorem obruere velimus, antequam contiguam partem terrarum ac deinde totum orbem, valentiſſimo ardore pervertat.

Ego ſane nec quis Gephyrius eſſet ignorabam, & tam publici tumultus cognoveram fontem. Sed non habebam ineptum diverſitorem, & præterea exterorum concurſu docte mihi de controverſia poſſe loqui videbatur. Itaque ſeductum in interius ſtabulum cœpi liberius orare, ut rem alte exponeret, & quomodo Gephyrium læſiſſent, cujus etiam furor ultra fatum mirabili ratione deſævit. Ille ſe diutius collegit, & illius ſaporis orationem incepit, quæ non à viliſſimo homine, ſed plane à politis diſceptatoribus condita videbatur.

Gephyriorum ſeries, inquit, & formidabile tot gentibus nomen, non unica ætate, aut ſeculo, in tantum faſtigium excrevit. Placidis mollibuſque initiis, [1] velut ille Europæ amator, ſenſim orbem è littore in altiſſimum pelagus nihil ſentientem deduxerunt. Ac ne omnia illorum artificiis imputem, accuſare majorum noſtrorum benignitatem poſſumus, quæ invitam Gephyriorum integritatem nimia libertate corrupit. Olim quidem, ut audio, Rex ſacrorum inter pontifices imperabat, [2] nullus ordinanti pulvinaria, vel faſtos numeranti repugnabat; ſed ne publicas vires occuparet tam ſuperſtitioſa majeſtas, neque populum ad conciones vocare poterat, & [3] illum cum flamine Diali ab ambitione 5

1 *Velut ille Europæ amator.*] Imo & raptor Juppiter filiæ Agenoris Regis Phœnicum.

2 *Nullus ordinanti pulvinaria, vel faſtos numeranti repugnabat.*] Hoc eſt, poterant ad nutum pontifices homines ob virtutem & pietatem in deos conſecrare & inter faſtos referre.

3 *Illum cum flamine Diali ambitione magiſtratuum ſollicita arcuerant leges.*]

Fla-

tione magiſtratuum ſolicitæ amoverant leges. Sed aliter eum Gephyriis orbis egit. Ipſi reges atque imperia ſe ſponte illis hominibus prodiderunt; & eorum pæne ſordidam ſanctitatem ingentibus divitiis colentes dulciſſimo imperii guſtu humanam aviditatem laceſſiverunt. Nam cum venerarentur oracula, quibus Gephyrii Deorum mentem exponunt, repente ſinceram pietatem ſuperſtitio corrupit, ut traduceretur illa vis, quam in ſyderibus habent ad imperium terrarum. Et primo litigantibus provinciis arbitrium ad Gephyrios deferebatur, illique feciales integerrima ſanctitate inter volentes imperabant. Sed paulatim aſſuetarum gentium animi hos antiſtites deorum paulo infra Numina adoraverunt, & omnia eos poſſe, in religionis parte fuit. Nondum orbis ſe domitum ſenſerat, & jam omnia infra Gephyrios erant, jam regna *occidere ac edere* poterant, & illud caducis rebus feliciſſimum videbatur, ſi eas inter immortalitatis ſuæ negotia alio nutu regere voluiſſent. Hinc tot urbium dira everſio, hinc funeſtæ pietatis crudelitas, & illius quod habebant arbitrii in judicium ſuperba mutatio. Gephyrii ſane diu cum immodeſtia luctati, tandem ſe communibus vitiis permiſerunt. Quippe paulatim obſolevit antiquæ paupertatis memoria; cultuſque, & purpura, & gemmæ, & faſces, pæne hodie ad primorum Gephyriorum ruſticitatem erubeſcunt.

Hic autem qui hodie Gephyrius imperat, quanquam leniſſimæ conſuetudinis homo, ſolicitantibus illis qui per publicam mundi calamitatem clareſcunt, voluit hujus civitatis ſecures circumvolvi inexplicabili faſce, & tantum ejus imperio ſtringi. Cum obſtarent noſtri principes, occidentalis nubes, in qua Gephyrius fulmina ſtrueret, in noſtrum caput promittebatur, & nos fœderibus validarum gentium, etiam pæne illorum favore, qui publice maledi-

Flamen Dialis ſive ſacerdos Jovis immunis erat & à petitione magiſtratuum, & à militia, quia erat & ſupra magiſtratus & ſupra militiæ officia.

1 Nec

dicunt, mundi inclinationem agnovimus. Ille, velut impetu cœlum ac maria rapturus, crudeliſſimis edictis detonuit, &, ſi mihi credis, hoſpes, ſuam cauſam præcipiti furore corrupit. Quid attinuit pæne minis conjunxiſſe præcipites ictus, quid nos deducere in anguſtias, ut etiam cogeret eſſe hoſtes? Vapor quoque in nubibus preſſus exclamat, & timidiſſimis feris ſua arma neceſſitas oſtendit. Si permiſiſſet iracundiæ tempus, ſi diu libraſſet illud fulmen, quod immaturis nubibus emiſit, forſitan mitigari potuiſſent tam cruda imperia; neque noſtri magiſtratus armorum vel ignaviæ neceſſitatem expectaſſent.

Sed nec impune pertulimus ſævientem; &, ut amicis fœderibus coëamus, durabit ad poſteros atrox memoria vulnerum, quibus Gephyriorum cauſam hæc contentio afflixit. Quot volumina per orbem diſſipata excuſſere Gephyrii vires, & hanc vanitatem imperandi deriſerunt? nec ab iis quidem ſparſi quos religio iniquiores fecit, ſed ab illis qui ſacrorum participes tamen docent graviora ſceptra eſſe, quam ut illa inanes Scholaſtici argutiis moveant. Etiam plurimi intemperanter ingeniis utuntur, & res ſeria hodie ad ludibrium proceſſit. Certe hanc chartulam, quam vides, modo filius è ſcholis attulit, impiam me hercule, ſed quia jam vulgaris eſt, ejus te lectione oblectabo.

Petrus ut in totum regnabat maximus orbem,
Heu quanta cecidit jam modo parte ſui!
Libera projectum ridet Germania frenum,
Et negat excuſſas poſſe ſubire minas.
Quaque patet lato fœcunda Britannia ponto,
Uncia pro cunctis non datur una focis.
Majus adeſt vulnus: O vos miſereſcite Petri!
Italiam Petro tollere bella parant.
Nec tamen ille ferox, quo ſe Germania primum
Romuleas jactat non timuiſſe minas;
Nec qui tergeminam rides Calvine coronam,
Et Latium latio deſtruis eloquio.

Nec

Digitized by Google

[1] Nec qui vel Tameſim, vel qui bibit incola Rhenum,
Tam fera collata prælia mente movet.
[2] Sed tumet Adriaci Marcus tutela profundi,
Et ſecum varios cogit in arma deos.
O dolor! & veterem jam Paullus liquit amicum,
Tergeminoque illi nomine durus obeſt.

Quod ſi hæc diſcordia incidiſſet in homines bellandi libidine furentes, videres omnia hoc flagrare incendio; nec aliter quam per alterius partis infamiam lis miſerrima conſtitui poſſet. Sed & ſumus ab armis alieni, & Gephyrius dolet ſuam pertinaciam ad neceſſitatem pugnandi traduci; ſuſcepitque Protagon tollere dedecus pacis, & tam atrox diſſidium honeſta tranquillitate extinguere. Nam conatus Liphippi clam noſtri magiſtratus contemnunt, nec à Gephyrio tam apertis vulneribus diſtracti, aliter quam Protagonis induſtria coibimus.

Cum diverſitor in hæc verba tacuiſſet, ego qui Gephyrios ſemper colui, nonnihil acerbatus paraveram verba, quibus illius audaciam refutarem. Nam ut olim occidentibus lucernis non afferebant manus, ne ignis divinitatem violarent; Ita in illis qui ad religionem prælucent, humanius eſt vitia, tanquam fumum lychnorum morientium pati, quam dignitatibus vim afferre, quas in turpiſſimis hominibus nullæ tamen ſordes maculant. Sed facta mentio pacis lenivit animum meum, & præterea admirabar illius Protagonis felicitatem, [3]qui huic morbo Æſculapius deſtinabatur. Itaque ſubmovi atrociſſimam defenſionem, quam pro Gephyriis habebam, &, Rogo, inquam, quis ille Protagon? aut quibus viribus? dicere potes? Ille iterum

1 *Nec qui vel Tameſim, vel qui bibit incola Rhenum.*] Hoc eſt Anglus, & Germanus Synech. ſumit enim partem pro toto & amnem præcipuum pro ipſa regione.

2 *Sed tumet Adriaci Marcus tutela profundi.*] Venetias intelligit, nam ejus reip. ſubjacet Adriaticus Sinus.

3 *Qui huic morbo Æſculapius deſtinabatur.*] Mederi poſſe credebatur. Fuit Æſculapius medicorum Deus & præſes, medicinæ autem ſtuduiſſe fertur ſub Chironis diſciplina.

1 *Nullus*

Digitized by Google

rum longiſsima oratione Protagonis potentiam expoſuit; Qui in Eleutheria, inquit, ampliſsima regione, Fortunæ ſacerdotium nactus eſt; & nunc tantæ Deæ arbitrium diſponit, vir hoc ſeculo major, & dignus fabulantium miraculis vatum, haud dubie nobis amicus, qui Liphippi cervicibus inſtamus, & utique devinctus Gephyrio, cujus beneficio etiam poſt interitum vivet. Intellexi Protagonem eſſe ſub quo Anemon vivebat, & in cujus civitatem me crebris exhortationibus Theophraſtus invitabat.

Sed dum in illis ſermonibus diutius ſumus, ecce ingens 6
tumultus ad ſtabuli fores, & hoſpites ex Eleutheria ſplendido cultu adventant. Nec moratus diverſitor occurrit intrantibus, & humanitatis officia pollicitus, mox in triclinia deducit, mihique deinde gratulatur, quod haberem homines meæ linguæ, quibuſcum verſari in ſua domo poſſem. Ego vero nondum certus an gauderem (quippe Eleutheria non longe à Callionis patria receſſit) furtim contemplabar familiam, ut obiter viderem, ſi quis ex illo comitatu uſitatus mihi eſſet. Frequens ſervitium gentilitio more turbaverat domum, puerique petulantibus rixis pæne ipſum diverſitorem obruerant: dominus autem in interiori thalamo erat, procurabatque feſſum corpus, & credo ad ſpecimen nobilitatis majorem mollitiem fingebat.

Ego poſteaquam nullum ex familiaribus agnovi, cum illius viri potentiam ex ſervorum audacia metirer, me ex latebris anguſtæ cameræ produxi, quæſivique domini nomen, & commercium linguæ in benevolentiæ pignus obtuli. Nulla gens eſt, quæ prolixius humanitatem nihil auferentem promat. Illi mea prope veſtigia inutili ſalutatione tangebant, cæteraque addebant blandimenta, quæ pæne infantes pernoverunt: cæterum domino ſuo Stratonis nomen eſſe ajebant; illum rerum exterarum ſtudioſum, pulcherrimum ingenium excolere peregrinationibus, & me in felicitatis parte ducturum, ſi in tam elegantis hominis notitiam pervenirem. Tum & ego verboſæ humanitati libe-

raliter indulſi, & cum jam extrema luce convivium Gallico more diverſiſſimis voluptatibus menſam impleret, etiam ab illo Stratone arceſſitus ad cœnam, feliciſſimi hominis triclinium intravi.

[1] Nullus in abſentem tuta convicia lingua
Efferat. Abſentem ſemper adeſſe puta.
Forſitan externis quam credis abeſſe ſub oris,
[2] Eſt tibi poſt magnos proximus ille deos.
Omnia volvuntur, nihil immutabile terris,
Huc illuc homines aſtraque caſus agit.
Huc illuc varii deducunt aëra venti,
Huc illuc varias [3] Æole ducis aquas.
Pondera non aurum, non altas pondera ſilvas
Ulla tenent, falſis currit utrumque vadis.
Vertitur & cœlum, terriſque accenſus Eois
Protinus Heſperia tingitur ignis aqua.
Nec volucres ceſſant, alieniſque advena ſilvis
Sæpe per ignotos cerva encurrit agros.
Nos quoque quam latum eſt cupidi tranſmittimus æquor,
Et celere eſt tardi corporis ingenium.

Cæterum ut in conſpectum perveni, inexſpectatiſſimo viſu confuſus, etiam pæne in pavimentum decidi ſtupens. Erat enim hominis quidem veſtis multo auro gemmiſque variata, & reflexum præcipue capitis tegmen lapillis vibrantibus ardebat, cæterum facies tam ſimilis Pedoni, quem olim inter Callionis mediaſtinos contempſeram, ut nullum diligentiſſimis oculis, ſibique parum credentibus diſcrimen

1 *Nullus in abſentem tuta convicia lingua Efferat. Abſentem ſemper adeſſe puta.*] Divus Auguſtinus ſimile diſtichon deſcriptum habebat in lacunari domus, & talibus pene verbis. Cum autem præſul quidam ad eum acceſſiſſet, ſimulque ad menſam accumberent, ac cœpiſſet iſte abſentis famam proſcindere, ferre non potuit Auguſtinus, ſed dixit *aut ceſſemus obloqui abſenti, aut iſtud diſtichon deleamus.*

2 *Eſt tibi poſt magnos proximus ille deos.*] Erant dii majorum gentium, & ipſi duodecim: erant & minorum gentium & hi quidem pene innumeri; & plerumque vocabantur Semidei, & Heroës.

3 *Æole ducis aquas.*] Ventorum deus Æolus hic pro ventis ipſis ſumitur Synecd.

1 *Auri*

men invenirem. Certe is ipſe erat, neque ille me intrepido viſu ſemel iterumque luſtravit.

[1] *Auri triumphum quiſquis es canat vates;*
Auri triumphum dicimus, Veni pauper,
Tuumque adora numen, & feras votum.
Auro nec arces, nec minis ferox miles
Indomitus eſſe, pane nec poteſt virtus:
Dat corda timidis, atque turpibus formam,
Scientiaſque rudibus, & novis gentem.
Quis dignitates aureas habet pauper?
Quis dives aut eſt ſtultus, aut timet leges?
[2] *Aurum profanum eſt: in ſacris tamen lucet.*
Aurumque ſuperos placat, ac emit cœlum.
Hæc robora auri forte ſi prius ſciſti,
Nunc aliquid iſtis majus audias rebus.
Aurum hunc Pedonem quem meus liber ridet,
Aurum hunc Pedonem reddidit mihi gratum.

Ego vero nondum certus, an frontis ſimulitudine in errorem incidiſſem, [3] utpote qui & Philippum, & Agrippam, & Idumæi regis filium, minime ignorarem poſt interitum in viliſſimis hominibus propter ſimillimi oris mendacium pæne vixiſſe, pronis cervicibus terram, dexteræ tibiæ integumentum infra genu timidiſſima manu libavi. Ille me in apertos recepit amplexus, & poſt aliquas patrii moris blanditias, invitavit ad menſam.

Omnino

1 *Auri triumphum quiſquis es canat vates.*] Scazon.

2 *Aurum profanum eſt, in ſacris tamen lucet.*] Contra Satyr.
Dicite pontifices in ſacris quid facit aurum?

3 *Utpote qui & Philippum, & Agrippam, & Idumæi regis filium, minime ignorarem.*] Hiſtorici nobis exhibent tres Reges Idumææ & Judææ dictos Herodes; primus fuit Aſcalonita infanticida iſte, Mariamnæ conjux; ſecundus Archelaus, tertius Antipas qui juſſit occidi D. Joannem Baptiſtam, quod argueretur ab illo, accepiſſe Philippi fratris uxorem: quartus denique Agrippa, is qui D. Jacobum juſſit interfici; unde diſtichon

Aſcalonita necat pueros; Antipa Joannem;
Agrippa Jacobum, truditque in carcere Petrum.

Inde Lucæ 3. Tetrarcha Galileæ Herode; Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Itureæ, & Traconitidis regionis: iſte eſt Philippus de quo fit hic mentio. Reperti ſunt autem viles poſt eorum obitum homines qui ſe propter vultuum ſimilitudinem tales affirmarent. Vide Joſeph. & alios.

 1 Ego

Omnino anxius eram, nec poteram comminiſci, quibus potiſſimum ſermonibus tam ambigua veritas explicaretur. Itaque modo de illius ſplendore, modo de ſervitutis incommodis loquebar, ſed ad utramque ſcenam pervicacem armaverat frontem, & nunc exiguo riſu, nunc ſecuris, veluti alienis malis ingemiſceret, mea tela vitabat.

Verum ut ad Callionis Percantiſque nomina perveni, tum in oculis ſubita verecundia omnem conſtantiam deſtruxit, confuſæque indicium linguæ prodidit animum hærentia verba in ſubita trepidatione molientem. Nihil aliud expectabat, quam ut illum in conſpectu miniſtrantis familiæ apertiſſimo pudore damnarem. Timui etiam, ne me mediaſtinum appellaret. Itaque mutatis ſermonibus tanquam fabulam non agnoſcerem, reliquam menſæ partem hilariſſima fronte traduxi.

At poſteaquam famuli remoto apparatu & ipſi ad menſam diſceſſerunt, tunc Pedo ad incurvum feneſtræ ſecretum me ſolicita manu duxit, ibique ſemotis arbitris totum ſe in notiſſimos miſit amplexus, revocatiſque longius ſermonibus multa de priſtina ſervitute, & de Callionis impotentia, fraudibuſque Percantis recitavit. Quid enim, inquit, attinet, per ambages inter nos priſtinam diſſimulare fortunam? & te Euphormionem fuiſſe memini; nunc ſis, nec ne, in poteſtate tua eſt: & Pedo in ſervitute ſui, quem nunc inopinata felicitas in ſplendidius extulit nomen. Adeo nihil in hominibus eſt conſtans, & fortuna cum Regibus amat eos extollere, qui ſuam felicitatem ſorti imputent. Cum abominarer Percantis faſtidium, & Callionis impotentiam devoverem, ecce tibi geminata felicitas me jam in mortis ſolatia intentum revocavit ad vitam. Nam & celeriter ſublatus Callion familiæ libertatem codicillis reliquit, & ego ad hereditatem cujuſdam Chryſii perveni, longa quidem cognatione mihi conjuncti, ſed cui me ſua orbitas & interitus ſororum proximum fecit. Neque ille liberalius traduxerat primam ætatem, quam aut ego Eu-

phormio,

phormio, aut parentes noſtri fecerunt. Nam à pueritia contempta paupertas depreſſerat ingenium, nec ſcholaſtici capacem indolem præceptis impleverant; ſed tantum ſuæ conditionis miſerabilis Philoſophia docuerat ſine ſtomacho deſpici & parere. quibus artibus cum addidiſſet ſine ſuſpicione adulari, non modo gratia valuit, ſed etiam dominorum liberalitate ad opes aliquantulum promovit. Inde cum ſe Protagoni & Deæ fortunæ credidiſſet, incredibile dictu, quantum felicitas modeſtia prævenerit vota; ſane vel ſe tantum eſſe, vel iis initiis creviſſe, interdum dubitabat. Cæterum ego tam repente felix, timui novitiam nobilitatem objicere ludibrio juventutis, quæ in Protagonis familia vivit; venique in Italiam, ut deinde gentiles non veluti ab exteris terris, ſed ex alia ſtirpe venientem adorent. Ego jam iterum Protagonis nomine verberatus, (nam & diverſitor non pauca de eodem retulerat) inquirere ſcrupuloſius cœpi, quiſnam ille Protagon eſſet, quaque auctoritate apud ſuos floreret? ac cum Pedo nihil mortale de eo prædicaret, adderetque jam ſtupenti, tantum auri cumulum apud eum cumulari, ut ſufficere viritim orbi poſſet: [1] ego ſtatim ad novas ſpes Pyrrho erectior interrogare hominem cœpi, mihine conſuleret etiam ad Protagonem proficiſci, quandoquidem ibi amplius Callionem non timebam. Ille autem perſuaſit, ne conſilium omitterem tam opportunum ad divitias, ſi me fortuna reſpicere vellet.

Inter hos ſermones conſumpſeramus noctis partem. Itaque poſt occultæ familiaritatis verba, illum publico honore ſervis ſpectantibus veneratus ſum. Cum deinde tota nocte conſilium meum ſubinde animo revolviſſem, placeretque ad Protagonem ire, ubi prçter reliqua etiam Theophraſtum & Ane- 7

1 *Ego ſtatim ad novas ſpes Pyrrho erectior, &c.*] Ipſe eſt Pyrrhus Epirotarum Rex, materno genere ab Achille, Paterno ab Hercule oriundus; qui cum annos natus eſſet undecim tanta virtute crevit ſpe fretus, ut (ut ſcribit Cæcilius) imperium orbis agitaret: cumque Romanos videret totius orbis potentiſſimos, Apollinem de belli exitu conſuluit, quod oraculum ambigue ita reſpondit,

Ajo te Æacida, Romanos vincere poſſe.

 1 Pri-

& Anemonem habebam, hac pæne oratione ſtudium meum Pedoni confeſſus ſum. Non facile expleveris agrorum ſitim debilibus rivis, aut in inopia dominorum multum ex fortunæ beneficiis hauries. Ego non vulgari artificio literarum inſtructus, ad hanc urbem veluti ad divitiarum fontem acceſſi: ſed poſteaquam mihi largius compendium tua de Protagone oratio promiſit, eo ſtrenue cupiditatem conjeci, ne ſaltem negligentiæ paupertatem imputem. Non facile dixerim, an crediderit Pedo illud mihi utile eſse, an à latere amoliri voluerit priſtinæ ſortis invidioſiſsimum teſtem: certe collaudavit mentem meam, & ita peroravit de familia Protagonis, quaſi ſtaret in limine felicitas, invitantem ultro manum humaniſsima benignitate protendens. Et meæ eruditionis conſcius eram, & credebam ingenio honorem haberi. Spe itaque fortunæ, meique fiducia repletus, iter quod dii bene verterent in Eleutheriam auſpicatus ſum. [1] Primus forte poſt Kalendas dies erat; ut nec omen fatalibus miſeriis deeſset. Sed eadem numina, quæ clades auguriis ſignificant, admonitos mortales ſuis conſiliis uti non ſinunt. Dives ſolum, ac oppidorum cultus, & ſupervacua humanitas in ignotos, fidem Pedoni apud me faciebat. Tandem in urbis confinia perveneram, ubi Protagonem & Fortunam habitare conſtabat; Ilium appellatur. Neque procul ſenem optimi vultus, & quem oppidanum ex equitandi ratione cognoveram, anguſtæ viæ beneficio conveni, & captata ſermonis origine, primum de ædificiis urbis, deque victu & conſuetudine civium quæſivi. Procedentibus deinde ſermonibus rogabam, quibus ſtudiis illa civitas floreret, & qui plurimum in ea homines poſſent; etiam quibus ceremoniis ſacrorum obnoxia teneretur. Tendebamus in aditum urbis, qui Honoris obtinet nomen, cum ille intueri ad dexteram juſſit, ubi mediocre fanum erat, & turris

1 *Primus forte poſt Kalendas dies erat, ut nec omen fatalibus miſeriis deeſſet.*] Notat Roſinus lib. 4. cap. 4. diem ſequentem Kalendas Januarii inter atros dies fuiſſe à Romanis numeratum. Conferant Ovid. in lib. Faſtorum.

Digitized by Google

ris ſupercilium non invidioſa arte porrectum. Ego hoſpes adoravi incolas deos, ſciſcitarique cœpi, [1] num Æſculapius aut Vulcanus extra mœnia habitaret? Paupertas, inquit ſenex, habitat, [2] ad cujus aram duo ſimulachra locantur, hyemis atque famis.

Perturbatus omine tam manifeſto fui, quod in ipſo limine dii inimici me deprehendiſſent. neque diu in illo ſtupore hæſeram, cum mihi animum idem ſenex blandiſſima oratione reſtituit. [3] Et vides ex pomœrio ejectam Deam, inquit, nec frugalitatis nec luxus amantem: ut intelligas amœniſſimam civitatem triſtia ſacra, ſeveroſque Deos non tuliſſe. Cæterum quibus artibus in hac urbe honor ſit, haud facile dixerim, quoniam omnium virtus ad magnæ Fortunæ libidinem examinatur. Videbis Fortunæ ingens templum, & religioſis cultoribus plenum. [4] Dea in ſublimi ara alterum pedem, velut aliquando avolatura ſuſtollit, alium volubili globo, nec ipſum ſatis conſtantem, reponit, apertiſſima quidem læva; dexteram autem ſic muliebri ſimulatione porrexit, ut neſcias dare an accipere malit. Certe muneribus tentatur; & fama eſt, non facile ſimplicitate lachrymantium exorari. [5] Olim quidem literis avidiſsime delectata eſt, & elegantes libelli aut ingenioſi carminis acumen ingentes divitias emebant; Sed poſteaquam artem præſtantiſsimam myſtarum vilitas & frequentia dejecit, pri-

1 *Num Æſculapius aut Vulcanus extra mœnia habitaret.*] Ut tutelares patriæ: Deo porro igni Vulcano, erat mos ut templum ſtrueretur extra muros, eo quod ignis noceret maxime interiori urbi. At Æſculapium conſulturi cum Romani legati veniſſent Epidaurum, ipſe mutatus in ſerpentem in urbem ingredi noluit. Vide Ovid. fabul. penult. Metamorph.

2 *Ad cujus aram duo ſimulachra locantur, hyemis atque famis.*] Duæ comites ſunt hæ paupertatis.

3 *Et vides ex pomerio ejectam Deam.*] Ex mœnibus civitatis ejectam paupertatem, quæ ſub titulo Deæ Peniæ ab antiquis colebatur.

4 *Dea in ſublimi ara alterum pedem, velut aliquando avolatura ſuſtollit, alium volubili globo.*] Quod notat fortunæ inconſtantiam.

5 *Olim elegantes libelli, aut ingenioſi carminis acumen ingentes divitias emebant.*] Sic Virgilius cum duodecim carmina in memoriam Marcelli compoſuiſſet, & ex theatro recitaſſet, donatus eſt ab Octavia Auguſti filia decem talentis: cujus etiam liberalitatis exempla ætas noſtra vidit, & Mœcenates fuiſſe viris eruditis.

Digitized by Google

primum ipſa Muſarum pulchritudo fortunæ ſordeſcere cœpit, deinde in contumeliam verti, ut jam nihil indignius putetur, quam illi carmen pro donario appendiſſe.

Cæterum excubare in fano ſupplices ſolent, neque unquam ſe oculis Fortunæ ſubducere. Ipſa leviſsimo nutu ubique cervicem inflectit, & ſi quando gratioſos offendit cultores, meliori vultu feliciſsimos homines ſalutat, ſuiſque deinde Sacerdotibus inclinatione frontis oſtendit. Nec illi rerum humanarum arbitro Numini repugnant, ſed mox è turba eximunt quos benignior fortuna ſelegit, coronatoſque lauro, velut temporum & ſapientiæ victores, ad ſummum fortunæ antiſtitem adducunt; is Protagon appellatur. illic ambitioſi exitus voti, illic magnarum cogitationum portum iratis æſtibus ventiſque fortuna ſubduxit.

Et ſcis, inquam, pater, Sacerdotum nomina qui initiatos ad felicitatis bona in Sacrarium Protagonis perducunt? Quidni, inquit, ſciam, cum iis creberrima ſupplicent vota, cum & Protagon & Fortuna ex ipſorum conſilio ſua oracula componant? Omnium potentiſsimus ex ſeveritate nomen invenit, & Doromiſus appellatur: hic eſt qui primus eorum nomina ad Protagonem defert; quos fortuna reſpexit. Sed ſupercilium ſuum duriſsima arte effingit, ipſique fortunæ audet iraſci, ſi quando benignius ſupplicantibus indulget. Et tamen iſtius Deæ beneficio in eum gradum conſcendit, in quo poſitum Eleutheria & ſe ipſe forſitan miratur. Nam in privatas ſpes adolevit, & aliquando Fortunæ templum ingreſſus, neſcio qua Deæ benevolentia ad Protagonem traductus eſt, mox ſimilitudine morum conciliatus, cum ſolertiſſimus homo ita cupiditates torqueret, ut omnino videretur iiſdem ſideribus conceptus. Itaque rei familiari præfectus eſt, vir ingentis naturæ, & quem, ſi me digno precio emeret, contra invidorum argumenta in cœlum meritiſsima prædicatione levarem. Illius potentiam Torrentius, & Neapolitanus, Janicularis quoque ac Curſor, aliis rationibus proxima conſequun-

ſequuntur. Nam Longinius nuper expectatæ morti conceſſit, & jam pridem emortua ſenectute langueſcens moleſtum negotiorum & dignitatis oderat nomen. Eminet quoque Figuli aureus honor, & [1] veteris Agathoclis abundantiam immenſis vectigalibus vincit. Sed nullus ad Doromiſi potentiam accedit, & ſi (hoſpes) hic ad fortunam feſtinas, noli opes exſpectare, niſi te ille primus ad Protagonem hujus Deæ imperio deducet.

Cum hæc mirifica humanitate expoſuiſſet, & omnem Reipublicæ ordinem hiſtorica fide promitteret, intercepere orationem affines, qui obviam optimo ſeni proceſſerant, & eripuerunt notitiam mihi rerum illarum, quas poſtea difficillimi temporis diſpendio perſpexi. Igitur cum ſe mihi jam pæne familiariter ultimis amplexibus traderet, paululum ab amicis ſemovi, &, Per fidem, inquam, tuam, quis aut quibus moribus Protagon ſit, paucis dicere placet? nec libidine curioſitatis motus, ſed neceſſitate interrogo. miſerere, & ingenium viri oſtende, ſub cujus legibus victurus acceſſi. Iratus ille excuſſit fortius veſtem, quam comprehenderam manu, &, O mi hoſpes, inquit, ſcias me ad hanc ætatem ſine parricidio vixiſſe, qui ſeris criminibus pervertis innocentiam meam. Neſcis quantum flagitium admittant, qui de Protagonis moribus quærunt? Jovis quidem cerebrum & Regis, ut audio, Perſarum proverbium conjungit, & paſſim quos familiaritas Deorum extulerat ad vaticinia, [2] iis quoque ſecures parebant. Nulla tamen ſecula Protagonis genium æquarunt; nec ille Fortunæ tantum, ſed Virtuti legem imponit. quidquid ipſe aut facit, aut cogitat, Eleutheriani adoramus; nec quenquam

1 *Veteris Agathoclis abundantiam immenſis vectigalibus vincit.*] Iſte Tyrannus Siciliæ patre figulo natus cum virtutem bellicam aliquando ſignificaſſet in defuncti Regis locum ſuffectus eſt, de quo Juſtinus lib. 22. Plutarchus in Pyrrho. Auſonius autem ſic:

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem
Atque abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.

2 *Iis quoque ſecures parebant.*] Scilicet magiſtratus, Synecdoc. Eleutheriani autem ipſi ſunt Franci. Helleniſmus.

quam ſimiliorem numinibus ad nos fata tranſmiſerunt. Tu vero Deos comprecare, ut ignoſcant ſimplicitati tuæ, & in Protagone Deorum potentiam, & ipſius cœli imaginem, reverere.

Exhorrui tam improviſo ſcelere contaminatus, & tamen diſſimulato metu, quoniam ad portas veneramus, Deos Deaſque ſalutavi, urbiſque maxime tutelam, ſive eſſet ipſe Protagon, ſive aliud occultæ religionis numen. Et ea quidem veſpera ignoto diverſorio contentus, ſuſpenſam maxime noctem inter varias cogitationes exegi. Prima deinde luce quæſivi, qui ſuam operam numis vellet addicere, & per ignotam urbem inutiles prohiberet errores. Novo itaque ſatellitio ſuperbus, præterea redemptis optime veſtibus ornatus, [1] potentiſsimæ Fortunæ templum peto. Ac cum per viam catervatim homines occurriſſent, non molliſsima modo lana contecti, ſed ſerico ſplendore ad luxuriam vibrantes, cœpi damnare veritatem heſterni ſenis, illudque certo exiſtimare, neminem ſe opulentiſsimæ Fortunæ advertere, quem illa reſpicere nollet.

8 Ac poſteaquam libavi ſanctiſsimum limen, alias cogitationes ſtrenue quidem projeci, cæterum illud attentiſsime reputabam, quibus maxime votis mihi deam propitiarem. Cumque ſolicitudo tam ingens obtutos oculos defixiſſet in terram, forte omnibus tranſeunti matronæ aſſurgentibus, ego ſolus non deceſſi de via, obviumque corpus ruſtica ſimplicitate alliſi. nam nec ſatis quidem ipſa incurioſum adverterat, nec etiam juvenis cincinnatus, qui delicate gradientem ſuſpendebat. Sed ut trepidum ſuſtuli lumen, & forma mulieris incauta præcordia trajecit; Dii Deæque, quam ſubita mutatio ne me quidem mihi reliquit! Oculi ſideribus pares vivido ſplendore vibrabant, frons porrecta, & inter

1 *Potentiſsimæ fortunæ templum peto.*] Fortuna Dea credita eſt ab antiquis, unde Juvenalis:

Te facimus, Fortuna Deam, cœloque locamus.

De Fortuna ejuſque templis tum Romæ, tum apud Antiates ſatis fuſe diſſerit N. Comes Mythol. lib. 4. cap. 3. Imo & Barclaius in ſua Argenide 1. parte lib. 4. cap. 7.

& inter aurum argentumque comæ nitentes, genæ quas ceruſſa deteriores feciſſet, [1]os Veneri ſimillimum ſuo Marti blandienti, cervix nec immobilis, nec præter majeſtatem annuens, ſinus bicipiti turgidus colle, & cui ſuum Parnaſſum donare Phœbus poſſet. Denique ſi pro Fortunæ numine ſediſſet in ara, magis ſtudioſos cultores inveniſſet. Ac in me quidem illa ſine aliquo ſtupore conſpexit, ſed attonitæ ſimilis hæſit, & mutua admiratione defixa meam frontem curioſa ſpeculatione luſtravit. Diceres conveniſſe, ut utrique immobiles animorum tranſmitteremus affectus. Adeo quiddam eſt arcanum in amicitiarum fatis, & natura ſimilitudinem affectuum inter ignotos mirabili genio temperans, etiam cognationem animorum inducit. Ubi vero revocavimus animos licentius ad auſpicia amicitiæ coëuntes, illa quidem incluſit velo frontem, ego autem ſuaviſſimo dolore perfuſus, veluti relinquerem antiquæ familiaritatis locum, ægre ab ipſius latere veſtigia moliebar. Et hic quidem inconſulti amoris turbo omnia animi mei decreta ſubita tempeſtate pervertit. Sed quis ſapientiam in odio, aut in amore iniquus arbiter quærit? [2]Ipſa Venus temere nata eſt ex ſpumis, quas inanis egerat ventus, ne amicitiarum exordia ad ſeveritatem prudentiæ diſponamus. Fœminam nobilem, & quam ſperare non poteram me in illa civitate inter tot Dearum millia inventurum, ego peregrinus & ignotæ conditionis homo, præterea adverſantibus fatis omnia aggreſſus, nullis argumentis præter ſubverſi animi impetum, pæne diligere audebam. Nec illius mihi

1 *Os Veneri ſimillimum ſuo Marti blandienti.*] De amoribus Veneris & Martis multa vel indigna Diis fabulantur antiqui poëtæ: de quibus idem Barclaius in ſua Argenide lib. 1. c. 4. pag. 5. noſtræ editionis illuſtratæ,

Nec tu Lemniacis Mavors formoſior armis
Frena quatis, Paphiiſque ſoles miteſcere blandus
Cultibus, ah miſero tantum metuende marito.

2 *Ipſa Venus temere nata eſt ex ſpumis, quas inanis egerat ventus.*] Venus ex ſpuma maris, & cœli ſpermate nata dicitur, & in concham marinam recepta, & ἀπὸ τ ἀφρȣ̃, id eſt ſpuma Venus Aphroditis. Auſon.

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita cœlo.

mihi conſuetudinem promittebam, ſed erat aliquid in læſi pectoris ſenſu, ſimile deſiderio, & veluti cuniculus longæ ſpei, quæ nondum fatebatur cupiditatem ſuam.

Jam ſuperaveram teſtudinem templi,introque pergebam ad Deam, cum ſimulachrum Fortunæ video, omnino quale deſcripſerat ſenex, & donaria paſſim ex auro argentoque pendentia. omnia exſonabant profeſſis ſupplicum votis, & plura, ut videbatur, muta devotio occultabat. Itaque poſito genu, & ipſe in hunc modum oravi: Domina Mortalitatis & Fatorum, cujus imperium terras & maria exercet, ſi non faſtidis peregrini ſupplicis cultum, & te velut ſororem naturæ varietas delectat, muta, ô Regina, & inflecte conſtantiam malorum, quæ me pertinaci odio laceſſit. quo longius ſparſeris beneficia in externos, eo miſericordiæ fama tuum regnum religioſius extendet. Et ſi me provexeris facilis, notæ miſeriæ adoleſcentem, mihi crede multi divites ex Luſinia ſpes eaſdem, Domina, precioſis donariis à te ement. Felicitatis meæ arbitrium tuo numini relinquo, nec deſcendo ad licentiam votorum. Injuriam cœlitibus facit, qui indulgentiæ viam præſcribit. tantum, ô Dea, ſi licet, faventem Protagonem deprecor, & præterea ne in miſeriarum omen omnium fœminarum fœliciſſima mihi occurrerit intra ſeptorum tuorum ſanctitatem. Hæc humillimo mentis ſpiritu effudi, cumque immota Dea nihil mitigato vultu conſtaret, etiam quaſdam verborum blanditias adjunxi: donec laſſata pietas impatientiam meam ad alterius ſpei novitatem convertit, &, Quid, inquam, ſi mihi ipſe pro Fortuna faveo? quid ſi, quod illa tarde & fortaſſis faciet, ego celerius exſequor? me ſcilicet ad Doromiſi vultum confero, oroque ne repudiare velit hominis preces, quem ipſe Apollo & Muſæ, niſi me amici deceperunt, ſibi intima familiaritate junxerunt. Quod ut mecum turbatus exegi, cœpi indulgere credulitati meæ, & fingere animo faventem Doromiſi ſpeciem mihi etiam ſua ſponte blandientis. & neſcio quo me ſpes improba provexerit,

Digitized by Google

ut jam divitias, quibus me Protagon oneraturus per Doromiſum eſſet, ineptiſſimis diſponerem votis.

Nec ultra cunctatus genua de pavimento ſuſtollo, & novitium interrogo ſervum, ſciretne ubi Doromiſus habitaret? Pallidus ille ac tremens, ſe vero ſcire aſſeverat, cæterum nunquam ultra limen produxiſſe audaciam oculorum; nec fas eſſe, quæ illic miracula eſſent profanis luminibus contueri. Si me tanti crederem, ſi illam ſuſtinere lucem poſſem, indicaturum quidem domum, ſed nullo ſtipendii pretio ſtultiſſimam temeritatem locaturum, ut in eam mecum irrumpat. Ego audacter ducere juſſi, & quo apud ſervulum majoris auctoritatis eſſem, jactavi gratiæ meæ vires, ac ipſum Doromiſum ultro etiam oraturum, ut per ipſum bene eſſe mihi velim. Et hæc confidentius proloquebar avidiſſime audienti, quoniam in Doromiſi ædes omnino ſe non venturum prædixerat; ut nec ſi male acceptus à familia eſſem, ipſe cognoſcere contumeliam meam poſſet.

Igitur ſalutato numine à Fortunæ æde declino, & ali- 9
quantiſper ſpatiatus per nobiliſſimam urbem, tandem ad flumen veni, lene quidem & ipſa libertate alvei placidum, niſi meantis curſum interciperent pontes. Sciſcitanti deinde quod eſſet fluvio nomen, mercenarius meus in illa quidem urbe Pactolum appellari retulit: cæterum & cum propior fontibus ſuis manat, ac deinde cum ſe extra civitatem evolvit, Nilum vocitari, & in ipſa quidem ripa conſtitutum Saturni templum eſſe, in cujus vicinia cuſtos Doromiſus habitabat. Non libuit interrogare ubinam eſſent ædes, quas facile aperiebat diſcurſatio variorum, & tumultus fortunarum ingentium comes. Itaque relicto nomenclatore meo intravi frequentiſſimum limen; quod jam ab ipſis foribus perhorreſcendum fuit. [1] Erat enim ſupra portam Æt-

næ

1 *Erat enim ſupra portam Ætnæ fulminantis imago, & terribiles Cyclopum formæ ſuo Jovi molientium tela.*] Cyclopes Neptuni & Amphitrites filii fuere miniſtri Vulcani, Jovi ſua fulmina fabricantes, ut fabulantur, in antris Ætnæ montis: Cyclopes dicti ex eo quod unicum haberent oculum eumque orbicularem in fronte media Virgil. 8. Æneidos:

Fer-

næ fulminantis imago, & terribiles Cyclopum formæ ſuo Jovi molientium tela. Sed perdidi omnes metus, progreſſuſque in atrii ſpatia primum omnium cœpi mirari pares quorundam hominum cultus, quos ambitu præcipuo tranſeuntes ſalutabant. Erant autem coccineis palliis tecti, & tam uno habitu notabiles, ut ejuſdem patris heredes viderentur. Cæterum in ſingulorum pectore nonnihil ad lævum latus vidi coronam ex aureis filis ſericoque fulgentem, quæ pulcherrima texturæ induſtria eminebat aliquantulum extra tunicæ corpus, & quidem non multo ante facto: ſignificabat coronarum ſplendor, qui nihil de recenti venuſtate perdiderat. Notavi etiam omnibus pileum eſſe præpeditum multiplicibus pennis, & quas illi novo more in mediam obverterant frontem. Non ſuſtinui diutius ignorare, quæ hæc veſtium concordia eſſet, & à tranſeuntium uno quæſivi, quoſnam illos mortales arbitraretur? *Ille*, Doromiſi domeſticos, inquit, vel potius ingentis familiæ partem, totam enim non anguſtia domus, ſed nec, quamvis ampla eſt, civitas capere poteſt.

Cum deinde errorem viarum timerem in ampliſſima ſede, idem, ſi ad Doromiſum ire vellem, inſiſtendum ſemitæ oſtendit, quam utrinque claudunt exiguæ arbores, & quæ, ut ex muſcoſis corticibus apparet, tardioribus incrementis conſurgunt. Igitur in eam ſemitam me conjeci, & cum paria arbuſculorum faſtigia, ramoſque ad æqualitatem præciſos intuerer, ne hoc quidem credidi ſine conſilio, & venerabilis arcani notatione factum eſſe. Sed tot quæſtionibus tranſeuntes fatigare non ſuſtinet verecundia mea. Illud autem cogitationem meam vehementius erexit, quod de ſingulis arboribus tabella pendebat, in qua hoc erat minio ſcriptum: [1] *Pares ſumus*, &, *Non ſumus Pares*.

Cum

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

1 *Pares ſumus*, &, *Non ſumus Pares.*] Sic Pares erant arbores æqualitate ut arbor arborem, ramus ramum non excederet latitudine neque altitudine; erant autem ſpecie impares.

1 *Gra-*

Cum vero in extremo ſemitæ eſſem, diligenterque tot rerum inſolentiam annotarem, video pulcherrimæ faſtigium portæ, & credo aliquot hiſtoriarum monumentis inſigne. Erant enim imagines ex ære; illinc quidem [1] Gradivus in curru ferebatur, Jovique jam ſatis concitato ſævitiam miniſtrabat, multitudinem nubium, [2] Vulcanique terribilem laborem Deo in manus ferens. In altera vero parte Aviditatem artifex expreſſerat, omnino qualem [3] Hercules olim inter monſtra defunctorum à ſe viſam memorabat. [4] Illa Plutum multiplici catena conſtrinxerat, trahebatque pertinaciter reluctantem. Plutum contra vindicabat ingens ruſticorum turba, & à ſe abeuntem irrita fortitudine revocabat, nec plus tamen in victricem aviditatem, quam queſtus & maledicta audebant: laxaverat enim artifex ænea imaginum ora, oculoſque in aviditatem tam atroci acie defixerat, ut auderes ab ipſis voces etiam & querelas expectare. Et quidem ſolicitati oculi tam præclari operis venuſtate, pæne omiſerant ejuſdem portæ columnas marmoreas perluſtrare, in quibus inciſæ literæ auroque diligenter imbutæ, in hæc verba legebantur: *Sacrum Doromiſo ſexies maximo, larium domeſticorum curatori, vialium diſpenſatori & præfecto.* Cum hæc religioſe veneratus 10
perlegiſſem, ſubeo eandem illam portam. & cum ex ædibus quidam Doromiſo domeſticus proceſſiſſet, (jam enim agnoſcebam ex veſtitu) interrogavi, num vacaret domino peregrinum hominem videre? Ille nec domi Doromiſum eſſe nunciat: nec facile objiciendam negotiorum moleſtiam eo utique die, qui ad publicam hilaritatem eſſet ortus: me quoque prudentius facturum, ſi graviores omitterem curas:

1 *Gradivus in curru ferebatur.*] Emblema. Martis cognomen, vel ex eo quod gradatim, & per ordines milites in bellum eant, vel ἀπὸ τῆ κραδαίνειν à vibratione haſtæ.

2 *Vulcani terribilem laborem.*] Jovis fulmen à Vulcano fabricatum.

3 *Hercules olim inter monſtra.*] Nota eſt vel pueris multiplex illa Herculis victoria.

4 *Illa Plutum.*] Hunc Græci finxere deum divitiarum, & hunc voluere in acceſſu quidem claudum, in receſſu vero alatum.

1 Ve-

curas: oculoſque meos celeberrimæ pompæ ſpectaculo crederem. Quippe Deam Fortunam à Venere exoratam commendaſſe ſuis ſacerdotibus puellam Deorum favore digniſſimam, formæque, quæ inſignis inter Deas eſſe poſſet; eam illo die nubere Olympioni, & Antiſtites Fortunæ conjugio exornando laborare; ipſi puellæ Caſinæ nomen eſſe. Egi ut oportuit gratias tam liberaliter prolocuto, & quoniam ejuſdem ſpectaculi ſtudio trahebatur, ad nuptiarum pompam illo duce proceſſi. ac multa quidem per viam diſſeruimus (erat enim humanitatis pleniſſimus) tum de civitatis & magiſtratuum genio, tum maxime de imperio Fortunæ, quæ induſtriæ virtutiſque damnatæ occupaverat locum: donec inter ſuavitatem colloquiorum ſuperbiſſimam intravimus domum, ubi tot erant artificum labores, tam curioſa varietas, ut jam cultum, qui me in Doromiſi æde perculerat, novus admirator contemnerem. Nihil unquam videram tam ſimile cœlo vel in Labetri, vel in Callionis domo. lucernæ de laureatis pendebant poſtibus, & florum etiam intempeſtiva pulchritudo ſeſe alienis anni temporibus interſerebat. Ipſa janua, quantum à lucernis lauroque vacabat, aurea vibrabat cælatura, non ſpiſſioribus quidem laminis exarata, ſed quæ fideliter lignorum vilitatem occultarent. Cum deinde juvenis illius favor me per ſpiſſa obſtantium agmina provexiſſet in interiorem locum, ſi qua eſt jurantibus fides, caligavi ad tantæ majeſtatis nitorem, & [1]veriori quam olim Cyneas ſtupore, non intueri viſus ſum coëuntium purpuram regum, ſed ibi omnes deos deaſque adoravi. Et quidem avidiſſime contemplationem in Caſinam conjeci, utique novo cultu mirabilem, & quæ nec flammeo verecundiam demulſerat (ſtabat enim hilari & aperto vultu) neque ſupremum pudorem

1 *Veriori quam olim Cyneas ſtupore, non intueri viſus ſum coëuntium purpuram regum, &c.*] Is eſt qui Pyrrho Rege legatus miſſus ad Romanos de pace uno die omnium ſenatorum nomina didicit, quorum conceſſu ſic obſtupuit, ut totidem Regum majeſtatem ſibi videretur intueri, quod eidem Pyrrho retulit.

2 *Tem-*

rem jugali concluſerat cæſto. At poſteaquam animadverti hæc muliebris conſuetudinis ornamenta in Olympionem eſſe congeſta, omnino credidi eſſe Fortunæ datum, ut deterior ſexus imbecillitatem abjiceret in viros; quippe Olympio obnupſerat flammeo vultum ita per diverſas plicaturas faſtigiato, ut utrimque [1] tempora Bacchico cornu elegantiſſime ſignarentur; & ſuper ligaturam, ex qua ferrum pendebat ad latus, [2] induxerat conjugalem cæſtum, ſed tot nodis me hercule, & tam implicata nexuum ſerie, ut videbatur, aſtrictum, ut niſi aliquot annorum labore explicare minime poſſet.

Cæterum ut pompa in medium proceſſit, quo miniſtri ſanctitas auſpicium coëuntibus eſſet, neſcio quis Antiſtes in candida veſte connubii legem ad hunc modum recitavit, novam ſane, & quam ideo in tabula deſcripſerat, ne inter pronunciandum laberetur; Ut tu Olympio hanc Caſinam conjugem tuam nec attigeris, nec oſculum retuleris, niſi peregre proficiſcens, [3] & trinundinum abſuturus, ut à ſinu curioſam abſtineas manum, nec adſis moleſtus noctium arbiter, aut ante ſextam diei horam uxoris thalamum temeraria manu recludas. Si quam interea prolem tibi genuerint dii, illam protinus tollas, & gratuito herede feliciſſimam augeas domum. Si hæc faxis, tum tibi in uxoris nomen venire licebit, boniſque avibus juncto per exterarum gentium urbes celeberrimis itineribus volitare.

Cum

1 *Tempora Bacchico cornu elegantiſſime ſignarentur*] Id eſt ſimili cornu; quod autem Bacchus pingatur nonnunquam cornutus variæ afferuntur rationes, & quod addat cornua pauperi. Athenæus rationem hanc affert, quæ non mediocriter mihi placuit; quod ſcilicet in conviviis ad potandum uterentur antiqui cornibus deauratis.

2 *Induxerat conjugalem cæſtum.*] Cæſtum geſtabant virgines vel in capite uti hodie moniales quædam in Belgio, & Lotharingia, vel circa latera & renes hanc maritus prima nocte diſſolvebat. Genus vittæ & ſuppari quod etiam Palladis virgines & ſacerdotes, ipſaſque Veſtales redimibat, pudoris inſigne. Talis vitta altera erat virginalis, altera nuptialis. Ovidius de arte amandi:

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris.

Unde & poſtea; *ne caſtum audaci manu frangas.*

3 *Et trinundinum abſuturus.*] Id eſt, tribus hebdomadis: dictæ ſunt nundinæ quia nono quoque die celebrantur nundinæ, inde dictæ.

Cum hæ conditiones mitiſſimo conjugi placuiſſent, Antiſtes in Caſinam convertitur, & hoc quidem cautiorem diligentiam adhibet, quod illius maxime cauſa nuptiarum pompa coiverat. Verba autem fœderis conjugalis, in quæ ille Caſinam adegit, omnino ejuſmodi fuerunt; ut tu Caſina non minus virgo ſis, quo tempore conjugium hoc veſtrum interitus aut legis beneficium extinguet, quam nunc hodieque fuiſti cum ad hanc procederes pompam. Ut ne cæſtum tui Olympionis procaci manu frangas, neu in oſculum, neu in amplexum ſolicites maritalem, [1] ut aureum Jovis imbrem felix Caſina expectes, qui te faciat matrem, nec mortalitatem Deorum ſemini jungas, aut Iphidius aliquis uterum tuum Herculi naſcituro anguſtet. Si hæc proba fide faxis, ut tum neque molas viro tuo, neque coquas, nec Junonem iratam habeas, vel obloqui Cleoſtrata poſsit, & ipſa Fortuna penum tuam inſtrui ſolertiſsima ordinatione procuret. Plaudentibus univerſis, Caſina conceptiſsimis juravit verbis, nihil ſe unquam contra præſcriptarum legum ſanctitatem auſuram.

O felix Hymen, ô Hymen fidelis,
Jucundiſſime cælitum deorum!
Seu tu de ſuperis vides maritos,
Caſtis ignibus Heſperum vocantes;
Seu terras colis, & favente nutu
Maturis bonus annuis puellis:
O felix Hymen, ô Hymen fidelis,
Iſtis quinque faces, thorum jugalem,
Panem, vellera, cærulamque lympham,
Et lauro medios tegente lychnos,
Flores poſtibus adferas decoris.
Sed nec lentus ades. Nihil moramur,

Nobis

1 *Ut aureum Jovis imbrem.*] Hoc eſt complexus Jovis, quales Danaes. Horatius:

Incluſam Danaën turris ahenea
Robuſtæque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Converſo in pretium Deo.

1 Et

Nobis ô Hymen eſt ſatis deorum.
Aut veni citus, aut Hymen valebis.
Nam ſi lentus ades, licens Cupido,
Et blandis Venus evocata votis,
[1] *Et dulci veniet lepôre Riſus;*
Et quotquot Superum eſt licentiorum.
Tunc nec te tacite marita poſcet;
Nec tardum cupidus palam maritus
Caſtis ignibus Heſperum vocabit.
Aut veni citus, ô Hymen fidelis,
Jucundiſſime cælitum Deorum,
Aut felix Hymen, ô Hymen, valebis.

Dum hæc celeberrimis cantionibus aguntur, interim religioſam ſedem, omnemque apparatum, avidiſsimis oculis luſtrabam. Sed me præcipue tenuit matronarum puellarumque ordo, qui in Caſinio vultu diffuderant mentem, omnes ardentibus gemmis, & fulgore ſerico vibrabant. Neque me fallebat plurimas jam non ſuo vero florere: ſed & medicatis frontibus juventutis revocaverant legem, ut me unicam ætatem cernere arbitrarer mea ſponte deceptus.

Cęterum quanto ſplendorem aſtrorum nitidior luna coërcet, tantum eminebat divina omnino mulier, victamque cæterarum pulchritudinem caſtigabat; illa utique quæ mihi paulo ante in Fortunæ occurrerat templo. Nihil emendatius natura ea muliere expolivit, nec fata illi dignum amatorem inveniunt.

[2] *Non ſi Taurus amet, vel falſis increpet alis*
Ipſe deum genitor, vel ſpreto Phœbus Olympo
Rurſus in Æmoniis deducat ovilia campis.

Forte

1 *Et dulci veniet lepôre Riſus, Et quotquot Superum.*] Teſtatur Apulejus in ſua Metamorphoſi, apud Græcos celebrari ſolitum feſtum Dei Riſus, quo die ipſe materiem ridendi in amphitheatro omnibus miniſtravit. Porro hoc carmen eſt Epithalamion.

2 *Non ſi Taurus amet, vel falſis, &c.*] Celebrat & amores Jovis in Taurum mutati, ut reperet Europam; vel in Aquilam, ut Ganymedem deorum pocillatorem. Et Phœbi qui eo redactus eſt ut greges Admeti Regis paſceret captus amore nympharum.

quam ſimiliorem numinibus ad nos fata tranſmiſerunt. Tu vero Deos comprecare, ut ignoſcant ſimplicitati tuæ, & in Protagone Deorum potentiam, & ipſius cœli imaginem, reverere.

Exhorrui tam improviſo ſcelere contaminatus, & tamen diſſimulato metu, quoniam ad portas veneramus, Deos Deaſque ſalutavi, urbiſque maxime tutelam, ſive eſſet ipſe Protagon, ſive aliud occultæ religionis numen. Et ea quidem veſpera ignoto diverſorio contentus, ſuſpenſam maxime noctem inter varias cogitationes exegi. Prima deinde luce quæſivi, qui ſuam operam numis vellet addicere, & per ignotam urbem inutiles prohiberet errores. Novo itaque ſatellitio ſuperbus, præterea redemptis optime veſtibus ornatus, [1] potentiſsimæ Fortunæ templum peto. Ac cum per viam catervatim homines occurriſſent, non molliſsima modo lana contecti, ſed ſerico ſplendore ad luxuriam vibrantes, cœpi damnare veritatem heſterni ſenis, illudque certo exiſtimare, neminem ſe opulentiſsimæ Fortunæ advertere, quem illa reſpicere nollet.

8 Ac poſteaquam libavi ſanctiſsimum limen, alias cogitationes ſtrenue quidem projeci, cæterum illud attentiſsime reputabam, quibus maxime votis mihi deam propitiarem. Cumque ſolicitudo tam ingens obtutos oculos defixiſſet in terram, forte omnibus tranſeunti matronæ aſſurgentibus, ego ſolus non deceſſi de via, obviumque corpus ruſtica ſimplicitate alliſi. nam nec ſatis quidem ipſa incurioſum adverterat, nec etiam juvenis cincinnatus, qui delicate gradientem ſuſpendebat. Sed ut trepidum ſuſtuli lumen, & forma mulieris incauta præcordia trajecit; Dii Deæque, quam ſubita mutatio ne me quidem mihi reliquit! Oculi ſideribus pares vivido ſplendore vibrabant, frons porrecta, & inter

1 *Potentiſsimæ fortunæ templum peto.*] Fortuna Dea credita eſt ab antiquis, unde Juvenalis:

Te facimus, Fortuna Deam, cœloque locamus.

De Fortuna ejuſque templis tum Romæ, tum apud Antiates ſatis fuſe diſſerit N. Comes Mythol. lib.4. cap.3. Imo & Barclaius in ſua Argenide 1. parte lib.4. cap.7.

2 Or

& inter aurum argentumque comæ nitentes, genæ quas ceruſſa deteriores feciſſet, [1] os Veneri ſimillimum ſuo Marti blandienti, cervix nec immobilis, nec præter majeſtatem annuens, ſinus bicipiti turgidus colle, & cui ſuum Parnaſſum donare Phœbus poſſet. Denique ſi pro Fortunæ numine ſediſſet in ara, magis ſtudioſos cultores inveniſſet. Ac in me quidem illa ſine aliquo ſtupore conſpexit, ſed attonitæ ſimilis hæſit, & mutua admiratione defixa meam frontem curioſa ſpeculatione luſtravit. Diceres conveniſſe, ut utrique immobiles animorum tranſmitteremus affectus. Adeo quiddam eſt arcanum in amicitiarum fatis, & natura ſimilitudinem affectuum inter ignotos mirabili genio temperans, etiam cognationem animorum inducit. Ubi vero revocavimus animos licentius ad auſpicia amicitiæ coëuntes, illa quidem incluſit velo frontem, ego autem ſuaviſſimo dolore perfuſus, veluti relinquerem antiquæ familiaritatis locum, ægre ab ipſius latere veſtigia moliebar. Et hic quidem inconſulti amoris turbo omnia animi mei decreta ſubita tempeſtate pervertit. Sed quis ſapientiam in odio, aut in amore iniquus arbiter quærit? [2] Ipſa Venus temere nata eſt ex ſpumis, quas inanis egerat ventus, ne amicitiarum exordia ad ſeveritatem prudentiæ diſponamus. Fœminam nobilem, & quam ſperare non poteram me in illa civitate inter tot Dearum millia inventurum, ego peregrinus & ignotæ conditionis homo, præterea adverſantibus fatis omnia aggreſſus, nullis argumentis præter ſubverſi animi impetum, pæne diligere audebam. Nec illius mihi

1 *Os Veneri ſimillimum ſuo Marti blandienti.*] De amoribus Veneris & Martis multa vel indigna Diis fabulantur antiqui poëtæ: de quibus idem Barclaius in ſua Argenide lib. 1. c. 4. pag. 5. noſtræ editionis illuſtratæ,

Nec tu Lemniacis Mavors formoſior armis
Frena quatis, Paphiiſque ſoles miteſcere blandus
Cultibus, ah miſero tantum metuende marito.

2 *Ipſa Venus temere nata eſt ex ſpumis, quas inanis egerat ventus.*] Venus ex ſpuma maris, & cœli ſpermate nata dicitur, & in concham marinam recepta, & ἀπὸ τῆ ἀφρῦ, id eſt ſpuma Venus Aphroditis. Auſon.

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita cœlo.

a Erat

mihi conſuetudinem promittebam, ſed erat aliquid in læſi pectoris ſenſu, ſimile deſiderio, & veluti cuniculus longæ ſpei, quæ nondum fatebatur cupiditatem ſuam.

Jam ſuperaveram teſtudinem templi, introque pergebam ad Deam, cum ſimulachrum Fortunæ video, omnino quale deſcripſerat ſenex, & donaria paſſim ex auro argentoque pendentia. omnia exſonabant profeſſis ſupplicum votis, & plura, ut videbatur, muta devotio occultabat. Itaque poſito genu, & ipſe in hunc modum oravi: Domina Mortalitatis & Fatorum, cujus imperium terras & maria exercet, ſi non faſtidis peregrini ſupplicis cultum, & te velut ſororem naturæ varietas delectat, muta, ô Regina, & inflecte conſtantiam malorum, quæ me pertinaci odio laceſſit. quo longius ſparſeris beneficia in externos, eo miſericordiæ fama tuum regnum religioſius extendet. Et ſi me provexeris facilis, notæ miſeriæ adoleſcentem, mihi crede multi divites ex Luſinia ſpes eaſdem, Domina, precioſis donariis à te ement. Felicitatis meæ arbitrium tuo numini relinquo, nec deſcendo ad licentiam votorum. Injuriam cœlitibus facit, qui indulgentiæ viam præſcribit. tantum, ô Dea, ſi licet, faventem Protagonem deprecor, & præterea ne in miſeriarum omen omnium fœminarum fœliciſſima mihi occurrerit intra ſeptorum tuorum ſanctitatem. Hæc humillimo mentis ſpiritu effudi, cumque immota Dea nihil mitigato vultu conſtaret, etiam quaſdam verborum blanditias adjunxi: donec laſſata pietas impatientiam meam ad alterius ſpei novitatem convertit, &, Quid, inquam, ſi mihi ipſe pro Fortuna faveo? quid ſi, quod illa tarde & fortaſſis faciet, ego celerius exſequor? me ſcilicet ad Doromiſi vultum confero, oroque ne repudiare velit hominis preces, quem ipſe Apollo & Muſæ, niſi me amici deceperunt, ſibi intima familiaritate junxerunt. Quod ut mecum turbatus exegi, cœpi indulgere credulitati meæ, & fingere animo faventem Doromiſi ſpeciem mihi etiam ſua ſponte blandientis. & neſcio quo me ſpes improba provexerat,

ut

ut jam divitias, quibus me Protagon oneraturus per Doromiſum eſſet, ineptiſſimis diſponerem votis.

Nec ultra cunctatus genua de pavimento ſuſtollo, & novitium interrogo ſervum, ſciretne ubi Doromiſus habitaret? Pallidus ille ac tremens, ſe vero ſcire aſſeverat, cæterum nunquam ultra limen produxiſſe audaciam oculorum; nec fas eſſe, quæ illic miracula eſſent profanis luminibus contueri. Si me tanti crederem, ſi illam ſuſtinere lucem poſſem, indicaturum quidem domum, ſed nullo ſtipendii pretio ſtultiſſimam temeritatem locaturum, ut in eam mecum irrumpat. Ego audacter ducere juſſi, & quo apud ſervulum majoris auctoritatis eſſem, jactavi gratiæ meæ vires, ac ipſum Doromiſum ultro etiam oraturum, ut per ipſum bene eſſe mihi velim. Et hæc confidentius proloquebar avidiſſime audienti, quoniam in Doromiſi ædes omnino ſe non venturum prædixerat; ut nec ſi male acceptus à familia eſſem, ipſe cognoſcere contumeliam meam poſſet.

Igitur ſalutato numine à Fortunæ æde declino, & ali- 9
quantiſper ſpatiatus per nobiliſſimam urbem, tandem ad flumen veni, lene quidem & ipſa libertate alvei placidum, niſi meantis curſum interciperent pontes. Sciſcitanti deinde quod eſſet fluvio nomen, mercenarius meus in illa quidem urbe Pactolum appellari retulit: cæterum & cum propior fontibus ſuis manat, ac deinde cum ſe extra civitatem evolvit, Nilum vocitari, & in ipſa quidem ripa conſtitutum Saturni templum eſſe, in cujus vicinia cuſtos Doromiſus habitabat. Non libuit interrogare ubinam eſſent ædes, quas facile aperiebat diſcurſatio variorum, & tumultus fortunarum ingentium comes. Itaque relicto nomenclatore meo intravi frequentiſſimum limen; quod jam ab ipſis foribus perhorreſcendum fuit. [1] Erat enim ſupra portam Ætnæ

1 *Erat enim ſupra portam Ætnæ fulminantis imago, & terribiles Cyclopum formæ ſuo Jovi molientium tela.*] Cyclopes Neptuni & Amphitrites filii fuere miniſtri Vulcani, Jovi ſua fulmina fabricantes, ut fabulantur, in antris Ætnæ montis: Cyclopes dicti ex eo quod unicum haberent oculum eumque orbicularem in fronte media Virgil. 8. Æneidos:

Fer-

næ fulminantis imago, & terribiles Cyclopum formæ ſuo Jovi molientium tela. Sed perdidi omnes metus, progreſſuſque in atrii ſpatia primum omnium cœpi mirari pares quorundam hominum cultus, quos ambitu præcipuo tranſeuntes ſalutabant. Erant autem coccineis palliis tecti, & tam uno habitu notabiles, ut ejuſdem patris heredes viderentur. Cæterum in ſingulorum pectore nonnihil ad lævum latus vidi coronam ex aureis filis ſericoque fulgentem, quæ pulcherrima texturæ induſtria eminebat aliquantulum extra tunicæ corpus, & quidem non multo ante facto: ſignificabat coronarum ſplendor, qui nihil de recenti venuſtate perdiderat. Notavi etiam omnibus pileum eſſe præpeditum multiplicibus pennis,&quas illi novo more in mediam obverterant frontem. Non ſuſtinui diutius ignorare, quæ hæc veſtium concordia eſſet, & à tranſeuntium uno quæſivi, quoſnam illos mortales arbitraretur? Ille, Doromiſi domeſticos, inquit, vel potius ingentis familiæ partem, totam enim non anguſtia domus, ſed nec, quamvis ampla eſt, civitas capere poteſt.

Cum deinde errorem viarum timerem in ampliſſima ſede, idem, ſi ad Doromiſum ire vellem, inſiſtendum ſemitæ oſtendit, quam utrinque claudunt exiguæ arbores, & quæ, ut ex muſcoſis corticibus apparet, tardioribus incrementis conſurgunt. Igitur in eam ſemitam me conjeci, & cum paria arbuſculorum faſtigia, ramoſque ad æqualitatem præciſos intuerer, ne hoc quidem credidi ſine conſilio, & venerabilis arcani notatione factum eſſe. Sed tot quæſtionibus tranſeuntes fatigare non ſuſtinet verecundia mea. Illud autem cogitationem meam vehementius erexit, quod de ſingulis arboribus tabella pendebat, in qua hoc erat minio ſcriptum: [1] *Pares ſumus*, &, *Non ſumus Pares*.

Cum

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.

1 *Pares ſumus, &, Non ſumus Pares.*] Sic Pares erant arbores æqualitate ut arbor arborem, ramus ramum non excederet latitudine neque altitudine; erant autem ſpecie impares.

1 *Gra-*

Cum vero in extremo ſemitæ eſſem, diligenterque tot rerum inſolentiam annotarem, video pulcherrimæ faſtigium portæ, & credo aliquot hiſtoriarum monumentis inſigne. Erant enim imagines ex ære; illinc quidem [1] Gradivus in curru ferebatur, Jovique jam ſatis concitato ſævitiam miniſtrabat, multitudinem nubium, [2] Vulcanique terribilem laborem Deo in manus ferens. In altera vero parte Aviditatem artifex expreſſerat, omnino qualem [3] Hercules olim inter monſtra defunctorum à ſe viſam memorabat. [4] Illa Plutum multiplici catena conſtrinxerat, trahebatque pertinaciter reluctantem. Plutum contra vindicabat ingens ruſticorum turba, & à ſe abeuntem irrita fortitudine revocabat, nec plus tamen in victricem aviditatem, quam queſtus & maledicta audebant: laxaverat enim artifex ænea imaginum ora, oculoſque in aviditatem tam atroci acie defixerat, ut auderes ab ipſis voces etiam & querelas expectare. Et quidem ſolicitati oculi tam præclari operis venuſtate, pæne omiſerant ejuſdem portæ columnas marmoreas perluſtrare, in quibus inciſæ literæ auroque diligenter imbutæ, in hæc verba legebantur: *Sacrum Doromiſo ſexies maximo, larium domeſticorum curatori, vialium diſpenſatori & præfecto.* Cum hæc religioſe veneratus 10
perlegiſſem, ſubeo eandem illam portam. & cum ex ædibus quidam Doromiſo domeſticus proceſſiſſet, (jam enim agnoſcebam ex veſtitu) interrogavi, num vacaret domino peregrinum hominem videre? Ille nec domi Doromiſum eſſe nunciat: nec facile objiciendam negotiorum moleſtiam eo utique die, qui ad publicam hilaritatem eſſet ortus: me quoque prudentius facturum, ſi graviores omitterem curas:

1 *Gradivus in curru ferebatur.*] Emblema. Martis cognomen, vel ex eo quod gradatim, & per ordines milites in bellum eant, vel ἀπὸ τοῦ κραδαίνειν à vibratione haſtæ.

2 *Vulcani terribilem laborem.*] Jovis fulmen à Vulcano fabricatum.

3 *Hercules olim inter monſtra.*] Nota eſt vel pueris multiplex illa Herculis victoria.

4 *Illa Plutum.*] Hunc Græci finxere deum divitiarum, & hunc voluere in acceſſu quidem claudum, in receſſu vero alatum.

curas: oculoſque meos celeberrimæ pompæ ſpectaculo crederem. Quippe Deam Fortunam à Venere exoratam commendaſſe ſuis ſacerdotibus puellam Deorum favore digniſſimam, formæque, quæ inſignis inter Deas eſſe poſſet; eam illo die nubere Olympioni, & Antiſtites Fortunæ conjugio exornando laborare; ipſi puellæ Caſinæ nomen eſſe. Egi ut oportuit gratias tam liberaliter prolocuto, & quoniam ejuſdem ſpectaculi ſtudio trahebatur, ad nuptiarum pompam illo duce proceſſi. ac multa quidem per viam diſſeruimus (erat enim humanitatis pleniſſimus) tum de civitatis & magiſtratuum genio, tum maxime de imperio Fortunæ, quæ induſtriæ virtutiſque damnatæ occupaverat locum: donec inter ſuavitatem colloquiorum ſuperbiſſimam intravimus domum, ubi tot erant artificum labores, tam curioſa varietas, ut jam cultum, qui me in Doromiſi æde perculerat, novus admirator contemnerem. Nihil unquam videram tam ſimile cœlo vel in Labetri, vel in Callionis domo. lucernæ de laureatis pendebant poſtibus, & florum etiam intempeſtiva pulchritudo ſeſe alienis anni temporibus interſerebat. Ipſa janua, quantum à lucernis lauroque vacabat, aurea vibrabat cælatura, non ſpiſſioribus quidem laminis exarata, ſed quæ fideliter lignorum vilitatem occultarent. Cum deinde juvenis illius favor me per ſpiſſa obſtantium agmina provexiſſet in interiorem locum, ſi qua eſt jurantibus fides, caligavi ad tantæ majeſtatis nitorem, & [1]veriori quam olim Cyneas ſtupore, non intueri viſus ſum coëuntium purpuram regum, ſed ibi omnes deos deaſque adoravi. Et quidem avidiſſime contemplationem in Caſinam conjeci, utique novo cultu mirabilem, & quæ nec flammeo verecundiam demulſerat (ſtabat enim hilari & aperto vultu) neque ſupremum pudorem

1 *Veriori quam olim Cyneas ſtupore, non intueri viſus ſum coëuntium purpuram regum, &c.*] Is eſt qui Pyrrho Rege legatus miſſus ad Romanos de pace uno die omnium ſenatorum nomina didicit, quorum conceſſu ſic obſtupuit, ut totidem Regum majeſtatem ſibi videretur intueri, quod eidem Pyrrho retulit.

Digitized by Google

rem jugali concluſerat cæſto. At poſteaquam animadverti hæc muliebris conſuetudinis ornamenta in Olympionem eſſe congeſta, omnino credidi eſſe Fortunæ datum, ut deterior ſexus imbecillitatem abjiceret in viros; quippe Olympio obnupſerat flammeo vultum ita per diverſas plicaturas faſtigiato, ut utrimque [1] tempora Bacchico cornu elegantiſſime ſignarentur; & ſuper ligaturam, ex qua ferrum pendebat ad latus, [2] induxerat conjugalem cæſtum, ſed tot nodis me hercule, & tam implicata nexuum ſerie, ut videbatur, aſtrictum, ut niſi aliquot annorum labore explicare minime poſſet.

Cæterum ut pompa in medium proceſſit, quo miniſtri ſanctitas auſpicium coëuntibus eſſet, neſcio quis Antiſtes in candida veſte connubii legem ad hunc modum recitavit, novam ſane, & quam ideo in tabula deſcripſerat, ne inter pronunciandum laberetur; Ut tu Olympio hanc Caſinam conjugem tuam nec attigeris, nec oſculum retuleris, niſi peregre proficiſcens, [3] & trinundinum abſuturus, ut à ſinu curioſam abſtineas manum, nec adſis moleſtus noctium arbiter, aut ante ſextam diei horam uxoris thalamum temeraria manu recludas. Si quam interea prolem tibi genuerint dii, illam protinus tollas, & gratuito herede feliciſſimam augeas domum. Si hæc faxis, tum tibi in uxoris nomen venire licebit, boniſque avibus juncto per exterarum gentium urbes celeberrimis itineribus volitare.

Cum

1 *Tempora Bacchico cornu elegantiſſime ſignarentur*] Id eſt ſimili cornu; quod autem Bacchus pingatur nonnunquam cornutus variæ afferuntur rationes, & quod addat cornua pauperi. Athenæus rationem hanc affert, quæ non mediocriter mihi placuit; quod ſcilicet in conviviis ad potandum uterentur antiqui cornibus deauratis.

2 *Induxerat conjugalem cæſtum.*] Cæſtum geſtabant virgines vel in capite uti hodie moniales quædam in Belgio, & Lotharingia, vel circa latera & renes hanc maritus prima nocte diſſolvebat. Genus vittæ & ſuppari quod etiam Palladis virgines & ſacerdotes, ipſaſque Veſtales redimibat, pudoris inſigne. Talis vitta altera erat virginalis, altera nuptialis. Ovidius de arte amandi:

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris.

Unde & poſtea; *ne cæſtum audaci manu frangas.*

3 *Et trinundinum abſuturus.*] Id eſt, tribus hebdomadis: dictæ ſunt nundinæ quia nono quoque die celebrantur nundinæ, inde dictæ.

1 Ut

Cum hæ conditiones mitiſſimo conjugi placuiſſent, Antiſtes in Caſinam convertitur, & hoc quidem cautiorem diligentiam adhibet, quod illius maxime cauſa nuptiarum pompa coiverat. Verba autem fœderis conjugalis, in quæ ille Caſinam adegit, omnino ejuſmodi fuerunt; ut tu Caſina non minus virgo ſis, quo tempore conjugium hoc veſtrum interitus aut legis beneficium extinguet, quam nunc hodieque fuiſti cum ad hanc procederes pompam. Ut ne cæſtum tui Olympionis procaci manu frangas, neu in oſculum, neu in amplexum ſolicites maritalem, [1] ut aureum Jovis imbrem felix Caſina expectes, qui te faciat matrem, nec mortalitatem Deorum ſemini jungas, aut Iphidius aliquis uterum tuum Herculi naſcituro anguſtet. Si hæc proba fide faxis, ut tum neque molas viro tuo, neque coquas, nec Junonem iratam habeas, vel obloqui Cleoſtrata poſsit, & ipſa Fortuna penum tuam inſtrui ſolertiſsima ordinatione procuret. Plaudentibus univerſis, Caſina conceptiſsimis juravit verbis, nihil ſe unquam contra præſcriptarum legum ſanctitatem auſuram.

O felix Hymen, ô Hymen fidelis,
Jucundiſſime cælitum deorum!
Seu tu de ſuperis vides maritos,
Caſtis ignibus Heſperum vocantes;
Seu terras colis, & favente nutu
Maturis bonus annuis puellis:
O felix Hymen, ô Hymen fidelis,
Iſtis quinque faces, thorum jugalem,
Panem, vellera, cærulamque lympham,
Et lauro medios tegente lychnos,
Flores poſtibus adferas decoris.
Sed nec lentus ades. Nihil moramur,

Nobis

1 *Ut aureum Jovis imbrem.*] Hoc eſt complexus Jovis, quales Danaes. Horatius:

Incluſam Danaën turris ahenea
Robuſtæque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Converſo in pretium Deo.

1 *Et*

Nobis ô Hymen eſt ſatis deorum.
Aut veni citus, aut Hymen valebis.
Nam ſi lentus ades, licens Cupido,
Et blandis Venus evocata votis,
[1] *Et dulci veniet lepôre Riſus;*
Et quotquot Superum eſt licentiorum.
Tunc nec te tacite marita poſcet;
Nec tardum cupidus palam maritus
Caſtis ignibus Heſperum vocabit.
Aut veni citus, ô Hymen fidelis,
Jucundiſſime cælitum Deorum,
Aut felix Hymen, ô Hymen, valebis.

Dum hæc celeberrimis cantionibus aguntur, interim religioſam ſedem, omnemque apparatum, avidiſsimis oculis luſtrabam. Sed me præcipue tenuit matronarum puellarumque ordo, qui in Caſinio vultu diffuderant mentem, omnes ardentibus gemmis, & fulgore ſerico vibrabant. Neque me fallebat plurimas jam non ſuo vero florere: ſed & medicatis frontibus juventutis revocaverant legem, ut me unicam ætatem cernere arbitrarer mea ſponte deceptus.

Cęterum quanto ſplendorem aſtrorum nitidior luna coërcet, tantum eminebat divina omnino mulier, victamque cæterarum pulchritudinem caſtigabat; illa utique quæ mihi paulo ante in Fortunæ occurrerat templo. Nihil emendatius natura ea muliere expolivit, nec fata illi dignum amatorem inveniunt.

[2] *Non ſi Taurus amet, vel falſis increpet alis*
Ipſe deum genitor, vel ſpreto Phœbus Olympo
Rurſus in Æmoniis deducat ovilia campis.

Forte

1 *Et dulci veniet lepôre Riſus, Et quotquot Superum.*] Teſtatur Apulejus in ſua Metamorphoſi, apud Græcos celebrari ſolitum feſtum Dei Riſus, quo die ipſe materiem ridendi in amphitheatro omnibus miniſtravit. Porro hoc carmen eſt Epithalamion.

2 *Non ſi Taurus amet, vel falſis, &c.*] Celebrat & amores Jovis in Taurum mutati, ut reperet Europam; vel in Aquilam, ut Genymedem deorum pocillatorem. Et Phœbi qui eo redactus eſt ut greges Admeti Regis paſceret captus amore nympharum.

 1 *Qua*

Forte idem temporis momentum meos oculos in ipſam, & illius in me conſpectum obvertit, oculiſque velut telis mutuo ictu, tam in imum admiſimus vulnus, ut improviſa violentia pæne animam ſubmoveret. Et illa quidem ſubito rubore mutata eſt, ego vero ſubſidentibus articulis labens, corpus ad parietem excepi, nihilominus in eam partem verſus unde baſilicam mulierem viderem, quæ me ſolo aſpectu vulnerabat. Neque ſatis mirari poteram, cur miſerabilis procus tam ſubito amarem, rudis antea voluptatum contemptor, & humanis ſuavitatibus intactus. Agebat me diſcors ſententia; & quam male dulcedinem amabam, pęne tamen voluiſſem, ut inutiles affectus animum ſuo morbo indulgentem reliquiſſent. Quid enim ex diſpari amore, pręter privatas acerbitates, aut externa ludibria, ſperarem?

Et hæc quidem anxia deliberatione penſabam, cum me excedentis multitudinis tumultus excitavit. Jam enim receſſerat Antiſtes in interiorem domum, & ſecuta cum Olympione Caſina erat, ut quædam quæ ad nuptias pertinebant, ſecreta conſultatione agerentur. Cæteri autem per publicam portam, per quam & ego irruperam, ſeſe recipiebant in domos.

Et quidem caſus tulit, ut indigeſta confuſione me ad mulieris latus applicaret, quam inſanus deperibam. Haud mora, evicit timiditatem audacia amoris, & feliciſſimæ tunicæ oſculum cum modico ſuſpirio tuli; ac ut ipſa ſciret me poëtam eſſe, verſus ſubito aliquot invocato Cupidinis numine effudi.

O dea, ſiderei ſeu tu ſtirps alma Tonantis,
Seu patrem factura Jovem, da numine dextro
Has moviſſe preces, placataque lumina flecte.
Ecce ignes juſſitque pati, juſſitque fateri.
Nil non auſus amor. Nec ſortem deſpice noſtram,
Nympha potens, Cælum cognataque numina cernis
Pauperibus votis & parco thure vocari,
Placarique tamen. Tibi jam ſua ſtamina Parca

Conceſ-

Digitized by Google

Conceſſere meæ. Vitam ſi forte negabis,
Da ſaltem Regina mori; da ſidere flammæ
Nympha perire tuæ. Non dignius arſerit ales,
Quæ ſuper Eoos extincta renaſcitur ignes.

Et hæc quidem modico murmure inſuſurrabam etiam inflexo in contrarium vultu, ut ſi qui recitantem audiviſſent, tamen in ejuſmodi amoris ſuſpicionem non venirem.

Sed quoniam jam aliquot diebus adverſi non ſævierant 11
dii, timuerunt ne intermiſſa conſuetudine ego me parum meminiſſem Euphormionem eſſe. Itaque in ipſo aditu qui ad urbem ferebat, cum adhuc in conſpectu meæ mulieris eſſem, incidi in petulantiſſimam turbam, & veluti invita modeſtia prognatam. Juvenes erant, & diverſis quidem coloribus, cæterum unius genere veſtis ornati, ut facile appareret ſervilem manum eſſe, quæ exeuntibus heris præſto futura conſederat, ac cum neſcio quis ex illis quereretur ſibi veſtigio meo pedem obtritum eſſe, egoque conſtantius mendacium increparem, ille ficto acrius dolore fœdiſſimis detonuit verbis, & præterea in vultum meum tanto furore ſæviit, ut dentium ſeries pæne ad illam machinam diſcuteretur. Putares ſignum ad pugnam datum eſſe. Concurrunt in me univerſi, ſervileſque animos barbara voluptate, & immerentis injuria explent.

Jam me in terram repetiti miſerant ictus, jam illi volutatum altiſſimo verſaverant cœno; & ni concurrentium pietas prohibuiſſet, credo aliquid gravius moliebantur. Sed illa præcipue matrona, cui acidum paulo ante Epigramma cantaveram, poſteaquam me eſſe intellexit, quem iſta amentium rabies violaſſet, clamorem vehementius tollit, ſervitiumque omne ad auxilium meum præcipiti imperio accendit.

Cæterum nihil magis me movebat, quam quod verebar, ne me calamitas riſui, aut mei etiam mercenarii exponeret. Ille laudabili probitate lachrymas in meo caſu effudit, crebriſque ſingultibus concuſſus meam veſtem ob-

tuſa cultelli parte ab eminentiori cœno purgavit. Cum effuſa deinde procella me jam antea madentem novo frigoris horrore conſtrinxiſſet, ac omnino meum incommodum geminaretur, monente mercenario, cœpi in viam redire, quæ mihi in hoſpitium maxime compendiaria proponebatur.

Sed ô rerum mortalium mixturam! & corpora quidem noſtra contrariis elementorum virtutibus aſtricta; animas autem mœroris & gaudii diſcordia gubernatas! Perfuſus pudore tam ingenti, etiam omnis conſilii inops, & ominis malignitate turbatus, qui eo die, quo me primum Doromiſo & Fortunæ credideram, me ſolita malignitas fatorum fugientem inveniſſet, pæne de extremis cogitabam. Quis putaret in tantis anguſtiis patuiſſe ſolatio locum? forte ſuſtuleram oculos, ut breviter viderem quæ mihi per civitatis vias occurrerent turbæ, id eſt, quibus ludibrio in madida confuſaque veſte eſſem, cum notæ familiaritatis virum mihi inſperata felicitas, ac velut iratorum numinum pœnitentia objecit. Is erat Theophraſtus. Ac primo veluti ſomnii vanitate deluſus, lætitiæ ineptias excuſſi; ſed poſteaquam me vigilare vivax gaudii ſenſus admonuit, utraque manu complexus ſum abeuntem (neque enim me ille adverterat) & in oſculum familiariter invaſi. Ille pariter gaudio mutus nihil niſi me amplexibus attrivit. Et illum quidem ornabat ſplendidior cultus, ſtipatuſque ſervulorum manu neſcio quomodo videbatur Deæ Fortunæ placuiſſe. Invitavi nihilominus ut in hoſpitium ſuccederet meum (quippe ad oſtium occurreramus) ibique animos expleremus longiori abſentia veluti diuturna fame marcentes.

Igitur ubi conſedimus, primoſque conſumpſimus jocos, interrogavi Theophraſtum, quæ illum ratio in eam regionem teneret. Cum erraſſem, inquit, per diverſiſſimas gentes, & ſingulæ ſuis vitiis diſplicerent, tandem hortantibus amicis in hanc urbem adinigravi, Ibi continuo eloquens ſum viſus, & ſi quid ſuffragiis populi credendum eſt, genti-

lium

Digitized by Google

lium oratorum ſuavitatem adæquavi.

Præterea deditum ſapientiæ putaverunt, quoniam ſupercilium videbant voluptatibus adverſum, & vitam publicæ infamiæ innocentem laudabant. Igitur ad famam aliquantulum promovi, & quod eſt omnibus divitiis ſuavius, inveni chariſſimam matrem, id eſt fœminam, cujus beneficiis impendi amor poteſt quem parentibus debemus. Itaque & Sophagonis beneficio in altiorem gradum aſcendi, & Poimenarchorum unus evaſi.

Excitatus ego ad majorem ſpem, quaſi omnia quæ à Doromiſo expectaveram, conſequi per Theophraſtum poſſeſſa, Et tu igitur, inquam, in Sacerdotum Fortunæ collegium veniſti? ubi audio neminem admitti, qui mortalitatem non deponat: nunquid humilia terrarum incommoda è divino deſpicis loco? miſerere; & veterem amicum non tranſmitte Doromiſo, ſed ipſe ad Fortunam & Protagonem benigna manu ſiſte. Ille me arctius amplecti, & luctantibus per ſuſpiria verbis, interrogare cœpit, vellemne in eam viam conjicere ſecuritatem meam, & Deæ Fortunæ judicium expectare? nec dubitavi libidinem meam confiteri: iterumque rogavi, ne veteris & certiſſimi ſodalis ſtudium deſtituere vellet. Non eſt ille paſſus me ulterius decipi; & ſe vero nec in Fortunæ collegium unquam veniſſe; nec quicquam à Doromiſo expectare potius quam à virtute voluiſſe. Cæterum ſi ego forſitan rudis inſolentium morum audire vellem, quibus gradibus in ea regione homines ad dignitatem conſcendere poſſint, ſe, utpote jam peritum, optima mihi fide explicaturum eſſe. Cum ego hoc avidiſſime promiſſum expoſcerem, ille hominum ſtatum ſapientiſſima oratione expoſuit.

Duæ ſunt, inquit, hominibus viæ, quos animus ſupra 12
vilitatem extulit plebis. Alia quidem tuta, & quam veluti lenia flumina raro tempeſtates exercent: ſed eadem humilis, & ignobili quiete ſubducta formidini ventorum. Alia vero præceps, & in arduum exurgens; in quam nihil me-

 diocre

diocre cadit. enitentes enim in verticem vel improbus turbo in voragines rapit, infra prioris humilitatem viæ, vel ipſa fortuna ſuſtollit, & ingentem felicitatem temeritatis præmium facit. Nimirum qui contenti paterna domo, non dedignantur avorum lectulos, nec inſanas ſpes audiunt vocantes ad negotia, aut ſervitutem aulæ, eos ego primæ illi & ſecuræ viæ aſſigno: item illos, qui literis diligenter imbuti hoc primum inter Philoſophos didicerunt, felicitatem in quiete animi, non in faſcibus aut purpura latere, quique omiſſis dignitatibus, aut humili ſtipendio adoleſcentum animos excolunt, aut conditiones quærunt infra invidiam demiſſas: illos inquam, quos non offendunt hujus ſemitæ ſordes, nec ambitionis cupiditas revocat, meo judicio ſapientia in diſciplinam ſuſcepit, & cum iis amat felicitas ruſticari. Quos autem in aliud iter cogit æſtuantis adoleſcentiæ furor, aut negotia, aut turbidæ naturæ impetus, aut potentiæ amor, & pæne ſemper aurea dignitas, illi non majoribus plerumque præmiis impendunt miſerrimam ætatem, ſed tantum illuſtriori fuco miſerias ſuas excuſant. Primum enim plerumque longa ſpe decepti, nihil ad miſerrimam ſenectutem præter vota & curas afferunt. Et cum libertatem viliſſima ſervitute permutarint, cum inſtar ſatellitum adoratum induerint latus, quod tam indignis laboribus emerunt, ſæpe levi jactatione corrumpitur: Inclinatio temporum fundatas annuis curis opes frequenter ſecum rapuit, aut in illis mutatio animorum, quibus fortuna ſui orbis incertitudinem permiſit. Alii potentia cadunt in interitu magnatum, ut [1] quæ Nymphæ cum arboribus moriuntur, & tot tela in eos fortuna invenit, qui ſe illius poteſtati tradiderunt, ut inſtar multorum videatur, nullos minus quam domeſticos amare.

Cæterum qui emerſerunt ex illis fluctibus, fateor, humanitate

1 *Quæ Nymphæ cum arboribus moriuntur.*] Hamadryades vocabant antiqui illas nymphas quas putavere cum arboribus naſci, & cum ſuis arboribus interire.

1 *Ita*

manitate domini in cœlum feruntur, potentia & opibus ſublimes, & quod feliciſſimum puto, in debilem omnium invidiam cadunt. Verum illud, Euphormio, vide, ſi nondum omnem ſapientiam ambitio delevit, utrum ſit præſtabilius, honeſtæ quieti ſecuriſſimam vitam committere, an in anxias cupiditates delabi, & incertam felicitatem quærere per certiſſima mala.

Nihil mihi perſuadebat Theophraſtus obſtinato ad calamitatem meam. Erat enim in oculis dignitatum ſplendor, & tentare volebam hoc lucidum iter, ut ſi fors & Doromiſus deſtituiſſet conatus meos, ſaltem non exprobrarem ignaviæ humilitatem meam, & ille in contrarium amiciſſima contentione certabat, &, Si, inquit, ad gloriam feſtinas, Euphormio, velis à ſapientibus laudari, qui modeſtiam & virtutem amant, opes autem & purpuram, veluti generis humani lubribia, contemnunt. Neque te ingenioſus animus ad ſpes improbas extollat: vix eſt induſtriæ in aulis regalibus locus, niſi ſi illa ſummis divitiis nitatur, & ut ſuperi Dei cuncta laboribus, [1] ita medioxumi divitiis vendunt. Jam non ſapientiæ ſtudiis informare juventutem cauti parentes debent, ſed aut turpi aut mercenaria arte, id eſt, Veneri aut Mercurio commendare. [2] Nam ut ancillis non patebant Matutæ limina, niſi uni quam matronæ colaphis urgebant; ita raro Fortuna pauperes in templum ſuum recipit, id eſt, in principum domos, niſi quos ad publica ludibria deſtinat. Ego ſane Poimenarchus pęne miraculo

1 *Ita medioxumi.*] Medioxumi dii vocantur poteſtatis mediæ. Ita Servius in lib. 8. Æneid. dicit Herculem eſſe communem Deum, utriuſque naturæ medium, inter mortalitatem, & divinitatem. Eſſe enim nonnulla numina cœleſtia, alia terreſtria, tertia media, quos *Deos* Apulejus *Medioxumos* appellat. Plautus in Caſ. *At ita me Dii, Deæque, ſuperi & medioxumi.*

2 *Nam ut ancillis non patebant Matutæ limina.*] Ab aditu templi matris Matutæ ſive Auroræ, quam Græci λευκοθέαν vocabant, arcebantur olim ancillæ & ſervæ, unam duntaxat matronæ introducebant, colaphos ejus genis infligentes, cujus rei cauſam quærit Plutarch. quæſt. 6. quæſtionum Romanarum. Celebrabatur ejus feſtum v. Kal. Junii. Ædem ei primus poſuit Servius Tullius Rex.

miraculo evaſi, & puto, ſi illam dignitatem captaviſſem, adhuc me inanis umbra fugiſſet. Tu quoque virtutibus incumbe, & illæ vel incogitantem extollent, vel ipſæ præmium tibi erunt, turbidas omnium partes ex tranquillo ſpectanti.

Dum inter hos ſermones verſamur, & ille amoliri à me inanem honorum libidinem tentat, ego vero ignobiles privatorum tenebras perſevero faſtidire, cœna pertinaciam utriuſque opportune diremit. Nam exoraveram Theophraſtum, ut apud me illa nocte eſſet, & ſeveritatem ſerii ſermonis mitioribus jocis temperaremus. Placebat conſortio noſtro ſecretum, & vacuum triclinium poſcebamus, ne in publica ſtabuli menſa ad gravitatem cogeretur amicitia tam familiaris. nec ullum ex domeſticis Theophraſti admiſimus, ſed mercenarius meus utriuſque pocillationi ſuffecit: minus enim verebamur, ne conductitius ille & externus effuſa colligeret verba, & in ſecretorum notitiam perveniret.

13 Igitur licentius collocutis, etiam de veteribus amicis mentio incidebat, cum unus de miniſtris Theophraſti, ad oſtium triclinii aſtans, adeſſe Anemonem ſignificavit. Ego de menſa exilui lætitia plenus; ſtatimque ad cellæ aditum decurri, & Anemonem tenui barbula auctum, cæterum priſtinam candoris imaginem ſervantem, optima fide amplexus ſum. Ille me non perfunctorie ſalutavit, ſed tam examinatis verbis, ut jam ab exordio timerem, ne exculta prudentia labefactum amorem ſignificaret. Poſteaquam vero invitatus ad menſam conſedit, & ego attentius circumſpicere omnes nutus cœpi & muta quodammodo mentis verba, tum non me fefellit diutius, intimam charitatem, quæ quondam animos noſtros miſcuerat, inflexione morum aut oblivione eſſe corruptam. Itaque & ego prudentius agebam, licentiamque amicitiæ, quæ libertatem jocorum, & nudæ mentis ſimplicitatem amat, aſtute coërcebam.

Cæte-

Cæterum illud mihi præcipue admirationem movit; quod in antiquos mores ſuos veluti profeſſa lite pugnabat. nam ut olim diſcedens ad ſuperſtitionem reliqueram pium, ita nunc alternis vocibus ad ludibrium religionum abutebatur, neque me latebat eum affectata impietate ejurare ineptiam prioris ſanctitatis, & velut virilibus vitiis teſtari ſe ab ea imbecillitate receſſiſſe, quæ aut Deum aut homines timet. Nam & de literarum ſtudiis tam conſtanter tacebat, ut etiam occulte barbarorum ageret cauſam, qui eruditionem contumeliis vexant. Equi, tubæ, atque arma ſucceſſerant antiquis ſermonibus, & omnia ægrius audiebam, quoniam non ſtudio bellicæ rei, ſed inani vanitate ſuperbæ indolis jactabantur. Illud tamen ſolicitabat interdum iracundiam meam, quod paulatim in ſuperbiam declinaverat ſermo; ut jam nec occulte dedignaretur parem.

At ut turbulentus juvenis non mediocrem cœnæ partem mendaci jactatione conſumpſit, intraverunt citharœdi, & aliquot ſatellites illius, tam vagis ac petulantibus oculis, ut facile ex miniſterio dominum agnoſceremus. Pudebat omnino Theophraſtum, (erat enim Anemoni familiariſſimus) nec diutius in illa petulantia duraturus videbatur, cum Anemon me ad pervigilium invitat, quod ſuaviſſimis, ut ajebat, virginibus conſecrabat, quamquam & conjunx ſibi eſſet, cujus pulchritudini, quicquid eſt puellarum, facillime ipſe donaret, ſi vellem conſentire in jucundiſſimum laborem, jam non imperitas Academiarum voluptates, verum delicias politiores guſtaturum.

Non diſſimulabo vitia mea: ſordeſcebat mihi literarum nomen, & inexpertam procerum vitam velut eruditiorem nequitiam optabam. Itaque facile ingratum laborem promitto, cumque jam tenebræ ad illam licentiam invitarent, & ipſe Theophraſtus ſe recepiſſet domum, ego cum Anemone, per ignota urbis compita, cum ſervis omnino tribus & occentoribus aliquot pergo, nec id mihi à principio mole-

Digitized by Google

moleſtum erat, & augurabar magnificam voluptatem, quoniam ipſis proceribus placebam. Sed poſteaquam ultimus veſper effuſæ licentiam plebis revocavit in domos, & jam nulli occurrebant, niſi præſidio facum, aut latrociniorum ſuſpecti, exigebam ipſe ab animo meo, quo bono frueretur intempeſtivo aëri commiſſus, inutiliter etiam vigil, & alieno arbitrio felix. Quippe nos diverſis foribus Anemon ſiſtebat, & deinde progreſſus ad alias domos, iterum jactatione aures meas in via rerum ſymphonia onerabat. Itaque jam primum fatigatus occultis ſuſpiriis ſupplicabam otio, ut me reſpicere vellet, & ab inquieta voluptate revocare; veluti qui primum maria ſubeunt, jam in ipſo territi portu terrarum commoda & navigii difficultates narrant. Sed me plane gravior calamitas à tam exigui mali ſenſu reduxit.

Quid eſt horridulis, dii deæque,
Quid eſt, Numina, dulcius tenebris?
Si mortalibus ut quieta nox ſit,
Lux qua pervigil imperat laborem
Ponto mergitur, & laborioſa
Ceſſant pectora, pallidaque curæ
Paulatim tepido annuunt ſopori?
Et tantum licet aut libidinantes
Nigris prodere morſibus puellas,
Aut nutu refugo, unguibuſque duris
Ulciſci juvenum ſalacitatem,
Cum lites Venus inſerit jocoſas?
Hæc certamina noctium vigebant
Cum Saturnus erat. Sed iſta pejor
Ætas munera perdidit deorum.
Nunc aut inſidiæ latent tenebris,
Aut incendia territant tenebras,
Et vis impia, perfidumque furtum,
Quale non tener imperet Cupido.
Quid eſt horridulis, dii deæque

Quid

Quid eſt, numina, triſtius tenebris?
Si nullis tenebris laborioſa
Ceſſant pectora, pallidaque cura
Jam nuſquam tepido annuunt ſopori?
O Dî! quis ſupereſt locus quieti,
Si lux pervigil imperat laborem,
Et mortalibus inquieta nox eſt?

Cum enim bivium tranſiremus, graſſatores quidam nocturni improviſo impetu noſtros primum ſatellites invadunt, nos deinde ejuſdem belli motu ſpe prædæ involvunt. Prima ſorte incurrentium rabies inciderat in citharas, quas fæde laceratas cum huc illuc inſtar Thraciæ feritatis diſperſiſſent, in artificum involant ora. accurrimus implorantibus miniſtris, palliiſque circum lævam inductis ad nocturnam accingimur pugnam.

Graſſatores longioribus haſtis dimicabant, & utrinque præfixis. Nobis breves gladii erant, &, ut mihi videbatur, audacia minor. Obruerant faces ictibus crebris, & in obſcura nocte nos in tutiori nequitia laceſſebant. Jam Anemon aliquot ictibus fatigatus circumſpiciebat iter ad fugam, & me viarum in illa civitate imperitum crudeliter deſerebat, cum vigilum cohors, qui in diverſis partibus urbis excubabant in cædes & latrocinia armati, velut facta indagine noſtram aciem includit: graſſatores autem, qui ſæpe ex ejuſmodi venationibus evaſerant, neſcio qua ſolertia eluſerunt circumſtantium manus. Ego vero cum Anemone, & ſervulis, & omni ſymphonia captus, non incidiſſe in manus civium, ſed tantum prædones mutaviſſe putabant, nihil enim mollius ſæviebant.. quippe nos planos eſſe & intentos in rapinam arbitrabantur. Dubitavit Anemon, an dignitatem nominis furenti opponeret turbæ, ſed veritus lidibrium inter æquales ſuos, ſi divulgaretur facinus, tamdiu inter verbera duravit, quamdiu credidit contentos caſtigatione vigiles tandem dimiſſuros eſſe. Sed ut cuſtodiam in craſtinum curari audivit, & nos tribunali

ſervan-

ſervandos, non amplius cunctatus, quis eſſet, & quomodo in latrones incidiſſet, non ſatis credentibus exponit. Quippe Anemonis nomen non mediocre erat in illa civitatis regione, (nam in eadem habitabat) & in illa cohorte duo mercenarii erant, qui diurnis ſtipendiis ipſi domum ædificabant. Igitur tam avide in Anemonem vultus obvertunt, ut proh nefas! dum incautis manibus admovent faces, delicata barbula, & cum ea tot unguentorum & pectinum labor arſerit. Exclamavit Anemon, deſperatione plenus, & niſi me fefellit rabies oculorum, dubitavit, an tanti dedecoris riſum ſubita evaderet morte. Nec minus attoniti ſatellites contumeliam & verbera tam ruſtice excuſant, ut jam vapulare malit Anemon, quam ſe verberatum tam publicis vocibus audire.

Ac ut primum interquievit tumultuantium clamor, ipſe ad mortis triſtitiam mœſtus proripuit ſemet è turba, meque ſedulo ſervante veſtigia, ad domeſticas fores pervenit. Dimiſerat ſymphoniacos omnes, & importunis vexabat pulſibus limen ſuum, ut jam ego pæne furenti nec auderem blanditias adhibere, nec intromiſſus quidem, pacatius in familiam egit, trucique imperio, neſcio quid, de ſervitio queſtus, duos ex illis contumelia verborum, ruptoque cupillamento objurgavit. In me deinde ficta ſerenitate intuens, procurare in craſtinum corpus juſſit, tum mihi lectulum ſterni, nec ullam hoſpitii benignitatem denegari. Ipſe in cubiculum ad uxorem ſeceſſit, ut opinor, tragicæ noctis furias mutaturus in ſociam.

Ego vero expectatione voluptatis fraudatus, cum triſtiſſimum caſum ſecuro proſequerer riſu, in altiſſimum ſoporem delabor. Prima deinde luce diſcurſantis familiæ miniſterio excitatus, non omiſi pertinaciam conſilii mei, ſed omnino ad Doromiſum conſtitui ire, ſuæque miſericordiæ commendare eruditionem meam. Igitur ubi cultum meum diligentius polivi, rogavi, num Anemoni vacaret diſcedentem hoſpitem videre. Ille ad ſe in cubiculum venire jubet:

jubet: nec contentus tot officiis, ad uxoris conclave benigna manu ducit: fortaſſe ut oſtenderet felicitatem ſuam, & quam egregia forma beatus frueretur. Stabat ad ſpeculum uxor, vexatamque ferro comam ancillarum miniſterio torquebat: ac tum juſſa hoſpitem ſalutare intermiſit paululum cultus, vultuſque humanitate pleniſſimos in me convertit. O Deorum ludibrium! erat eadem mulier, quæ mihi pridie in Fortunæ templo confuderat mentem, ac deinde in Olympionis nuptiis, neſcio quam auram felicitatis liberali fronte ſpiraverat.

Quis animum meum pingeret, qualis in Anemonis cubiculo fuit? hærebat ambigua lætitia ſuſpenſus, & turbatas inexpectato negotio vires non ſatis fortiter revocabat. Illud tamen præcipue timebam, ne quod argumentum amoris convinceret frontem. Cæterum pridianæ noctis moleſtiis hoc ſpectaculum jam bene emiſſe, jam in felicitatis portum per turbulentæ noctis tempeſtatem veniſſe credebam, jam agebam gratias libidini meæ, quæ in illam mulierem, veluti conſilio, inclinarat. Sed & mulier, veluti quodam monſtro confuſa, nihil niſi me intuebatur. Ego more gentis uſus ſum; & humilem vultum ab oſculo pallæ ad matronam ſuſtuli, & titubantibus verbis communem quidem humanitatem explicui; cæterum omni nutu & furtiva oculorum mollitie meus amor ſatis intelligenti loquebatur. Jam ego Anemonem diligentius ambire, jam æquiſſime ſuperbiam ferre, etiam quærere cœperam moras, & in eo voto defigi, ut me illo die invitaret ad cœnam. Sed jam ſatis indulſerant fata, & oportet ſpes amantium longius trahi. Itaque conſumptis omnibus moris, excedo è cubiculo mœſtus, & tantum in ſpem redeundi vivens.

Neque multum moratus heſterni itineris veſtigia relegi, & in exteriori Doromiſi atrio cœpi cum cæteris expectare, dum ille ad Protagonem exiret. Et cum aliquandiu vagus, modo de Doromiſi potentia, modo de Anemonis uxore cogitaſſem, forte incidi in illum, qui pridie me

Digitized by Google

me ad nuptiarum deduxerat pompam. Ac ut me ille agnovit, tandem oportune adveniſſe, lætiſſima fronte, prædixit, ſubſiſterem tantum in atrio, donec ad Doromiſum laxata negotia promitterent viam.

Plurimi mecum in atrio erant, & Doromiſum cum libellulis expectabant. Præcipue juvenis quidam impiger, ſi quid conjicere poteram ex vibrantia oculorum, cæterum artificioſis cincinnis pæne ad muliebrem mollitiem excultus, ſe applicaverat homini, optimi vultus, &, ut arbitror, melioris ætatis, quam præmatura canities ſimulabat. Cæterum exaudiri eorum ſermo vix poterat: ſed vehementia vultus acerrime loquebantur, dexterarumque argutis motibus, & ſine arte excitatam ſequentibus mentem. Vicini mihi erant, ut ſine ſuſpicione hærerem ambulantium tergis. Captaturus itaque ſermonem utriuſque, ſi quid forte è re mea audirem, in illorum veſtigiis eram, cum ex illo ſene audio antiqui poëtæ verſum, qui olim diverſa fatorum dona æſtimans, non omnes poſſe omnia admonuit. Quid tu, inquit, mœſtus es, adoleſcens, quem pulcherrima dote dii auxerunt, id eſt, inſigni patrimonio, & quod iſti eruditi vellent omni doctrina emere? quid doles tibi ingenium ad diſciplinas tardum eſſe? num ideo minus faſces ſubmittentur tibi, & litigantium turbæ? erras, mihi crede, ſi quid putas ingenioſius eſſe auro, aut ſapientiam non venalem, quæ ſæpe mulierculis in patrimonii partem datur. Tu modo, cum Doromiſus ſe in conſpectum dabit, aude accedere ad genua, & aliquod ſacerdotium petere, quo Fortunæ & Protagoni deſervias. Jam enim illi Sacerdotes jura populo dividunt, & tu facile in id collegium venies. Habes enim ſymbolum tecum cui veluti machinæ nulla ſecreta aditum negant.

Tum ego diligentius cogitare mecum cœpi, quod eſſet ejuſmodi ſymbolum, cui veluti fulmini omnia paterent, cum progreſſus ex limine ſervus, idem cui paullo ante commendaveram artes meas, me, cum juvene illo, in inte-

riora

Digitized by Google

riora ædium ad Doromiſum manu duxit. Pauci ſequebantur à tergo, quos atrienſi illuſtrior gratia commendabat. Ego vero nihil mediocre expectabam, tanta benignitate admiſſus; & jam ſpes improba concipiebat dignitates, quarum gratia in Anemonis domo tentarem conjugis fidem.

Ut vero ſum in interiora perductus, omnia auro argentoque vibrantia inſolitam aciem fefellere, majeſtas deinde locorum, & animus ſpe metuque perturbatus, quicquid prudentiæ conceperam, & verba quibus ad Doromiſum deſtinaveram uti, pæne ſubmovit. Ille in communi veſte erat, & per triclinii ſpatia ſatis truci majeſtate ferebatur. Ego in genua decidi ſupplex, & niſi quod precantis humilitas in contemptum tranſit, etiam veſtigia ambulantis aut vultu aut pallio verriſſem. At juvenis, cujus ego ſermonem paulo ante captaveram, audacius ad Doromiſum venit, oſculatuſque dextram tam felicem, lepidiſſimis verbis in hunc modum peroravit. Et cœleſtibus diis, & noſtris deſtinatis religionibus parendum eſt. Felix quem ſervitus Deorum in veram libertatem aſſeruit. Ego Fortunæ Numen & potentiam Protagonis, teque diſpenſatorem utriuſque, ſemper veris honoribus colui, ſemper in familiam veſtram venire adnixus ſum; certe non invita Fortuna, quæ mihi hoc ſymbolum ad te dedit, ut me in domum ſuam, & Protagonis clientelam adſcriberes, & ne gratis in tantam aſcenderim ſortem, utrique mille pondo optimi thuris annua devotione promitto.

Hæc effatus, occluſos diripuit ſinus, extraxitque mirantibus nobis deæ Fortunæ ſignum. Erat imago Protagonis, ex aurea planicie exurgens, in cujus dextera parte ſcriptum erat, *Decies*, in ſiniſtra vero, *mille.* Nunquam humanior Doromiſus, ut poſtea intelleximus, fuit. certe porrexit juveni manum, & gratulatus eſt de indole, & ingenio, deque cæteris virtutibus, quas omnes in hoc legerat auro, advocatoque ſcriba, publicis inſtrumentis ſacerdotium cum tribunali dari juſſit.

Poſt hæc ego lentis paſſibus ad Doromiſi latus veni, &, compoſito vultu, ne ipſum non timere viderer: Ego, inquam, minus explicabo meas dotes, quoniam vobis diis omnia patent. cæterum induſtria mea perfeci, ne quis eſſet, cui Muſæ profuſius de artificiis ſuis diſpenſarent. Quæ res, ſi me Protagóni, tuis auſpiciis, commendabit, & per hunc me Dea Fortuna reſpiciet, nihil majus mihi imputaverit Apollo, quam quod ipſi tam precioſæ ſervitutis gratiam debeo. Audito ille artificii nomine, diutius hæſit, & quam artem profiterer, diligenti attentione quæſivit. Ego iterum Muſarum diſciplinam me afferre ſignificavi. Cum ne tum quidem meam mentem percepiſſet, me in interiorem porticum vocat, ubi depicta humilium artium inſtrumenta toto parietum contextu explicabantur; mallei incudeſque, & ſpirantes fornacibus ignes, alterius parietis exordium vivis coloribus impleverant; in altero vero marmorum ſpecies erant, & rudium lapidum politiſſimæ formæ: mallei deinde, & radii latiores; plumbum quoque, quod tenui filo propenſum de ædificii rectitudine ſua inclinatione judicat. Poſt hanc Latomorum ſcenam erant fictilium ſtatuarum deſcriptæ rationes. Nec longe pictor ipſe ſuum artificium expreſſerat penicilli figura, & oſtrearum conchis, quas veluti dilutis coloribus inundabat, cithara deinde, atque lyra, & laborioſæ teſtudinis fides, velut in honorem ſaltatoriæ artis ex aurea tabula ſpectabantur. Supremus hortorum cultus erat, & deducti induſtria fontis.

Hæc me omnia intueri Doromiſus jubet, ſi forte invenirem illam artem, quam ego Muſarum diſciplinam appellaveram. Tum ego, intellecto nominis errore, me modeſte artificem eſſe negavi, aliquid nobilius parentum fortunam aperuiſſe mihi, & ingenium à vulgi ſordibus ſecretum. Me literis eſſe excultum, me naturæ humanitatem mitium ſtudiorum diſciplina expoliviſſe. Audito ille ſcholaſtici nomine faſtidioſo, primum nutu averſatus eſt perorantem: ac modico deinde riſu jam trepidum, jam pavitantem perſtrinxit,

Digitized by Google

xit, & cum à ſeculi induſtria alienum appellaviſſet, Exiſtimaveras forte, inquit, ad ludimagiſtrum adveniſſe, qui tuis ſcientiis inter famem & argutias uteretur. Neque longius moratus, me, veluti atroci fulmine damnatum, & exanimi ſopore marcentem, inter muſſantem familiam, meæque temeritatis accuſatores reliquit.

Egens ego conſilii, cum tenacem meæ ſortis maligni- 16
tatem devoverem, quæ omnes meos conatus fruſtrabatur, ad inhumanum limen revoco gradum. Ac, ut primum ad exteriores fores extuli pedem, conſpicatus in vicinia locum, qui commoditatem ſecreti monſtrabat, eo me ad lugubre ſolatium contuli, ibi omnem miſeri vultus conſtantiam omiſi, indulſique profuſius gemitibus, & ad ſatietatem me ipſum lachrymis explevi.

Proclamabam in illa ſolitudine fortunatos artifices, & ubique [1] Polycletum aut Myronem pro Apolline invocandum; interdum iraſcebar amicis, quorum alii feliciter ſcelesti eſſe non poterant, aliis reverentia virtutis obſtabat. Redii demum ad conſuetudinem meam, & ipſi regioni iratus, indignantem furorem his ſæviſſimis verſibus expreſſi:

Infanda tellus, quaque vix pejor Stygem
Vehit profundis apta ſuppliciis humus;
Quouſque ſævos, miſera, laſſabis deos,
Experta fulmen? tene non fregit ſatis
Nuper per omne dira ſupplicium lues?
Virtute pulſa ceſſerat mæſtus dies,
Et omne tuta nocte regnabat nefas.
Tunc atra Erinnys ſqualidum movit caput,
Caput ceraſtas movit, & facem manus:
Linguaque (& illam ſibilo auxerunt comæ)
Livente dixit; Ite gentes perfidæ,
Ite, ite in arma, quaque patraſtis diu,
Hæc vindicate ſcelera. Non omnis ſat eſt,

Ni

1 *Polycletum aut Myronem.*] Peritiſſimos quondam artifices in ære.

Ni ſponte fuſus gentis in pœnam cruor.
Sic illa dixit, poſtque neglectos deos
Huic paruiſtis. Tunc quoque & mortes novas
Didicere fata. Perdidit natum pater,
Abiit cruenta fratris in jugulum manus,
Civiſque quernis frondibus merces fuit;
Sed interempti. Quantus ob priſcum decus
Populatus alto vertice infandam diem
Porrexit ignis? Jacuit infelix bonos,
Et mortuorum turpis in manes furor,
Urnas parentum ſparſit, & quondam leve
Tumuli cadentis mole depreßit ſolum.
Sic quaſiiſtis nempe depulſo die
Reges deoſque, poſt fera noctis malum
Jubar reluxit. Pervicax gentis furor
Quid pejus in tormenta ſollicitas deos?
Severiores forte non pœnas habent;
Habent eaſdem. Rurſus increvit nefas,
Dolus, libido. Rediit infandum ſcelus
Et nuda virtus ſordido jacens ſitu
Diſcit ſuperbos divitum faſtus pati.
Jamjam recedo. Præveni ultores Deos,
Quiſquis times perire. Non ſtabit diu
Ductore cæco, turba quam Plutus regit.

Cum effudiſſem hæc in Eleutheriam probra, tumentemque animum ſublevaſſem, cœpi à me repetere rationem tanti doloris: & velle callidis argumentis fallere conſciam mentem. Quid enim? quod delicatulum recocta purpura non involvit; [1]quod tunicam vermes Aſſyrii non infeſtant: quod non frequens ſervitium ad nutantis imperia pendet, ideo culpare fata ſuſtines, & veluti cum diis diſputare? quaſi magna ſint æſtimanda, quæ Fortuna ignavis dare ſolet, vel facinoroſis crimen. Non vides æterna conſualia eſſe,

1 *Quod tunicam vermes Aſſyrii non infeſtant.*] De Bombycina ſermo.

eſſe, & ad turpiſſima animalia immerentes coronas deferri? Ex ipſis illis quos miraris, quotus quiſque per virtutem promotus eſt?

Si es magno animo, honores infra te judicabis, qui te tam pertinaciter refugiunt, & Fortuna etiam infeſta tibi favet. Confer te in ſolitudinem aliquam; ſubduc hodiernæ ambitioni vitam: habebis conſortium Muſarum, & virginibus commodius frueris in ſecreto.

Eludant ignaviſſimi homines ut volent gloriam literarum: illi & ſuis voluptatibus ſopiti, neque jam integri vivunt, & cum eos interitus occupat, etiam nomen & fama moriuntur, & totos tumulus accipit. Alumni literarum neſciunt fatorum legem, & tum maxime vigent, cum extinctorum deſiderium perennis memoria illuſtrat.

At enim in Luſinia ex primis gentibus venis. & Themiſtius apud ſuos eadem dignitate florebat. Claram ſtirpem tenebris premi grave eſt, & abire à parentum luce. Succedunt avis meis ſervulorum ſtirpes, & me parem erubeſcent quibus imperare majores dedignarentur. O hominis curæ indigno dolore obſtrepentes! quaſi aliqua bona perpetua ſint. Nulla putris in ſylvis arbor aliquando non viguit, & quæ jam proceræ ſunt, initio laboraverunt terram frangere, & debili faſtigio emicare. [1] Paſtoritia Lavinii cohors plures humano generi duces dedit, quam olim greges paverat. [2] Et miſeri Scytharum exſules (quis crederet?) tandem Arſacidarum famam ſparſerunt, pæne mun-

1 *Paſtoritia Lavinii cohors plures humano generi duces dedit, quam olim greges paverat.*] Romanorum patres intelligit Trojanos illos qui imperaverunt primum apud Lavinium in Latio, deinde Albam longam condiderunt, tandem Romulo duce Imperii Romani fundamenta jecerunt, congregatis ab Romulo duce ex agro Paſtoribus.

2 *Et miſeri Scytharum exſules (quis crederet?) tandem Arſacidarum famam ſparſerunt, pæne mundum cum Romanis partiti.*] Ea de re vide Juſtinum Pompeji Trogi abbreviatorem, & qua ratione Parthi ex Scythia quondam exules imperium orbis cum Romanis diviſerint, & ipſi Romanorum terror qui ab iiſdem Parthis cum duce Craſſo devicti ſunt. Ab Arſace Rege dicti ſunt Arſacidæ, de quibus Lucan. l. 1.

Plus illa vobis acie, quam creditis actum eſt Arſacidæ.

mundum cum Romanis partiti. Qui hodie florent, in autumno ſuo decident, etiam fortaſſe calcabuntur. Majores tui initium ſui ſplendoris habuerunt, & nihil æternum mortalitati indulgetur. Quid doles, ſi finito magiſtratu Fortuna ornamenta repetit: nec quidem ab omni genere, ſed ab uno Euphormione. Quam diu cognati florent, & familiæ tuæ miſereri non potes, & lachrymæ, quas in aliam ſpeciem ſubornas, plus ſuperbiæ habent, quam pietatis.

Quid denique tibi adimitur tantis queſtibus dignum? tene à liliis excluſerunt ignavia majorum, & res domi arctiores? Te agnoſcere veretur cognatus, [1] ne ærarium ſentiat familiam eſſe auctam? Erras, Euphormio, ſi non putas eſſe aliquos calamitoſiores. Neque tu à Principibus quartus es, & tamen aliquid ſupra Æſculapium colis.

Non vides ipſos deos curis etiam fatigari, nec te [2] illa Nympha admonet, moleſtias non hominibus tantum graves, ſed & in immortalitatem valere? cujus nomine iſti verſus circumferuntur:

[3] O patria, ô arces, ô dulcia tecta parentum,
Unde avus, unde pater, tres unde ex ordine fratres
Sceptra tulere mei, mene ô agnoſcitis arces?
Illa ego ſum, cui vos cunabula chara dediſtis:
Et patrio ingentem cultu jactaſtis alumnam.
Stirpe deas, & fronte deas, & ſidera vultu
Cum premerem, amborum ſpes ambitioſa procorum,
Nunc conjunx vidua, & vani cum nomine regni,
Rupibus è nudis, longique è carcere montis
Excedo. Sed & hic cauſas infeſta dolendi
Diſponit fortuna mihi, monſtratque colendam
Quæ mihi ſucceſſit, quique ab de corpore noſtro
Debuit eſſe puer. Nec jam contendere promptum.

Damna-

1 *Ne ærarium ſentiat familiam eſſe auctam.*] Ad cenſores alludit, quorum munus erat, cujuſque civis cenſus, imo & capita in ærarium publicum referre, quod fiebat luſtro condito.

2 *Illa Nympha.*] Eleutheria, quæ eſt Gall.

3 *O patria, ô arces!*] Queſtus Galliæ: vel Margaritæ Valeſiæ Reginæ.

1 Me-

Damnavit dudum miſeram, fecitque nocentem,
Cum tali certaſſe viro. Jam credere divis
Feliceſque ſequi juvat, & ſubſcribere fato.
O dolor! an potui victos inflectere vultus
Deſpectoſque oraſſe viros? Ne credite vivam;
Jam dudum perii, jamdudum extincta ſuperſum;
Et vivo & morior toties. Me funere longo
Nempe mori decuit, quæ tot per ſæcula clarum
Induco tumulis ſuprema Valeſia nomen.

Cum ſervires, Euphormio, ſumma votorum erat, aut cataſtam aut carceres vitare, nunc faſtidis adoptivi patris opes, &, ſi Fortuna ad arbitrium tuum faveat, illam licentia ambitionis, & deſideriorum immodeſtia fatigabis.

Perſuadebam animo male credenti, vera eſſe quæ loquebar, & prope impetraveram pacem, cum ecce conſumpta 17
lachrymarum nube, veluti mihi Solem fortuna reduxit. Cum enim ad Theophraſtum irem, mutuis queſtibus cum eo Fortunæ contumaciam vexaturus, intellexi eum quidem domi non eſſe, cæterum anum quandam, minime in illis locis uſitatam, bis me jam in illis ædibus quæſiiſſe. Adhuc illi loquebantur, cum ecce mulier in limine erat, prælataſque de ſinu tabulas tradens, è re mea fore dixit, ſi quæ in ea cera mandabantur, curaviſſem. Erant autem tabulæ ad exactam opulentiæ luxuriem conſignatæ. Involvebatur tenui ſerico cedrus, & eadem gemma ſex locis fidem literarum una imagine ſanxerat. ab utroque latere ceræ pendebant uniones, & ipſi molli ſerico ad cælaturam pertinentes; ut jam mihi cortex non quotidiani ſaporis ſuaviſſimam medullam polliceretur.

Gaudio itaque tumultuque plenus, frango vinculorum moram, apertaſque literas in hæc verba conſcriptas eſſe lego. Quæ ſim, neque intelliges ex nomine meo, neque ex ea quam huic ſecreto delegi. Si dignus es quem amem, jam in oculis meis incendium vidiſti, & miſertus es. non eſt ea vultus mei duritia, quam non penetret ignis latens:

non poſſum erudita niſi doctis complexibus delectari, & potentias plurimum amo. Si cras deſcendis ad Fortunæ fanum, ibi te forte amicum numen inveniet. Vale. Perplexus ſignificatione tam confuſi amoris, ſevocavi ancillam, juſſique ſi ad matronam rediret, omnia quidem quæ in poteſtate eſſent polliceretur; ſed ſi aliquid forte peccarem, certe non iraſceretur mihi, ſed ignoſceret potius epiſtolæ, quæ nihil me aliud docebat, quam dubitare.

Dimiſſa muliere, cum jam ſpe craſtini pacatius Doromiſi ſævitiam ferrem, quærere cœpi, num Theophraſtus foris promiſiſſet ad cœnam; & dulciori triſtitia etiam ſolitudinem in ſolatium petebam, cum ſe mihi Julianus dulciſſimo amplexu confudit, qui in Theophraſti familia princeps, arbiterque ſecretorum, me ad Doromiſum non ignoraverat ire. Et, O te, inquit, felicem, ſi Doromiſus ſpes ingentes præcidit, & vanitatem tuam ſaltem ſubito foras excluſit. Sciſcitabar ego faſtidii cauſam, & cur humanarum rerum culmina tanta contumacia damnaret, quia, inquit, & ipſe Theophraſtus, antequam Poimenarchus evaderet, nunc magnatibus charus, nunc ipſa gratia periculis oblatus, documentum mihi fuit, quam ſit difficile, tam levigatum iter ſine caſu terere. Et ipſe olim fortunæ ludo verſatus, jam contemptu vindicat miſeriam ſuam, & aliis de littore ſaxum oſtendit. Sed maxime quidem Leucomus tibi in Delphio vetuſta amicitia conjunctus, optimatum familiaritate pæne periit, qui contempto littore aliquantulum in altum evectus eſt, ſed & naufragio proximus fuit, & tabulam ſui voti judicem diis æquoris perſolvit. Tunc & ego non mediocri riſu amicitiam noſtram laudavi, quod inter eos coiviſſet, quibus Fortuna ejuſdem ſtudii amorem faciebat: rogavique ut fuſius exponeret, quomodo magnatum favore Leucomus pæne in ruinam incidiſſet. Et ille: Scis, inquit, quis fuerit Geragathus? integerrimæ famæ erat, & in eo Fortunam invenerat virtus. Hujus filius Leucomus olim familiariter uſus eſt. & quis non ſperaſſet

raſſet hanc illi amicitiam cauſam omnium bonorum fore; quæ etiam ejus ſalutem evertebat, niſi obſtitiſſet minimus fratrum, ſolus omnium dignus faſtigio ſuæ domus.

Admiratus ego tantum nefas, cujus id piaculum fuiſſet, interrogavi. [1] Major, inquit, illius familiæ Jovis ſacerdotio præfectus fuit, iis conditionibus, ut de regionis more libationes ab aris in paternam deſcenderent domum. Sed cum ille mentem in Græciam miſiſſet, ipſe tam miſere aberravit, ut nec in regionem perveniret, in quam proficiſcebatur, neque viam reditus in corporis domicilium teneret.

Igitur ad aram frater vocatus, illo utique junior qui mentem quærebat, in inſulam, & quod antiqui ſacerdotes faciebant, etiam in vaticinium ſuccedit. Etenim ſtatim affari cœpit ſyderum orbes, nec tam in oracula erudito hiantis ſoli ſpiraculo, quam numinum præſentia uti. Neque diu mortalitas hunc favorem cœli incolumis tulit, & jam animi valetudo tantis Deorum muneribus fatigata parum ſupra fratrem erat, cum mater tot filiorum vivis funeribus pęne ad mortis triſtitiam compulſa, ſe in collum Geragathi conjecit, & manantibus lachrymis utramque faciem rigans, Quamdiu, inquit, te privatum conjugem habui, genui tibi liberos capaces fortunæ noſtræ, & quos agnoſcere majores noſtri poſſent. Sed poſteaquam ſenectutis tuæ otium importuna dignitas fefellit, viſa eſt felicitas dedignari ſtirpem tuam, quæ non erat inter faſces concepta, [2] & exemplo Medeæ exhaurire Æſonis veterem ſanguinem, ut ſanctiori ſucco venas tuas & domum repleret.

Niſi

1 *Major illius familiæ Jovis ſacerdotio præfectus fuit iis conditionibus ut libationes ab aris, &c.*] Hoc eſt, major natu familiæ ſacerdotio initiatus eſt ea lege ut emolumentum ac cenſus annuus in familiam ſuam tranſiret; ſed cum in Græciam cogitaret, ſic à via deflexit, ut ne quidem ad ſe redire potuerit. Frater minor fratre à mente alienato ad mithram pervenit. Docet autem eos qui aureis gradibus in ſacerdotium ſuccedunt, & in aras intruduntur opum ſpe, infelices futuros, & miſeras facere ſuas familias.

2 *Et exemplo Medeæ exhaurire veterem Æſonis ſanguinem.*] Notum eſt commentum. Cum enim Medea patrem Æetam fugiens cum Jaſone Argonautarum duce perveniſſet in Theſſaliam, inveniſſetque Æſonem fratrem Jaſonis ſenio gravem exhauſto vetere ſanguine liquorem in venas ejus infudit, ex medicatis herbis expreſſum.

Niſi quid in te eſt, etiam ſuperſtites exſcindimur, [1] & *cum Æmilio inter duo filiorum funera triumphamus*. Non veteris ludi memor, vel intempeſtiva libidine accenſa, quo die in hoc tribunali collocatus es, petii ut liceret antiquarum noctium conſuetudinem inire. nec jam aliquid rogo, niſi hunc laborem à te familia labens imploret. Si fruſtra conatus eris, at majore ſolatio moriemur, non ignavia noſtra ſed fatorum crudelitate orbi.

Hic Geragathus mærore impeditus, poſtquam diu ſuſpiravit, quod ad ea quæ uxor rogaviſſet, mature deliberaturum refert. Conſilio quam ſtrenuitate omnia ſalubrius geri. Cæterum de liberis dolorem tantum eſſe, quantum hæc vita & feſſa laboribus ſenectus ægre ferrent. Mox ingerere probra cœpit, & Leucomum omni verborum contumelia lacerare; illum eſſe, qui inconſultis ſtudiis diſtraheret imprudentiam adoleſcentum, & inanibus ſuperſtitionibus juventutis impetum conſumeret; toties cælum & numina inclamando effeciſſe, ut nec filius cælum teneret, & amitteret terram. Adeo ſanctorum hominum conditionem infamia inundavit, & paucorum vitium, liberali adoleſcentum ingenio abutentium, etiam innocentem modeſtiam proſcripſit.

Supervenit interim declamanti patri filius, ille ſcilicet, cujus mentem ita dii ornaverunt, ut ſuum in fratres peccatum excuſent. obortiſque pæne lachrymis cœpit amoliri à Leucomo tam inepti facinoris invidiam. illum enim ab iis moribus abhorrere, nec fucatæ aut crudelis pietatis juvenibus eſſe auctorem.

Hæc ipſe juvenis ad Leucomum incorrupta fide cum detuliſſet, adjecit, non mitigatum modo ſenem fuiſſe, ſed vincente iracundiam fide, ſi quid in eo eſſet, prolixe pollicitum, ſe reconciliationem beneficio firmaturum. Ille vero

1 *Et cum Æmilio inter duo filiorum funera triumphamus.*] Quis iſte Æmilius niſi Mamercus dictus qui dictator cum eſſet, de Vejentibus qui Romanos ante fuderant, tandem triumphavit. Vide Livium, &c.

vero incertis magnatum amoribus fatigatus, velut inſtabili æſtuantis maris motu, atrociſſime damnavit ſtudium ſuum, qui & ambitionis mala ſciret, & tamen nonnunquam amicorum precibus exiret ab otii umbra.

Tu quoque ſi tibi victurus es, Euphormio, cedo dexteram in ſapientiæ pignus. Si te illi beati temnent, certe illorum ſtoliditatem eodem munere proſequeris: Contemptus, ludibria, joci, tela ſunt omnibus data: & ſecurius è latebris emittuntur.

Inter hos ſermones advenerat Theophraſtus. & cum 18
pauca in Juliani ſententiam dixiſſet, ad illum præparata intravimus cœna. Ibi pretioſa fercula argento ad menſam ferebantur, cæteræque deliciæ erant, quas optima mater illius familiæ ingerebat. Exactæ ad valetudinem dapes, niſi ad ſatietatem invitaſſet triclinium tam caſtigatis feneſtrarum ac parietum commiſſuris, [1] ut rimoſior eſſet uter in quo Æolus ventos Ulyſſi credidit. & ut aër frigore inhorruerat, duo famuli ad largiſſimum ignem ſubinde cumulata ligna prodigebant.

Itaque ad tam elegantis triclinii cultum & oculos & mentem advertens, prodebam ſuſpiriis animum meum tam quietæ felicitatis admiratione ſuſpenſum.

Nec tenui lachrymas, alienis commodis admonitus calamitatis meæ, &, Certe, inquam, Theophraſte, facile eſt in ejuſmodi vita negligere magnatum opes, & non quærere aquam poſito in ingentibus undis. Ego vero non aliter explebo animi dolorem, exprobrantis ſibi fatorum odium, quam ſi mihi quæ in cæteros optimates argumenta, velut arma, diviſiſti, in tuam quoque fortunam convertero.

Ad

1 *Ut rimoſior eſſet uter in quo Æolus ventos Ulyſſi credidit.*] Qui Odyſſæam legerit commentum non ignoraverit: cum Ulyſſes in Æoli inſulas perveniſſet, rogavit is Æolum, quem Juppiter fecerat

Ventorum dominum, tempeſtatumque potentem,

ſibi ut in poteſtatem ventos daret, & quo ut proſpera fieret navigatio ventos omnes in utrem incluſos daret præter unum Zephyrum; ſed conſilium non ſucceſſit, cum enim ejus ſocii utrem in carina adverterent, & theſauros exiſtimarent, perforato utre venti qua data porta irruentes navim à meta depulerunt.

1 *Ipſe*

Ad hæc verba ille modeſtiſſime ſubriſit; & ne me longior invidia perturbaret, Scis, inquit, tantum vitio noſtro voluptates degenerare à pulcherrimo fine; Deorum munera eſſe, ſi adhibes modum, quem plerumque intemperantes libidines corrumpunt. neque aliquid eſt tam molle, quo ſeveri homines ſancte uti non poſſint. Jam vero quantum ſit corporis commercium cum animo, morborum faſtidia monſtrant, & dolores, qui in perpetuam ſui contemplationem animum tenent. Itaque demulcendus eſt tam familiaris mentis comes, corpus hoc, inquam, ut eam nobis ad ſtudiorum ſublimitatem permittat, nec occupet importuno ſodalitii jure. Mihi crede, vix in anguſtiis aut curarum ægritudine eſt literis locus, & ſapienter majores noſtri Solem omnis lætitiæ datorem Muſis præpoſuerunt. Nam ut animum nimio luxu ſolutum nervi ad ſapientiæ inveſtigationem deſtituunt, ita niſi impetraveris veniam à corpore honeſto veluti ludo, fruſtra tentabis conciliare animum literis propiore ſollicitudine intentum. Nullo æſtu Apollinis caleſceret injuriis hyemis apertus, & [1] ipſe Homerus numquam ſecurius deos vulnerabat, aut pugnantem Achillem ſequebatur, quam cum promiſerat ad cœnam. Illos homines ſtultiſſimos puto, qui veluti pugnarent cum natura, aſſiduis doloribus ſuorum corporum patientiam fatigant, & interim animum nolunt miſeriis ingemere, ſed conditionis ſecurum in mentibus quærunt, quæ tot malis plenæ vix ipſam ægritudinem capere poſſunt.

Itaque ne aſſiduis ſtudiis provocem ad nauſeam literarum tremulum laboribus corpus, ipſi quoque ſuum ludum humaniter concedo: ita liberaliter excultum, vices quoque

animo

[illegible]

1 Qui

animo rependet, eruditionem cum illo impetu veſtiganti, ſine quo nihil addiſces ingenioſum, aut victurum conſcribes.

Præterea cum reverentia ſit alumna divitiarum, & egeſtas contemptione damnetur, nobis Poimenarchis ſpectabilis cultus datur, ne populus majeſtatem pietatis in miniſtrorum ſordibus contemnat. Hinc Antiſtitum opulentia, hinc collegiorum opes ad cantus & ceremonias ſacrorum, & ipſius antiquitatis pæne prodigalitas in numen, quæ omnia, proh nefas! ſeculi licentia corrupta in invidiam plebis & bonorum odium cedunt. Utinam tam modeſte peccaſſemus, ut culpa ſe domi continuiſſet, aut negari crimina poſſent. Sed ne me diſſimulando peccata approbaſſe exiſtimes, ſi ordinem noſtrum veluti humanum conſideras corpus, videbis in radicibus corruptos nervos eſſe, & inutile membrorum robur inde fluxiſſe. Dehinc pervicaci morbo correpta omnia, & ſingulos aliquid adjeciſſe publico malo. Ambitus magnas mentes occupavit, plurimas libido. otium denique & ignavia pæne omnia collegia pertentavit, in quibus inertes fuci languidis voluptatibus deſident, cantibuſque præcipitata arroſis lingua infame otium emunt. Nulla literarum ſtudia, nulla cura pietatis. Ubi noctem vel crapula graves, vel domeſtica libidine fatigati conſumpſerunt, ad fana, atque aras, veluti in officinam vocantur. Nec imponere cœlitibus curant: palam negligentia vocis queruntur de majoribus, quod tanti divitias vendant.

Inde digreſſi in domos (pudet fateri) plurimum inter ſcorta fœnus numerant, aut intempeſtivis conviviis adhibiti inter populares regnant, & profanam cæterorum licentiam infami certamine præcedunt.

Sed nec ſuperbis excuſationibus carent, aut ſine argumento in nos fædiſſimum crimen torquent. Nam ut ex radicibus vim ſuam folia & caules temperant, & rami animantur ingenio ſuæ ſtirpis, ſic iſti ex Poimenarchorum vita di-

ſcunt,

Digitized by Google

Ad hæc verba ille modeſtiſſime ſubriſit; & ne me longior invidia perturbaret, Scis, inquit, tantum vitio noſtro voluptates degenerare à pulcherrimo fine; Deorum munera eſſe, ſi adhibes modum, quem plerumque intempeſtivæ libidines corrumpunt. neque aliquid eſt tam molle, quo ſeveri homines ſanctè uti non poſſint. Jam vero quantum ſit corporis commercium cum animo, morborum faſtidia monſtrant, & dolores, qui in perpetuam ſui contemplationem animum tenent. Itaque demulcendus eſt tam familiaris mentis comes, corpus hoc, inquam, ut eam nobis ad ſtudiorum ſublimitatem permittat, nec occupet importuno ſodalitii jure. Mihi crede, vix in anguſtiis aut curarum ægritudine eſt literis locus, & ſapienter majores noſtri Solem omnis lætitiæ datorem Muſis præpoſuerunt. Nam ut animum nimio luxu ſolutum nervi ad ſapientiæ inveſtigationem deſtituunt, ita niſi impetraveris veniam à corpore honeſto veluti ludo, fruſtra tentabis conciliare animum literis propiore ſolicitudine intentum. Nullo æſtu Apollinis caleſcet injuriis hyemis apertus, & [1] ipſe Homerus nunquam ſecurius deos vulnerabat, aut pugnantem Achillem ſequebatur, quam cum promiſerat ad cœnam. Ideo homines ſtultiſſimos puto, qui veluti pugnarent cum natura, aſſiduis doloribus ſuorum corporum patientiam fatigant, & interim animum nolunt miſeriis ingemere, ſed eruditioni locum in mentibus quærunt, quæ tot malis plenæ vix ipſam ægritudinem capere poſſunt.

Itaque ne faſtidioſis ſtudiis provocem ad nauſeam literarum timidum laboribus corpus, ipſi quoque ſuum ludum humaniter concedo: ita liberaliter excultum, vices quoque animo

1 *Ipſe Homerus nunquam ſecurius Deos vulnerabat, aut pugnantem Achillem ſequebatur, quam cum promiſerat ad cœnam.*) Tunc ſcilicet audebat plurimum & valebat carmine heroïco Homer. cum invitatus erat ad cœnam. Mirum autem quomodo Deos inter ſe pugnantes inducit; ſiquidem ut ait Ovid.

Mulciber in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo,
Æqua venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Porro fuit in Iliade Achilles præcipuus heros quem ſemper inſequebatur Venus, ita ut à Paride occideretur per dolum.

1 *Quis*

animo rependet, eruditionem cum illo impetu veſtiganti, ſine quo nihil addiſces ingenioſum, aut victurum conſcribes.

Præterea cum reverentia ſit alumna divitiarum, & egeſtas contemptione damnetur, nobis Poimenarchis ſpectabilis cultus datur, ne populus majeſtatem pietatis in miniſtrorum ſordibus contemnat. Hinc Antiſtitum opulentia, hinc collegiorum opes ad cantus & ceremonias ſacrorum, & ipſius antiquitatis pæne prodigalitas in numen, quæ omnia, proh nefas! ſeculi licentia corrupta in invidiam plebis & bonorum odium cedunt. Utinam tam modeſte peccaſſemus, ut culpa ſe domi continuiſſet, aut negari crimina poſſent. Sed ne me diſſimulando peccata approbaſſe exiſtimes, ſi ordinem noſtrum veluti humanum conſideras corpus, videbis in radicibus corruptos nervos eſſe, & inutile membrorum robur inde fluxiſſe. Dehinc pervicaci morbo correpta omnia, & ſingulos aliquid adjeciſſe publico malo. Ambitus magnas mentes occupavit, plurimas libido. otium denique & ignavia pæne omnia collegia pertentavit, in quibus inertes fuci languidis voluptatibus deſident, cantibuſque præcipitata arroſis lingua infame otium emunt. Nulla literarum ſtudia, nulla cura pietatis. Ubi noctem vel crapula graves, vel domeſtica libidine fatigati conſumpſerunt, ad fana, atque aras, veluti in officinam vocantur. Nec imponere cœlitibus curant: palam negligentia vocis queruntur de majoribus, quod tanti divitias vendant.

Inde digreſſi in domos (pudet fateri) plurimum inter ſcorta fœnus numerant, aut intempeſtivis conviviis adhibiti inter populares regnant, & profanam cæterorum licentiam infami certamine præcedunt.

Sed nec ſuperbis excuſationibus carent, aut ſine argumento in nos fædiſſimum crimen torquent. Nam ut ex radicibus vim ſuam folia & caules temperant, & rami animantur ingenio ſuæ ſtirpis, ſic iſti ex Poimenarchorum vita diſcunt,

ſcunt, quantum vitiis permittant. Horreo eloqui. ſed Antiſtitum dignitas jam velut ad quæſtum proſtituta eſt, & ſæpiſſime criminum merces. Quis ex potentioribus liberorum cunas non infulis premit: aut [1] quis liberius præconi hereditatem ſub haſta, quam ſacerdotium commendat? Jam urbes obſidione maceratæ, vel ultro proditæ Principibus arces, illud præmium inhiant, & potentia inter ſcientias numeratur.

Nec ſanctius dignitatibus fruuntur, quam illas quæſierunt. Nullis delicatior Venus, aut magis ad ſcrupulum examinata libido. Faſtidioſa autem ſuperbia, & inanium cupiditas rerum, jam pridem ex regiis ad has imagines pietatis exceſſit. Quid aliud quam diſponimus opes, & avaris cogitationibus ad ſpem prodigendi ſervamus? Quis ſacrorum in agris jacentium amor? Quem ovilium tutela fatigat? Quid illi qui pro feris terrentibus caulas, timiditatem damarum indigniſſima voluptate fatigant? Quid aleæ Veneriſque patroni? aut quid ille, qui ne unica cruce dignus videretur, trifurcifer evaſit? Neque me ad hæc inſignia impium putes, ſed illa credo in ſupplicii notam facinoroſis dari. Mihi crede, poſt hujus ætatis ſcenam hoc [2] pluribus infula erit, quod Mithridaticæ uxori diadema, quod cervicibus infelicem nodum aptavit.

19 Ego ſermonibus Theophraſti mirifice delectabar. Nam & ſyncero animo veniebant, & effluentibus lachrymis comprobabantur. Itaque in eandem pietatem excitatus ſum, & olim conceptam de Poimenarchorum moribus iram liberrima oratione effudi. Cumque multa in eam ſententiam vehementiſſime dixiſſem, Cæterum, inquam, & hoc maximo-

1 *Quis hereditatem ſub haſta liberius quam ſacerdotium, &c.*] Venales docet eſſe infulas ſeu dignitates eccleſiaſticas. Eſt autem Hereditatem ſub haſta ponere, idem ac bona licitari ſeu publicare, à more belli deducta metaphora; bona enim bello parta ſub haſta venibant.

2 *Pluribus infula erit, quod Mithridaticæ uxori diadema, quod cervicibus infælicem nodum aptavit.*] Narrant uxorem Mithridatis diademate uſam tanquam laqueo quo ſibi fauces elideret, ne in manus hoſtiles incideret.

1 *Liceatne*

ximopere demiror, quomodo magiſtratus potentiam Poimenarchorum ſecuris oculis videant. Jam divulſa reſpublica, non in turbas factionum, ſed in diverſiſſima corpora miſerabili fato diſceſſit. Hinc religionibus ſacri, illinc obnoxii legibus, veluti cenſus diſtinctarum gentium numerantur. Et proh dolor! in Academiis non de ſiderum luce decertant, & felicitatem in equuleum migrantem, & naturæ exordia, nubiumque ſemitas relinquunt, jejunique ac delirantes Philoſophi ſollicite inquirunt, [1] *liceatne adminiſtro ſacrorum ſe magiſtratibus ſubmiſſum profiteri?*

Jam impune Scholaſtici velut radio limitem deſignant, & principibus fines ſuos ſuperbiſſima temeritate deſcribunt. Ipſi pueri inter Acignianos enutriti de Principibus audaciſſime loquuntur, & divinam Sacerdotum majeſtatem adorant. Sceptra ſubtilibus jocis violare non eſt nefas; ſi quid in Gephyrium loquuntur, puerili ſupplicio & ſuperum minis velut ad inexpiabile facinus docentur horrere. Ita imbuuntur juvenum mentes: & tenax diſciplinarum animus, poſteaquam ex umbraculis exceſſit, in illis ſententiis cum pertinacia durat: deinde tot patres familias, ſub illis præceptis vivunt, quot olim pueri nugabantur in ſcholis. Ita reſpublica ſacrorum hominum floreſcit, & per populos diſſipata pæne omnium Principum vires exæquat. Ac illi quoniam ſub ſoliorum ictu poſiti, deinde regum beneficio æquales, paulatim ad imperium properant, & omnem purpuram inevitabili fato convolvunt. Quid iniquius, quam illos & quid poſſint judices eſſe, & de regum faſtigio pro imperio diſceptare? Si quis interim de illis inquirit, opponunt numinum furorem, & velut temerati cœli ultricia tela promittunt. Neque me ut ſacrorum hoſtem elimines. Cultum & magnificentiam veſtro ordini, Theophraſte,

1 *Liceatne adminiſtro ſacrorum ſe magiſtratibus ſubmiſſum profiteri?*] Apud Romanos liberi erant à magiſtratuum poteſtate ſacrorum miniſtri, ſed etiam miniſtræ, ut Veſtales quæ à ſolo pontifice plecti ſolebant. Apud Chriſtianos etiam iſte mos invaluit ita jubente Imperatore Conſtantino & aliis.

1 Sed-

ſte, concedo, dum ſe beneficia accipere fateatur, & indulgentiam Regum adoret. Nunc ſuæ felicitatis didignatur auctores, & cum illis ſuam ſuperbiam ingratiſſima lite committit. Certe leges audio eſſe, quæ vos implicari vetent profanarum rerum nugis; ne animos, quos vacare numinibus oportet, indignæ ſolicitudines deducant in terram. [1] Sed & Byzantios tonſores, ſi domi novaculam haberent, lex publica volebat mulctari, & Rhodi luxuries tondentium caput magiſtratuum meruerat minas. Nullus tamen tonſores caſtigabat impune pro foribus novaculam habentes, & Rhodii invenuſtum putabant qui non commiſerat in legem.

Cum hæc dicerem, animadverti me ægrius à Theophraſto áudiri. Quippe quantum ſibi de vitiis permiſerat loqui, tantum pro ſociorum auctoritate pugnavit. Et fortaſſe meam ſententiam ſoliditate argumentorum frangebat, & ejuſmodi præcepta ex ſapientiæ fonte effuſa mihi altius inſediſſent, niſi uxor Anemonis aſtitiſſet animo meo, & epiſtola tam precioſo amoris pignore cælata novis ludibriis occupaſſet vacuam mentem. Itaque poſteaquam de cæna diſceſſimus, ego cum vigilia curarum provocato ſopore certavi: cæterum tota nocte inquietatus, ut primum ſol diem reddidit, ad Fortunæ templum aſcendi, ibique cœpi expectare codicillorum fidem, qui me illuc evocabant.

Igitur perambulabam fanum, & nunc primis porticibus vagus, nunc in ipſa teſtudine religioſis paſſibus gravis, ubique me venalem circumducebam, cùm mulierem video, quæ pridie codicillos attulerat, in ea templi parte, in qua minor frequentia erat, omni geſtu deos deaſque venerari. Ego veluti temere accedo, poſitoque pariter genu, uſquene valuiſſet, modeſtiſſimo murmure interrogavi. Illa quoque mihi

1 *Sed & Byzantios tonſores, ſi domi novaculam haberent, lex publica volebat mulctari.*] Hæc & aliæ leges Byzantinorum & Rhodiorum fuere ridiculæ quidem, & ſatis neglectæ.

1 *Quam*

mihi ſalutationem inſuſurrat, & in hoc colloquii furto rem totam in compendium deducit, Matrona, inquit, à qua proxima die, hoſpes, codicillos habuiſti, hodie ad publicam ſcenam aliquot familiaribus promiſit. Tu ſi tanta fortuna dignus es, inter tumultum exultantis frequentiæ, aut cum ſub noctem liberrima confuſio cuncta miſcebit, aggredere expectantem, profeſſuſque amorem, verecundiſſimæ mulieris pudorem demulce. Neque enim illius indoles patitur, ut ſe prima tam audaci oratione confundat.

Hic ego argumenta quæſivi, quibus internoſcere Nympham poſſem. Pallam, inquit, & elatos in tutelam crines floſculis purpurei ſerici ornavit, præterea in ſiniſtram aurem nigrantium ardearum pretioſiſſimum extulit ſertum. Sed tu maxime ex forma cognoſces; neque enim venuſtior hodie vivit. Tum & theatri nomen rogavi, quo ad ſpectaculum eſſet itura, didicique Valerianum appellari. Quibus diligenter perceptis, ne intuentium curioſitas in nobis ſuſpicionem inveniret, inſalutata muliere de templo diſceſſi. Mox leviter in diverſorio refectus, præcipitavi iter ad ſcenam, meque viliori turbæ immiſcui, quæ ex cavea ignobiliter ſpectat. Illinc enim liberrime oculos circumducebam per clauſtra, quæ certis gradibus circum parietes diſtincta ſunt, & matronis ac magnatibus ſervabantur. Nondum ibi frequentia convenerat, & quoniam neminem noveram, tanquam in ſolitudine liberrimis cogitationibus exercebar. Non exciderat menti Anemonis formoſiſſima conjunx, lentoque ac molli, id eſt, duraturo igne carpebar. Sed hæc rurſus novitas ignoti amoris placebat: quia opulentam voluptatem pridianæ epiſtolæ dives cælatura ſpoſponderat. Dum hæc tacitus agitabam, veluti ventis laceſſentibus mare, ita paulatim populi licentia petulanti murmure increvit. Senſim enim multitudinis capax locus coëunti frequentiæ defecerat. Nec multo poſt matrona cum comitatu mediocri in ſuperiori clauſtro reſedit purpureo ſerico ardearumque plumis magnifice exculta, qualem

Digitized by Google

mihi conciliatrix anus deſcripſerat. Ego autem velut multitudinis violentia rejectus in eam partem, latus & cervicem reflecto, illiuſque vultum (ſi quando integumentum poneret) paulo avidius expecto, [1] quam Solem in Phœnicia ſervi, cum regnum pernicioribus oculis deſtinabant. Neque diu morata cupiditatem meam, velut impatiens caloris, invidum velum rejecit à fronte & oſculum aperuit, [2] quod Jovem in omnia animalia mutaret. Tunc vero omnis conſtantia attonitum defecit, & ſuccidentibus gaudio membris velut ebriam mentem omnes nervi reliquerunt. Quippe Anemonis uxor erat, quæ jam antea profundiſſimo vulnere amoris meam mentem percuſſerat. Igitur ut ad ſenſum redii, nihil cunctandum arbitratus, me primum de turba explico, conductaque clauſtri parte unde ſpectaculum intuebatur, ad ipſius denique latus audaciſſimus amator accedo. Etenim Anemonis amicitia meam cupiditatem optime tegebat, & nihil ego ab ea prius quæſivi, quam ubi conjugem reliquiſſet. Illa humanitatis pleniſſimam vocem pæne muſico concentu reſolvit, mihique proximam ſubſellii partem mirifica humanitate concedit. Cæterum tanta majeſtas erat in fronte, tantus pudor in oculis, ut ipſe trementibus verbis interdum dubitarem de internunciæ fide, & pudore ſubruſtico pæne defraudarem pulcherrimam mulierem expectatione ſua. Nam timore & verecundia confuſus, præterea cum circumſtantium aures timerem, propoſitum meum in Anemonis domum differre cogitabam, quippe illo mulierem ſequi amicitiæ lege jubebar. Tandem fortiori conſilio uſus ſum; & quidem me ad ſpectaculi jucunditatem avidiſſime converti: interim velut Tragœdiam laudarem, paſſim ad aurem mulieri loquebar, & illa averſis ad ſcenam oculis, quia me non videbat, audacius

1 *Quam Solem in Phœnicia ſervi, cum regnum pernicioribus oculis deſtinabant.*] Scilicet illi regnum deſtinabatur qui primus Solem orientem vidiſſet.

2 *Quod Jovem in omnia animalia mutaret.*] Ut fingitur in Cycnum, in Taurum, in Satyrum, in Aquilam, in Arietem aliquando captus amore Nympharum ipſum ſe commutaſſe.

Digitized by Google

dacius ſuam cupiditatem confitebatur. Et quidem tam ſerio occupatus parum retuliſſem ex ludis, niſi eadem tragœdia deinde per librarios diſtributa meam memoriam repetita lectione firmaſſet.

Illuſtris propter Poëtam ſcena non evocaverat modo 20
vulgus, ſed orcheſtra vix ſufficiebat magnatibus; neque ulla Tragœdia magis unquam ſtudia civitatis erexerat. Qui primus ad argumentum proceſſit, novam fabulam pulcherrimo explicuit verſu; cujus hæc omnino ſumma erat: Hippophilum olim Melandriæ regem, ſparſo per orbem imperio, utriuſque terminos Solis, utrumque Oceanum tenuiſſe; ipſum ad meridiem vixiſſe: & ne ullus naturæ cardo ceſſaret, gentes quoque ad Septentrionem horrentes illi hereditaria devotione paruiſſe. Regionem Icoleontem appellari. Sed Albagonis crudelitate offenſas, quem illis Hippophilus præfecerat, provocaſſe ad libertatem pertinacibus armis. Inde omnia cruentis ſeditionibus impleta, & plus ſanguinis profuſum, quam tam anguſtæ provinciæ flumina caperent. interim Hippophilum deceſſiſſe; & hoc filiæ ſuæ bellum pro dote tradidiſſe. Sed jam deferbuiſſe partium ſtudia, & tempore mitigatum furorem, veluti exhauſtam in mari tempeſtatem reſidere. Omnia ad fœderis ſanctitatem ſpectare, cujus ſeries hac tragico-comœdia explicaretur.

Cum ille prælocutor diſceſſiſſet ex ſcena, ſtatim chartulæ in populum ſparſæ omnium nomina vulgaverunt, qui erant in ea fabula prodituri. Erant autem ejuſmodi. Lyſippi umbra, viri egregie literis imbuti, qui ſuperiori anno in Icoleonte deceſſerat. Præterea Hippophili & Albagonis umbra. Ægori quoque manes, cujus olim cervices Albagon præciderat. Et hi quidem ex mortuis prodibant. Illa autem viventium nomina legebantur, Liphippus Hippophili filius Rex Melandriæ, Deſpotikyrius princeps Liphippi miniſter, & Leucus ſecretæ pietatis præfectus, Labetrus deinde affinis Liphippi, cum Pedæa uxore, cui pater Icoleontis jura reliquerat. Argyroſtratus quoque dux belli,

mihi conciliatrix anus deſcripſerat. Ego autem velut multitudinis violentia rejectus in eam partem, latus & cervicem reflecto, illiuſque vultum (ſi quando integumentum poneret) paulo avidius expecto, [1] quam Solem in Phœnicia ſervi, cum regnum pernicioribus oculis deſtinabant. Neque diu morata cupiditatem meam, velut impatiens caloris, invidum velum rejecit à fronte & oſculum aperuit, [2] quod Jovem in omnia animalia mutaret. Tunc vero omnis conſtantia attonitum defecit, & ſuccidentibus gaudio membris velut ebriam mentem omnes nervi reliquerunt. Quippe Anemonis uxor erat, quæ jam antea profundiſſimo vulnere amoris meam mentem percuſſerat. Igitur ut ad ſenſum redii, nihil cunctandum arbitratus, me primum de turba explico, conductaque clauſtri parte unde ſpectaculum intuebatur, ad ipſius denique latus audaciſſimus amator accedo. Etenim Anemonis amicitia meam cupiditatem optime tegebat, & nihil ego ab ea prius quæſivi, quam ubi conjugem reliquiſſet. Illa humanitatis pleniſſimam vocem pæne muſico concentu reſolvit, mihique proximam ſubſellii partem mirifica humanitate concedit. Cæterum tanta majeſtas erat in fronte, tantus pudor in oculis, ut ipſe trementibus verbis interdum dubitarem de internunciæ fide, & pudore ſubruſtico pæne defraudarem pulcherrimam mulierem expectatione ſua. Nam timore & verecundia confuſus, præterea cum circumſtantium aures timerem, propoſitum meum in Anemonis domum differre cogitabam, quippe illo mulierem ſequi amicitiæ lege jubebar. Tandem fortiori conſilio uſus ſum; & quidem me ad ſpectaculi jucunditatem avidiſſime converti: interim velut Tragœdiam laudarem, paſſim ad aurem mulieri loquebar, & illa averſis ad ſcenam oculis, quia me non videbat, audacius

1 *Quam Solem in Phœnicia ſervi, cum regnum pernicioribus oculis deſtinabant.*] Scilicet illi regnum deſtinabatur qui primus Solem orientem vidiſſet.

2 *Quod Jovem in omnia animalia mutaret.*] Ut fingitur in Cycnum, in Taurum, in Satyrum, in Aquilam, in Arietem aliquando captus amore Nympharum ipſum ſe commutaſſe.

1 *O ina-*

dacius ſuam cupiditatem confitebatur. Et quidem tam ſerio occupatus parum retuliſſem ex ludis, niſi eadem tragœdia deinde per librarios diſtributa meam memoriam repetita lectione firmaſſet.

Illuſtris propter Poëtam ſcena non evocaverat modo 20 vulgus, ſed orcheſtra vix ſufficiebat magnatibus; neque ulla Tragœdia magis unquam ſtudia civitatis erexerat. Qui primus ad argumentum proceſſit, novam fabulam pulcherrimo explicuit verſu; cujus hæc omnino ſumma erat: Hippophilum olim Melandriæ regem, ſparſo per orbem imperio, utriuſque terminos Solis, utrumque Oceanum tenuiſſe; ipſum ad meridiem vixiſſe: & ne ullus naturæ cardo ceſſaret, gentes quoque ad Septentrionem horrentes illi hereditaria devotione paruiſſe. Regionem Icoleontem appellari. Sed Albagonis crudelitate offenſas, quem illis Hippophilus præfecerat, provocaſſe ad libertatem pertinacibus armis. Inde omnia cruentis ſeditionibus impleta, & plus ſanguinis profuſum, quam tam anguſtæ provinciæ flumina caperent. interim Hippophilum deceſſiſſe; & hoc filiæ ſuæ bellum pro dote tradidiſſe. Sed jam deferbuiſſe partium ſtudia, & tempore mitigatum furorem, veluti exhauſtam in mari tempeſtatem reſidere. Omnia ad fœderis ſanctitatem ſpectare, cujus ſeries hac tragico-comœdia explicaretur.

Cum ille prælocutor diſceſſiſſet ex ſcena, ſtatim chartulæ in populum ſparſæ omnium nomina vulgaverunt, qui erant in ea fabula prodituri. Erant autem ejuſmodi. Lyſippi umbra, viri egregie literis imbuti, qui ſuperiori anno in Icoleonte deceſſerat. Præterea Hippophili & Albagonis umbra. Ægori quoque manes, cujus olim cervices Albagon præciderat. Et hi quidem ex mortuis prodibant. Illa autem viventium nomina legebantur, Liphippus Hippophili filius Rex Melandriæ, Deſpotikyrius princeps Liphippi miniſter, & Leucus ſecretæ pietatis præfectus, Labetrus deinde affinis Liphippi, cum Pedæa uxore, cui pater Icoleontis jura reliquerat. Argyroſtratus quoque dux belli,

quod in Icoleontidas gerebatur, & Charridotus conſiliorum præſes. Ex Icoleontidarum parte, Necarius erat exercituum præfectus, & aliquot vultu purpureo ac membris valentibus, qui publici conſilii partes agebant. Extremi erant, Theſſaranactus Scolimorrhodiæ Rector, & Protagon, qui ſcenam ſuo commodo claudebant. Cæterum omnes perſonati agebant, nec quicquam vidi apertum in Tragico-comœdia pacis.

Poſt hæc ſpectaculorum exordia, primum agere cœperunt Lyſippi manes. Prodibat ille exanguis, pallido ſtudiis vultu, albam veſtem corpori circumvolvens in eum modum, quem antiquis Romanis aſſcripſerat. Narrabat, poſteaquam deceſſit, ſe in ſuffulta veſte ad ſydera elatum, ibi nullum ex Melandriis agnoviſſe quibus aſſueverat vivens: exoraſſe itaque cœlum, ut cum illis neſcio quo deſcendere liceret. Nunc vero ad lucem rediiſſe, ut augeat libellos, quos de civili regimine præſcripſit, inſtitutis Reipublicæ, quam ajunt plane novam in Icoleonte excudi.

Adhuc Lyſippus loquebatur, cum ex latebris aulæi miſerrima Algabonis umbra proceſſit.

Hiſpidi crines, veluti metum tormentorum horrebant; inculta barbæ canities, oculique lividi nondum feritatem viventis amiſerant. Cæterum apertum verberibus corpus erat, duoque ad tergum lictores lentiſſimis flagris impigre iracundiam explebant. Sed maxime miratus ſum, poſteaquam lictores ex perſonarum ſimilitudine cognovi. Erant enim Hippophilus & Ægorus. Ille Icoleontem ab Albagone repetebat, alter autem cervices ulciſcebatur. Ipſe ad aſpera verba ictuſque ſuſpiriis reſpondebat; &, Inducias date, inquit, ut amoto ſupplicii ſenſu, apud vos æquitatis arbitros veſtræ juſtiſſima veritate perorem. Suſpendere avidos ictus, & fatigatas dexteras ad ſeveriorem impetum laxaverunt. At ille, Tibi, inquit, Ægore, primum defenſionem meam probabo, cui caput nullo odio ademi, ſed ut gladiatores undiquaque in tuo funere certarent, tumuluſque æternitate viveret

veret famæ, quem ſane tibi ex ruinis patriæ ſpoliiſque vicinorum triſtiſſimo apparatu Fortuna collegit. Quoties Icoleontem tempeſtas affligit, quoties obſeſſæ civitates armis & fulminibus merguntur, totaſque acies mutuæ clades hauriunt, tuo nomini omnia pereunt, tuæ memoriæ ſacrantur. Interim amicos tuos monui, ne cuiquam Melandriorum fiderent. Nec vana præceptorum meorum hactenus fides fuit. Et quanquam tua proles mihi non credidit, tamen multi conſtanter in odio manſerunt, quod cruore tuo ſanxi. Sed jam hæc prudentia vetuſtate conſenuit. Jam detumeſcit irarum cauta ſævities, & adoleſcentium volucrum inexperta libertas vix ſatis vimina declinat, unde ægre parentes viſcatis alarum orbibus fugerunt.

Tibi vero, Hippophile, jam alia excuſatione placebo. Eventus conſiliorum, non fides aut induſtria, me invidioſiſſima accuſatione proſcripſit. Nec me ſolum tam innocentis criminis reum dii eſſe voluerunt: & tu quoque non omnia auſpicato es aggreſſus. Si tuis conſiliis Fortuna ſuffeciſſet, numquid Eleutheria cataſtis tuis gravis tam liberum amitteret nomen? numquid Scolimorrhodiam atrocius quam Oceanus inundaſſes? Quæ iniquitas eſt, nos infelicis Fortunæ accuſare, cum aut tu ſimiliter in illa, aut hæc in te peccaverit? Videbam tuum imperium religionibus firmari; Proximam Eleutheriæ partem eodem jure expectabas, quo Vanarram olim tenes. Et Gephyriorum auctoritas ad hæc neceſſaria erat. Quid peccavi, ſi in tua Icoleonte adverſarios religionum oppreſſi? ſi volui inexorabili ſeveritate deleri? Certe longius quam credebam, emanaverat morbus, & dum amputare fibras cogito, malis ſortibus radices offendi. Sed ne putes Icoleontem perpetuo divortio receſſiſſe. Nos miſeri frequenter divinamus. Filius tuus hanc veluti aucupio placabit, & tot ſenectutis tuæ artes improvida juventa ſuperabit; ut ſcias Fortunam non raro ſapientiæ præſtare.

Cum Albagon hæc & ſimilia miſerabili voce dixiſſet,

Digitized by Google

inſtauravere ſupplicium tortores, flagelliſque laceratum ad latebras aulæi reduxerunt. Secutus eſt concentus muſicorum, minime gratus auribus meis. Fingebantur enim quidam ex Icoleonte piſcatores hordeaceo tumidi potu inepta vulgi carmina in Liphippum recitare.

Actus vero, qui ſequebatur, hæc omnino memorabilia exhibebat. Argyroſtratus Labetri præfectus querebatur, ſibi tantum pecuniæ quantum Protagoni non eſſe, ſe paternam opulentiam in Labetri milites diſſipaviſſe, & ſpem cum Alexandro ſervaſſe. Itaque regem Liphippum ambiebat, ut ſibi apud Deſpotikyrium faveret. Rex Deſpotikyrium ſervum ſupplex rogabat, ut Argyroſtratus ex Indiarum vectigali abſolveretur. Contra Deſpotikyrius diſputabat, Argyroſtratum tantum famæ illo bello quæſiiſſe, quantum non ipſius aut majorum inſtitores omnibus mercimoniis emiſſent: Etiam fratrem armorum beneficio ſublatum, & opimam hereditatem ad Argyroſtratum cum eo luctu perveniſſe. Expectet ille, inquit, donec victoria aut fœdere hæc tempeſtas quieverit: tranquilla Icoleonte, civitas tua, ubi mundi nundinæ agebantur, iterum felici portorio ærarium tuum implebit. Illinc expeditos nummos Argyroſtrato numerabis. Nunc quincuncem uſuram cum illis mercatoribus accipiet, quos ad egeſtatem perducis ſolutione fraudatos. Nimium eſt dignitate & opibus florere privatos, vix illud patri tuo tanto Regi conſtanter contingebat, cui ſtipem in Melandriorum familiis Acigniani quæſiverunt.

Quod ſi tam præcipiti Argyroſtrato utimur, ubi ſunt artes noſtræ, ubi felix tot ſeculis dolus? Tanta ſpe impleatur, quantam concipere ſine læto horrore non poſſit: triumphaturum in oculis patriæ, & felici ſenectute *Mille annis* imperaturum. Ac ut ineſcatus præmii guſtu, reliquorum teneatur imagine, ſuam gentem Doriacæ familiæ præponet, quæ illi in patria tam vetuſta æmulatione componitur. Ipſum Doriacæ principem gentis aliis deinde promiſſis oneratum, veluti interveniente verſura, placabimus.

Rex

Digitized by Google

Rex Liphippus, ſive conſilio Deſpotikyrii, ſive imperio contentus, credo, diſceſſit ad templum, cum Indiarum imago, macie & verberibus ad extremum confecta, de crudelitate Melandriorum miſerrimis queſtibus peroravit. Reges contra dignitatem interfectos, totas gentes in equuleum impoſitas, ipſa terræ viſcera avaris concuſſa laboribus non ſine audientium gemitu lamentabatur. Et, ſi hæc, inquit, mihi diviti contigerunt, cum eorum crudelitatem pretioſiſſimis penſionibus placarem; quid exhauſta atque inops præter ſæviſſimam mortem expectem? quæ undique ferro ſolicitata, jam vacuo ſinu nihil præter antiquæ opulentiæ inanem famam conſervo. Ad extremum, paulo poſt Melandrios aurum, & me vita deficiet. Sic effata, creberrimis concuſſa ſuſpiriis, ſqualidam faciem lachrymarum fonte deterſit.

Dum aulæum repeteret, ex alia parte Labetri milites ſeditioſis vocibus inclamabant, nec Argyroſtratum nec Indiam eſſe facturos, ut ſine ſtipendiis vexilla ſervarent. Labetrus antiqui ſacerdotii librum capiebat in manus, ac veluti malos genios figurarum religione tentabat. Sed omnes eadem ſacra amabant: neque ullum manus in aëre rotata avertit in fugam. Chorus ex militibus Labetri fuit, ſuas vires tam in dominum quam in hoſtes ſuperbiſſima vanitate jactantibus.

Ex tertio deinde actu hæc maxime annotavi. Deſpotikyrius, Rex Liphippus, & Leucus ſecretæ pietatis præfectus, Pedæa quoque cum conjuge Labetro, & Charridotus conſiliorum præſes, de rebus imperii ſecretiſſima conſultatione agitabant. Sed nihil jucundius fuit, quam Liphippum audire. Is Leucum interrogavit: poſſetne propitiis diis fœdera cum aliorum ſacrorum hominibus ferire. Ille oculos in manicatam tunicam aliquantulum reflexit: cunctatuſque, donec rugas contraxiſſet in fronte, ita demum poſſe reſpondit, ſi inopia bellum geri non ſinebat; tantum hæc animo fideliter vota celaret, nihil ſe curaturum ſacra-

Digitized by Google

menta, quæ illis hominibus præſtantur, & commodis temporibus ſancte ad hoſtium perniciem uſurum.

Charridotus autem barbam aliquantulum defricuit, & ad Liphippum converſus, Nunquam, inquit, Icoleontem tuam recuperabis, niſi removeris arma. Quid cunctaris furentes ſedare inani pompa promiſſorum, veluti flentibus pueris extorquemus ſilentium illorum oculis ad tabulas aut aulæa ſublatis? Mihi crede, tam rigidi in ferrum, auro facile vincentur, & ſi quinque millia talentum, quæ quotannis inutili prodigis bello, in aureum mutaveris imbrem, facile æneas turres & Acriſii clauſtra novus Jupiter ſuperabis: tu modo potentiores factioſorum illo nimbo obrue, & ipſi tam gratis ictibus verberati, pertinacis populi animos tibi certiſſimis caſſibus includent. Certe ille Nearius, ille flos ducum & tam longi animus belli, veluti ſubducto igne languebit. Marceſcet martii imperium viri inter feroces ſuperba pace cives: &, ſi quid antiqua auctoritas valebit, hanc beneficiis in illum, & occulta ſuſpicionum malignitate corrumpemus. Et ille ſpoliatus exercitu, nudoque latere, quod in bellis juventus magnifica ſtipabat, malet credo piſcatorios faſtus pati, quam vel tecum vel cum Labetro vigere, provinciis aliquot pręfectus, niſi gloriam contemnit, aut non eſt magnificum, inſtar Theſſalicæ haſtæ veſtrum imperium, quod toties quaſſavit, glorioſa mutatione firmare. Interim fœderati bona pacis adorabunt, pæne ſeculo ignota: & ad novam quietem ſopiti connivebunt. Nam ut calidis vulneribus ſenſus abeſt, & nondum peracto per animum dolore recentes calamitates obſtupeſcunt: ita illi furente bellorum impetu non ſentiunt, quam ſit miſerum ſemper cum armatis vivere, & frigente per otium dolore lentius ad priſtina incommoda iracundiam concitabunt. Externi interim reges, quorum opibus nituntur invicti, etiam ad auxilium tardiores hoc ſolicita mente revolvent, juventute exhauriri provincias, & ærarium plus quam fugato Metello ſpoliari. Forſitan poſt tot imperii damna, fœderatos iterum inſperata

pace

Digitized by Google

pace nobiſcum coituros. Præterea, qui jam in faſciculum, conjurant, domeſticis diſcordiis incenſi ſtatim hæc vincula reſolvent, quibus hodie tuas divitias fatigant. Trade modo inteſtina arma, & ab externo hoſte vacuos civilibus diſcordiis relinque. Quis neſcit, tot reſpublicas fore, quot civitates hodie vigent? Videbis provincias collidi, dum novo imperio caput quærent: & provinciæ urbium motibus labaſcent. Majora inter illos odia, quam nobiſcum naſcentur, & diſſipatæ provinciarum vires tibi nudum latus oſtendent.

Hæc ſubtiliter declamante Charridoto, jam cervicibus Liphippus annuebat, cunctiſque acclamantibus in hunc modum Senatus conſultum ipſe conſcripſit: Sibi pietatem placere, & ſecura ad cœlos vota, quæ nulla cogitatio belli deducat. Itaque cum hoſtibus fœdus ſanciendum eſſe, quod opportunis rebus ſemper, propitio Iove, dirimere poſſit. Chorus ex Melandriis fuit, antiqua carmina de Luſitani regis funere ſuperbiſſimo recitantibus ſono.

Succeſſerunt pręcipui ex Icoleonte, qui in actu quarto quęrebant, quo compendio rempublicam adminiſtrarent. Jam remittenti frigori ſucceſſerat belli tempus. Protagon aſſuetam penſionem mittebat, quam illi ærario claudebant, diſſimulabantque animum pacis, ſi à Melandriis ſolicitarentur ad fœdus. Nec multo poſt homines à Labetro veniebant cum oliva. Illi inducias, & mox pacem, incredibili conditione, ferebant. Libertatis & Reipublicæ ſplendida nomina ingerebantur ad faſtum. Nihil erat mitius Melandriis, & ubi naturam exuiſſent, fœderatorum turba tacita reputatione volvebat. Mox tot promiſſis onerati, quamquam plena aberat fides, ſic inter ſe loquebantur. Quid deinde aut Liphippus, aut Labetrus, ulla juris imagine fingunt? Non tantum nos in libertatem relinquunt, ſed ut cum olim liberis diſceptantes, belli, quod hactenus geſſerunt, juſtitiam ipſi proſcribunt. Quis regum iterum à Melandriis violatos non fovebit? ſi jam non rebelles ad juſtum imperium, ſed æmulos ad deſtinata ſupplicia vocabunt? Quid denique vo-

ſumus. aut quid ultra expectamus? jacent pæne ſupplices Melandrii; & quod quadraginta annorum bello negaverunt, ſpontanea benignitate promittunt. Res noſtræ aliis fundamentis nituntur quam Liphippi. Ille ingentibus fruitur terris, & imperia per orbem diſſipata exercet. Nos Theſſaranacti & Protagonis viribus regnamus, & ſi qua illos mutatio rerum avertet, Melandrii, quos dubitamus accipere ſocios, forſitan implacabili ferocia regnabunt.

Tum Nearium rogabant, ut & ipſe quid ſentiret expromere vellet. Ille non multum à pace abhorrentia loquebatur, credo ne inclinatis animis videretur plus ſuæ dignitati, quam Reipublicæ tribuiſſe. Qui poſt actum cecinerunt pueri ex Lugduno, probabant, neſcio quibus carminibus, neque Romuli urbem, neque Adriaci ponti paludes, cum nova re Icoleontis poſſe conferri.

Poſtrema pars Tragœdiæ hæc erat: ſanciebatur fœdus utrinque, & Charridoti vaticinia ſe funeſta veritate approbabant. Icoleontis urbes inaſſueto otio ſuperbæ inter ſe de imperio certabant, & Melandrii, velut in Protagonem armati, ſeſe effundebant in Icoleontis campos. Vidiſſes inopinis cladibus attonitos ſtupere, & invocato Teſſaranacto aperire urbes ſuas. Abdicabatur Reipublicæ nomen, & Teſſaranactorum adorabant. In altera parte ſæviebat in Labetrum Protagonis miles, & ille Labetri hereditatem, Teſſaranactus Rempublicam occupabat.

O Pax benignum Numen, atque Saturni
Hac prole melior nata qua quatit fulmen,
O mentis atque corporis bonum duplex,
Dic ô benigna diva, quas colis ſedes?
Hic te ſub ortu quærit, hic ſub occaſu:
Hic te ſub altis montibus putat merſam
Scrutator auri, teque cum ſuis credit
Emiſſe dapibus alter. Hic parat fundos,
Hic dignitates, hic libidinem demens
Explorat, atque conſulit, nec hic pacem,

Nec

Digitized by Google

Nec ille demens invenit. Quibus tandem
Nulli repertum ſedibus tegis Numen?
Paci loquebar. Paxque blanda reſpondit.
Tranquillitatem quiſquis auream quæris,
Sedeſque noſtras, quolibet loco tandem,
Modoque, blandas ſive per voluptates,
Seu per metalli fulgidum jubar quæris,
Sive in cadente Sole ſive naſcente,
Seu per feroces ſyrtibus vagis undas;
Ignoſce facilis. Quolibet loco haud poſſum
Ego inveniri, quo tibi tuam ſuades
Pacem latere. Sed tamen feram unquam,
Si quem inter omnes ſic videbo ineptire,
Ut me eſſe in iſto Belgii putet mimo.

Subſecutus eſt populi plauſus, qui dum poëtam effuſiſſi- 21
ma gratulatione commendat, ego factis ad Venerem votis, ſic in aurem Anemonis conjugi dixi: O ſi mihi non atrocius bellum Fortuna paraſſet, quam felix miles virilibus armis certarem! nunc ipſa deſperatione turbatus, etiam ante prælium ſpem victoriæ timidiſſima mente damnavi. Illa, intelligenti ſimilis, hæſit; ſicut, ſe percipere mentem meam, ſola oratione negaret. Sed ut ad illius pervenimus domum, &, Anemone ad Protagonem profecto, ædes vacuæ libertatem colloquiorum fecerunt; Ignoſcite Numina, & tu potiſſimum caſtiſſima Juno, hoc unum eſt, quod meæ probitati labem imponat. Præmium & voluptas corruperant meam innocentiam, jam pæne morum conſtantia ſuperbiam. Ignoſcite ſancti Cenſores, & vos forſitan ſub iiſdem legibus peccaſſetis; non difficili arte expugnavi volentem, & me amore pulcherrimo ad ſatietatem explevi. Nec amplius de paupertate cogitabam, ſed jam velut Doromiſi victor, indignabar, ſupplicaſſe Fortunæ, cum liberalis Matrona aſſiduis muneribus mutuam voluptatem cumularet.

Cæterum, ut virilis ardor provocata conſuetudine languebat, ipſa flagitii turpitudo, neſcio quo mihi odio me ipſum com-

committebat. Super omnia mulieris cupiditas interdum me in indignationem rapiebat; & hæc ſæpe in hortis ſolitarius proclamabam: Ergo me potuit amare? ergo fidere hoſpiti novo? & cum conjugem valentiſſimum haberet, fœdare matrimonium mixtura alieni ſanguinis, quem nulla familiaritas aut convictus, ſed ſola libido pretioſiſſimum fecit? [1] O inanem Lycurgi fiduciam: & Solonis juſtiſſimos metus! Quid deinde expectabo, niſi ab Anemone contumeliam, aut ab adultera mortem? Nihil eſt facinus illi, quæ pudorem prodegit, & majore crimine famam, quam voluptatem redimet. Satis paruiſti corpori, redde te in diſciplinam virtuti, Euphormio; nondum peccandi conſuetudine ſecurus es; & adhuc ad criminis nomen horreſcis. Quid aliud antiquitas monebat, quæ convivis ſurgentibus partem cænulæ relinquebat in menſa, niſi ludis humanis ſic utendum, ut ab iis recedamus, ut nondum conſumpta voluptate.

Hæc & ſimilia ſæpe jactabam; ſed fortioribus conſiliis obſtabat conſuetudo pulcherrimæ mulieris, & cum inſania vires otio epuliſque redeuntes. Interim Protagon ad ruſticas exiverat domos, & cum Protagone Anemon. Ego cum Theophraſto interdum, ſæpiſſime in Anemonis domo diſſimulata familiaritate verſabar. Sed dum hæc inter amantes ſcena luditur, & videtur Hymen removiſſe à flagitio vultum: forte quidam è familiaribus in ejuſmodi ſceleribus doctus, cœpit matrisfamilias in me benevolentiam habere ſuſpectam. Nec jam ſatis communi ſecreto fidebam. Nam mulier, incenſa libidine, ſæpe ſecretas blanditias nimis licenter proferebat. Forte ad conſtitutum paulo ante veſperam

1 *O inanem Lycurgi fiduciam: & Solonis juſtiſſimos metus!*] Primus fuit Legiſlator Lacedæmoniorum qui Eunomo fratri in regnum ſucceſſit. Is ignarus Eunomum gravidam uxorem reliquiſſe; rem ubi primum agnovit, poſito Regis nomine, Prodici hoc eſt tutoris nomen accepit, Regi Charilao fratris filio jam adulto regnum reſtituit. Leges conſcripſit, & ea cum fiducia obſervari voluit, quod audiret à Pythia Delphos profectus leges ſuas Phœbo probari, deique potius quam hominis eſſe inventum. Alter Solon dictus unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus leges Athenienſibus dedit. Is Draconem Tyrannum fugiens in Ægyptum, deinde in Cyprum, poſtremo ad Crœſum ſeceſſit.

Digitized by Google

ram veniebam, cum ille me ſuſpectus circumſpector deduxit in hortum, & poſt ſermonum ambages malo cavere juſſit, & ab Anemonis limine abſtinere. Nec Anemonem de uxore dubitare, [1] ſed eſſe poſt Cæſarem multos, quos in conjuge fama moveret, ſed ſi perſeverarem inſana cupiditate eſſe, ſcirem paratos percuſſores, qui meam audaciam finirent. Ego rationibus & audacia deſtitutus, nihil niſi velato capite effugi. [2] Putares Vere Sacro prognatum, & è finibus gentis expelli.

Inter omnia præcipue timebam, ne me tam gravi injuria amicum & familiarem læſiſſe divulgaretur. Cæterum, cum diverſa argumenta expendiſſem, quibus me à præſenti calamitate vindicarem, & altior conſiliis clades omnem ſpem obruiſſet, tandem humano more ad majorem vim ſuſpexi, Numenque ſuperſtitioſo timore veneratus ſum. Habebam in propinquo antiquiſſimum fanum, &, quod præſentem mœrorem dulciſſime alebat, ſubobſcuris feneſtris, ac forte ſolitudine horrens. Igitur in eum locum me conjeci, lachrymiſque, ut putabam, pietate fluentibus, ſignificavi Numini calamitatem meam. Iam hoc ipſum mihi ſolatio erat, quod ad eum confugiſſem, qui mederi vulneri poſſet. Tum deteſtari cœpi humanitatis mala, quam caducarum rerum corrumperet amor, nihilque jam mihi placebat, quod non eſſet cum æternitate conjunctum. Ibi, conſumpto impetu lachry-

1 *Sed eſſe poſt Cæſarem multos, quos in conjuge fama moveret.*] Ajunt juſtam Cæſari fuiſſe cauſam, cur Pompeja uxor ejus in ſuſpicione venerit adulterii. quod qui ignoraverit legat Orationes Ciceronis pro Cœlio, pro Milone, pro Sextio, &c. advertet enim qua ratione Pompeja in ſacris Bonæ Deæ in ipſis ſacris pulvinaribus à Publio Clodio in habitu mulieris ementitæ infamata fuerit; qua de re uterque in ſenatum delatus eſt: voluntque idcirco Pompejam à Cæſare repudiatam.

2 *Putares Vere Sacro prognatum, & è finibus gentis expelli.*] Ubi Lex illa, & unde, & quam ob rem, vix mihi hactenus, etiam poſt libros evolutos notum fuit. Tamen reperi apud Alexandrum Neapolitanum conſtitutum fuiſſe annos quoſdam antiquitus quorum vernum tempus ſacrum eſſet tum Jovi tum Fauno, quo tempore tenerentur antiqui primogenitos ſive hominum ſive belluarum mactare; Ita tamen ut naſcentes hominum primogeniti non mactarent quidem pontifices aut ſacerdotes, ſed eos velato capite dimitterent: quod ſi factum eſſet inconſulto ſenatu, aut inconſultis pontificibus, dicebatur inconſulta pollicitatio:

1 *Et*

Digitized by Google

lachrymarum, veluti firmiſſimo decreto mecum ſanxi dedere me in Philoſophorum diſciplinam quos olim cum Anemone amaveram.

Sed ipſa diverſitas ſcholarum non unis inſtitutis in eandem nitentium viam, meam pietatem aliquandiu confudit. At cum in hac jactatione mentis poſuiſſem aliquot dies, & pietatis interim ſenſus per inopiam & miſerias augeretur, forte accidit, ut in Acignii domo agerentur literarum conventus, propoſitis tabellis, quarum pictura in diverſos ſenſus trahitur, & omnibus doctis materiam ad diſſerendum miniſtrat. Pace tua, Sanctitas, dixerim, paululum omiſi memoriam tui, & Veteres ſtimuli gloriæ jacentis animi languorem excitaverint. Volui in eruditorum cœtum prodire, & extemporanea eloquentia meum ingenium publicæ famæ committere.

22 Igitur ut ad æris ſonum convenimus, ſedimuſque, nos quidem in humilioribus locis, Acignius autem, & cum eo optimates, ſedilibus ad diei magnificentiam extructis, adoleſcens qui tabellam proponebat, in ſuggeſtum ſublatus eſt, pulcher, concinnus, & imperata modeſtia gravis: nec longe tabula ex pariete pendebat, quam ut exponere vellemus, porrecto in publicum radio, invitabat. Neque ego ulterius cunctatus ſum, ſublatuſque in pedes, & vertice humaniſſime aperto, me orationi aptabam, cum ex alia parte quidam ex Acignii domeſticis ad idem officium exſurrexit: vir exiguis & valentibus membris, orbiculari vultu, niger, nomine Brutus. Ego vero indignabar, ſi Acignii ſervus, ſi repudiatis honoribus pauper, & certe illis locis familiaris, mihi externo præponeretur, cujus ſaltem dignitas ignorabatur: nihilominus cum moneret revereri ſanctitatem, clam admiratus inſolentiam morum & diſſimulata iracundia ceſſi.

Erat autem tabulæ facies, quæ ad diſſerendum proponebatur, ejuſmodi. Matrona verecundiſſimi vultus in medio ſtabat, purpureo amiculo inſignis, quod virides radii pulcher-

Digitized by Google

cherrime diſtinguebant: ipſa triſtis, ſolicitoque ore, & prope expreſſis in tabella gemitibus, querebatur. Ab utroque latere ingens turba, oculis quidem in unam matronam defixis, cæterum longe diverſis affectibus, ut videbatur, animata. Qui enim à dextra pingebantur, ii ſupplicum vultu mulierem adorabant, & illa velut repudiatis honoribus in lævam inclinaverat lumen, ad quam ſtabant contumaces imagines, tanquam populi aliquid mulieri exprobrantis.[1] Et hic quidem intentabat improbum recluſæ digitum dextræ, ille riſu contraxerat vultum, alius aſpernantis fronte, & ſuperbo ſæviebat faſtidio: plurimi autem, veluti loquerentur, mulieri fractos faſces, & ſordidam laurum, ſolium præterea everſum, ſceptrique reliquias, contumelioſa indignatione monſtrabant.

Et hæc ſane plurimum in pictura eminebant. Nam cætera, ut in matronæ humero corvus, ut ad pedes plumis deſpoliata luſcinia, ſpiſſæ nubes in imaginis cœlo, prima curioſitas luſtrantis tabulam omittebat. Igitur compoſitis omnium oculis auribuſque, Acignii miniſter in hunc propemodum cœpit.

Juriſprudentiæ ſtudium, quod quidam ſcientiam appellant, nulla eloquentia oratoris ingenioſius depingeret, quam in hac muta imaginis eruditione deſcribitur. Hanc artem tot voluminibus diffuſam, tot (miſerum!) excultam ingeniis, iſtius matronæ ſpecies ſuſtinet. Veſtis purpura inſignis, regii memoriam faſtigii, unde originem habuit, contumaci majeſtate conſervat. Niſi credimus terribiles pœnas, legumque capitalium furorem, ſanguinis notas in pallam tranſtuliſſe, quæ quidem intermixta viriditate temperata, quid aliud oſtendit, quam humanitatem Pontificum, qui mitia imperia legeſque ſine ultimis terroribus exercent?

Qui autem à dextera collocantur, devoti ac ſupplices, illi

1 *Et hic quidem intentabat improbum recluſæ digitum dextræ.*] Id eſt, quidam erigebat digitum infamem. De digito infami vel improbo & flagitioſo vide quæ diximus libro primo.

1 *Quam*

illi ſunt, qui hanc artem, ſi diis placet, omnibus ſtudiis rebuſque præpoſuerunt: quos nec Philoſophiæ ſublimitas ad ſydera evocavit, nec ad rationis conſultiſſimum iter, non mitiorum diſciplinarum humanitas permulſit, aut divinæ lectionis ſublimitas, ſed velut occluſis oculis ad hoc ſtudium, parentum communis inſania coëgit. Vides ſolutiſſimos vultus, & niſi quod hanc unicam adorant, laſcivia & jurgiis contumaces, vides laceras in imaginibus veſtes, quas luxuria & nocturnis graſſationibus corrumpunt. Quis enim his ſeculis turbo Academiarum pacem fœdius excuſſit, quis verius literarum ſtudia infamavit, quam hujuſmodi adoleſcentum petulantia? dum excuſſis pueritiæ frænis ad hanc juris licentiam proterva ſuperbia properant; dum ſoluti ſcholaſticorum metu, primi impetus lætitiam non regunt, novamque, & adhuc inexpertam libertatem, in criminibus probant. Sed acrius incuſare non auſim, dies atque noctes per ludum exigi, cum videri pulchrius poſſit otium cum voluptate colere,[a] quam multiplicem hydram & inania hujus artis nugamenta conſectari. Quid enim laborioſius illa arte, quam in compendium redigere putavit, qui ejus licentiam intra quinquaginta libros coëgit? vel quid incertius quam illud quod libido diſpoſuit mortalium, quorum animos nec unum ſeculum nec eadem opinio conjunxit? nam quid deinde ineptius quam tot juriſconſultorum mentes una caſſe concludere velle, & mortuorum diſſidia vana pace extinguere, quam deinde velut divinis oraculis inſiſtere illorum verbulis, percunctari, pugnare, tot voluminibus rem diffundere, ut nec maria prodigioſam ſeriem librorum, diſtinctis per ventum fluctibus, exæquent?

Omitto vanitatem quæſtionum, quibus ipſi ingratiſſimis laboribus torquentur. Sed illos audio jam in partes eſſe diviſos,

a *Quam multiplicem hydram, & inania hujus artis nugamenta conſectari.*] Invehitur acerrimè in eos qui Juriſprudentiæ dant operam in illa adhuc novitii, & imperiti, qui liberi à ferula magiſtri vitium conſectantur, & voluptatem. Porro non ſine ratione ars iſta hydra vocatur ut quæ multiplici ambage ingenia torqueat; quippe quod de ea innumeri extent libri.

viſos, dum dubitant, an ſedibus, an pedibus Ulpianus in poſſeſſionis notatione ſcripſerit: cur idem latiſſimam jus dicentis poteſtatem, non vero longiſſimam appellarit: [1] num ſpadones à ſpata dicti ſint,[2] & Ælius Sentius Rex Romanorum fuerit, qui legem Æliam Sentiam promulgavit.

Tot maculæ per incultum aſperumque corpus Juriſprudentiæ diffuſæ, quæ utcunque rudibus majorum ſeculis inter æqualem omnium barbariem latebant, nunc politioribus detectæ ingeniis, utinam tanto pudore clientes confunderent, quantum ipſa in hac imagine lachrymabili vultu & adorationem averſante confitetur. Hæc autem hominum turba, quæ contumaci manu, &, ſi poſſet, verborum petulantia mulieris luctum crudeliter auget, illorum eſt, quos antehac antiquitas nominis & ipſius Juſtitiæ amor decepit. Nunc vero poſteaquam ex Juriſprudentię vultu meliorum diſciplinarum liquor fucum diluit, amiſſos moleſtiſſimè annos laboremque inutilem ſeveriſſima exprobratione repoſcunt.

Marcida vero laurus, & effuſi ſolii lacerata majeſtas, quid aliud, quam hujus artis caſum ſolerti deſcriptione prómulgant? Quid in humero corvus, niſi importuni ominis ſpecies atra, & barbararum vocum effigies pæne auribus gravis? Quid Luſcinia, quæ cum plumis vitam & Muſicam projecit, niſi ut omnem Juriſprudentiæ eloquentiam ſuo fato functam eſſe ſciamus? Nam illæ nubes, quæ ſupremum tabellæ limitem obſcurant, jamjam candidos priſcæ Juriſprudentiæ ſoles abſcondunt.

Dum hæc Acignii miniſter in divinam ſcientiam ſacrilego furore profundit, notavi, Acigniorum vultus, neſcio qua lætitia nec occulte diffuſos, nutibuſque invicem crebris, perorantis inſaniam collaudare. Ego vero maledicto-rum

1 *Num ſpadones à ſpata dicti ſint.*] Unde forte Galli *un Eſpadon* enſis latiſſimus perindo atque longiſſimus. Spado tamen eſt Eunuchus à verbo Græco *σπάω*.

2 *Et Ælius Sentius Rex Romanorum fuerit, qui legem Æliam Sentiam promulgavit.*] Quæ fuerit iſta lex diſce à Roſino pag. 831. Porro conſtat Ælium Sentium non numerari inter Reges Romanorum.

rum impatiens quæ nec occulte in juſtitiam ingerebantur, vix creberrimo anhelitu luctantem iracundiam in præcordiis repreſſi. Sed ut ille peroravit, ſecutuſque ſociorum plauſus eum in ſydera levavit, ego tam indigna percitus laude, etiam vehementius exarſi. Nec diutius paſſus ſum triumphare inſaniam verborum, intentuſque in vindictam, forti aſperaque voce interrupi clamitantium ſuſurros, & ſilentio reddito, cum omnes me intuerentur, ejuſmodi verbis dolorem meum exoneravi.

23 Quod in Rerumpublicarum partibus ambitio & invidia nocent, hoc eædem peſtes in literarum imperio tentant, maledictis & calumnia, quæ hodie pro telis clypeiſque eruditorum furori, & inermi diſcordiæ, miniſtrant. Neque antea putaveram in jus ipſas ſcientias vocari, Gigantumque audaciam reſpicere in cœlum, ſed credebam ſalvo numine dearum Antiſtites humanis inimicitiis collidi. [1] Nunc vero cum novi Diomedis acumine, non Æneæ mater, aut inimici dii, ſed Argolica Pallas, & ipſa Delphorum Themis jaceant, quid tutius quam à ſcholis ad barbaros exire, dum in ejuſmodi ſacrilegium provocata fulmina erumpunt, aut publicæ noxæ diis deditur qui inſolentiſſime peccavit? O quiſquis es mortalium, qui modo Juriſprudentiam provocaſti (neque enim te novi, niſi quo nomine te odiſſe fas eſt) quæ te Deorum clementia in hanc audaciam excitavit, ut fœdiſſime de illorum alumna cogitares, & os tuum duraret in tam impias voces? an, quoniam perfidia, & furor, & impium nefas, expugnatam juſtitiam tranſmiſere ſyderibus, in abſentis Deæ filiam tam audax latro involaviſti?

Cum

1 *Nunc vero cum novi Diomedis acumine, non Æneæ mater, aut inimici dii, ſed Argolica Pallas, & ipſa Delphorum Themis jaceant.*] Hoc eſt, cum novi hominis arte ſcientiæ omnes jaceant, & in ſquallore ſint. Alludit ſcilicet ad illud Homericæ Iliadis ubi inducitur à Poëta Æneas in Diomedem decertans, ipſaque Venus Æneæ ſuppoſita & læſa in manu ab æmulo Diomede. Sed Pallas quæ & Minerva pro ſcientia ſumitur metonymicôs, Themis autem pro juriſprudentia: Themis vero Delphis colebatur. Lege Ovidii Metamorphoſeos librum primum.

1 *Subiit*

Cum hæc dicerem, interim univerſam concionem inexpectatiſſima querela turbaverat. Suſpenſi invicem, quis aut unde eſſem, & ipſi pavidiſſima voce quærebant. Nec aliquis incuſabat, ſed veluti Deorum miniſtrum & ultorem parricidii reverebantur. Quem enim alium in Acignii familiam dicturum, aut quem in ea domo daturum Juriſprudentiæ manum? Ego vero aliquandiu ſpiritum revocavi æſtu & iracundia fugientem. Ac dum omnes uno ſtupore meam violentiam mirantur, [1] ſubiit animo fabula tot ſeculis & vatibus inclyta, cum Amphiaraus per hiantis ſoli labem excipitur, & umbrarum imperium ac ſilentis prodigia mundi, vivo corpore, & lauri nondum expirantibus ramis, exterret. Cæterum ne concio mutatis animis in novos affectus ſolveretur, aut recentis indignatio facinoris, quæ mihi eloquentiam tanquam tela ſuggerebat, ſterili frigore inareſceret: cœpi acrius incuſare flagitium, ſimulque hortari Juriſprudentiæ hoſtem, ne deos ultores expectaret, ſed voluntariis pœnis ſæviora ſupplicia deprecaretur. Quamdiu, inquam, in homines atrocibus contumeliis deſæviiſti, cum adoleſcentes, qui Juriſprudentiæ præceptis animos informant, ſcurras, turbineſque appellabas, utcunque patiebar te in communi argumento ferociter regnare. Illud tamen me gravius movit, quod videbaris in iſtam ſcientiam, omnium malorum culpam convertere, quaſi corruptrix adoleſcentiæ fluenti luxuria tam lubricam ætatem proſterneret. Cum tamen hæc ruina juventutis, tot lachrymæ ſenum, parentumque miſerabiles exitus, primis ſcholis, ubi ſternuntur fundamenta literarum, omnem calamitatem imputent. Veſtras ſcholas dico, quæ ſeveris legibus & pæne ſylveſtribus edictis exurgentes puerorum animos caſtigant, nec

1 *Subiit animo fabula cum Amphiaraus, &c.*] Iſte una cum curru terra abſorptus eſt hoc modo: Cum duces qui Polinicem ſecuti ſunt, convivium agerent, Aquila deſcendens telum Amphiarai in ſublime tulit, moxque demiſit; quod fixum humi, in laurum eſt verſum: in quo loco cum poſtridie dimicaret, ibidem una cum curru abſorptus eſt. Ibi conditum eſt oppidum quod vocatur *Harma*, id eſt currus. Ita Plutarchus in paral.

Digitized by Google

nec ab infantiæ ſervitute ſenſim ad virilem libertatem deducunt, ſed tanquam ſemper in ea diſciplina duraturi eſſent, ſubhorridas leges præſcribunt, & ut infernæ artis myſtæ velut circulum deſignant, ultra quem prodire certo interitus ſupplicio vetant.

Nulla interim civilis vitæ cura, nulla morum cuſtodia ad conſortia conſuetudinis humanæ. Plerumque laceræ veſtes & ſtantes annuis ſordibus capilli, illarum diſciplinarum ignaviam condemnant. Interim pueri in illis artibus enutriti plerumque ad laſciviam ſuſpirant, & ſi mihi creditis, de voluptatibus melius judicant, quoniam in earum exilium tot ſanctionibus opus eſt. Nihil flammam fidelius nutrit, quam favillæ frigida moles, nec Sirenes auribus melius imponunt quam cum prima ſuavitate inexpertas demulcent. Sic adoleſcentiæ cupiditates, quæ velut ſuppreſſo aëre ardentius inter tam cruda imperia vixerunt, poſteaquam ab illis clauſtris in libertatem altioris diſciplinæ, id eſt, Iuriſprudentiæ, ſucceſſere, inſolentius plerumque efferveſcunt, & primis illecebris voluptatum, velut inauditis Sirenibus, non ſatis fortiter repugnant.

Sed hanc accuſationem prætermitto; vellet enim Iuriſprudentia cuilibet, vel per aliquam ignominiam, debere ſanitatem ſuorum. Quis autem patiatur te illi Nymphæ, urbium præſidi, te pacis & armorum dominæ, Scientiæ nomen, aut ſi quid eſt præſtantius inter literarum titulos, tam contumaci latrocinio detraxiſſe? ſcilicet nugamenta Philoſophiæ ſomniantis, & veſtrarum ſectarum barbaries, illam dignitatem ſuis domiciliis præfiget: hæc autem hominum ac pæne deorum domina, templorum foribus ignobiles titulos & vulgi inſignia imponet!

Ac quam illud aſtute diſſeruiſti, opinionem hominum, quæ ad libidinem pro ingeniis mutatur, dubitantium non cogere mentes, nec unica veritate invitis oculis illabi, id eſt, ſcientiam non eſſe; Illa Juriſprudentiam conſtare, quæ proinde tam levi fundamento nihil niſi inanibus auris, & veluti

veluti ludibriis ventorum, implicata cultorum ſtudia deludat. Piget reſpondere maledictis criminationis adeo ineptæ. Quis neſcit tot Juriſconſultorum rixas, tot interpretum bella, & mancipia jam non cedentia urbi, veluti frondes eſſe atque ramos lentiores, quæ ab ipſius Scientiæ, id eſt, veræ ſinceræque Juriſprudentiæ, trunco luxuriant? Ipſa vero, quæ firmis radicibus arbor nullis opinionibus mutatur, ſed conſtantiæ laude inter ſcientiarum præcipuas exurgit, illa ferme continet, quæ Juſtitiæ præcepta appellamus, quæ compoſiti regulas juris, cæteraque quæ naſcentibus Natura de externa vi, aut de domeſtica continentia, & naturæ aſſertor magiſtratus, præſcripſit. Ex hoc trunco illiſque radicibus alia virgultorum inſtar uberrimus ſuccus diffudit. Hoc vero cui Philoſophiæ parti non contigit, quæ tot quæſtionibus, tamque variantibus animis omnium temporum ſcholaſticos commiſit. [1] Quis Logicam miniſtram rationis, ſyduſque mentium, à ſcientiarum ordine triſtis cenſor amoveat, tamen & *de entibus rationis* (ita enim uſus appellavit) diſputat, & *de Univerſalium natura* litigat, & necdum deliberavit, an concluſionem Syllogiſmi partibus annumeret. Quæ controverſia magis veſtras exercuit ſcholas, quam dum Phyſici *de materia prima, de cauſalitatibus, de Alchymia*, diverſiſſima mente contendunt? aut dum ſcientia morum felicitatem ſuam nunc in amœniſſimo viſu, nunc in amoris ſuavitate diſponit? Sed quoniam tantum illa ſunt velut incrementa ſolidi corporis, ideo nec Philoſophiæ nomen ex ſcientiarum albo delevimus. Minus peccaviſſes, ſi inviolato numine Iuriſprudentiæ, tantum ejus myſtas accuſaviſſes, qui ſeveri Sacerdotii ornamentum maculant indignitate juventu-

1 *Quis Logicam miniſtram rationis, &c.*] Hic diſputat utrum Juriſprudentia, cujus tamen præcepta pro bono civili in praxim reducuntur; Imo utrum Logica, ubi diſputatur; utrum fieri poſſit *ens rationis* non ab homine ſolum, ſed etiam à *Deo*. Et utrum detur Univerſale à parte rei: Demum an Phyſica ubi agitur de Materia prima, de quatuor Cauſis, ſed & de Alchimia, ſint artes vel ſcientiæ. Sed adhuc ſub Judice lis eſt. Porro non dubium quin concluſio ſit pars ſyllogiſmi, qui dicitur ab Ariſt. Ratiocinatio perfecta conſtans duabus præmiſſis & concluſione.

ventutis, quam acerbiſſima eruditione in ſuos gradus adoptant.

Cum in tanta iracundia ferocius inſtarem, conſurgit Acignius indignatione pleniſſimus, & ulterius querentem animoſe perturbat. Negat apud ſe forum eſſe, ubi declamarem ad faſtum, & invidiam hoſtibus facerem. Si quid haberem ad expoſitam imaginem, expedirem protinus ſenſum. Cæterum ſi in maledicta iterum erupiſſem, ſenſurum me & ubi deliquiſſem, & quam grave ſupplicium veſanæ temeritati deberetur. Ego vero ejuſmodi minis verberatus, tum demum illum Acignium eſſe, me autem Euphormionem, verecundiſſime memini: [1] & meæ eloquentiæ fons, modo tam vivida majeſtate decurrens, velut injecta frigidi Mercurii levitate, ſeſe per oscultos meatus huc & illuc timidiſſime ſubduxit. Rediit animo Baſiliana calamitas, & quantum Acignium ibi meis vulneribus ſenſiſſem. Sed nec amplius Callionis potentia utebar, & omnino metuebam, ne in antiquam notitiam frontis meæ argumento perveniret.

Igitur veluti ſublatis odiis, facta tranquillitate detumui, & facio, inquam, inducias cum illo, nec ſerenitatem diei litigioſa oratione perturbo. Sed quam ipſe Juriſprudentiam putavit, matronam in Tyria veſte, quam læta viriditas permiſcet, hanc ego pro omnium ſcientiarum & literarum imagine accepi. Scientia, inquam, eſt illa mulier, quæ in hac tabellæ pictura deſcribitur. Oſtro quidem eoque puriſſimo inſignis, cum olim in regiis habitaret, non tantum principum alumna, ſed rectrix ac magiſtra, vitam & leges imperantibus dictaret. Illa tempeſtate, nec divinam Poëſim, nec arcanam Philoſophiam, in tuguriis vidiſſes, niſi quod eruditorum pertinacia inter-

1 *Et Eloquentiæ meæ fons velut injecta frigidi Mercurii levitate, ſeſe per occultos meatus ſubduxit.*] Allegoria haud inelegans, qua Eloquentiæ fontem cum Mercurio ſive argento vivo, quo nihil levius, comparat. Ajunt autem injectum in fontem miſcere ſenſim fontem, & aquam per occultos meatus diſſipari.

1 *Quid*

interdum benevolentiam Principum in ſecura paupertate contemnebat. Ipſi reges non minus ambitioſe eruditionem, quam poteſtatem vindicabant, & qui triginta legionibus imperavit, paulo ſuperbius Philoſophiam quam ſigna purpuramque jactavit. [1] Quid ille Aſiæ domitor, qui melius Achillis victorias, quam ſuas recenſebat, qui dum ultimas terras nobiliſſimis triumphis aperiret, Ariſtotelis Phyſicam avara eruditionis ambitione poſteris invidit. [2] Syracuſanus autem ille, quem Corinthus è Tyranno civem fecit, quam ſcientiam habuerat principatus ornamentum, eam deinde calamitatis ſolatium ſolam ex tot opibus è Sicilia abſtulit. [3] Quid illi, qui aſſidue cum Ennio, cum Terentio ſcripſere? [4] Quid ille, qui primas eloquentiæ Ciceroni invidit, ipſe ſolus in Orbe Romano Imperator? Et ne ſingulas regiones perſcrutando [5] etiam Ægyptiorum Perſarumque Philoſophiam

1 *Quid ille Aſiæ domitor, qui melius Achillis victorias quam ſuas recenſebat.*] Quintus Curtius docet Alexandrum Macedonem ſolitum eſſe ſecum deferre Homeri Iliadem, cujus Heros ipſe eſt Achilles, & eam ſub capite una cum ſuo gladio per noctem habere; tanta capiebatur voluptate in pervolvendis Herois hujus, Achillem dico, egregiè factis: Ille ipſe inquam Alexander qui nominis ſui armorumque ſuorum terrore, & admiratione totum orbem impleverat, conatus eſt phyſica Ariſtotelis poſteriorum oculis ſubſtrahere, avara ut ait, eruditione, ut audiret ſcilicet omnium eruditiſſimus.

2 *Syracuſanus autem ille quem Corinthus ex Tyranno civem fecit.*] Dionyſium ſenioris filium intelligit, hominem omnino homine id eſt omni humanitatis nota deſtitutum. Is patria expulſus, Corinthum ſe recepit exul, & omni re familiari deſtitutus, ludimagiſtri munere functus eſt in trivio pueros docens: non enim erat ineruditus, utpote qui Platonis auditor fuerat; Ita Trogus. Interogatus quid illi prodeſſet philoſophia Platonis, ut feram æquo animo fortunæ mutabilitatem retulit.

3 *Quid illi qui aſſidue cum Ennio & Terentio ſcripſere.*] Quis cum Terentio niſi Lælius & Scipio, quod quidem illi ſæpe objectum? Quis cum Ennio niſi Cato major? Is eſt Ennius de cujus ſcriptis ait P. Virgilius ſe aurum ex ſtercore collegiſſe.

4 *Quid ille, qui primas eloquentiæ Ciceroni invidit, ipſe ſolus in Orbe Romano Imperator?*] C. Julium Cæſarem notat ſolum Imperio Romano dignum; de quo ait Tranquillus quod adhuc adoleſcens in foro perorarit, Dolabellamque repetundarum, & ambitus accuſarit: Demum cum vehementem & facundum Tullium intelligeret; ipſe ſecundarum impatiens quippe qui parem ferre non poſſet dedit ſe militiæ. Teſtantur commentarii Cæſaris, miram ſermonis fœcunditatem, & puritatem, de quibus Cicero ipſe non niſi magnifice loquitur.

5 *Etiam Ægyptiorum Perſarumque philoſophiam in regia & templis, &c.*] Ægyptiorum reges quis neget fuiſſe Philoſophos. Nonne Hermes Ægyptius cognominatus eſt Triſmegiſtus, quod

Digitized by Google

ſophiam in regia & templis, veluti ſimulacra Deorum, inveniam, nulla natio tam barbara aut tam inhumana extitit, cujus Principes eruditionem ſui temporis non aut mirarentur, aut quærerent. Diuque in illo faſtigio ſcientia hæſit, donec eruditorum vitio, ipſa ſuam nobilitatem maculavit, & non ad umbram Philoſophorum, ſed ad viliſſimam noctem receſſit.

Nimirum hodie cum noſtris artibus nugamur, & quæ laudes olim ſcientiam extulerant, contrariis vitiorum maculis miſerrime ſordeſcunt. Nulli quondam elegantius mores examinabant, nulli commodiores humanæ conſuetudini putabantur, quam qui eloquentiæ veterumque temporum memoriæ, aut Poëſi ſtuduerant. Nihil illis comius, nihil ſuavius, antiquorum ætas vidit. Etiam creduntur ſylveſtrium populorum rudes animos primi conciliaſſe inter ſe, inventiſque legibus fundatas reſpublicas gubernaſſe. Inde ipſa humanitas illi ſcientiæ ſuum nomen accommodavit. Nunc vero quid amplius dicam, quam parentes metuere, ne pueri, dum Scholaſticos audiunt, cum literarum commercio morum ſimilitudine imbuantur? ut ineptiæ omnes, & quicquid in inceſſu vel oratione eſt inſulſum, communi proverbio jam conſuetudini Academiarum imputetur. Hinc proſcripta majeſtas literarum, & præcipua utilitas, quam ipſæ in reſpublicas invehebant, miſerabili fato ſublata.

Non tenui equidem riſum, quoties in Academiis declamatores vidi, ſcenicos pueros inſtruere, qua majeſtate imitentur faſtigium Regum, aut matronarum blandiſſimos nutus, militumve iracundiam effingant. O quotquot literarum vindices eſtis, eripite ſqualidas Muſas ex carceribus ſcho-

eſſet Rex, philoſophus, & ſacerdos? Scripta tamen illa quæ ſub ejus nomine prodeunt non illius partus exhibero. Quod ad Perſas attinet, nonne & ipſi Sophi appellati quaſi Philoſophi? Nullus certe niſi Philoſophus in ſolium ſolebat evehi. Magi dicti ſunt olim teſte Tullio, magus quaſi magnus: unde Mantuan.

Ille penes Perſas Magus eſt qui ſydera novit.

Ex illis fuiſſe creditur Zoroaſter, de quo Trogus, & ejus abbreviator Juſtinus. Nota autem ſcientiarum hic fieri panegyrin, & ſuperius & inferius quos dolet jacere in ſitu & ſquallore.

1 Quam

ſcholarum, & in priſtinam libertatem vindicate! Quaſi vero qui olim in literis floruerunt, & quorum hodie ingenia miramur, tam ſtolidis nugis immortalem quæſiverint famam! Olim quidem Poëtæ, celeberrimis conventibus immerſi, vix ſeceſſum inveniebant ad carmen. Ita Maro, ita Flaccus Tibulluſque & Propertius vixerunt, & ille, quem Natura omnium ingeniorum compendium fecit, Naſo. Tunc illuſtribus familiis vates aſſueti erigebant vividas mentes; & inter proceres audiebant quæcunque in civitate vel excitarent ſalibus animos, vel mores recentiſſima venuſtate polirent. Ibi illi quotidie Panegyrim, vel Satyram inveniebant, & omnino laudabantur, qui non ſcribere magis quam vivere noviſſent. Nam quid de Philoſophia dicam? quæ pæne in Regum penetralibus nata eſt, [1] quam in Platone Sicilia adoravit, [2] Stagira autem tam potentem ſenſit, ut illius favore & mœnia recuperaret & cives. [3] Cui potius Archimedes ſuam induſtriam, quam cognato Hieroni accommodavit; aut quem è vulgo ille Deorum & hominum honor [4] Socrates Alcibiadem dilexit? Adeo illa ſcientia, quæ maxime ſecretum ad contemplationem expoſcit, nihil fugiebat præter ruſticum vulgus, & in conſortio magnatum vel erudiebatur vel docebat: nunc autem miſerabilis ſcientia quantum degeneravit à moribus, tantum quoque ex ſermonibus dignitate receſſit; & jam barbara appellatur, quæ effecit ne barbarus orbis eſſet.

Ac

1 *Quam in Platone Sicilia adoravit.*] Supple Philoſophiam. Philoſophus iſte ſectæ Academicæ ex humerorum latitudine ſic dictus, cum antea ex avi nomine Ariſtocles vocaretur: in Siciliam ſæpius navigavit poſtquam Socratem & Pythagoræos audiſſet, & in philoſophia ſub ejus diſciplina uberrimos fructus feciſſet; & ibidem maximam ſibi famam etiam apud Tyrannos conciliavit.

2 *Stagira autem tam forti polluit eloquentia.*] Ut illius ope & virtute de exilio revocaretur in patriam, & jure civitatis donaretur.

3 *Cui potius Archimedes ſuam induſtriam quam cognato Hieroni accommodavit?*] Syracuſanus iſte fuit, & Geometra regnante Hierone tyranno, cui ſæpe operam ſuam navavit, periit iſte ſphæræ vitreæ inventor occiſus à milite, dum formas geometricas deſcriberet radio.

4 *Socrates Alcibiadem dilexit.*] Alcibiades Imperator Athenienſium fuit, qui cum ad luxum, cæteraſque voluptates proclivis eſſet, adulatoribus rejectis tandem à Socrate ad bonas diſciplinas adductus eſt, unde poſtea omni virtutis laude præditus fuit. Plutarc. & Cornel. Nepos in Alcibiade.

Ac ut Philoſophiam ſe in ſuis latebris plangentem relinquamus; quid aliud eſt Hiſtoriam facere, quam rerum geſtarum eventus atque cauſas prudenti explicatione narrare? aut quomodo ſufficient illi muneri, quo poſteris nullum majus tribuimus, homines imperiti rerum civilium, qui neque aſtus ſuorum temporum intelligunt, & ignobili ſtudio ducti, neque pacis neque belli genium noverunt? Nemo pro dignitate Hiſtoriam componet, cujus indoles non ſit apta, ea quoque gerere quæ Hiſtorici deſcribunt. Nunc ſatis eſt ad eam ſcriptionem orationem ineptiſſime terſam cum mendaciis afferre. Quid eſt denique Poëſis, niſi viva deſcriptio affectuum tui ſeculi, quos tantum ex aliorum conſortio cognoſces? Unde polita confeſſio amoris, vel generoſi odii pæne irata deſcriptio; quæ priſci ſeculi Poëtis adhuc hodie vel miſericordiam conciliant, vel favorem. Nunc quicunque poſt inſanam lectionem Poëtarum tumentia verba in ordinem componunt, aut vetuſtatis ignobiles ritus jam olim exulantibus verbis cogunt in verſum, illi utique inter doctos umbratiles ſunt Poëtæ, & illorum vitio quotquot in eam artem nituntur, velut ridiculi homines, iniquiſſima opinione damnantur.

Quis ferat hanc contumeliam Muſarum, in quarum templis multi quidem inſani concipiunt vota, ſed nemo in hunc diem niſi prudentiſſimus, litavit? Nihil loquor de Iuriſprudentia, ne veteris iracundiæ inſimuler. Sed quæ olim Prætores, quæ Præfectos Prætorii, quæ Principes habuit conditores, illa nunc cunabulorum dignitatem ægre in hiſtoriis conſervat. Non celabo juventutem tutiſſimum iter ad Muſas. Quorum eruditionem imitatur, eorum quoque moribus diligentiſſima æmulatione inſiſtat, putetque Ciceronem aut Senecam plura in negotiis civilibus inveniſſe, quibus literas ornaret, quam in literis, quæ ad humanam conſuetudinen transferret. Nullus in Academiis ſolide eruditus evadet, aut cum gladiatoribus ſtrenuus imperator.

Igitur hæc matrona, cui in tabella Scientiæ & omnium

Muſa-

Digitized by Google

Muſarum majeſtatem imponitis, regalem quidem purpuram aliqua lauri viriditate permiſtam conſervat. Quid enim illi relinquitur, ſi de palla quoque dubitat? Sed jam ſceptri ac ſolii dignitatem miſerabilis amiſit, illoſque averſatur præcipue, qui eam hoc ſeculo adorant, id eſt, quorum ineptiis ubique indigniſſimo traducitur riſu. Videſne ad inimicos converti, qui importuno vultu & petulantibus dextris afflictæ patientiam fatigant? Nimirum ſi illis aliquando ſua voce loquetur, immutabit ſpernentium mentes, & priſtino ſplendori reſtituta, omnem iracundiæ furorem in Academiarum ignaviam effundet.

Cum hoc argumentum ingenti vociferatione deduxiſſem, & jam dies in veſperam eſſet pronus, adoleſcens qui tabulam propoſuerat, omnia ejus ſecreta jucundiſſima oratione publicavit. Quippe hæc matrona, ſeria erat optimi vini, lentis arborum ramis coërcita; quæ quidem ſui amatores aſpernabatur, quippe illorum amicitia peribat, ſuiſque oſoribus adverterat vultum, quorum faſtidio diutius victura videbatur. Et quidem omnibus in riſum effuſis, juvenis lepidiſſimo argumento rem omnem diſputavit. Cæterum Acignius meum ingenium probaverat, delectatuſque oratione non indocta, me quoque inter familiares habere non mediocriter optabat. Itaque blandiſſime exeuntem demulſit, laudibuſque in publicum effuſis palpitantem animum periculoſiſſima voluptate percuſſit. Ego ineſcatis præconiis, cum me iterum laudari vellem, poſtero die ad Acignium redii, & ille meam facilitatem ſolertiſſime cognovit, lætatuſque jam prima pietatis formidine teneri, etiam incautum devinxit munuſculis, cœpitque velut dulciſſimis ſuſpiriis interpellatus narrare, quam propitiis diis nati eſſent, qui in illius domicilium concedebant. Et hæc tanquam mihi aliena recitabat, quæ non obſcure mihi dici ſentiebam. Nihil, inquit, eruditis commodius mea domo videbis ad famam: velut in terrarum ſcena plaudentibus populis ingenium probamus, & ſuaviſſimam vitam colimus 24

in

in conſortio Muſarum: nulla familiarium rerum ſolicitudo nobilitatem animorum deducit in terram: & jam hic felicitatem ordimur, quam nobis certiſſimam in ſyderibus fata diſponunt. Recenſebat deinde complurimos, qui ex ampliſſimis gentibus in ſuam familiam veniſſent, & quam mali exitus alios occupaſſent, qui tam egregia fortuna neſciverant uti. Ego autem Acignii machinas peroſus, quo plura in eam ſententiam congerebat, eo malignius averſabar dicentem. Paulatim exinde elanguit pietas mea: & Acignii, cæterorumque Philoſophorum iterato conſuetudinem ejuravi: nec me latebat, neſcio quomodo emoveri hominum mentes, & ſuaviſsimo veneno intinctas à Philoſophis in ſuas Academias deduci. Itaque priuſquam eo medicamine perirem, viam jam olim deſtinatam in Scolimorrhodiam aggreſſus ſum. Sed & in maculas, quas tantopere vitabam, miſerabilis offendi, monſtroque maximo didici ubique Acignium eſſe. Cæterum minime Theophraſto ſignificavi, me in Scolimorrhodiam cogitare. nam & levitatem meam timebam apud illum proſcribi, ac præterea ſi in Scolimorrhodiam quoque malignitas Deorum proſecuta fuiſſet fugientem, volebam ad Theophraſtum redire, damnataque omni ſpe in ingrata quiete ſeneſcere. Mentitus itaq; ad Themiſtium iter, ex Ilio diſceſſi. Necdum omnis mei criminis utilitas defecerat, reſtabantque aliquot nummi, ex iis, quos Anemonis conjunx ſecum olim in ſinus effuderat noſtros. Et jam quatuor erraveram luces, neque multum aberam à lacu, qui Scolimorrhodiam ſuo orbe à cæteris abſtulit terris, cum omni hoſpitio defectus, ſub obſcuriſsimam noctem huc & illuc ingenti triſtitia errarem. Nulla in vicino civitas erat, neque villarum ſpem, aut latratus canum, aut caliginis volumina ex fumantibus tectis, circumſpicienti faciebant. Frigore itaque & ſolitudine horrens, vagabar, velut in avia parte terrarum. Forte in aſperi montis clivo, qua me pallidus ſyderum fulgor ducebat, tenuis rivi murmur jam pæne concubiæ noctis ſilentium rupit. Secutus ego labentem

Digitized by Google

tandem ad aquulæ caput me mollibus herbis implico, feſſamque cubito cervicem ſuſtentans, frontem deinde atque manus, mox etiam ora limpidiſſimo humore perluo. Nec multo poſt apertæ vento nubes, aſtraque liberius ſplendentia, mihi pulcherrimam loci faciem oſtenderant. Fons ille ut videbatur ruſticus, nudoque exceptus ſolo, non communibus aquis perennis aut vulgari torrente volvebatur. Nulla laus eſt quæ ejus dignitatem poſſit exprimere. Liquor omni cryſtallo nitidior per lapillorum moras, quæ in arena paſſim extuberaverant, tenues criſpaverat fluctus, & inde pæne muſico concentu pulſabatur; reddebat quoque ſyderum imagines pæne ipſis cœlorum facibus lætiores, & tam pulchræ noctis miraculo neſcio quid mihi beatius ſpondebant, ſi ad Solis veritatem omnia examinaſſem. Quod ſi non pernoviſſem me nondum Eleutheriæ vicinam egreſſum, credere poteram ad aureos fontes in Perſide eſſe delatum. Mox ut ſe purius Lunæ ſplendor exeruit, vidi in propinquo ampliſſimam domum, & turres in incinctu non modico faſtigio ſurgentes: neque moratus de fonte conſurrexi, primaſque ædificii fores ad hoſpitium pulſavi. Tum apertæ ſubito fores colluxere undique flammis, magnoque cereorum comitatu Acignius ad expectantem proceſſit. Ego ad notum exhorrui vultum, & qua ratione ibi eſſet, quem in Ilio paulo ante ſine propoſito itineris reliqueram, tacita admiratione quærebam. Nec expectavit, ut meritiſſimi ſtuporis exponerem cauſas: ſed, Eutychia, inquit, iſtarum ædium & omnis vaticinii domina, te huc adveniſſe intellexit; illa nos monitores hoſpitii mittit, & in ſuum domicilium errores tuos hodie invitat. Succede hoſpitalibus tectis, & utere beneficio Nymphæ, quæ hoc uno dolore ſuam felicitatem maculat, quod tam diu deſint, quibus ipſa liberalis eſſe poſſit. His dictis, neſcio quibus ramis, vultus meos perfricuit, confuſamque ſuavitate mentem veluti quadam tenui caligine intexit. Secutus ego ducentem, cum eodem facum agmine in interiorem domum perveni.

Digitized by Google

veni. Ibi nova occurrentium frequentia venientem excepit. Nihil amplius vidiſſem, ſi me felix error in patriam appuliſſet. Quippe non blanditiæ verborum deerant, non obſequia miniſtrorum; & optimi familiæ vultus cum officioſo apparatu certabant. Deductus igitur in triclinium cum magna comitantium turba, ſubitis primum dapibus extinxi reliquias curarum; mox cœna levi ambulatione percocta, cum interim nulla colloquentium ſuavitas deeſſet, molliſſimis plumis omnia membra immerſi. Ita pingui obrutus ſomno pacatiſsimam exigo noctem; & ſive malorum laſsitudo, ſive felicitas repens hoc fecerat, ſoporem etiam in altiſsimam lucem deduco. Tandem ſolis radiis excitatus, ubi eſſem, aut quid mihi contigiſſet, attonita mente verſabam. nec dum libati fontis ſuavitas exciderat; & neſcio qua affectuum dulcedine fontem & domum amabam: cum interim exſonuit oſtium meum, laxatiſque ſubito clauſtris ante thorum Acignius ſtetit. Nunquam ante tam hilarem videram, & excuſſa ſeveritas majoribus blanditiis reliquerat vultum. Ego pigræ quietis ſegnitiem incuſabam, quod hoc lucis jacentem deprehendiſſet. ſed ille, velut omnis otii auctor, moderatiſſimo riſu nihil, niſi me ad Eutychiam adveniſſe, reſpondit; minima eſſe quæ hactenus in illa viderim domo; omnia tempore & patientia parari; Nec dii ſiverint, inquit, ut tam opportuna felicitate non utaris. Tu modo cæterarum rerum longinquas ſpes omitte: iſthic tibi perennia bona, &, ſi mihi credis, omni ſceptro eminentior fortuna paratur. Tum ego languentia excito membra, cubitoque innixus in illa familia hæſurum ſpondeo. ſero enim intellexi me ad Philoſophorum, quos vitabam, domicilium eſſe perductum, & ab illis ſuam Philoſophiam Eutychiam appellari. Adjecique, me juramento obligari, ut in vicinam regionem proficiſcerer, neque ulla quidem tempora oblati beneficii memoriam victura: cæterum longinqua exilia, neque tam maturam felicitatem meis fatis deberi. Ac tunc, ut ſaltem mendaciis effugerem

Digitized by Google

gerem Acignii artes, iterum jurato promiſiſſe aſſevero, ſine mora me ad templum, quod in Icoleonte miraculis celebratur, iturum. Ita, inquam, ut neque jam cum Eutychia vivere ſalvis religionibus poſſim. Ad hæc verba Acignius non modico riſu latera concuſſit, Et, ô te, inquit, divinum hominem, & religionis doctiſſimum myſtam! qui neſcis in Eutychiæ domo etiam mendaciis venire gratiſſimum cœlo, &, ipſis diis eſſe, quos decipis. Huc quacunque veneris fraude, aut ipſe alios adduxeris, ipſa te innocentia laudabit, & plerunque interfui, cum pietas juvenes collaudaret, qui iſtam felicitatem parentum funeribus emerunt. Sic dixit, rurſuſque madentibus ramis oculos meos & veluti mentem obruit. Agnovi heſterni dulcedinem fontis, victuſque, & veluti macerata ebrius mente, imperata me facturum promiſi. Sed primum ex cubiculo exceſſi, & ipſe veſtes diligentiſſime componere cœpi, rurſus evaneſcente medicati fontis veneno, paulatim verus animus rediit, & ego captivitatem meæ mentis intellexi. Itaque tacitas fraudes, & licitum libertatis furtum contra veneficia ſecretiſſima mente parabam. Ecce autem vix è limine extuli pedem, cum ſervitium frequens huc & illuc ſuo operi intentum animadverto: plerique juvenes erant, & in terram modeſtiſſima ſubmiſerant ora: ille temere jacentium lapidum ordines componebat, ille comportabat ligneos faſces, aut aquam, aut utiles herbas in publicum cibum digerebat, alius moleſtiſſimum iter ad domorum fores huc & illuc torquebat: plerique ſævitia flagellorum obnoxium detriverant corpus, & ſingulis verberibus interſerebant Eutychiæ nomen. Plane nihil tale videbam quale prioris noctis illecebræ promiſerant. Jam omnes me tacitis vultibus contuebantur, & quem pridie tam humaniter excepiſſent, pæne ad ſocietatem laboris invitabant. Ego meæ fugæ intentus, huc & illuc primum aſſidua contemplatione vagabar. Cæterum non mihi una domus videbatur, ſed potius civitas ingens, cujus ſingula ædificia in tur-

ris

Digitized by Google

ris altitudinem exurgunt. Qui vero per ſingulas turres diſtributi erant, diſtinctis potiſsimum coloribus figuriſque veſtium noſcitabantur. Hos albæ togæ, hos cineritiæ, ornabant: His mixtæ & panuceæ veſtes erant, hinc illinc centonum mixtura viliores. Quibuſdam funerum color, aliiſque [1] Neptunius probabatur. Nec ulla artificum cura deerat, aut naturæ varietas, quantacunque in velleribus ludit, præterquam quod ibi muricem non videbam. Neque minor ingeniorum diverſitas illam arcem impleverat. Eminebat in medio anguſta quidem turris, & ut videbatur multitudinis minime capax, cæterum patentes in ſeriem feneſtræ, apertæque undique fores opulentiam prodebant ditiſsimæ ſedis. Omnes parietes ſericis velis tegebantur, iiſque duplici fulgentibus oſtro. Idem color lectulos & menſas adornaverat, & ipſe quoque murus lateritio rubore nitebat. Suſpicatus ibi Eutychiam habitare, intellexi à quodam pullato, qui hortum in vicinia repurgabat, Nympham quidem in alia regione vivere, quam ipſi totius vitæ induſtria aperiunt ſibi: cæterum ſi quis ad illam turrim, quam viderem, perveniret, illum ſtatim ad maximam felicitatem eſſe venturum, ubi effuſis fortunæ favoribus exceptus, hoc etiam timeret, ne ad Eutychiam in alium orbem vocetur; &, Certe pauci ſunt, inquit, ex hac multitudine, quam cernis multiplici ſudore exerceri, qui non votorum ſuorum partem ad iſtius turris cupiditatem derivent. Neque olim felicius erat, purpureum arietem habere, quam hodie ad magnificæ turris dignitatem admitti. Hæc ille prolocutus, iterum prono pectore ſterilibus herbis incubuit.

At ego tam magnificæ turris dignitate permotus, magnopere cupiebam ad illius interiora penetrare. Invitabat familiaris curioſitas peregrinantibus & deſolatæ cuſtodibus fores; cum præcipue admirarer, quæ cauſa ſedis incolis eſſet,

1 *Neptunius color.*] Idem ac cæruleus.

2 *Mihi-*

ſet, cur non protinus ad illam niterentur. Sed vix dextero pede libaveram limen, cum ſubito pluſquam Scythicæ magnitudinis leo in veſtibulum occurrit. Sive vera ſpecies fuit, ſive attonitæ ludibrium mentis, videbatur ad longitudinem duarum palmarum exeruiſſe pedum arma, & tumentibus jubis apertoque ore, pæne interrogare ſtultitiam meam, quo proficiſceretur? Petram deinde valentibus membris amplexus eſt, ſive in me emiſſurus ſive obicem poſiturus ad fores. Ego pervetuſto ebore pallidior factus, non audaciam modo, ſed etiam fugam amiſi; decidique extra limen morienti ſimilis; & nutantem animam diu egi: nec aliquis ad auxilium veniebat, ſed paulatim effuſiſſimus ſudor ſpirituum meatus ſanguiniſque laxavit. Ac ut primum officio pedes fungi valuerunt, in aliam partem, tam atroci imagine conterritus, fugere cœpi. Semper in oculis feræ ſævities erat, nec ſufficiebat ſupervacuo timori celeritas mea. Bellua autem veluti vereretur è præſidio abire, contenta me limite expuliſſe, non laceſſiverat ignaviter cadentem, minuſque ignobilem fugam urgebat.

Sed dum in hoc turbulenti ſanguinis æſtu incedo, pavidoque lumine mentis incertitudinem accuſo, infremuit undique aër modici æris ſono, quod ex media area, ut poſtea intellexi, omnibus Eutychianis antemeridiani laboris miſſionem ſignificabat. Jam enim triclinia ſtrata erant, cibique exiguis ferculis, & veluti diſtributis penſionibus ferebantur ad menſam. Convolavere ad epulas univerſi, neque ibi levius ſancitur, ne aliquis ſe publicis commodis, quam imperatis laboribus furetur. Ego omni genere veſtium diſpar (neque enim me toga Romana conſuetudine velabat) jam pæne ſolitariis ſpatiis reſtabam, cum annoſiſſimæ ſenectutis homo, hoſpitalibus præfectus officiis, rogavit, cujus ego auſpiciis, aut per cujus portæ anguſtias, deductus in familiam eſſem. Ego qui prodigioſum locum, divinumque fortaſſe, irritare mendaciis verebar, ſimpliciter, quid mihi contigiſſet, enarravi, me ad fontem, qui ex adverſo mon- 25

Digitized by Google

ctis manat, pridie per errores & tenebras perveniſſe; *demum* Acignii manu, ad hanc arcem, velut ad hoſpitium eſſe perductum. Nec ille audito Acignii nomine cunctatus, Illic, inquit, oportet habitare: turrimque in proximo anguſtiori quam cæteras ſpecie oſtendit. Plane eadem turris erat, in qua tota nocte jacueram. Nihil itaque repugnavi imperanti, averſatuſque non voluntariam domum, in turrim, velut in conditorium, intravi.

Jam omnes ad certas ſederant dapes, [1] mihique tanquam in Laconiam admiſſo ſubita hereditas eſt allata. Cæterum neque luxu notabilis menſa laborioſis ferculis premebatur, neque triſtiſſima fames inter modicum & parabilem victum audiebat, ſed ô rem pæne incredibilem inexpertis! omnis mihi apparatus ſordebat, cibique etiam poſt jejunium, & laborem viarum, faſtidioſo fumo averſantem ſtomachum premebant. Illud autem multo poſt intellexi, ibi dapes cum convivantium affectibus conſentire. Si quis ſua ſponte in ea domo Eutychiam quærit, liberoque animo in illis ſedibus hæret, non modo ſuaviſſimos habet cibos, ſed illum quoque vigiliæ delectant, & alii labores, qui me ibi tantopere terruerunt. Cæterum ſi quos error, aut violentia, aut non duraturæ blanditiæ, in illum locum veluti in carcerem producunt: inquietati impatientia mentis, [2] non aliter quam in Promethei ſaxo vivunt. nam nec locum effugere poſſunt, nec impatientis animi ſtimulum, qui & ſedem & epulas odit.

Refectus igitur modico pane (quippe minus diſplicuerat) de menſa, publico diſceſſu, conſurrexi, vitatoque ſociorum conſortio, per mediam turbam, dejectis luminibus, effugi. atque illi modicis ambulationibus uſi, ad conſtituta officia dilabebantur. Ego vero jam nimis cognita familia, fugam è cuſto-

1 *Mihique tanquam in Laconiam admiſſo.*] Juxta Lycurgi legem. De juſculo nigro Laconiæ, quod non ſine exercitatione corporis ſapiebat, exemplum habet illuſtre Cicero in Tuſcul.

2 *Non aliter quam in Promethei ſaxo vivunt.*] Pœnam Promethei propter raptum è cœlo ignem norunt pueri; qua ratione alligatus fuerit catena ferrea ad Caucaſum, quomodo inde ereptus ope Mercurii qui Aquilam Promethei renaſcens jecur rodentem occidit.

1 *Portæ*

cuſtodia moliebar. Sed illa mihi facilis videbatur, quippe nulla mœnia cernebam in incinctu, quæ fugitivum morarentur. Omnia aperta in planiciem vicinoſque montes aſpectum tranſmittebant. Cæterum huc & illuc diſperſæ [1] portæ ſtabant omnino ad illum numerum, quem Amphion ſuæ urbi eſſe juſſit. Illæ mirabili artificio extructæ, fortiſſimis ut videbatur clauſtris foribuſque rigebant. Non potui ſatis admirari, quomodo illa portarum moles nudam apertamque arcem, ſine muris, aut vallo, aut ductæ foſſæ mora, tueretur; eaſque ut inutiles ſatis imprudenter deriſi, ac cum omnia ſatis perſpecta viderentur, ſecutus illam viam, quæ in proximum montem compendioſiſsima apparebat, intra limites periculoſiſsimæ arcis tendere cœpi.

Sed cum perveniſſem ad locum, ubi murum oportuerat eſſe ductum, repente intricatus, & hærens, & ipſe ob inutilem moram mihi iratus, cum impedimentis pugnabam, quæ nec tangere poteram, nec videre, quippe veluti tenuiſſimis retibus hinc & illinc implicabar, & tenaciſsimam indaginem quo vehementius nitebar, in vincula & nodos arctiores provocabam. Jam pæne incideram in caſſes, ut nec progredi nec recedere poſſem: ſed antequam laqueorum ſubtilitas pertinacius coiret, retrocedere ſubito cœpi, & cum maximo horrore admirari tam tenuia clauſtra, quæ nec oculorum ſagacitas deprehendiſſet, nec ipſæ manus, niſi in captivitate ſua, ſenſiſſent. [2] Jam Vulcani doli, & nota cœlo fabula, ligatique non ſimplici nexu Mars & Venus in memoriam redibant; [3] jam ex Lemnio igne catenarum ſeriem eſſe

1 *Portæ ſtabant omnino ad illum numerum, quem Amphion ſuæ urbi eſſe juſſit.*] Thebas condidit Amphion quam centum portis ornavit, unde dictæ *Ecatompylæ* Thebæ.

2 *Jam Vulcani doli, & nota cœlo fabula, ligatique non ſimplici nexu Mars & Venus.*] Nota ſunt Martis & Veneris adulteria, & quomodo ambo comprehenſi & delati à ſole, & catena ſubtiliſſima à Vulcano Veneris marito colligati & conſtricti, atque in medium cœtum Deorum prolati.

3 *Jam ex Lemnio igne catenarum ſeriem eſſe jurabam.*] Id eſt igne & fornace Vulcani, apud Lemnum dicitur habitaſſe, ex quo fabuloſo caſu iſtuc è cœlo præcipitatus eſt, & fabrilibus operibus vacaſſe.

eſſe jurabam; quæ prodigioſam includeret arcem; & tum demum veluti victrici fortunæ ſupinas manus dedi, nec minus Superos inferoſque Deos accuſabam, quod juventutis meæ validiſsimum fervorem immerito carcere damnaviſſent, &, cum maxime beneficium ſimularent,[1] velut aſpidem inter Cleopatræ collocaverant ſinus.

Ultimum remedium erat, exitum per anguſtias portarum non diſsimulata fuga pertentare. Nam cum nihil amplius monſtris vacuum ſperarem, ita neque aliquid in ultima deſperatione metuebam. Succurrit animo, ire, & ſi qua cuſtodia moraretur abeuntem, invocare Deorum omnium fidem, [2]eumque maxime Jovem, qui violatis hoſpitiis ſuccurrit. Devovere deinde crudeliſsimam gentem, nec querelis imponere modum, antequam aut meæ vitæ exitum aut calamitatis invenirem.

Tam robuſto conſilio ferocior factus, ad proximæ portæ limen, jam excogitatis verborum contumeliis, evado, cum ecce in ipſo impetu ipſaque audacia mentis, occurrit Acignius, miti quietoque vultu, & non cogitantis lacertum tenens, intentam iracundiæ mentem & oculos in ſe convertit. Nec rogavit confuſionis meæ cauſam, ſed de valetudine quæſivit, tam potentibus verbis, ut pæne me oblviviſcerer eſſe iratum. Sed cum ego illi animum meum de diſceſſu ſignificaſſem, & ille in contrarium argumenta conſumpſiſſet; tandem iratus oculiſque paulatim horrentibus, abire me jubet, quando me felicitatis tæderet; nec longe pœnitentiam eſſe, & errores, tam ſecurum temnentibus iter.

26 Cum diſceſsiſſet poſt terribiles minas, tactumque animum

1 *Velut aſpidem inter Cleopatræ collocaverant ſinus.*] Qua ratione illa Regina Ægypti ſibi mortem conſciverit admotis ad ubera aſpidibus poſt cladem Actiacam docent hiſtorici quotquot de Antonii voluntaria morte, & de Augusti victoria ſcripſere, ut Suetonius, Florus, &c.

2 *Eumque maxime Iovem, qui violatis hoſpitiis ſuccurrit.*] Ipſe eſt Juppiter hoſpitalis dictus; de quo poëta,

Juppiter hoſpitibus nam te dare jura loquuntur.

Sacroſanctum olim fuit hoſpitium ut patet apud eumdem cum de Argileto mentionem facit lib. 7. Æneid.

1 *Tam*

mum excitaſſet in diverſa, nihilominus urgere diſceſſum meum cœpi; & ut eram portæ vicinus, primum diligenter circumſpexi, ſi qua hominum manus in clauſtrorum præſidium ſtaret. Nihil autem aliud vidi in aditus anguſtiis, quam anum neſcio qua ſolicitudine gravem: pallidiſſima erat, & macies extulerat oſſa, nec compoſiti oculi terribili luce micabant: Cæterum huc & illuc curſitabat per anguſtias ſuæ portæ, & neſcio quid ad digitos computans, nunc ſe velut ad conſilium ſevocabat, interdum turbido nutu quod cenſuerat averſata, ſecum ipſa mirabiliter pugnabat. Rerum quoque leviſſimarum pondera examinabat ad lancem, veluti ſtipularum levitatem, aut arenulam ad numerum injectam. Ac illius quidem nomen erat ingentibus literis minioque fulgentibus in ſuperiori faſtigio portæ ſcriptum, Hieromerimna. Cæterum tanta frequentia per eundem aditum arcem irrumpit, maxime adoleſcentum atque ſenum, ut habitatores ſufficere ampliſſimæ ſedi poſſent.

Non placuit mihi tam difficilis locus, exitumque molliorem per alias portas quæſivi. Septem erant, & ſingulæ ſuis Numinibus notabiles, quæ in præſidium excubabant. In proxima porta huic ad quam Hieromerimna ſe inutiliter macerabat, eminebat virago peſſimi vultus, quę Aëlpidis nomine vocitabatur. Per eam portam nemo intrabat niſi turbulentis luminibus turgens, & inter iracundiam doloremque trementibus. In proximo vero limine Penia conſiſtebat, ſqualida veſte, ſparſoque capillitio inculta. Et illa frequentiſſimum agmen tranſmittebat in ſepta. In vicino deinde præſidio Adrania erat, ſolutis poplitibus languens; recipiebatque turbas, quæ inertiæ licentiam amabant.

Ego, ut indiligentius obſervari illam portam, non ſine animi gaudio, adverti, ratus iter commodum fugienti, tamen ulterius progreſſus ſum, ut viderem, quibus numinibus tutela cęterorum liminum credebatur. Erat autem in una quidem Philotimia, quæ cæruleis veſtibus, oſtrove ſplendentibus, pęne totos parietes onerabat: in altera vero Glykytes illa

multiplici pallio intimum abſconderat pectus; riſuque minime duraturo quemlibet venientem ſalutabat. Neque alii veniebant ad illam, quam adoleſcentes tenerrima ætate, & veluti materni lactis conſuetudinem requirentes.

At vero in ultimis clauſtris, omnino alia ſpecies nihil tale expectantem confudit. Erat enim matrona exercitatiſſimi vultus, & in quam invidia non diceret: Arete appellabatur.

Cæterum quoſcumque intromiſerat in arcem, ſincera hilaritate diffuſi ex inceſſu inter cæteros noſcitabantur.

Cum omnia perluſtraſſem, & jam maturum ad fugam tempus eſſet, ego, pulſata Adrania, per illius portam præcipitata diligentia prorui. Neque illa revocavit abeuntem, & per molliſſimum agmen, quod ad ipſam properabat, excitati ſupercilii minis, ipſoque corporis niſu, viam inveni. In hunc modum ex triſtiſſimo carcere egreſſus, quam maximis itineribus in Scolimorrhodiam præcipitabam fugam. Erat ſemper in oculis pavitantis Acignius, & cum virgula crepuerat vento, jam me deprehenſum, & ad Eutychiam deduci, miſerabili horrore credebam. Et quid cogitabam, ſi percuſſores notis viarum anguſtiis præcurrunt? Quid non infeſtum exiſtimem in ſolitudine, cum nulla urbium clauſtra graſſatores excludant? Quicquid eſt, Acignii periculo vivo; & ſi me ab illo fugientem calamitas excipiet, difficilius amolietur invidiam, quam vulnus Paulianum Gephyrius excuſat. Tandem ad lacum perveni, nullo Oceano minorem. Illinc rates in Scolimorrhodiam ſolvunt; & jam melioris patriæ aura videbar afflari.

Thebani ad Septentrionem latiſſimas obtinent terras, & ab Eleutheria ad Sarmatas excurrunt; gens laborum plus quam induſtriæ capax, & omnino Bœotia ſua digna. Illis Aquilius per internuncios imperat; ipſe plus quam Aſſyriorum Principum ſolitudine incluſus, otioſam majeſtatem ineptiſſima gravitate damnavit. Igitur cum in Scolimorrhodiam cogitarem, jamque in extremo Eleutheriæ oppido quæ-

Digitized by Google

quærerem ratem, forte unus ex Thebanis in eadem urbe erat, pinguiſſimus homo, vultuque regii coloris, & ſeminudum calvitie caput oſtentans, nomine Trifartitus. Is ab Aquilio ad Teſſaranactum in Scolimorrhodiam mittebatur: ac ut forte in eodem diverſorio fueramus, me quoque in inſtructum navigium benigniſſime induxit. Cæterum idem ſtupor, qui à ſubtilitate ingeniorum Thebanos excludit, ab ingentibus quoque vitiis prohibet. Nihil facilius ad amicitiam vidi: fidemque inter vina ſancitam velut extremam religionem non violant. Ego inter adulationum magiſtros diutiſſime verſatus, ſtatim incautum occupavi blanditiis, intentumque ſuis laudibus ad amicitiam compuli. Sed cum jam in conſpectu Scolimorrhodia eſſet, lacus nigreſcentibus undis intumuit, ſubitæque nubes eripuerunt cœlum trementibus nautis. Neque tempeſtati modus fuit; & jam, veluti continuis aquis, cum nubibus coiverat lacus. Haud mora, ſecuri percutimus malum, & omnia vela ſubducimus furentibus ventis. Iam clavus non ſequebatur ducentem, jam latera laxabantur ad fluctus, cum ingenti flatu in Septentrionem propulſi, jam nec ſalutem quidem invocaremus.

Thebani, quicquid in ratem comportaverant, ad certamen perdebant; veritique ne pondera deducerent navem, ad ultimum patrii vini cados inter miſerabiles ejulatus effuderunt in fluctus. Quatriduum naufragii minas tempeſtas irata protraxit. Quinta luce interruptis nubibus enituit cœlum, præliumque undarum extremis fremitibus elanguit. Interrogabat gubernatorem Trifartitus, an ſyderum memoriam ſervaret, & aſtrorum indiciis poſſet ad regionis notitiam pervenire. Ille gravibus ſuſpiriis cunctantem perſecutus, ſilentio damnabat ſuam artem, & confuſa omnia cœli terræque argumenta confitebatur. Tandem evaneſcente metu, ipſe nautica acu doctus proclamat, nihil unquam illa tempeſtate benignius fuiſſe, & quoniam ventus Scolimorrhodiam non dederat, ſaltem ſe in patriam feliciſſimo errore compulſos.

Jam in conſpectu littus erat, & Thebas non inde procul eſſe conſtabat. Tum omnes excitato plauſu navem in portum deducunt, egreſſique in arenam, paſſim oſculis patriam terram & ſalutem adorant. Triſartitus reparari navigium, funemque & antennas & malum ex proximis vicis & nemoribus quæri jubet: ipſe ad Aquilium rediit, qui & tempeſtatis moras excuſaret, &, ſi quid forte novi ſuccurriſſet, recentibus imperiis oneraretur: meque in urbem ſecum humaniſſime deducit. Iam id olim ſciebam, neminem ad Aquilium admitti; nec tam inſolentis beneficii genus apud Triſartitum urgebam. Sed ille me ſponte in regiam deducit, jubetque in atrio expectare inter proceram Thebanorum multitudinem, qui mihi umbram corporibus faciebant, & poſt aliquot horarum faſtidium ab Aquilio regreſſus, interiorem meam manum excuſſiſſima dextera pulſavit: &, ne putes, inquit, nullam gratiam amicitiæ meæ eſſe, videbis domeſticos Aquilii cultus, tibique plus quam Mathematico aut Pictori ſecreta familiæ patebunt.

27 Cum hæc dixiſſet, benigniſſima manu ex atrio produxit in domum, evolutumque ex porticibus vagis tandem conſtituit ad intimum Aquilii limen. Ibi [1] tam ſincere omnia ſilebant, ut Cereri ſacrum fieri putarem: Igitur & ipſe utrinque ſpiritum coërcebam, cum Triſartitus, modeſtiſſima manu, ſilentis oſtii ſeram, & ipſam mutam, reſolvit. Cæterum hanc mihi intrandi legem dixerat, ut ab ipſius non ſecederem tergo. Ita, inquit, optima fide omnia luſtrabis, quæ nobis, utpote ſecretiſſimarum rerum miniſtris, patent; neque à me declinans, & per diverſa vagus, in ignoti cultus officia peccabis. Parui ego monenti, & ad menſuram motuum ſuorum geſtus meos figuravi, niſi quod leviter declinaveram cervicem, ne omnino inutiles oculi eſſent.

Ac

1 *Tam ſincere omnia ſilebant, ut ſacrum Cereri fieri putarem.*] Scilicet de iis quæ fiebant in Theſmophoriis, ceu Cerealibus tantum erat nefas loqui, ut ideo Alcibiades patria exularit, unde Horatius lib. 3. Od. 1.

Vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, &c. Ut ſupra.

1 Ut

Ac ut in thalamum Aquilii veni, hominem jam ſupra mediam ætatem vidi præcipitantem in ſenectam; ſtatura mediocri, vultuque optimo & quem indigne voluntaria ſolitudine damnavit, ſed fluxis & turbantibus veſtigiis oris majeſtatem corrumpebat, & omnino indignatus ſum Veneri, quę ſaltem non pepercerat nomini chariſſimorum nepotum.

Itaque ut ad ſatietatem oculorum omnia ejus lineamenta in animum tranſtuli meum, converto ad elegantiam ſedis vultum. Et hinc quidem imagines ſtabant non quæ memoria bellorum ſecreti delicias turbarent; ſed venuſtiſſimi vultus puellarum erant, exculti ſupra verum, & quos poſſet natura imitari; [1] ut ego Ariſtidis vel Pauſaniæ, aut etiam Nicophanis labores putarem intueri, quos meretricios pictores antiquitas vocavit. Illinc vero [2] ſupra menſam orbes duo, in quorum uno terrarum ſitus & maria pingebantur: in alio vero ſyderum motus, & univerſæ cœlorum leges aptiſſimis coloribus erant ſcriptæ. Illic aureus Phœbus, & vermiculata Venus erat. Luna vero cœlabatur argento; & prope ignitum fecerant Martem. Iovis autem hilaris ſignum, & nitens Mercurius pæne arridebat ſpectantibus. Denique malignitatem Saturni livido minio pallentique damnaverant. [3] Flexuoſum iter Solis, imagines Leonis atque Tauri ſignorumque omnium animabant. Iacebant ſupra menſam aliquot libri, laceſſentibus digitis jam ad ſquallorem detriti. Præterea cœleſtium orbium figuris aliquot in locis excuſſerat picturam nimis diligens verſatio, maxime in Solis & Mercurii planetis, qui, quacunque decurrunt, per illam cœli imagi-

1 *Ut ego Ariſtidis vel Pauſaniæ, aut etiam Nicophanis labores putarem.*] Hi fuere inter celeberrimos pictores ab antiquis collocati. *Labores* id eſt pictas tabellas. Excelluerunt tamen in pingendis meretricibus.

2 *Supra menſam orbes duo.*] Geminam Sphæram Archimedis; in quarum altera deſcriptus erat orbis terrarum cum fluviis & Oceano.

3 *Flexuoſum iter Solis.*] Et cæteri planetæ ſuis quique diſtincti coloribus. Atqui ſeptem omnino ſunt interdiſtincti non tantum coloribus. Signa autem Zodiaci notum eſt recenſeri duodecim: nam

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſcis.

imaginem ſolertiſſima monſtratione ſignantur.

Neque advertere hæc poteram, quæ vicinorum curioſitatem oculorum petebant, niſi Triſartitus vir benigniſſimus me ad hæc indicia digiti humanitate deduxiſſet. (nam Aquilius alvum levare voluit, amotus extra aulæum, locum fecerat inter nos colloquendi.) Igitur cum rogarem, cujus artificis nobiles figuræ eſſent, quæ meruerant ab Aquilio tractari? primum, inquit, te ſcire oportet, nihil hac ſolitudine Aquilii laborioſius eſſe, nec ipſe induſtriam cum aſpectu hominum omiſit, ſed ad curioſas artium aliquot voluptates tranſtulit. Cæterum in his imaginibus, & fœminarum picturis, non ejus ſtudium tantum, ſed etiam opes vides. Libertatem amorum conjugio præponit, & vagæ voluptates ad ipſius arbitrium examinantur. Nam ut venuſtiſſimas ſpecies mulierum libido in animo finxit, omnia in tabellam eruditis coloribus transfert, & imaginationis lineamenta ſecutus, votum ſuum in pictura confitetur. Appellantur deinde pellicum greges, virgineſque, quibus multum eſt, id nomen ſub Aquilio exuere. Ipſe ſibi probator formarum vultus mulierum ad ſimilitudinem imaginis exigit, & quam propius ad illam venuſtatem natura admovit, duarum, interdum trium noctium fortuna donatur. Etiam ſi cujus amore vehementius exarſit, ſi in alicujus amplexibus dulcis animam egit, non ſtatuam in roſtris, ſed imaginem, ſua manu exaratam, in thalamo decernit. Hi vero terrarum cœlorumque orbes, imaginem Aquilianæ poteſtatis oſtendunt, & quotidiani laboris induſtriam, quo ipſe in abdita naturæ perrumpit, & invidiam Deorum ſuperat, qui res pulcherrimas latere mortales voluerunt. Iam cryſtalla non æterna hyeme cogere, jam exprimere metallorum animas poteſt, & omnia Solis miracula in temperatum foculum convocare; etiam ignorantem naturam ſuas vires edocere; [1] vitales autem

1 *Vitales autem ſucci, & qui ſupra Æſculapii artem invidi Jovis provocant fulmen.*] Fingunt Poëtæ Æſculapium à Jove fulminatum, eò quod rem auſus eſſet ſoli Jovi tribuendam, hoc eſt quod Hippolytum à morte excitaſſet ſucco ſuarum herbarum.

1 In

tem ſucci, & qui ſupra Æſculapii artem invidi Iovis provocant fulmen, his artibus exprimuntur; & ne indiſerta oratione detraham pulcherrimæ arti, expectabant hæ ſcientiæ Aquilium, dedignatæ à minoribus viris, veluti imparibus procis amari. In eas Aquilius dies noctibus adjungit, & ne diſtractæ curæ diligentiam turbent, cæterarum domi foriſque memoriam admittit. Cum hæc Trifartitus ad ſudorem & anhelitum dixiſſet, Aquilius lubrico paſſu proceſſerat è ſecreto, vocatumque Trifartitum, bracchas ſuperiori veſti annectere imperabat. Ego me ad parietem junxeram, & ipſum intexto auro ſericoque fulgentem; ac dum veneratione tantæ ſedis incerti oculi in diverſa diſſipantur, inciderunt in imaginem, antiquam ſane, ſed in qua nihil erat magis notabile, quam hi verſus, præter quos in conclavi nihil Martium vidi.

Eſt regio Auſtriacis illic contermina campis,
Qua frangit tumidus ripas & proruit Iſther,
Cyaneas viſurus aquas, dum fata ſinebant
Fortunatus ager, nec terris invidus ullis.
Pannoniam dixere patres. Nunc nomina tantum
Reſtant, & raris inciſa novalia ſulcis.
Nam ferus ut ſummo Mavors pugnabat in Æmo,
Placatos deſpexit agros, & pectore toto
Intumuit, Thraceſque ſuos, immania corda,
Et ſecum rapidos huc traxit in arma furores,
Protinus infandis mutavit cladibus urbes,
Exhauſitque domos. Ipſis penetralia Divis
Triſtibus eripuit flammis, agriſque colonos
Abſtulit, & dominis mœrentibus abſtulit agros.
Heu quantum miſeræ cecidit tunc gloria terræ!
Qualiter horrentes reducis vicinia Phœbi,
Cum ſolvit fluvios, & picti gramina campi
Invitant volucres connubia jungere cantu.
Si mala per latas regnant incendia ſylvas,
Tunc luci ſtat truncus honos, trabibuſque peruſtis

Mæſta

Digitized by Google

Mæſta ſubit facies, & nudis flebile ramis
Conqueritur mæſto cælo nemus; Ipſe viator
Ingemit, atque ipſa plangunt ſua tecta volucres.
Sic mala Pannonios tempeſtas perculit agros.
O quoties plenis maturum meßibus annum
In ſtragem ſervare deos flavaſque videres
Pannonium armato perverti turbine meſſes!
Nulla fides campis. Campos odere coloni,
Atque arces vallumque petunt. Nec mænia multum
Heu pavidos quæſiſſe juvat. Nam clauſtra pererrat
Hoſtis, & obſeſſæ frangit munimina portæ.
At vero erectis quoties exercitus armis
Hinc atque hinc ſine lege furit, taboque calentes
Protinus immenſis conſtipat cædibus amnes.
Quæ tantum immißis horrens inſibilat Arctos
Nubibus, aut raucis tantum gemit unda ſub Euris?
Tela volant. Scythicis plumbum torquetur habenis,
Spiculaque & diræ currunt per inane ſagittæ.
Tunc enſes lethale micant, tunc fulmina campis
Salmoneo majora ſonant. Sternuntur ubique
Arma, viri. Nec ſpes immenſa in ſtrage ſepulchri,
Ni membris & cæde tegi; dum jugera creſcunt
Mortibus, & planos attollunt funera campos.
Et nunc Ætherei ſuperant vexilla Tonantis,
Nunc Luna pejore cadunt, cum turbida pandit
Cornua Theſſalicis heu digna horrere venenis.
Sæve Pater belli, miſeræ ſat gentis in arvis
Sedit atrox bellum, noſtrumque exterruit orbem.
Arma domum, Gradive, refer, (quid Thracia ceſſant
Orgia?) & Odryſios concede ad prælia campos.
Illic Heſperias pulchrum vidiſſe catervas,
Illic dulce mori. Felix victoria cujus
Conſtabit fatis. Tunc, ô fortißime Mavors,
Sanctus eris, nullaque gement pia funera matres.

28 Dum in hoc ſilentio compoſitus, carmen, quod non mediocri-

diocriter placebat, in memoriam repetita lectione perduco; notavi ad vicinum parietem aliam imaginem, in qua vidi Protagonis ſimillimos vultus. Fingebatur autem aliquid ſcribere in Moreto, quaſi non ſatis antiquiſſimus Poëta abſolviſſet hoc carmen. Ac deinde cum effuſiſſimus imber ſub dio ambulantem impeteret, fugiebat ad proximas ſepes, & cuniculum, qui in illis latibulum defoderat, acerrima obſervatione quærebat: Neque procul Liphippi faciem agnovi, cum ſua uxore & aliquot antiſtitibus populorum ſuorum fata (inſtar Parcarum) ducentis ex colo. Ac cum hæc impenſius mirarer, increpuit oſtium leniter, ut videbatur, digiti articulo tentatum. Nec mora, neſcio quis linteo puriſſimo præcinctus, ad Aquilium intravit, vitroque puriſſimo exiguum liquorem hilariſſima fronte oſtendit. Aquilius, quicquid erat, crepitu manuum collaudans examinare cœpit ad lucem, & cum homine ſuaviſſime loqui, cum à Trifartito quærerem, quiſnam eſſet tam illuſtris familiaritatis homo? Hebræus, inquit, quo nemo gratioſior in regia vivit.

Hæc dicente Trifartito, Aquilius cum Hebræo thalamum egreſſus, contulit ſe in ſcientiarum amabilem locum; ubi complures fornaculas vidi, ac vitrea ac argentea vaſa, quæ humores in altum evocatos per obliquas fiſtulas reddebant. Artifices vero & foculorum miniſtri, pars verſicoloribus pellibus præcincti, acapnum ad pondus ingerebant, pars vim liquorum viventium, quos ignis ex vaſculis exegerat, diligenti examinatione pendebant. Omnem operis partem frequens ſedulitas implebat.

Delectatus tam fideli labore Aquilius, diffuſiſſima fronte gaudebat. At ne quidem ego pulcherrimæ artis ordinem, ſine aliqua voluptate, aſpiciebam; cum Aquilius vaſculum depoſuit de foculo, &, Hic, inquit, commendata eſt ſpes præcipua laborum meorum & nobiliſſimæ faſtigium artis. Hæc dicentem lubrica materia eluſit, (erat enim vitrea) & ab incautis manibus labens, nefando in terram ictu ſecum Aquilium & nobiliſſimam artem affixit.

Digitized by Google

Qui tremor illicita cœli de lampade tactos
Percutit attonitum; pariterque horrore ſub uno
Vox, animus, ſanguiſque perit.

Stabat Aquilius, veluti turbulento ſomno deluſus, & ipſe in tantæ perturbatione calamitatis ſe quærebat. Ex altera parte famulorum ejulatus deplorantium feliciſſimi vaſculi ruinam, totam cellam impleverat; commendabantque gemitus, & ipſi vix ad plorandum fortes, ut non intercidiſſe vaſculum aliquod, ſed omnes deos occiſos eſſe putares. Igitur plangentibus univerſis, & ipſe, ne viderer otioſus miſeriarum ſpectator, incipiebam exorare lachrymas ab oculis, bis terque pollice attritis, ac Trifartitum, ubi eſſet, intueri. Sed ille jam defecerat, ſedenſque ad lacunam, quam effluens impleverat humor, eam inundantibus lachrymis augebat. Et jam redierant Aquilio ſenſus; ſed deerant verba, quæ in tanta calamitate effundere poſſet.

Itaque cum lamentabili vultu nihil aliud, quam fragmenta miſerrimi vaſis contueretur, ipſe Trifartitum monui, ut ſe virum meminiſſet, id eſt, colligeret in præſens animum, meritiſſimo quidem dolore dejectum, & Aquilium, priuſquam expiraret, à conſpectu illius liquoris, veluti paterni aut conjugalis cadaveris, amoliretur. Pudebat Trifartitum expectaſſe, ut ab externo moneretur. Itaque conſurgit ad officium domini pæne ſupremum: & cum eo juvenis quidam præpinguis rariſſimæ barbæ, qui omnium modeſtiſſime calamitatem tulerat, quippe ante biduum, dum cœlorum meatus & decreta perluſtrat, illud fatum præviderat ex contumacibus aſtris. Igitur illi conjunctis viribus, cum me etiam in auxilium advocaſſent, velut efferrent Aquilium, nihil repugnantem aſportant. Perſonabant omnia funebri planctu, & omnes ſecretiſſimæ artis myſtæ, cum acerbiſſimo clamore, ſequebantur. Neſcias, an Aquilium, an vaſculum gemebant. Ille male conſoporatus cum ad doloris ſenſum turbulenta vigilia rediſſet, velut recenti vulnere ictus, exclamat; Ergo ſuperſtes deorum iracundia vivo? & hæc quidem dicentem,

Digitized by Google

centem, ipſæ indicis venæ cum oratione defecerant. Igitur ſomentis aggredimur languentem, vultuſque, & præcipue narium ſpiramenta, acerrimo liquore perfundimus. Ac cum iterum in ſoporem laberetur, digreſſus ex moleſtiſſimo munere in diverſorium meum pervolo.

Nec ibi diu hæſeram, cum Trifartitus ſervum, & ipſum 29
tuberoſiſſimi ventris, ad me miſit, qui ad cœnam, ad quam aliquot ante horis promiſeram, duceret. Videbatur mihi exorta lux in periculoſa nocte, & Aquilium, quem jam optima fide comploraveram, omnino exiſtimavi ad vitam rediſſe; quoniam domeſtici menſarum & hilaritatis meminiſſent. Itaque quotquot occurrebant in urbe (nam univerſi jam atras veſtes ſumpſerant) detergere lacrymas jubebam, & in natalitiis veſtibus diis ſacrificium apparare. Neque me conjectura decepit: Etenim Trifartitus in ſimplici quidem veſte, ſed manantibus effuſiſſimo ſudore genis, in aditu domus ſtabat; qui ut venientem me aſpexit, attrivit amplexibus pectus, & ut Aquilius mirabili fortitudine revixiſſet, recitavit, pæne ipſe gaudio extinctus; deinde rapuit in tecta, & in triclinium deduxit, quod ignei vapores ex fictilium impleverant æſtu. Nulla in conclavi flamma erat; nam & caminum in obſcuriſſima parte celatum etiam compluribus velis, veluti ædium carinam, damnaverant.

Longa fuerit ſeries pompæ, quam ſi percenſerem, tam ego fatigare audientes poſſem, quam ipſa me laſſavit. Inter hæc, importuna convivarum benignitas me præcipue afflixit, quorum ut in triclinium quiſque intrabat, me utpote peregrinum hominem, & cujus honori ſolemnitas epularum parabatur, acidiſſima oratione verberabat. Ego vero credebam aliquid ex antiquis monumentis referri; quoniam ea loquentium erat, vociſque ſtabilitas, ut putares pueros ludi magiſtro imperatam penſionem memoriæ afferre. Tandem ſupervenit Trifartitus ad anhelitum laſſus, excuſavitque epularum tarditatem; & interim guſtatione vini initiari convivium juſſit. Cæterum jamdiu convivarum gravitas moleſtiſ-

leſtiſſima mihi erat, quoniam poſt primæ ſalutationis faſtidium nulla jucunditate deliniebant morum, & inepta omnium majeſtas tam funeri conveniebat quam menſæ.

Tandem ingenti paropſide invecta eſt in triclinium offa, redolentibus herbis, & maxime pipere medicata. Erumpebat ex paropſide fumus, tenuis quidem, quoniam pinguiſſimus liquor tarde vaporem dimittebat; ſed qui ſingulorum vim odoram excitaret; veluti canes fragrantibus ferarum veſtigiis monentur. Igitur conſidere juſſi ſumus, nullis dapibus evocati, præter hanc offam, quæ ſane pæne totam menſam tegebat. Paulo minus integra hora deſignatio locorum conſumpſit. Et illi mox compoſiti tanto ſilentio ſcrupuloſam honeſtatem expendebant, ut eos non minus offam venerari, quam Aquilium, putarem.

Ego Gallici moris memor, ſtatim in cibum irrui, pulmentique eminentem ſupra diſci ripas acervum injecto cochleari deſtruxi. Secuta eſt me principem turba, & omnes parum variantibus oculis (id enim ad majeſtatem pertinebat) etiam manu in menſam eo tenore deducta, veluti muſicos concentus gubernaret, pinguiſſimam offæ molem expugnant. Cæterum qui in extrema conſederant menſa, illi veluti ſpectatores convivii vacabant, & tantam noſtram felicitatem contuebantur. Quod ego præcipue admiratus, eum qui proximus mihi erat interrogavi, quod illi facinus admiſiſſent, qui nec ipſi ederent, & in convivarum conſpectum perducerentur? Ille neque reos eſſe, & noſtris epulis ſucceſſuros, reſpondit. Inter hæc verba converto ad paropſidem vultus, quam vicinorum meorum humanitas jam tranſmiſerat ad illos, quos inutiliter aſſidere queſtus eram, & tunc ipſi aliquando vice noſtra vacavimus.

Ac cum aliquantulum ceſſaſſemus, iterum unica lance reparatum eſt convivium. Perna & glandulæ inerant, & exſiccatæ bubulæ rubor, & cæruleis aliquantum lineis variatus. Refecti tam mirifica ſuavitate cibi, iterum lancem in vicinos tranſmittimus; ac deinceps ita ferculis ad oſtentationem

paratis

Digitized by Google

paratis (quippe pluſquam quinquaginta ſunt illata) uſi ſumus, ut guſtatione facta in imos menſæ fines ſuccedentibus manibus veheremus. Cæterum neque lances ſimul duas in convivio vidi, & antequam explicaretur tam prolixus ordo ciborum, jam mediæ noctis proceſſerat tempus, meque utpote fatigatum moleſta voluptate trahebat in ſomnum. Illud autem diligenter adverti, quicquid torruerant igne, exhauſtis humoribus pæne cineritium afferri. Cæterum piſces nunquam memini tanta ſuavitate conditos vidiſſe; ut hæc culina in eo genere erudire orbem poſſit.

Laxabatur interim convivarum taciturna majeſtas, & ſolvi in hilaritatem videbatur, ut cum indignatio ventorum primas undas ſuſpendit in mari, ſolvitque tranquillitatem magis quam excitat fluctus. Iam increbreſcebant pocula, & paulatim perierat convivalium ſcrupuloſitas legum; momentoque me totum longa poculorum ſepes obſederat: Interrogavi Trifartitum, quid me tot machinæ monerent; Ille autem blandiſſimo annuit vultu, rogavitque, num ſingulorum amicitiam ducerem tanti, ut illam modico hauſtu quo provocaverant, ſancirem. Omnes idem petere ebrio plauſu ſignificabant; cum etiam Trifartitus monuit, nec id officium repudiari integra convivarum gratia poſſe.

Ego pæne lachrymas in tanta calamitate profudi, rogavique, ne me ſuis amicitiis occiderent; & miſericors Trifartitus, quippe eſſe veros gemitus deprehenderat, advocationem meam ſuſcepit. Ægre tandem impetravimus, ut nihil niſi pocula libarem. Ad hanc pacem cum ſuſtuliſſem plauſum, ac lętiſſimis verbis humanitatem commendaſſem, cœpi fœderis conditiones implere, & notabilem convivii exitum diligenter contemplari. Iam enim eruperat tempeſtas, & omnia temulentorum vocibus perſonabant. Omnes affectus cerneres, in quos ſolutas mentes inſania Lyæi transformat.

Appetebat jam Aurora, ut facile ex gravioribus oculis conjiciebam; cum ſolutum convivium credidi eſſe, remotis ſcilicet menſis, & aſſurgentibus aliquot, quibus modeſtior

Digitized by Google

ebrietas reliquerat pedes. Reliqui tanquam ſordidiſſimo funere in vicinos lectulos efferebantur. Tunc [1] ego in memoriam revocatus Ulyſſis, qui voluptatis blandimenta, velut hominis interitum, apud Alcinoum proſcribit; illud Thebanorum conviviis adfuiſſe haud immerito cogitavi. [2] Nam ad Cimmerios in vicinia fuerat, & illinc ad ſepulti orbis caliginem invenerat iter. Nihilominus & ipſe fictis vocibus Trifartito gratias ago pro ſuaviſſima nocte, & moleſtiſſimi carceris fores non ſatis ſanis oculis quæro, vino vigiliaque turbatus. Verum ad oſtium ſatellites aliquot ſtabant, qui me exeuntem turpiſſima benignitate revocarunt; nondum miſſionem factam Nyſæo ſacro cauſati. Tum maxime recruduit bibentium certamen, neque me vix prioribus malis luctantem ille fluctus omiſit. Aſtiterunt ineptiſſimi amici, & ructantibus verbis rogaverunt, ne omnia jam ad finem ſpectantia præmatura diſceſſione turbarem. Præcipue Trifartitus conſiderare me juſſit, quota pars convivantium jaceret, quota autem in pedibus eſſet, qui certe, inquit, de convivio querentur, ſi eos ſobria veſtigia reduxerint domum.

Parui extemplo hoſpiti, etiam periculo meo. Erant enim undiquaque propinantium ſcyphi, quos mihi convivarum barbaries parabat, innumerabiles quidem, ſed ne omnia ſolatio vacarent, illi pæne ſicci, & tantum exigua veluti libatione onerati. Sed ut ingentia flumina ignobiles rivuli componunt, & ſimplex aſſiduitas terit ferrum; ita ego his lataginibus plenus eram, & periclitabar corrumpere mentem; cum apertæ publico conſenſu fores dimiſere volentes. Fruſtra gratulabar mihi de libertate nova. Etenim aliquantulum progreſſi in aliam cuſtodiam incidimus, & illam non minus inhumanam; ubi tribus poculis invitatus, cum conſulerem corpus,

1 *In memoriam revocatus Ulyſsis, qui voluptatis blandimenta, velut hominis interitum apud Alcinoum proſcribit.*] Vide Homeri Odyſſæam. Alcinous Rex Phæacum Ulyſſem naufragum honorificentiſſime ſuſcipit, eique Nauſicaem filiam offert in conjugem.

2 *Nam ad Cimmerios.*] Cherſoneſum Tauricam intelligit, ubi crebri vapores è nigro mari emergentes.

corpus, poſſetne ad extremam neceſſitatem durare, ex convivis duo ſemianimes procumbunt in terram. Inundaverant ſolum reducis vini fontes, & odore turpiſſimo corruperant locum: cum alii jacentes attollere, nec ipſi bene ſani; alii ſolutiſſimo riſu elatos proſequi cœperunt.

Ego commoditate temporis uſus, inter bacchantium tumultus elabor, domumque nec jam ſatis ſinceris pedibus quæro. Poſtera luce, acerbiſſimo dolore afflictus ſum, & mihi inteſtinis pulſibus caput collabebatur in partes. Itaque abſtinui à conſortio Thebanorum, & dum appararetur navis, quæ Trifartitum in Scolimorrhodiam veheret, cauſatus intemperiem ſtomachi, ingrata conviviorum beneficia vitavi.

Tandem ex Bœotia commodiſſimis ſolvimus auris, vo- 30.
toque celerius deſtinatam attingimus terram. Sed mihi non placebat ad Teſſaranactum cum Trifarrito ire, & indignabar Legati opibus niti. Quippe Teſſaranactum audiebam ſupra antiquitatis vanitatem, [1] Heroas Xenophontios fingentis, admiratorem virtutis & miraculum eſſe. Me autem chariſſimum Muſis communiſſima omnibus vanitate credebam. Et nondum in illis gentibus Themiſtii aboleverat nomen. Itaque Trifartitum reliqui, neſcio qua excuſatione uſus, & cum peregrino ex Icoleonte, qui ad Theſſaranactum etiam tendebat, ocioſis itineribus ſum profectus.

Forte feriata dies erat, & nos itineris laborem levabamus innoxiis jocis: cumque Sol fervidius æſtuaret, conſedimus inter arbores, quæ ruſtici prædii tecta amœniſſima nocte cingebant. Ibi quoque riſui indulſimus, conquiſitaque lætitia moleſtiſſimas fefellimus curas.

Jam proceſſerat ad cantum hilaritas noſtra, cum ex vicina domo videmus aliquot ſervos, in puriſſimis togis, ad nos mirabili lenitate tendentes: prona omnibus ora; oculique puellari verecundia dejecti. Illi nos ſuccedere tectis orant, ſeque

1 *Heroas Xenophontios.*] Quales deſcribuntur à Xenophonte in Cyropædia in Alcibiade & alibi paſſim.

ſeque ab ædium domino ad hoc miſſos benigniſſima oratione confirmant. Utimur tam commodi humanitate viri, & præcedentibus ſervis hoſpitales ſubimus lares: momentoque in interiorem thalamum deducti ad patremfamilias ſumus; ubi [1] ipſe in hemicyclo ad Tulliani Scævolæ majeſtatem ſedebat, ſanctiſſima ſeveritate vultus, demiſſiſque luminibus & in promiſſam intuentibus barbam. In puriſſima veſte erat, nihilque circa eum notavimus unde ſqualor ambitioſe non eſſet exemptus. [2] Plane hominem frugi putares, & qualem non violaſſet olim licentia Gallorum, ſi in curuli capta urbe conſediſſet.

Ac ut illius intravimus ſedem, ipſe breviſſima ſalutatione venientes excepit; cæterum tam largos profundere fletus cœpit, ut omnino timeremus, ne alicujus acerbitatis memoriam noſter adventus renovaſſet. Horrentibus nobis, planeque mirantibus, quod novum humanitatis genus eſſet tanto luctu hoſpitii gratiam violare, ego propius ad hemicyclum acceſſi; vultuque quantum ſimulare potui confuſo, repentini doloris cauſam rogavi. Ille manu verberatam quatiens ſedem, nutuque multiplici cervicem inflectens, nihil quidem ſui cauſa commoveri reſpondit, ſed periculo noſtro: neque enim quemquam inultis criminibus laceſſiſſe patientiam cœli. Exhorruimus omnino tam confuſæ accuſationis invidia inundati; mutuaque admiratione ſuſpenſi, modo nos, modo ſenem in gemitu perſeverantem, ſæpiſſime innocentiam noſtram intuebamur.

Nec dubitavi quærere, quam in nobis flagitii ſuſpicionem

1 *Ipſe in hemicyclo ad Tulliani Scævolæ majeſtatem ſedebat.*] Tullius in Lælio: Tum memini domi in hemicyclo ſedentem. Cathedra eſt in ſemicirculum compoſita, communis magnatibus, Galli vocant, *Fauteuil.*

2 *Plane hominem frugi putares, & qualem non violaſſit olim licentia Gallorum, ſi in curuli capta urbe ſediſſet.*] Lucius An. Florus rerum Roman. lib. I. cap. XIII. ſic ſcribit: *Aderant interim Galli, apertamque urbem primo trepidi, ne quis ſubeſſet dolus, mox ubi ſolitudinem vident, pari clamore, & impetu invadunt, ſedentes in curulibus ſellis prætextatos ſenes velut Deos, Genioſque venerati, mox eoſdem poſtquam eſſe homines liquebat, alioqui, nihil reſpondere dignantes pari vecordia mactant.*

1 Catho-

nem inveniſſet? Ille vero humentibus oculis mœſtus, cæterum aliquantulum mutato in iracundiam vultu, Et hoc etiam rogatis, inquit, quaſi in Scythica feritate & divini juris barbaria educti? niſi forte etiam ignoratis, quam ſit inexpiabile crimen die feriata ſuſcipere iter. Viam præterea (quod abominor loqui) non ſeria Numinis memoria, ſed omni libertate ludorum, ſolutaque remiſſione celebraſtis: etiam polluiſtis innocentiam ædium mearum jocoſitate intempeſtiva, cum de via fatigati in proximo conſideretis; & tecta mea infelicem umbram veſtris ſacrilegiis præbuerunt. Poſt hanc orationem cum omnino ſtupore contacti, tanquam Numinum cœleſtium vatem adoraſſemus, veniamque inconſulto adoleſcentiæ errori deprecaremur, ipſe habitis honoribus mitigatus, nihil de cœlitum lenitate deſperandum oſtendit; ſi lachrimæ noſtræ emendationem bona fide ſponderent, jam Superos quantum deliquiſſemus ignorare.

Refecti tam mirificæ ſpei benignitate ſumus, ac tum ſocio meo libuit inquirere ſanctiſſimi ſenis nomen. Ille ſpiritum aliquantum ad cogitationem collegit; Et, quidem mallem, inquit, vos ab aliis accepiſſe: cæterum ne ſciſcitantes moleſta taciturnitate ſuſpendam, ego ſum [1] Catharinus ille, cui ſacrorum factiones tam candidum nomen fecerunt: & ut de me fateri audeam, moribus inter primos vivo, religione inter nullos. Tam ſuperba probitate commotus ſum, ut plura de ſacrorum cultu & vivendi modo interrogarem: incertus an vanitas ambitionis, an ſincera pietas peperiſſet Catharini faſtidioſum nomen. Ac cum ſenex repetita clarius tuſſi velut familiæ ſignum dediſſet, omnes ad illius orationem mirabili diligentia convolarunt. Nobis etiam ſtratæ ſedes allatæ, ubi compoſiti cœleſtium oraculorum auctoritatem exciperemus; ut jam ego nunquam caſ-

ſus

1 *Catharinus cui ſacrorum factiones tam candidum nomen fecerunt.*] Catharinus quis ſciens Græce dubitet. Id eſt, purus: hinc poëta,

Pura cum veſte ſacerdos. Et

Pura cum veſte venite.

 1 *Conſ-*

ſus miſeriarum vates, ariolarer ex tam religioſo apparatu, nos moleſta ſenis oratione hoſpitii gratiam empturos.

31 Sedato ille venientium tumultu, cum omnium ora oculoſque in eum expectatio defixiſſet, in hunc prope modum cœpit. Primis temporibus, cum nondum ex humano genere cognata aſtrorum ſemina aboleviſſent, & inter ſuperos mortaleſque, non virtus, ſed habitatio, diſcrimen conſtituiſſet, patebat in aſtra merentibus via; & cœlo mortalitas pæne libere commeabat. Teſtis Herculis Liberique fama nepotibus ſacra, & tot humorum corporum formæ, quæ viventium ſiderum numerum auxerunt. Sed poſteaquam virtutis præmia libido occupavit, & nihil honeſtum inter homines credi cœpit, quod non voluptatem promitteret; dii corruptam humanitatem averſati, præcluſerunt limitem cœlorum, & flagitiorum gravitate ſuum æthera onerare timuerunt.

Igitur amiſſa æternitatis via ſuperiorum ſæculorum infelicitas laboravit, & omnes excogitata ſacrorum novitate plus etiam deorum iracundiam ſollicitarunt. Tandem paulo ſupra ætatem meam aliqui ſacrorum ineptias aſpernati ſunt, detraxeruntque ineptiſſimis ſuperſtitionibus larvam, aut, ut melius dicam, detrahere ſunt aggreſſi. Stupuerunt enim in conatu, velut tanti operis immanitatem demirantes; contentique ex religionum agro ſuccidere virgulta, noxioſiſſimas radices tangere timuerunt. Ego tandem ſum, hoſpites, majoribus fatis natus, qui, ut primum ætas magiſtrorum licentiæ me ſubduxit, & purior quædam doctrina cœli munere inundavit, non tenui gemitus in tanta calamitate mortalitatis, cum omnes, qui duodecim ſeculis vixerunt, viderem veluti caliginoſa nocte per præcipitia & immenſas voragines prolapſos. Ac quod me maxime movit, nec unus eo ſpatio in hunc orbem eſt ingreſſus, quem non fœde in ſupplicia perpetua morte victura commune flagitium perturbarit, nemo, inquam, illa religione, quæ tum viguit, ſibi aliud æternitatis domicilium paravit, quam impio-

impiorum carnificinam, ubi mori jucundiſſimum putat. Viderit quidem Deus; ſed integra juſtitiæ fama, nec cuiquam eorum debuit parcere, nec potuit. Nec iraſcetur huic liberrimo dicto: nam & ſæpe graviora auſus ſum: & tamen vivere in hanc ætatem voluit, quam videtis. Cæterum non minus acriter exoſus iſtos ſeculi emendatores, qui ſuperſtitionibus pepercerunt, qui Poimenarchos, ut vocant, qui pervigiliorum tempora, qui linea ſacerdotum ornamenta, cæteraque deliramenta antiquitatis, nimis faciles admiſerunt, quam eos, qui omnino priſcis conſopiti erroribus adhuc jacent; longe in aliam emendationis viam inſtiti, & admota ſeverius manu, tenuiſſimas ſuperſtitionum fibras, etiam omnem imaginem, ſuſtuli. Cœpi damnare quicquid avorum ſeculum probaſſet, & ſi mihi creditis, pæne dubitavi, an eſſe crederem Numen, quoniam in eo inepta antiquitas conſenſit. Ego ſane grande diligentiæ pretium tuli; & in familiam meam reviviſcere innocentiam vidi, omnino qualem in ordiente mundo Numen primis mortalibus infudit. Nuda vota, ſinceraque religio, nulla ceremoniarum vanitate, veluti peſtiferis odoribus, corrupta. Die ſacro nec apud nos via longiori commeare fas eſt, nec publicis ſcenis aut privatæ ludorum comitati indulgere. Æqualitatis ſanctiſſimus amor; &, ſi mihi creditis, plus meorum voluntate quam auctoritate mea impero. Pudore & virtutibus contineri modeſtiam bonorum oportet: mali nec ſeveritate pœnarum poſſunt. [1] Conſiderate figmenta Poëtarum, qui felicitatem in aureo ſeculo deſcribunt: id eſt, cum nulla vis paria ingenia ſubigeret, nec tribunalia eſſent, ex quibus ſeveritas metum palloremque divideret convocatis. Sed vereor, ne antequam hoc ſuperbiſſimo perſuaſerim orbi, dum melioribus cœptis fata cunctantur, morbus ac ſenecta in ventos vires meas & animam effundant.

Dixe-

1 *Conſiderate figmenta Poëtarum qui felicitatem in aureo ſeculo deſcribunt.*] Vide quæ ſcripſit poſt Heſiodum Ovidius libro 4. Metamorph. de aureo ſeculo, ſive Saturni ſeculo.

Dixerat, & lachrymis vultus maduere ſecutis.

Videbar mihi Pythagoram audire, tota charta apud neſcio quem Poëtam ſuis legibus indulgentem; &, niſi commode hæ lachrymæ ſenis interveniſſent, periclitabamur in illis ſermonibus pernoctare. Sed jam deterſis luminibus videbatur novam fabulam producturus in ſcenam, cum lepidiſſima uxor exertantem labia aliquot baſiolis compreſſit; laudabili mulier forma, emendatiſſimo ore, nec eminentibus oculis nec effoſſis, iiſque ſubtriſti petulantia vibrantibus, annorum circiter viginti. Hæc ut effluentes Catharini lachrymas combibit, miſcuitque rugis maritalibus amabilem vultum; blandiſſimis precibus exoravit, ut faucibus & pectoribus parcere vellet: jam omnia ad cœnam comparata; manere convivas, iret, & hoſpites meliores exhortationibus factos ſuavitate convivii mulceret. Amavi mulierem poſt hæc verba, credidique omnibus Catharini præceptis potiorem eſſe.

Igitur ut ad cœnam diſcubuimus, & multiplicibus ferculis excepti, pietatis antecœnanæ cœpimus oblivíſci; etiam ultro invitante Catharino ad hilaritatem poculorum proceſſimus. Ego continuo in eum lumen obverti, omnino mitigatum, & ſuæ ſeveritatis triſtitiam ſubmoventem: quippe in formoſæ conjugis vultum tam conſtanter oculos defixerat, ut putares inibi latere magnetem, qui ferrei ſenis conſpectum in eam partem cogeret. Non tenui ego riſum, nutuque meum comitem in eandem contemplationem converti.

Cæterum nihil mirabilius mihi fuit, quam quod [1] extremo convivio neſcio quæ inſtrumenta illata ſunt; levia

1 *Extremo convivio neſcio quæ inſtrumenta illata ſunt, &c.*] Hic ad amuſſim deſcribitur Bibo tabacum efflans: quam deſcriptionem animi gratia ita ego verti,

Poſtquam epulis lætus finem conviva dediſſet,
Inſtrumenta ferunt famuli, dominiſque miniſtrant,
Grandior eſt lituus, poſtremum increſcit in uncum,
Deinde per exiguas diſſecta Nicotia partes
Digeritur tenui calice. Hæc ubi protinus arſit,
Exundat tenuis fumus, ſeſeque per auras
Inſinuans ſubita tectum caligine complet.

Tum

levia quidem illa, politaque, ſed Samia tantum. Eorum hic modus fuit. Calix erat exiguæ capacitatis, ad quem pertinebat directa veluti tibiola, eaque cavata. Catharinus autem aliquid evolvit ex multiplici charta, & in minutiſſimas diſſectum partes in illum calicem digerit, admotaque excitat flamma. Tum vero exundavit tenuis ſumus, & ſe in aërem diſperſit; cum Catharinus extremam tibiolam ori inſertans, perductum ſpiritu fumum per concavos inſtrumenti meatus diutius faucibus preſſit: donec ſubhorridus vapor occuparet domicilium mentis, & mirabili monſtro per omnium fere ſenſuum receptacula laxaretur. oculi concepta lachrymarum nube tamen ardebant: nares caliginoſi aëris reddebant volumina: & os omnino fornaculæ imaginem figurabat, cum humiditatem lignorum nondum victrix flamma exprimit. Sequutum eſt ingens ac ſordidum flumen, cum omnibus oſtiis exciti ab hac peſte humores aut concepti exundarent. Ac ne quid deformi ſpectaculo deeſſet, tam peſtilens odor triclinium invaſerat, ut jam mallem vel Catharinum orationem in illam horam produxiſſe. Invitati deinde ad eandem medicamenti ſuavitatem ſumus. plantam enim mirificæ in humorum noxam animoſitatis eſſe, & in omnes morbos procul dubio valituram. Sed neque me, neque ſocium meum, tunc fatigabat vita ad deſiderium mortis. Imo credidimus hominem [1] illum, ultra ad dotes, quas memoraverat nobis, etiam Pſyl-

Tum Bibo tibiolam carpens hanc admovet ori:
Utque diu digito calicem ſuppreſſit, & ore
Sorbuit halanti, ductoque per intima fumo
Imbuit obtuſos aditus, preſſoque meatu
Subſtrahit os; tunc ex oculis vapor horridus exit;
Conceptaque oculi lachrymarum nube micabant,
Deinde dabant nares ſimul atra volumina fumi.
Qualis Lympha foco nimium jactata potenti
Deſurſum fumi denſata volumina torquet,
Os quaſi fornacis ſpeciem præbebat, ut ignis
Exprimit ex udo fumum non victor; anhelo
Senſibus invictis fumus ſic redditur ore.

1 *Illum etiam Pſyllum eſſe, alioqui nunquam venenum tam atrox decoxiſſet.*] Teſte Plinio lib. 7. cap. 2. Pſyllus Rex fuit, à quo Pſylli Lybiæ interioris populi,

 quorum

Pſyllum eſſe: alioqui nunquam venenum tam atrox percoxiſſet.

[1] *Planta nocens, ô lethifero planta horrida fumo,*
[2] *Quam bona diverſis natura removerat oris;*
Quis te, planta nocens, triſti vectare carina
Inſtituit demens, noſtriſque oſtendere terris?
Scilicet infelix raperet cum ſecula Mavors,
Deformiſque fames, morbique, cadenſque ſenectus,
(Proh dolor) & ſæva legerent aconita noverca,
Heu etiam in noſtras deerant hæc fata ruinas!
Quis ſordes facinuſque tuum diroſque vapores
Explicet, & fœdo ſurgentia nubila fumo?
Talis avernali corrumpit ſpiritus auras
Miſſus in aſtra lacu, morituraque germina ſolvit,
Vicinumque pecus, [3] *volucrumque intercipit alas:*
Talis & inferni ſubter mala limina Mundi
Urget odor manes, cum lampada triſtis Erinnys
Solvit, & extincta fumant poſt prælia tædæ.
Planta nocens, ô lethifero Planta horrida fumo,
[4] *Te ſi ſemifero Cacus jactaſſet ab ore,*
Alcidem viciſſet odor. Te ſæcula priſca
Si noſſent, poterant vacuis præferre cicutis,

Et

quorum corpori virus ingenitum fuit ſerpentibus omnibus exitiale, unde & recens natos infantulos ſæviſſimis objiciebant ſerpentibus, eoque argumento conjugum ſuarum pudicitiam explorabant, partum adulterio conceptum judicantes cujus odore non fugarentur ſerpentes. Auctor eſt Plutarchus in vitâ Catonis per deſerta Lybiæ errantem Catonem Pſyllos ſecum duxiſſe, qui morſibus ſerpentum mederentur, partim ore exugentes, partim ſerpentes cantibus ſopientes. Lucanus lib. 9.

1 *Planta nocens, &c.*] Invectivum carmen: tale habet Horatius in allium in arte Epodos.

2 *Quam bona diverſis natura removerat oris.*] Scilicet America conſita eſt multis in locis, maxime vero in inſulis hæc planta, unde poſtea America comparata in Europam advecta eſt, & in Galliam quidem, ut volunt à Nicotio regente Galliam Catharina Medicæa unde planta appellata eſt etiam Nicotia, & Herba Reginæ vulgo Gallis *herbe à la Reyne*, utpote quæ talem plantam in ſe & aliis approbaverit.

3 *Volucrumque intercipit alas.*] Ajunt ſcilicet ex Averno lacu tantam mephitim exhalari ut etiam aves prætervolantes in lacum decidant mortuæ: unde volebant poëtæ eſſe aditum inferorum.

4 *Te ſi ſemifero Cacus jactaſſet ab ore, Alcidem viciſſet odor.*] Ex l. 7. Æneid. apparet qua ratione Herules Cacum occiderit. fuſa eſt ut lepida deſcriptio ibidem.

1 *Ut*

Et de Cerberea natam te dicere ſpuma.
Tum ſi quis patriam violaſſet cæde ſenectam,
Huic mites nimium flammas, huic lenta putaſſent
Flumina, fumiferi potaſſet nubila Peti.

Igitur poſt olidæ faſtidium cœnæ ſermoneſque Catharini novos, non minus vanitate hominis quam convivio ſaturati ad quietem ſeceſſimus. Sed poſteaquam altiori mente omnia pariter revolvi, & quæ jam in Catharini domo, & quæ olim apud Acignianos cognoveram, quæ præterea à diverſarum religionum acceperam myſtis, acerbiſſimo dolore perfuſus ſum, quod viderem contentiones mortalium non aliter divinis ceremoniis, quam humana lite, abuti; omnia agi ſupervacuo impetu, & crudelibus maledictis, quæ tamen invicem reprehendunt; eruditos ambitu trahi, & factionibus potentes; imbecillos vero auctoritatem doctrinæ aut virium ſequi. Quotuſquiſque, cogitabam, aut Acignianus eſt, aut in Catharini familia vivit, quem non impreſſa inſtitutio parentum, aut ſuæ gentis converſatio, aut impetus nullo rationis argumento firmatus, in partes ſeduxerit? quam pauci maturæ mentis conſilio ducuntur? & tamen illis odiis pugnamus, ut facile videas omnes ſibi ſapientiam imputare. O ſuperba mortalitas! ô immiſericors ſuperſtitionis ingenium! quaſi qui vere ſentiunt, non plus felicitati debeant, quam conſilio; aut quos fefellit occupata tot ſentibus via, magis iracundia quam ſuſpiriis digna committant. In hæc verba conſoporatus publicas curas cum ſenſibus amiſi. Poſtera luce ad Catharinum acceſſi, hoſpitalemque Jovem precatus, ut exhibitæ benignitatis gratiam referret, deſtinatum iter ad Teſſaranactum cum ſocio aggreſſus ſum.

Scolimorrhodia terrarum pulcherrima, nunc exiguis collibus tumens, nunc in planicies pabuli feraciſſimas extenſa, ubique lætiſſima viriditate exſultat. Arborum per publicas vias ordines adulti, ſepeſque quæ eminent ad ſecuritatem paſcuorum, ubique imaginem ſylvarum commeantibus

tibus oſtendunt. Armentorum atque gregum tanta frequentia, ut ibi Geryonis ac Atlantidarum fabulas ponere poſſis. Flumen erat, cujus alveum perpetua ſemita ſtringebamus, reciprocantibus undis ſtatos curſus mirabili commoditate reflectens: & paſſim quidem ingentibus navigiis ſtratum erat, ſcaphis autem remiſque tam multipliciter everrebatur, [1] ut nunquam magis Xerxes Helleſpontum oppreſſerit.

32 Ego felicitatem regionis admirabar, & adorabam ſimillimos Luſiniæ campos. Sed populus, ut plerumque fit, nimia fortuna ſaginatus, ſtimulos ingenioſæ paupertatis in ſuperbum otium mutaverat. Præcipue externi faſtidio eramus, & niſi ex Catharino cognoviſſem, tam ruſticum crimen tantum in vilioribus hærere, jam incipiebam averſari Scolimorrhodiæ faſtus. Certe quotieſcunque ad magnates divertimus; etiam meæ Luſiniæ humanitatem damnavi.

Lautiſſima ſupellex, & ipſum pavimentum quotidianis lævigatum laboribus, hortulique per plantarum ingenia diſpoſiti, feſſos erroribus oculos ſuaviſſime levabant. Ipſa colloquia magnatum, & puellarum humanitas, neſcio quid mihi ipſo cœlo felicius videbatur: tum convivia omni opulentia repleta, menſæque ferculorum mole depreſſæ: thororum deinde apparatus, & exacta in omnibus mundicies, animum meum, etiam Themiſtii vaticinia, permulſerunt.

Sed poſteaquam ad Teſſaranacti pervenimus ſedes, primum quidem religioſam majeſtatem frequentiſſimæ domus, tot tricliniorum cultus, tot atria famulorum ſplendore vibrantia, etiam paulo digniora credidi, quam ut ibi Jupi-

1 *Ut nunquam magis Xerxes Helleſpontum oppreſſerit.*] Notat Cornel. Nepos, poſt Pomp. Trogum & alios Xerxem bellum in Græcos cogitantem Helleſpontum tanto navium numero operuiſſe, ut ponte cum navibus fabricato ipſe trajicere cum copiis potuerit, quarum numerus opinionem omnem poſterorum ſuperavit.

1 *Quam-*

Jupiter habitaret. Cum autem Teſſaranactum contemplatus ſum, utique apparatum quantumvis venerabilem, tanto faſtigio minorem eſſe arbitratus ſum.

Cæterum cum aditum ad ipſum ſtudioſiſſime molirer, ad Amphiaraum amicorum principem veni. Nulli eſt Teſſaranactus intima charitate conjunctior; nec aut cuiquam Deorum juſtius potuit naſci, aut Jupiter ſimilem in cœlis Mercurium habet. Ego ſtatim in illius notitiam ſua facilitate perveni, & per hunc deductus ad Teſſaranactum cœpi melioribus diis uti. Nec multo poſt Teſſaranactus, cum me non mediocriter auxiſſet, etiam in ſacrarium ſuum induxit, ubi inter lectiſſimos famulorum ambroſia veſcitur: quod beneficium, divinæ mentis impetu raptus, iſtis ſubito verſibus proſecutus ſum.

[1] Quantus erat, magni peteret cum tecta parentis,
Quamque potens Phaëthon, tantum ſi viſere currum,
Nec curru voluiſſet agi: penetralia tantus
Nunc ſubeo, cælumque tuum pulchroſque receſſus,
O proles genitorque deum, qui ſceptra tiaramque
Oſtrumque & tanti decoras inſignia regni.
Nec tu ſole minor, quo ſe genitore ſuperbus
Jactavit Phaëthon. Tu nobis Phœbus Apollo,
Tu radiis Titan, tu meſſibus alter Oſiris,
Et mitra, & Paan, & cunctis gentibus olim
Sol quodcunque fuit. Medius Sol temperat aſtra:
Tu medius Reges, tu magni fœdera Mundi
Certo jure ligas, tu qua diſceſſeris ora,
Pallida ſurget hyems: tecum ver protinus ibit,
In campos quoſcunque voles. Lucebis Ibero;
Non erit Occiduo confinis Iberia Ponto,
Eoa plus luce nitens. Si Gallia Solem

Senſe-

1 *Quantus erat magni peteret cum tecta Tonantis, &c.*] Ab ipſo initio libro 2. Metamorphoſeos Ovidianæ deſcribitur qua ratione incitatus à Climene matre Phaëthon Solis Patris regiam adierit &c. ibid. Eſt autem comparatio Theſſaranacti cum Sole.

Senſerit, ô Galla quam frangent horrea meſſes!
Sed grates, Sol magne, tibi. Penetralia tandem
Mortali patuere viro. Jam cernere coram
Ambroſiam nectarque licet, menſaſque deorum;
Jam mihi non dubio venient oracula viſu,
Luxque oculis æterna meis, æternaque menti.
O lux alma mihi, quam nullis obruet unquam
Nox invecta rotis, nebulaque ingrata maligna.
Nec Superos majora precor, nec vota Tonanti
Ulla fero, tantum, ne, dum bona cuncta ſevere
Temperat, ætherea me vivere malit in aula.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

PARS

Digitized by Google

PARS III.

*APOLOGIA EUPHORMIONIS PRO SE.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi,

CAROLO EMANUELI,

Magno Duci Allobrogum, Gallorum Inſubrium Principi, &c. Euphormio S.D.

VEtuſtas Aſylorum (Princeps Potentiſſime) magis tutam improbitatem præſtabat, quam juſtis ſolatiis explicabat humanitatem. In iis ipſi dii ſcelerum cuſtodiam agebant, ad audaciam novorum facinorum & infamiam cœli. Nec miramur, adulteros & fures deos, tutelas flagitiorum eſſe factos, ſed innocentibus viris pudenda incolumitas videtur, ad alias profugere aras, quam quibus nec inſidere improbitas, nec innocentia poteſt arceri. Talem lucum, tam candido numini ſacrum, quæſivi in maledicentia quorundam, qui meum Satyricon laceſſiverunt. Nec longe petendus videbatur ſub meo rege viventi: ſed ut illi quoque probarer, quæſivi ſuffragio tuæ Celſitudinis niti. Tibi igitur (Dux Sereniſſime) deſtinavi hanc innocentiæ meæ Apologiam ſupplicem, donec periculum inimicorum erit, & poſtea quam vicerimus donarium. Indigna res, quam tuæ Celſitudini nuncupem. Sed ſi quæſiiſſem faſtigio tuo dignum munus, non habeam: ſi maxime conveniens; iſtud erat, ut ſub auſpiciis tuis, Princeps armis & literis inclyte, hanc literarum capeſſerem pugnam. Quis crederet, inter tot armorum ſtrepitum, tot negotiorum molem, quæ omnem Celſitudinis

tuæ

* In hac Apologia ſeu defenſione ſui Euphormionis notat aberraſſe non paucos in perſonarum denominatione & claves hactenus fabricatas eſſe nullas, neque ſe famam aliorum voluiſſe proſcribere; ſed nævos quoſdam tantum in nonnullis notare.

Digitized by Google

tuæ ætatem exercuerunt, Muſas quoque in ſecretum tuum auſas intrare? Atqui capaciſſimus animus tuus, & per omnem eruditionem lævigatus, nuper mihi in ſacrario tuo, velut de maturis & ad vera negotia otioſis literis, pulcherrime eluxit. Neque de noſtri Numinis penetralibus egreſſus, alibi ſincerius, quam in tuo templo, ſummam, & qualem reliqueram virtutem adoravi. Nunc vero, Maxime Princeps, te veneror, ne iſtud votorum meorum exile monimentum de tuis tholis refigas; maxime illa manu appenſum, qua, ſi tui Jani fores ad novas laureas recludes, jam ſe alia Pallade tuæ Celſitudini approbabit. Vale. Londini, Kalend. Septemb. M D C X.

INnocentem ludum, & calamitatis ex compoſito ſævientis imaginem, per veras querelas, [1] proh fatum, & indignationem jam non fabulis quæſitam, abſolvam. Intumeſcet aliquando pulſatus ani-

1 *Proh fatum!*] Superſtitioſa antiquitas fatum eſſe credidit cui Deos ſubjici volebant, quos etiam nil poſſe contra fatum aſſerebant; unde Juvenalis ſic ait,

Caſus, & occulti miranda potentia fati.

Et Virgil. in ſua Æneide,

Fortuna omnipotens, & inevitabile fatum.

Pindarus vocat *Parcarum potentiſſimam.* Verum ſi Boëtio credimus, lib. 4. Conſ. Phil. cum Chriſtianè dicemus nullum eſſe fatum præter divinam providentiam, quæ omnia temperat; attingens à fine ad finem fortiter & diſponens omnia ſuaviter. *Providentia*, inquit, *eſt illa ipſa divina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit. Fatum vero inhærens rebus mobilibus diſpoſitio per quam ſuis quæque nectit ordinibus. Hæc actus etiam fortunaſque omnium indiſſolubili cauſarum connexione conſtringit, quæ cum ab immobilis providentiæ proficiſcatur exordiis, ipſas quoque immutabiles neceſſe eſt eſſe.* Ita & D. Th. 1. 2. q. 9. a. 5. ubi plura. Addit: *Sunt qui introducunt cauſarum ſeriem ſempiternam, mentem hominis voluntate libera ſpoliatam fati neceſſitate devinciunt. Tales,* inquit, *fuere Democritus, Heraclitus, Empedocles, & Ariſtoteles: ſed quam ſcitè Chryſippus Cylindro vel turbini comparat, cum non à ſe ſed ab alio motum impreſſum habeant. Eſt,* inquit, *ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum, & catena volvens ſemetipſa; ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines ex quibus connexa eſt.* Plotinus in ſua Enneade aſſeverat primam hanc cauſam per creaturas omnes effundi, neque poteſt aſſentiri illis qui docent fatum à compellationum ſitu pendere. Eſto Zonaras Annalium 3. narret ipſo die quo Julianus Imp. apud Perſidem occiſus eſt, Antiochenum quendam ex optimatibus aſtra ſimul aggregata compoſuiſſe iſtas dictiones, *Σήμερον ἐν Πέρσαις Ἰουλιανὸς ἀναιρεῖται.* Sed quid tum? Vis fatum vocare non errabis, hoc eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſa cauſarum, ait Seneca l. 2. quæſt. nat. cap. 45.

Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege,
Longaque per certos ſignantur tempora curſus,
Naſcentes morimur, finiſque ex origine pendet.

At

Digitized by Google

animus, qui etiam ad umbram quas effinxerat injuriarum digna veris doloribus verba invenit. Sed hoc malis acceſſit, [1] quod Andabatarum diſcrimine exerro in arena. Velato enim capite qui me laceſſant, & quos devoveam, ignoro. Inter tot maledicos, tot invidos meæ famæ, nemo ſe obtulit, quem poſſem celebri ignominia, velut longa, & apud poſteros duratura morte, dignari. E latebris, quem non poſſunt imitari, ignobili invidia conantur opprimere. Nam magnorum hominum ſecurus ſum, qui Satyrici mei ſimplicitatem, nec ad livorem morſus, pro ſcripti genere & temporibus æſtimant. Nec aliud in callidis aut imperitis adverſariis horreſco, quam peſſimam artem ſubornandi in odium meum non intactos mihi tantum, ſed etiam laudatos, contra modum ſuſceptæ ſeveritatis. Sed non feram diutius fœdarum avium voces, in candida ſcriptorum meorum omina euntes. Iudices autem feram ſummos viros, quos ut ſæviter traductos in libertatem mei ſtyli ipſo Satyri nomine excitaverunt.

Cum exercitam primæ ætatis ambitionem de ſchola attuliſſem, cupiditas nominis & adoleſcentia, commune argumentum ad famam, acrem ſtylum obtulerunt. Accuſare totum Orbem inſtitui inſonti violentia, & plus in ſpem propriæ laudis, quam ignominiæ aliorum. Diſſimulatus igitur verecunde mihi ipſi ſub Euphormionis nomine præluſi: ut, ſi novi hominis & vigeſimo primo anno ſcribentis exploderetur mali ſucceſſus labor, ſaltem occulti vulneris dedecora alieno titulo exciperem. Evulgatus liber, tanta modeſtiæ lege ut ſibi in neminem privatim quidquam acerbi permiſerit, ſtatim ad famam quodam æſtu exultantis fortunæ ſubvectus

At fatum eſt quod de unoquoque noſtrûm Deus fatus eſt, inquit Minutius Fœlix in Octav.

1 *Quod Andabatarum diſcrimine exerro in arena.*] Id eſt, imitor Andabatas gladiatores in arena amphitheatri digladiantes velato capite; & circa noctem jam appetentem, more diludii, ſæpeque gladiis aërem verberantes. Vide Lipſium de variis generibus gladiatorum. De Andabatis ſcribit Eraſmus, Andabatæ fuerintne populi clauſis oculis ſoliti pugnare, an gladiatorum genus, an potius luſus genus, ut propemodum ex Seneca licet conjicere, nondum ſatis compertum habeo.

ctus eſt. In eo ſub fictis nominibus, quæ ad ſuſtinendas vitiorum perſonas induxeram, conabar per ſuavitatem fabulæ multa & diſparia flagitia damnare. Nam quid inſulſius fuiſſet, quam ſuſcepta accuſatione omnium, paucos, neque ex improbioribus, perſtringere? aut quæ illa periculorum aviditas, ſi magnos viros gratuitis inimicitiis inconciliaſſem, præſertim in luce & diſcriminibus victurus? Quoſdam tamen de notis & ſpirantibus miſcere inter hæc falſa & inania ſimulachra inſtitui. Sed & facili imitatione nominum prodere, ne per omnia fictam ſcenam multorum ſtudia deſtituerent, qui in certam & viventium criminationem intenti ſunt. In iis plus voluptatis aut riſus, quam ſolidæ & legitimæ accuſationis quæſivi. Ita communi & malo vulgi gaudio, ſed non per flagitium, obſequutus ſum.

Ecce autem, ne impune fortuna faveret, primo eorum, qui Euphormionem amabant, intempeſtiva diligentia; mox ſedulitate invidiæ, in omnes ſimpliciſſimi ſcripti partes *ſolicitæ ſeveritatis lege* quæſitum eſt. O ridiculum tam ineptæ ſapientiæ acumen! omnia ad hiſtoricam legem cogere, pro libidine ſententiis abuti, perpetuaſque injurias & malignam prudentiam cogitare. Jam Callionis, jam Fibullii nomina turbulento vaticinio certis hominibus deſtinabantur. Denique quæ communia peccata ſub privatis nominibus carpſeram, in ſingulares homines à publica criminatione referebat hominum quorundam inepta natio & ex ſaucii animi livore cæterorum modeſtiam æſtimans. Multi quoque iraſcendo agnoſcebant ſcelera, & ſibi maledixiſſe invitum cogebant. Etiam ubi commendaveram virtutem, omnia opinio continuæ atrocitatis corrumpebat. Primus itaque turbo ex hac irrequieti vulgi imperitia concitatus eſt. Alexandriæ Quæſitorem, non procacitate ulla, aut contumeliam celantibus jocis, ſed hilari & ingenua laude proſequutus ſum. Habitationis ſuæ via, materiam ludendi ſua appellatione præbuerat. Indignum itaque dixi, qui inter mala habitaret. Hic vero potiſſimum genus rudes, & ſuæ imperitiæ ignari,
ad

Digitized by Google

ad indigni nomen commoveri, facinus clamitare, quod illi homini convitiarer. Ex Academia quoque (proh labem ſervitutis) quidam ad eum perveniunt, monentque cujuſdam Euphormionis Satyricon illius innocentiam tetigiſſe. At ipſe in mediaſtinis ignoratæ latinitatis vitium deriſit; Euphormionem autem tantilli beneficii memoria amare profeſſus eſt.

Eodem quoque tempore Callionis, Percantiſque, Fibullii quoque & Pedonis nomina, ab otioſis tacita æſtimatione jactabantur. Deſignatos proceres ajebant, & ignominioſis coloribus ad populum velut in tabula eſſe productos. Sed in neminem unum lineamenta alicujus imaginis cadebant. Itaque variatis ſententiis, neque meæ petulantiæ, neque ejuſmodi divinationis idonea argumenta, reperiebantur. Nam & plerumque fruſtra quærentium labor erat: cum hæc nomina, partim ad argumentum efficta, non alibi, quam in mea ſcena conſiſterent; partim autem eſſent hominum mihi privata familiaritate cognitorum, ſed qui non ſummis faſtigiis editi apud multos latebant. Nam quid intererat deſcribere vitia ſummorum aut mediocrium hominum; cum utrique eadem pravitate ſceleribus indulgeant? & ſæpe efficaciora nequitiæ conſilia in humilibus videas, dum ambitio ad parandam magnitudinem fœdiora flagitia quam ad tuendam audet. Nihil diſſimulabo in hac ſimplici profeſſione ſenſuum meorum. Aliquot amici hanc ultionem ingratis animis meruerunt: quibus ad conſuetudinem benevolentiæ receptis, & illorum crimina & Satyrici mei iracundiam reconciliatio extinxit. Cum in illis vana quædam ſtudia torquerentur, ne Euphormio quidem ſuperſtitioſam diligentiam evaſit; quis aut unde eſſet, quæ illius Luſinia fabuloſa felicitate celebrata, num denique propriis doloribus hanc Satyrici libertatem dediſſet, omnia per vanas conjecturas, inter otia literatorum vel invidiæ curam, penſabantur.

Speciem amentiæ, crucemque, & cætera quæ luſi calamitatis mala, præcipue ſervitutem, voluerunt imputare,

Digitized by Google

cui me in Callionis familia, mea fabula addixit. *Sparſa in* vulgus chartula erat, quæ omnia Satyrici mei ſecreta videbatur recluſiſſe. Inter cætera, mihi quoque dominum mirifica ſagacitate invenit. Is erat, quem ego nullius coloris novi; niſi quo famam in ignoto revereor. Fortuna liberalius mecum egit; nec ullius privati familiam auxi, è paternis in regiam focis eductus. Ita excuſſo Satyrico, nullam partem volebant arte aut convitio vacare. Sed nec omnibus incivili iracundia adverſor. Multi in meos ſenſus candide quæſivere; digni quibus referam gratias: per quos & ubique, jam vero neque fatis rapientibus, extinguar.

Tandem occidente invidia, videbar expurgationem habuiſſe. Galli Germanique mutuis editionibus Euphormionem vindicabant, & ubique ſine malæ atrocitatis ſuſpicione tractabar. Sollicitatus male fida pace ventorum, ecce iterum ſolvo de portu, & navigium vix refectis armamentis in altum perduco. Nondum enim conſumſeram impetum, qui me ad ambitum publicæ celebritatis protraxerat: & jam cum præjudicio vocabar ad Satyram. Novos igitur libros ex eodem cortice excidi. Sed ô fatum! non periculoſius illum in Alpibus impatientem motus lacum, quam tranquille ſedentia ſeculi vitia agitaviſſem. Pręcipue fraudi fuit, quod Gephyrium & Acignianos tetigi. Nec enim æſtimatis argumentis paſſim proſcribebatur Euphormio, & [1] ad triſtem litteram judicibus ſatis erat, quod in Satyra Gephyrii nomen & Acignianorum legebatur; dum illi ſua vitia putant tutiſſime à populo ſuperſtitioſa reverentia neſciri, hi autem in ſacris hominibus accuſari omnes deos. Non indulgebo imprudentiæ meæ, ſi quid procaciter aut contumelioſe ullarum partium judicio peccavit. Nam quod verbum in Gephyrium atrox? quid in tam invidioſo argumento non benigniſſima humanitate diductum? [2] Occaſione motus qui Marciam nuper erexit,

1 *Ad triſtem litteram judicibus ſatis erat.*] A littera ſalutaris; C littera funeſta, & triſtis.

2 *Occaſione motus qui Marciam nuper erexit.*] Quisqnis ignoraverit ſimultates & diſſenſiones Reip. Marcianæ ſeu Venetæ legat illius monachi libros qui vulgo *fra Paulo* appellatur.

Digitized by Google

xit, tempeſtatis minas deſpexi, quæ hybernum in Adriatico increpuerant, Parricidium aut portentum, cum res cerneretur atrocibus ſtylis, Euphormionem, animum ſuum tot horrore fluctuum gravem, tot nugarum indignatione tumentem, exonerare voluiſſe. Sed & tam miti ſtudio, ut Gephyrium excuſarem, quaſi alieno impetu falſis & vanis hominibus ſe tantum præbuiſſet. Hic tanquam vicino incendio æſtuare Italiam, & totam quæſtionem curioſis libellis excuſſam, poſt omnium fœderum religionem pugnaturis. Nam piget excuſare quod inſolentem & toties Gephyriis funeſtam poteſtatem notavi abdicandi vel conſtituendi principatus. Sed & ibi parcente iracundia videbar languiſſe, cum tam publicam facem, tot ſcelerum & turbinum conſciam, Gephyriorum manu jactari modeſtius indigner, quia unusquiſque ſibi favet, & nulla vis eſt ſuavior quam ſupra ſe adulationis tormento rotari: Illis autem, qui hanc mentem Gephyriis injiciunt, id eſt, qui illam facem ad incendium adornant, non humano tantum odio iraſcor, ſed aut ſupra communis malitiæ, & quam veluti uſus excuſat, jura euntes abominor, aut infra humani acuminis præſtantiam demiſſos contemno. Nam quid importunius, quam reſcindere vincula reverentiæ à primordio terrarum ipſa Numinis manu ſanctiſſime aſtricta, &, quod teterrimum puto, tam grandi flagitio inſcribere ipſum cœlum? Hæ ſacrorum hominum furiæ, quibus ne ſuæ quidem ſententiæ vere placent, non alios ſibi conciliant, quam ingenia imbecillitati damnata, vel ſimulationem callidorum ad perfidiam ambitionis pietatis imagine utentium. Ex ipſis autem religionum adminiſtris, præcipui arcana ſpe Gephyrios omnia poſſe voluerunt, quia quo ſuperbius fluvii excreſcunt, eo vividiores rivulos propagant. At vero parvæ mentes ſpiſſo judicio inter Numen & Gephyrium vix deſtinguunt. Ecce, ipſam Urbem ſi placet intueri (nam quos alios Gephyrium ſceptris præficere non pudet?) & ſuperbam fiduciam ſupra ſuos tumentium colles, illuc utriuſque poteſtatis faſces, & procul ab

hoſtibus tanta majeſtas, etiam conſcientia aut pœnis compoſitæ mentes, ſciolos illos, velut fulmen in Capitolio tenerent, in contemptum Orbis attollunt. In iis, ſi paucos excipias, fruſtra ſolidas maturaſque litteras expectes. Non gentium monimentis, non illa ipſa, quam jactant, Theologia, ſat nervoſis laboribus nituntur. Solum eruditionis tam ſuperbæ, tam fidentis ſibi ſupercilii fundamentum; Juris Canonici, Praxiſque Romanæ mediocris & ad faſtum ſubornata cognitio. Hoc eſt urbani laboris compendium, quo, velut anheli in omnis ſcientiæ culmen aſcendant, deſpiciunt totum Orbem, tanquam ſoli ſapientes. Quid mirum ſi Gephyrii laceſſiti tot vocibus, & [1] veluti Luperco Antonio diadema omnium gentium tradente, vincuntur dulci & pæne invicto malo ambitionis? Hi ſunt, inquam, urbis incolæ, qui ſuis coloniis peſſimorum invidiam facinorum & exitus forſan atroces per diverſa terrarum concitabunt. Nam & hanc ſententiam velut plebiſcito jubent in Urbe veram eſſe, & à ſuis ubique propugnari; ſcilicet inter alia otia ſecuri caſuum aut ignari, qui in aliis regionibus ſuperveniunt pertinacibus in Philoſophia tam audaci. illam Philoſophiam intelligo, quæ ſceptra omnia laceſſere aliquot Syllogiſmis non veretur.

Igitur cum hæc diſcordia non Italiæ tantum, ſed Orbi incubaret, ad eas partes una ſententia acceſſi, quas boni nullo diſcrimine religionum ſequebantur. Quod ſi Gephyrium hæc diſceptatio intra verborum modeſtiam caſta offendit, ſaltem Marcianos quo in me ſacrilegio erexi? Tam ingenue civitatem extuleram, ita cultum & induſtriam naturæ victricem, ut ſi vel Corinthius eſſem, jura civitatis expectare poſt Herculem & Alexandrum poſſem. Illinc tamen maledicta, & turbulentius inimicitiæ, procurrerunt.

Qui-

1 *Veluti Luperco Antonio diadema omnium gentium tradente.*] Objurgat Cicero Antonium Philippica II. quod hic dum Lupercalia celebraret diadema capiti Julii Cæſaris impoſuerit, quod cum repperiſſet Cæſar, omnium acclamationibus exceptus eſt.

2 *Una*

Quidam mœſtum ingenium ſupervacua diligentia exercens graviſſime tulit, quod immenſas laudes quibus Marciam attollo, auſus eſſem Satyrica jucunditate ſignare: ignarus hoc potiſſimum ſale ad poſterorum fidem tanta præconia condiri. Optimates priſcæ ſimplicitatis licentiam, inter hodierni ſcrupulos moris, dicebam, nihil adulterata libertate ſervare; neglecto famulatu ſolam reverentiam circumferre; per ſcaphas poſſe olera, vel in prandium carnes, nihil violata majeſtate deferre. Tam inſolenti ſcilicet maledicto excandeſcere ille Cenſor, nec reputatis laudibus, quas prodigus effudi, huic parti inhærere. Certe aliqui crediderunt offenſum, quod ovillam quam Venetiis malam habent, imperitus Ædilis probaviſſem. Sed tam gravi caſtigatus indicio redii in curioſam memoriam tantæ rei, & profecto bubulam ex oſſium nodis agnovi. Neque tantum timori indulgebo, ut in me Macianorum ſtricta odia eſſe putem.

Moderatio illorum nunquam tam facili exæſtuans vento de ſua pace decedet. Nam ſi mitem & innoxium damnant jocum, cur theatrali licentiæ indulgent, cur interſunt ſuis ſcenis, quæ illos nec diſſimulato nomine traducunt? Erumpit barbatus ex aulæo ſenex, purpureæ tunicæ pullam veſtem ſuperinducens; hanc utraque manu collectam in renium ſarcinam levat, & Marcianorum habitum profitetur adumbrare. Num ideo comitas proſcripta ludorum? num Poëtis vel hiſtrionibus triſtiori lege detractum? Imo curioſa frequentia adſunt, & ſe hilari imitatione productos ipſi ſæpe cum populo riſerunt. Adeo publica cavillatio plus habet remiſſionis quam aculei, ut videaris illi ipſi, quem aperto nec flagitioſo laceſſeris riſu, jocandi voluptatem ingenua libertate quæſiviſſe. [1] Una Cynicorum malignitas,

1 *Una Cynicorum malignitas.*] Cynici philoſophi quidam fuerunt, ſectatores Anthiſtenis. Ita dicti ſunt ſive à Cynoſarge gymnaſio in quo Anthiſtenes profitebatur; ſive à canina mordacitate, qua in hominum mores nullo diſcrimine invehebantur; aut ut alii volunt, ab eo quod canum more in propatulo coire non dubitarent, quemadmodum de Crate, & Hipparchia tradit Laërtius.

Digitized by Google

gnitas, & intra latebras ſuſurrantium nefas, leges in maledicos, & magnorum hominum iracundiam extorſit. Etiam beneficium debetis, ô quicunque mores veſtros in publico videtis excuſſos. Hæc libertas, iniquorum & invidiæ nervum franget, ſic tantum ad occulta & inconceſſa ludibria tendentem. Aſtus quoque ſibi aliquid conſciorum eſt, jactare ſuam culpam, & proprio riſu alienam licentiam redimere. Nam quis perpetua innocentia candidus, aut ſe intra gratiarum legem nunquam exerranti venuſtate polivit? quis de cœlo illam prudentiam deduxit, quam Jovi aſſidentem & ideam laborum ſuorum Pictura & Poëſis in artificii æſtu intuetur? Nimis ſuperbe dedignatur mortalitatem qui peccaſſe erubeſcit. Sed ut primam pulchritudinem naſcentis Solis excipimus ad Occidentem obverſi, quippe jugis montium primum in ea parte nondum emerſi Solis radio occupatis: Ita virtutum ſplendorem admiramur in ſapientibus, compoſiti velut ad eorum Occidentem, id eſt, ſuorum vitiorum umbram, quæ rara & egregiis dotibus conceſſa, non minus quam extremæ nubes in picturis nobilibus delectant. Sed & recenſitis maculis cætera videmur adorare, in iis qui numerandis vitiis, immenſis autem virtutibus, minus terræ quam ſyderibus debent.

[1] Marcia felici miſerorum exilio erecta in utriuſque naturæ confinium, callidiſſima virtute, nec minus ingenioſa fortuna, involatam majeſtatem in hoc ſeculum erexit.

Ex hac ſecta fuit Diogenes ille Cynicus, qui aliquando interrogatus quare canis appellaretur? *Quia*, inquit, *dantibus adblandior, non dantibus allatro, malos autem mordeo.*

1 *Marcia fœlici miſerorum exilio erecta in utriuſque naturæ confinium.*] Venetiæ civitas inſignis in reip. formam redacta, in maris Adriatici paludibus ſita eſt; & hanc à natali Christi quinquageſimo quarto ſupra quadringenteſimum conditam volunt à colonis Atticæ Hunnorum Regis furorem fugientibus, dum ille Aquilejam everteret. Alii volunt Venetos populos fuiſſe Italiæ, ab Henetis Paphlagoniæ populis & Trojanis oriundis, qui Troja everſa cum magna manu Henetum duce Antenore in intimum maris Adriatici ſinum pervenerunt. Italia à variis principibus occupata eſt ex quo imperium ſua quaſi mole obrutam variis principibus viam aperuit. Vix enim ullum regnum ita diviſum eſt in principatus quatuor vel quinque, in tres reſpublicas & in regna.

1 Nec

xit. Quis neget civilium rerum æſtus illic ad Orbis ſpectaculum eximios fuiſſe, inter tam vicinæ & diverſæ potentiæ vices ſemper per turbines & tempeſtatem exeuntis? Italia virorum Principum victoriis occupata eſt, nec minoribus armis amiſſa. Eximiæ res Ligurum, & Longobardia ferox felicibus bellis. Super omnia Imperatores quidam vetus nomen, vetus auſpicium veteri quoque ambitu & militia implebant. Sed tam gravi multiplicique procella plus terroris prudentiæ Marcianorum quam calamitatis infuſum eſt. Per tot mala & ſervitutem Orbis ſoſpes Reſpublica, & ingentibus inimicitiis ſuperſtes, non mirabilior imperio quam libertate fuit. Hanc ſive moderatione ſuorum, ſive rigida cuſtodia inſtitutarum legum, nulla tyrannis delibavit. Gentem quoque barbaram & quæ ſui ponderis ruina ad noſtra littora provoluta eſt, laceſſere diu auſa, tandem æquis fœderibus continuit. Quis tantam clementiam fatorum, quæ dignos ſuis beneficiis invenerunt, aptis præconiis adæquet? Nam opulentiam civitatis & prudentiam Patrum erit facilius mirari, quam jejuna & impari laudatione libare. Tamen & natura ſuis nævis pulcherrimum corpus aſperſit, & iis fortaſſe aliquid ad incrementum reſpublica profecit. [1] Nec enim Syllas vel Marios, apud Pompeji magnitudinem, & ad ſuum fatum gentem Juliam invenit, quia ibi ſive ſponte ſive ſic inſtituta ingenia vim legum non ægre patiuntur, & humilius ſpirantia quam ut faſtigium quatiant rerum, æſtum, quo plurimum poſſunt, in communis potentiæ decus informant. Equidem crediderim ex genio gentis deſcripta eſſe jura, quia tot ſæculis perennant: quæ ſummota pompa non ambitum modo, ſed ſumptus, & per hoc inopiam proſcripſerunt. Veſtium ambitioſa pretia, & inanes comitan-

1 *Nec enim Syllas, vel Marios, aut Pompeji magnitudinem, & ad ſuum fatum gentem Iuliam invenit.*] Hi ſcilicet variis ſeditionibus ac tumultibus remp. Romanam miſcuerunt ſpe dominatus; & Marius quidem Syllæ ambitioni fortiter reſtitit ſemper, ut & Pompejus Julio Cæſari, qui tamen imperium ſibi ſubjecit magnitudine Pompeji fracta.

Digitized by Google

tantium cœtus, pluſquam Lycurgica rigiditas ex urbe ſummovit: ne inter pares luxurioſa æmulatio ſolidis patrimoniis conſtaret, vel liberam civitatem tot ſatellitia quaſi ad imaginem tyrannorum exterrerent. Una optimatibus veſtis, non colore, non filo pretioſa; idem integumentum capitum, ad externarum gentium jocum, ſimplex, nullaque melioris ſeculi venuſtate ſpectandum. Ipſa ſolitudine neglecta majeſtas; dum patricios videbis nullo ſtipatore circumagi ſcapha vicos & per totum populum errare. Abſit huic licentiæ ignominia, ſed & convitium narrationi meæ. Nec mercari, nec mercimonia manu ferre, nobilitatis flagitium eſt. Illi mores, & ſeu caſu ſeu calliditate majorum feliciſſimæ nugæ, ita nobilitatis licentiam miſcuerunt, ut res eadem & nota libertatis & cuſtodia eſſe poſſit. Nam & optimates in urbe velut ſua evagantur; nec liberiores domos quam publicum ſuum habent. Rurſus autem tam modeſtæ magnitudinis lege depreſſi non diſpiciunt æquales eminentiæ ſuſpecti, & ſectam clientibus plebem emunt. Hoc eſt grande maledictum, hæc procacitatis immanitas, quam in me quiſquis ille Cenſor eſt importuna ſedulitate notabat. At te ſancta Reſpublica, te veræ dignitatis & opulentiæ alumnam veneror, ne memoriam tot laudum, & Satyrici beneficium tibi ultra ſuam ſortem blandientis, inſons jocoſitas extinguat: ſi te dignis nominibus veneratus ſum, & mitius tecum quam cum Britannia mea egi. Poſt tam ſimplicem & verecundam defenſionem meam, non putabo per ullius invidiæ maledicta te alienari ab innocentia mea poſſe.

Utinam me Acigniani tam candide audirent, qui utriuſque ſæculi tribunalia petentes, numquam bene tamen conſcii animi fiduciam terrebunt. Ingens factio, & ſuæ potentiæ auctoribus gravis, [1] lenta vincula, & ſupra Vulcanicos hærentia dolos, territis alterutro metu animis injecit,

1 *Lenta vincula, & ſupra Vulcanicos hærentia dolos.*] Hoc eſt, validiora quam Vulcani vincula quibus Martem & Venerem cautè deprehenſos conſtrinxit.

1 *Vellem*

cit, demiſſionis culpa per contemptum opum ire arduaſque virtutes: populi credulitatem ad omnia tenuerunt, & robuſtiores mentes faſtuoſis viribus tentant, tam ſancta potentia ad humanum imperium repente traducta. Hos infamiæ aut egeſtatis horror, hos ſpes alta tam ſuperbe florentibus junxit. Quippe illi per virtutis arbitrium ſibi à populo alumniſque commiſſum, ipſi famæ interdicunt, ne ſuis adverſariis liceat probis aut ingenioſis eſſe. Ad ultimum divinis & humanis viribus freti, has callidiſſime in illarum ſtringunt contemptores.

Cum his hominibus quæ me commiſerint cauſæ, privatis injuriis aſper, an inimicitiarum claritudinem ſponte depoſcens, quidam fruſtra quæſiverunt. Nullum acerbitatis argumentum in his ſcriptis, aut iniquæ veſtigium mentis. Sero & leniter in eos quærere auſus, quædam vera apertaque modeſtiſſima admonitione deſcripſi; &, ſi Satyricon ſine præjudicio legent, fortaſſe prævaricationem amabunt. Nam quid triſte innocentis ſcripti hilaritas objecit? parata ab inimicis tela non ſtrinxi, quę agnoſcere nolebam, & graviora ſuſcepto riſu erant, & ambitum eorum, quaſi ad veram potentiam neſciret attolli, intra ſolas literas perſequutus ſum. Nec putabam tantæ modeſtiæ iraſci, qui id ſolum proficiunt, ut quod ſub inani luſeram joco, altiori præjudicio confirmem.

Attentatum in literas regnum & domorum temerata ſecreta: tum ingenioſam juventutem in illorum maculas omni venatione compulſam, extra convitia arguebam. Ac utinam falſis indiciis tanta nomina detuliſſem, quæ jam vulgaris altiorum mentium indignatio damnavit. Quis non enim melioris ingenii tot mortalium inſaniam triſti acerboque perſequitur riſu? aut quis captos Acignianorum artibus ignorat, qui cæterorum quidem tanquam barbara & incondita ingenia aſpernati, apud Acignianos credunt Muſas omnes felici facinore pæne in cuſtodia haberi? Majeſtas & moderatio inceſſus, & ſecretum ab externis penetrale, tum quorundam ingeniorum felicitas, quæ in illis viguerunt,

runt, eos ad tam immodicam ſcientiæ famam evexit. *Acceſſit* induſtria callidiſſimæ gentis, quæ ſeſe ad exiſtimationem mutua commendatione protrudit, & in alibi orientia ſidera levi deſpectu & veluti faſtidio, etiam maligna laude, nubem perniciosiſſimam exhalat. Nam & hominum generi dominantur inepto quidem aut inſano, ſed ipſa multitudine impetuque valenti. Si placet, Sciolos appellemus. Hi ſuperbo nec capaci ingenio, rumores, quoſcunque ab Acignianis acceperunt, tanquam ſecretæ rupes multiplicato tumultu referre ſtolida pertinacia aſſueverunt. Tantæ quoque juventutis quantam ipſi excoluerunt, obſtinatis ſuffragiis nituntur, dum ſe omnes ab eruditiſſimis edoctos ſupervacua vanitate contendunt.

Et his quidem machinis intemerata potentia ad ipſa ſidera ſuſpexit. Nunc videas tot fucorum perire ſecretum, Societatis flore paulatim per ipſa fortunæ munera oppreſſo. Nam qui in paucis urbibus ſuorum aliquot lætiora ingenia oſtentabant, qui faſtidioſum delectum habebant ſuam clientelam ambientium, nunc immenſis coloniis diſſipati, ægre ſua Numina in tot templa divident, & exhauſtis civibus ſervitia ad ſacramentum vocabunt.

Quid cenſeam de illorum ſtudiis ſi quæris: in illis non pauci mediocres, per proprias dotes aut laborioſa inſtitutione formati; multa humilia, ſed quæ ſuo & ſociorum vultu fallunt; denique ingentes quædam mentes, quæ nuda & exilia exterorum nomina ſua fama circumvolvunt. Fallitur enim qui tantum ingeniorum proventum eſſe putat, ut alicubi ſpiſſa & tanquam per armenta numerentur. Quod ſi Acignius pro ſuæ catervæ paupertate frequentem induſtriam invenit, quis ideo illudat cæterorum hominum dignitati, quaſi ſi decertandum ſit, ſingulis Acignianorum eximiis totam decuriam non opponant? Nam qui Naturam tot capaces & ſublimes animos Acignianis prodigere putatis, cur rurſus affingetis tam ſterilem, ut in cæterorum tanto numero non ſæpius ingeniorum bonitate luxuriet?

Et

Et quidem in ſcientiarum regnum venturus, omnes illarum partes impetus Acignianorum invaſit. Sed præcipua Theologiæ & Philoſophiæ cura fuit. Has antea ſub veterum codicum pondere vix ſpirantes, nova inſania ſcribendi operuerunt. Humaniores autem literas, id eſt, amœniſſimam partem, & ſi mihi creditis, utiliſſimam Muſarum, nondum ſatis delicate habuerunt. Vulgaris, & ut ita dicam, profana licentia facientium carmen, in ſcholis vel miſeris ſcenis, ſuffecit inexpertis adoleſcentibus, & raro Ludimagiſtro publicorum judiciorum periculum fecerunt. [1] Vellem & Criſpum Tragœdiam tenuiſſent, ne ſcire cogeremur, eos non infelicius ſcribere quam agnoſcere verſum. Nam ſi quis ideo doctiſſimos putat, quia rudem pueritiam ad literas informant, peſſimo judicio in infinita rei exiguæ æſtimatione caligat, quod aut mirificam induſtriam magiſtrorum credit ad primæ doctrinæ initia requiri, aut ab Acignianis juventutem perfici, cui forte ad decimum ſextum annum ea ſtudia procul oſtendunt, ad quæ vix curioſæ vitæ maturitas pertinget. Et quidem de eo genere literarum pleroſque afferre ſuam ſententiam non fero, quibus nunquam veræ eloquentiæ imago de ſui aut alieni ingenii ſpeculo illuxerit. Summam & eruditam eloquentiam dico, quæ cæteris comitata ſcientiis offenditur ineptia ſcholarum, neque ſe indulget ingeniis intra veterum imitationem incluſis, quæ ſuas partes in ſtylo ſperare aut ducere non audent. Tam venuſtæ & difficili ſcientiæ vix aliquem ſingulis ætatibus idoneum reperiri non ſine illius faſtigii admiratione videmus, cum huic nemo naſcatur niſi amœno primum fœcundoque ingenio, deinde ſolida prudentia ad civiles aſtus idoneus, & cui patientia laborum

nec

1 *Vellem & Criſpum tragœdiam tenuiſſent.*] Hoc eſt, in lucem non edidiſſent. Etſi variæ ſint de ea opiniones, argumentum illius erat mors funeſta Iulii Flavii Criſti tertium Coſ. à noverca fruſtra ſollicitati, & tandem accuſati ingratiis, & damnati inſtar Hippolyti à Phœdra noverca apud patrem inſimulati: elucubrata eſt à Bernardino Stephonio; acta vero feriis antecineralibus MDXCVII.

2 *Crimi-*

nec fragile, ut ingenioſis, corpus, nec refugientem animum offendat. Itaque in Acignianis nullum eſſe, non cauſa contumeliæ objeci, ſed riſurus vanitatem ad tantum vocantium nomen plerumque inexpertos, & ſublimis ſcientiæ imaginem inter viles Ixionas proſtituentium.

Videtis quam prolixe indulſerim Acignianis, quos in amplam eruditionis partem non invidioſa confeſſione admiſi, dum & cæteris mortalibus ſciamus non parcius diviſa munera Muſarum, nec ibi perpetuam ingeniorum felicitatem eſſe. Nam quod adoleſcentes ad Societatem dicebam pæne de animi libertate deduci, induſtriamque in illis aut opes, non autem naturæ impetum æſtimari, quæ omnibus per ſua vitia & virtutes diverſa vivendi genera diſtribuit, nolo inſtituere defenſionem meam. Utinam patiantur nos ſuppreſſis querelis diſſimulare inepta ſæpe tela, ſed in illam ætatem valentia; quæ ſi vellem excuſare, quid amicius invenirem, quam illos juventutis venatores decipi inconſulta pietate, nec crimen in omnibus hærere? Temerata quoque ſecreta, & arbitrium familiarum illis callidiſſima inſinuatione quæſitum, hodie intemperantius rideam quam indigner: quippe omnis doli ingenium poſt primam aciem hebeſcit, & quos inſidiæ ſecundos aut tertios decipiunt, digni quoque videntur maturius periſſe. Cur igitur in illos ſcopulos offendimus, & jam tantis naufragiis tectos? cur illam domeſticæ cenſuræ procacitatem non excludimus, quæ nunquam ſevere detrectantibus illudit, ſemel autem infuſa, non facilius ſiſtetur, quam flumina, quæ viam aquarum ponderibus ruperunt. Ad ſummam, ſi intentum peregrinæ merci vectorem, ſi ſervantem aſtra agricolam & militum arma probamus, quis Acignianos damnabit, ſi, quem facillimum credunt ad potentiam, aſcenſum omni artificio pertentant? Imo applaudam ingenioſæ calliditati, & ſtultam prædam in tot caveis videbo.

Contentus tam modeſto indicio, atrocitatem majorum facinorum ſubmovi, quæ fama vel inimicorum acerbitas ador-

Digitized by Google

adornat, &, ſi vere æſtimamus, in ſolam calliditatem & felicem prudentiam luſit. Multi enim magnitudinem illorum invidioſa ſpeculatione damnamus; irati non iiſdem artibus nobis quoque patere ad gloriam iter. Nam ut auſteram virtutem tanquam ſignum textumve antiquitatis ſuſpicere in aliis ſolemus, incommodam autem in nobis averſari, ſic è contrario beatam fertilemque fortunam aliorum liventibus oculis perſtringimus, quam à cœlo poſt omnium criminationem tacita veneratione mercamur. Quod ſi Acigniani ſimplicitatem meam agnoſcent, facile reſidui amoris veſtigia amabo, quem apud nos utinam publicis offenſis non extinguant. Si vero pro auctore ſcriptum premunt, ſi devota in me tela facili Euphormioni & aperto vulneribus infigunt, non iraſcentur liberrimo dolori, qui adhuc priſcæ conſuetudinis memoriæ pepercit. Nullas injurias pervicacior indignatio ſolet ulciſci, quam quæ creduntur in publicum emiſſæ, & ingratiſſimum beneficii genus eſt de univerſis mereri. Purgatus itaque totis corporibus, & tam grandi liberatus judicio, ad ſingulares homines, & quidem graviſſima majeſtate dignos confidenti defenſione decurro, quibus magnifice negligentibus maledicta, neque triſti ſupercilio induſtriam damnantibus, riſus aut ſenſus meos aut pœnitentiam approbabo. Non excidere his ſeculis Antigoni atque Pyrrhi, qui multa convitia deſpiciant de faſtigio ſuæ famæ, nec Antonii celebrata jucunditas, qui provocatis aliorum ſalibus, in ſe quoque ludibria invenit. Sed non patiar conſcientiam meam de integritatis ſuæ fiducia ſimpliciter ad deprecationem traduci. Ipſa lex citatos ad tribunal non tantum, ſi, quæ feciſſe arguuntur legitima quæſtione, negaverint, ſed & ſi ea fecerint, jure litera ſalutari dimittit; & Prætores æqui bonique judicia abſtulerunt ſeveritati verborum. Etiam in fabulis populus agitatur, qui primo [1] criminis vultu deceptus, in Cnemone parricidium vindicavit. Adeo

1 *Criminis vultu deceptus in Cnemone parricidium vindicavit.*] Lege Heliodori Theagenem & Caricleam circa medium, ubi de Cnemonis hiſtoria ſatis fuſe.

1 *Inſtar*

Adeo non eſt ubique aut amare ſimulatam virtutem, aut vitiorum imaginem odiſſe. Sed præcipua ratio in æſtimandis laudibus aut convitiis eſſe debet? Nam & illæ ſub querelarum ſæpe & atrocitatis ſpecie vibrant; hæc autem inter maligna præconia periculoſis inſidiis conduntur. Itaque nec Satyram feciſſe excuſabo, nec ad illam acceſſiſſe qui Panegyrin expectarent, modum vero tenuiſſe ut caſtigarem licentiam ſcripti ad eorum laudationem quos notabam, æquiſſima monſtratione defendam. Nam inania nec turpium vitiorum ſimulachra in pleriſque quæſivi: ut ſub opinione querelarum opportuniſſima prævaricatione laudarem. Hos ſi tam manſuetum judicium offendit, damnantque beneficium innoxiæ libertatis; ſaltem patientur emendari facinus, & ſuperfuſis laudibus, [1] inſtar Simonidis oculos ſuos quærentis expiari.

Et Callionem quidem tam ſuis lineamentis expreſſeram, ut ſuſpicionem à cæteris viderer ſubmoviſſe. Ne illum quidem produxeram vulgo, ne ſpem redeuntis amicitiæ vulgata nec ſanabilis injuria extingueret. Igitur quædam vela circumvolvi illi tabulæ ad ipſius naturæ veritatem expreſſæ, ut nec alius meis telis huic ſoli deſtinatis ſauciaretur, & tamen ſecreta ignominia plus pudore in conſciam mentem quam infamia ſæviret. Multos quoque admonebam, [2] errorem quem nunquam amator Poëta expiavit, non tutius latere quam verum Callionem. Nihilominus aut in plures diviſa ſcena infelici curioſitate quorundam non unum inquinabat, aut

1 *Inſtar Simonidis oculos ſuos quærentis.*] Sunt qui attribuunt Simonidi memoriam localem hoc modo. Ajunt ſcilicet cum Simonides inter convivas ſederet qui neglecto Caſtore & Polluce cæteros deos invocabant, duo juvenes in equis ad limen pulſant, poſtulantque advocari Simonidem cum altero qui numen Tyndaridum invocarat, interim domus ruina opprimuntur convivæ ſalvo Simonide cum ſocio qui è periculo erepti fuerant, accurrunt cognati ut ſuos recognoſcant, ſed ruina domus omnes deturparat: Unus Simonides qui ſciebat quinam prima loca, qui media, & ultima tenuiſſent, potuit cujuſque nomen indicare.

2 *Errorem quem nunquam amator poëta expiavit.*] Intellige Ovidium qui paulo liberius de amoribus Octavii ſcripſerat; unde illi exilium ſempiternum.

1 *Inter*

Digitized by Google

aut unius actus ſuſpicione tota tragœdia innoxiis imputabatur. Quibuſdam ſufficiebant obſcura natalia; alii facile ingenium, & virtutum vitiorumque potens, vanis ſuſpicionibus luebant. Illud vero acerbiſſime tuli; præclaræ dignitatis purpuratum traductum ſub hac larva ab inimicis meis iniquiſſima accuſatione jactari.

Molles & parum viriles illecebras quibus voluptatem invitaret, turpemque formæ curam ajebant, falſa quidem illa ſed contumelioſiſſima procacitate dilatam. Hoc autem non illi modo quem volebant, ſed & ubi Callioni objecerim ignoro, quem tantum paruiſſe ſui ſeculi vitiis, non autem muliebri ingenio præiviſſe contendi; ſed adulatio Satyra pejor, ſummo & nobiliſſimo homini illuſit, eum ſub Callione laceratum, & [1] inter Berecynthiæ Gallos per ludibria & enervium vitiorum contumeliam exſectum. At ille quia nihil de ſe ejuſmodi credebat, aut referentibus tardiori fide conſenſit, aut quicquid illud erat infra ultionis dignitatem eſſe duxit. Mihi autem ignoto, & alieno facinore laboranti, cum ultra biennium in ea ſuſpicione jacuiſſem, ab inimicis nuntiatur me parum pro modeſtia tantum hominem triſti & inverecunda oratione læſiſſe. Turbatus, & extemplo conſcientiæ interrogans fidem, circumſpiciebam ne qua tam intempeſtiva impietas nugas Euphormionis polluiſſet. Nec timebam meditati facinoris culpam, ſed verebar excidiſſe inter publicos queſtus quæ in eum non ſine conjectura deflecti potuiſſent. Ut deinde Callionem nominarunt, tunc vero attonitus & impatiens contumeliæ, non riſum, non iracundiam tenebam, ſimulque ingemiſcebam miſeriæ Optimatum, qui neque ſua bona neque mala, niſi ex aliena fide cognoſcunt. Et illius quidem nomen fideliori reverentia tacebo, quam ſtulta & imperita adulantium nequitia, qui neſcio quid de illo videntur credidiſſe, in quem Callionis

1 *Inter Berecynthiæ Gallos per ludibria, & enervium vitiorum contumeliam exſectum.*] Sacerdotes hujus Deæ Galli dicebantur & ipſi ſponte ſe caſtrabant huic miniſtraturi.

Digitized by Google

nis ſcenam convenire putaverunt: Quod niſi in curioſa excuſatione offenſam metuerem, ſatis antiquiſſimæ gentis imagines expugnarent infelicitatem naſcendi, quam in Callione traducebam; & totius ordinem vitæ, notæ & à multis celebratæ virtutes non agnoſcerent. Summa igitur excuſationis hæc erit, me nulla invidioſi ſcripti parte, ne conceſſo quidem & innoxio joco, ejus innocentiam laceſſiſſe, nec eum quidem occurriſſe, de principibus viris lætiori procacitare ludenti; eos autem qui inepta ſedulitate ipſum nempe in Callione invenerunt, abominandos tam integræ domui eſſe, quod per illius maledicta amoris & diligentiæ quæſiverint nomen.

Sed nec ſolertia meliore meum Anemonem produxere de tenebris, in quas illum compoſita conjecerat larva, eo etiam pejores quod integerrimam matronam eodem facinore læſerunt. Contubernalem meum ſe inanius efferentem, ne ipſo quidem invito eram *ultus*, & quidem ne hæreret *ſuſpicio*, *uxorem attribueram*, *cum ſpem ipſam conjugii ejuraſſet*. In ea vero muliere multarum impudicam licentiam exponebam, ſed præcipue ſubitam & inconſultam libidinem flagitioſæ domus. Sed nec favore laſciviæ niti, aut frangere obligatos mihi animos quærebam improba voluptate legendi, cum non videretur dubitandum tam fœdæ mulieris æſtus nemini placituros, viris certe faciles & oblatas voluptates aſpernantibus. Illam autem quam fœda ſuſpicione violarunt, neque ſuo merito Satyram timuiſſe, neque mea integritate oportebat. O virtutis inanem cuſtodiam ſui, ſi alieno ſcelere deformis eſſe poteſt. Matronæ proſtituere famam, & de mea Comœdia in fornicem deducere, conjectores ineptiſſimi audebant, digni, ſi perveniunt ad populum qui nati per eadem ſcelera, vel non meliorem familiam ducere credantur. Et hæc quidem in privatorum ignominiam jactabantur, ſed præcipua moles invidiæ me in Protagonis & Doromiſi nominibus pæne toto pondere afflixit: neque tamen moleſtius fuit hic cri-

minibus

minibus oneraṙi, quam nunc lætandum puto defenſioni locum eſſe per ſummorum hominum laudes ituræ; niſi omnino deliquiſſe me credas, quod tam ſancta nomina indigno polluerim loco, & velut contagione criminum quæ in aliis arguebam. Nam nec olim Principis ſignum inter incultas ſordes, aut funeſta obſcœnæ ſedis vilitate ſtetiſſet. Cur igitur in Satyram auſus tam indignos conjicere Heroas & velut in mortalitatis mala ipſos deos adoptare? Hæc ſi triſtis objiceret Cenſor, non fortaſſe à ſincera ratione erraret priſcæ ſimpliciſque virtutis: cæterum nec peritus hodierni moris erit, & intempeſtiva probitate moleſtum facillima defenſione ſubmovebo.

Nunquam noſtro ſeculo tam pervicaciter iratus fui, quin paria aut fœdiora in Majoribus facinora agnoſcerem; & de fatis injuria queritur, qui poſt Heroum ætates inter mortua ſemina virtutum putat ſe in ſola vitia natum eſſe. Sed non ſuſceperam revocare memoriam priſtini pudoris, & velut exemplis tot auctorum conſuetudinem noſtrorum malorum ſancire. Ac præterea videtur inhumana accuſatio quæ in ſolam nec profuturam ignominiam mortuorum inſurgit. Sed & humanæ naturæ vitio, maligna gaudia criminationem viventium inſinuant; frigida autem & intempeſtiva reprehenſio antiquitatis non inveniet probatorem. Igitur nec accuſationem peſſimæ ætatis inſtitui, ac ne quidem hujus ævi corruptiſſimas gentes aut ſtultiſſimas veris & meritis conviciis proſequutus ſum. Gallias Britanniaſque, id eſt, florem univerſi, & humanitatis heredem quæ decurſo Oriente in noſtrum veſperum deflexit, in ſeveritatis meæ tituloscauſaſque rapiebam, tum quod nitida & exacta corpora ſuos nævos melius ipſa diſſimilitudine fatentur, tum quod ibi literarum domicilium eſſe, & iſtius notæ volumina, inter liberos & ingenioſos homines, & quidem ſine altiore malitia procaces, ſciebam avidius excipi. Et fortaſſe in vitia dicturus, neſcio cujus vitii jam tacitis ſanciti ſuffragiis commoditate uſus ſum. Si tamen vitium appellem, ſolutam quidem illam, ſed

Digitized by Google

innocentem & peccantem intra verba dulcedinem jocandi, aut etiam de faſtigio rerum & tota Orcheſtra diſputandi. Nam quis dies Galliæ illuxit qui evulgatis aut ſe inter conſcias tenebras prementibus libris novum ſcriptorem per aliena ludibria commendare noluerit? Taceo quod illiberali ingenio & ſæpe non artificioſo facinore magna & caſta nomina diris & crudelibus contumeliis infeſtant, in quibus plerumque ſola temeritas placet vel mentiendi audacia, cum ſtatim moritura novitate.

Sed nos quidem plus quam Heroſtrati nomen de memoria tollamus, cæteroſque humanius ſævientes, ſi placet, ſaltem ad cognitionem & judicium admittamus. Ex iis aliqui, jam in partes diſcedentibus ſacris, myſtas adverſæ factionis permiſſo & veluti religioſo odio, falſis ſæpe ſed apud ſuam plebem creditis facinoribus aut ludibriis objurgant. Alii in externos obverſi Principis ſui imperio late viciniam deſtinant, & inter Muſas ſuas debellant. Illi exprobratis hominum aut regionum incommodis toto ſpiritu licentiam ſuam fatigant. Quidam felicitatem ulciſcuntur, quæ indignos attollit; multos quoque muliebris faſtus, aut impotentia, de ſua ſorte exeuntium, ad ſcribendi violentiam accendit. Etiam lenta judicia, emptæque curules, & forum prædonibus plenum, irritos & ſupervacuos accuſatores invenit. Iam nugæ & caſſa vanitas incolentium aulam, jam perjuria amicitiam polluentia, jam omnis conditio & ſæpe virtutes citatæ ſunt literatorum ſtudio ad populi famæque tribunal. Mihi autem inter hos acres impetus, & interdum illuſtres, illi, plurimum aberrante prudentia, videntur in ineptiam quam in aliis caſtigant incidiſſe, qui gravi & ad majeſtatis ſpeciem tornata ſapientiæ larva ambulant, id eſt, qui plurimum ſapere volunt, ſubiti patres nec à cenſoribus recitati; & de magiſtratibus queruntur; remque ſummam non rogatis ſententiis evolvunt. Nunc ſuarum partium ſacra veluti de faſtigio aliis inacceſſæ ſapientiæ excutiunt: nunc populi mala, & inconſultæ fortunæ munera nihil profuturæ iracundiæ oſtentatio-

ne

Digitized by Google

ne vexant. Audent quoque Regibus componere ſua edicta, & quam vitæ rationem probent, inimica poteſtate præcipere. Inter hæc, modeſtia & hilaritas de tumeſcentibus exigitur ſcriptis, quæ libertatem ſtyli ſibi multa permittentis potiſſimum commendant. Nam ut immenſa & inanis loquacitas nullis ſeriis condientium riſus probatur, etiam in Paraſitorum viliſſima fame: ita nec victura aut profutura cavillatio, perpetua ſapientia debet eſſe inviſa: Cum oporteat omnem Satyram aut veniam habere modeſtia, aut lepiditate mereri. Sit igitur, ut proſit, altis quidem veriſque querelis conſperſa & plena comitatis, ut delectet, magiſque ſuo ſeculo & vitiis quam hominibus iraſcatur. [1] Neque enim aut Tarentinorum quisquam Metoni offenſus eſt in errorem civitatis ad Pyrrhi auxilia converſæ ludenti; aut lenitas Bruti trucem Fannii libertatem admiſit.

Igitur Gallia in infinita libertate ſcribendi indignis & felicibus Satyris exundat, dum omnis generis ingenia vel impatientiam riſus per hæc ludibria oſtendunt, vel tumorem ſubeunti invidiæ levant; etiam tum prudentiæ applaudunt quam ſibi affinxere: peſſimi autem vel fortunæ ſuæ crimine omnibus irati, vel malignitate livoris ipſam maledicendi voluptatem ſatiant. Hos mores polita diſciplina, & in humaniſſima quidem gente, palam ulciſci, an opertis oculis diſſimulare debeat, ſi quis quæret, primum ſciat, cœli quidem & terrarum velut fata, non arborum modo aut animalium genera pro regionum conditione varia eſſe, ſed & in mortalitatem valentia noſtram, vario & diſſimili affectu incolarum animos temperaviſſe. Sub hoc cœlo ſubtilis & ſæva timiditas videtur, ſub hoc autem inſana & ſeſe profundens temeritas naſci: reverentia Principum, aut odium legum, vectigalium quoque patientia, vel infra avaritiam ſanguinis ſui cura. Nec ullus eſt humanarum mentium affectus qui non aliquem Orbis locum præcipua religione invaſerit. Huic

1. *Neque enim aut Tarentinorum, &c.*] Vide Plinium & Annæum Florum ubi de Pyrrho Italiam vaſtante.

Digitized by Google

Huic itaque morbo ſeſe male tenentium linguarum mederi publico imperio præfecti haud dubio debebunt per terrorem ſævientium legum: in illis gentibus, in quibus deſpectum Principum odiumve quidam communis ſpiritus alte egit; aut ſicubi tardos proviſoſque ſermones non niſi matura animorum acerbitas expromit: At vero Gallicis animis ipſe halitus ſuperſtantium aſtrorum longe alia ratione providit, qui extemporaneo impetu pæne iracundiam priuſquam conceperint, effundunt, induſtriamque jocandi non ſæpius inimicis quam familiaribus adornant. Ibi virtutes & vitia, ſi vere judicamus, majori quam pro vero ſpecie erumpunt, quæ laxa inaniter & effuſa nunquam ad verum bonitatis aut malitiæ ordinem poſſunt cogi, niſi cum refelluntur. Teſtis alacritas in fidentibus animis magnifice exſultans, altoque ſpiritu gloriæ & diſcriminibus ad faſtum intenta; iſta quoque procacitas & aſperitatis Satyricæ morſus; quorum illud fortitudinis ſpecie tectum, hoc autem perſona maledicentiæ infame non paucos hoc ſeculo decepit. Quippe illa generoſi ſpiritus velut expreſſa effigies, dum per inconſultos tumores in Gallica juventute luxuriat, nihil eſt aliud quam adulterata fortitudo, quæ ſua petulantia veræ virtutis decora projecit. At vero idem torrens cum ad obices rumpitur inhibitus, æmulatione aliorum, & ad experimentum provocante fortuna, tunc inanis ferocitas de illo faſtu ſuam aciem evolvit, redienſque in virtutem ad virilem & maturam fortitudinem ſe componit. Hoc contra malignitatis ſimulachrum, hæc nonnumquam inſana & præter faſcium reverentiam procacitas, ut turpiſſimam larvam habet, ſic intus innoxia, nec vero facinore deformis, ipſa libertate contenta eſt. Si vero non parcentibus edictis teneretur, tunc fortaſſe totum virus, quo per hanc laſciviam ſe Gallica ingenia exonerant, in immanium & tectorum ulcerum tabem coiret. Adeo ſæpe virtutes & vitia non ſunt priuſquam laceſſantur. Igitur ut eædem arbores pro terrarum ſitu naturam quoque mutant, nec Perſarum mala Romanos extinxerunt,

runt,

Digitized by Google

runt, cicutaque nonnunquam utimur ad frigiditatem potionis; ita mores æſtimare ad ingenium utentium oportet. Neque plus eadem verba, quam ritus in his illiſque gentibus diverſa ſignificant. Et fides aliorum populorum linguarum penſata modeſtia, ſeditionum ſcelerumque pericula male in Gallia metietur innoxia ſcurrilitate, quæ his nugis occupatum faſtidium odiumve præſentium rerum & in nonnullis fortaſſe nequitiam conſumit.

Erectus hac conſuetudine tot inultis ludibriis ſancita, quamquam alienæ gentis homo, auſus ſum in jura & veluti ſacra Gallicæ libertatis intrare, & Satyram, vix ultra titulum ſævientem, leni fletu & inermibus jocis implevi. Quod niſi Principes Viros tenuioribus velis obductos (ut nec longa conjectura dubiave retegi poſſent) egiſſem in hunc ludum, quis (ô facinus) innocentem turbo, quæ tempeſtas inundabat! Nihil eſſet triſtiori ſupercilio grave, nihil invidioſa atrocitate ſuſpectum, quod non malevolorum improbitas in contumeliam illorum rapuiſſet; mihi quidem inſimulato tam funeſtæ loquacitatis gravis, ſed illis iniquior quos tam grandi malorum facinorum ſuſpicione violaſſet. Igitur ipſam purpuram conſultiſſima ratione detexi, ut æſtimari modeſtia mea poſſet, nec in deos crederem auſus quæ vilioribus ingerebam, aut quibus etiam ipſa vitia ſub fictis & ſcenicis nominibus lacerabantur.

Cum hæc moderatio tutum iter primis ſcriptis præſtitiſſet, neſcio qua fiducia in ſecundum Euphormionem excrevi. Hic cum primo ſe ſolveret riſu, ſupprimere jocos jubetur, & ex operarum manibus, ad judicium mulctamque deſcendere. Quod cum mihi tot fluctibus terriſque diviſo amicorum indignatio ad intempeſtiva odia vocantibus literis pertuliſſet; non indulſi dolori, aut repentinis inimicitiis mutatus ſum. Nam & Magiſtratus ſciebam, ſi quid injuriæ eſſet, ignoti hominis libello obtuliſſe, quod ſi maxime meum eſſe cognoviſſent, tamen peperciſſent diligentiæ, quam prætextu publico in me malevoli homines vel imperiti

erexerant. Nimis enim humiliter ſummorum Magiſtratuum res erunt, ſi ſufficere minimis debent: & illorum otium ſeveriſſima lege turbamus, niſi alienam concedimus fidem, cujus diligentia tuta præſertim judicia & extra fortunarum ſortem exerceant. Libet quoque agere gratias ipſo nomine injuriæ, quæ Euphormionis famam fortaſſe extulit, ipſa damnatione præſignem. Sed jam fracta invidiæ nube, haud dubia timidave fiducia exſpecto, ut expertam verecundiam emendata in Eleutheriam ſuffragia reducant. Quantumcunque ſevero tribunali diſceptemus, ecce, Italia, & ab utroque Germania cœlo, ludibria, ne appoſitis quidem penſata præconiis, non modo neglexit vindicare, ſed pro munere amplexa, ingenuæ libertati applauſit. Ubique evulgatus velut præmio delationis ſuæ liber, in illis urbibus illiſque domiciliis quæ notavit jam fidelius mores explorat: & ſua indicia, præſenti teſtimonio ſancit, aut in jocum traductus emendat. At Eleutheria in immani patientia urbanitatis, proh fatum, meos ſales publico donare dubitavit, quæ ridiculam, &, quod eſt pejus, non ridentem ſui Militis audaciam, & equitis fanaticum robur, & toties ſcribentium pudendam libertatem, nullo ſupercilio tam ſedulæ majeſtatis offendit.

Sed nec illis tenebris projeceram fœtum, ut obſcurus parens eſſem, & ſi quid paraſſem atrocius, præſentiſſimus vindex erat, qui in ſuis nunquam ſociæ & amicæ majeſtatis deſpectum patietur. Ignorant moderationem mei Regis, qui, quam pacem Orbi facit, non putant ad verborum etiam tranquillitatem pertinere. Nam & diligentius in populi ſui ore, ſociorum Principum famam amat, quam ſuam caſtigare; gnarus nec amoris pignora cum improbis jungenda, neque bonos contumeliarum flagitio eſſe lædendos, ſed nec deorum crimina licenter in vulgus & ſine honore efferenda. O præclarum, & quod tot Principum ambitio inter feroces & inhumanos titulos non vidit, bonitatis fideique cognomen; quæ in hoc inultæ amentiæ fuiſſet. Sed laudationem omit-

Digitized by Google

omitto, ne ſuſpecta adulatione evileſcat. Longa poſteritas, quæ vere de præterita virtute cenſebit, ſatis tantum memoriam ſua in noſtra tempora invidia commendabit. Cæterum non facile videri debebam, voluiſſe tunc primum ſe tradentem fortunam jugulare, & profana petulantia in quædam Numina, mihi inconciliare omnes deos, quaſi, faventibus vindiciis, quæ hoſpitibus certe debentur, jam non fidelius tamen à ſe amicorum imperio Regum quam nomini eſſet conſultum. Etiam [1] cum hoc luſtro horribilis atrocitas Diræ una face pæne Britanniam cremaſſet, & proditionis nefas vix de ſuo jugulo eſſet excuſſum, de populi ſolicitus voce, nihil prius edixit, quam ne quis triſti ſuſpicione macularet Regum ſociorum dignitatem. Iocos tamen, aut vulgaria, & veluti per totum populum laſſata ludibria, exorabili comitate agnoſcit, quæ ſe lepiditate conciliant, & nocere jam non poſſunt, veneno quod tectum & occultum ſæviſſet jam corrupto & per nimium aërem expirante.

Hoc arbitrio fortunarum mearum potuiſſent fortaſſe magiſtratus dubitare de deferentibus meum nomen, nec vicaria fide tantilli voluminis conſcientiam explorare; cum præſertim ſcriptionem, in quam magis tempeſtas incubuit, nuncupaſſem Heroi, quem fœdis convitiis præfecere ſupremæ, nec in hoc Rege tanto plus vibrant quanto Natura capacior communium vitiorum facultatem obtulerat, ne inepta neceſſitate eſſet probus. Hoc eſt enim eſſe ſanctum, non ſi à ſceleribus abes, ſed ſi ea refugiſti. Equidem Rex meus gloriari pulchre poteſt; nullos quidem exterorum ſuis muneribus ad perfidiam fraudis allectos, ſed nec proditionis conditionem ferentes humanius auditos, quam ludimagiſtrum Faliſcorum Camillus excepit. audiant Magiſtratus meum librum (nam pro ſe ejuſmodi dicet) eum facile de judicii metu littera ſalutari exſolvent.

Sed

1 *Cum hoc luſtro horribilis atrocitas diræ, &c.*] Extat narratio de conjuratione Anglicana. Cujus titulus eſt ſeries patefacti divinitus parricidii inter maximum Regem, regnumque Britanniæ Nonis Novemb. MDCV.

 1 *Sta-*

Sed in Protagonem tamen luſit, & de Doromiſo totas chartas implevit. O horribilem rectarum mentium calamitatem! ſecura flagitia occupare præmia virtutis, beneficia autem & merita periculo ſceleribus conſtituto palleſcere. Ego vero ſi literatorum infortunio quæſtum accepiſſem librarium, anxiamque mercedem ſordidiſſima adulatione captaſſem, nemo ante Protagonem erat cui meos labores exprobrarem: illum extra humanam ſortem laudibus eductum, illum huic honori qui eſt ambitioni humanæ chariſſimus eſſe ſubvectum; nec unico ſeculo duratura præconia, morituris ſaltem donis & imparibus comparanda, nunc gratuitis muneribus & ne æſtimata viderentur confuſo ſub Euphormione nomine largientis ipſa gratia periit, & plus invidiam, horum temporum vitium, quam meam fidem inaſſueta integritas adjuvit. Ecce autem ne hoc quidem beneficium fata indulgent, ut apud ſentientem me excuſem, cum vulnere (ô dolor!) poſt omnium memoriam indigniſſimo, ille Protagon, ille natus ad miraculum terrarum, deſtituerit Orbem. Proh facinus ad noſtri ævi infamiam efficax, quod per teterrimum nefas tantum principem nondum poſcenti reddidit cœlo. Sed & ſtupor lachrymas, & ſtuporem ultionis cupiditas, de omnium pæne gentium corde & oculis ſubmovit. At te adoranda Anima, te melius per virtutes & famam quam per exeuntem de buſto Aquilam conſecratam, hic omni ſolicitudine placabo; ſi quid de tam juſta remiſero cura, non minore flagitio quam ſi viventem offendiſſem, peccaturus in Manes. Sed nec ille excanduit, & ſi adhuc dignaretur mortalitatem noſtram, nullus certior aut veniæ auctor eſſet, aut innocentiæ meæ vindex.

[1] Stabat ad tribunal Africanus, & jam intonuerat acerbitas in ipſa innocentia quærentium crimen, cum Antiochum, filiique vinculum & indicium corruptelæ non expavens, ipſam quoque defenſionem erubuit. Iudicum quoque plauſus, revo-

1 *Stabat ad tribunal Africanus, &c.*] Vide apud Livium Hiſtoriam de Scipionibus.

1 *Iudi*-

revocata beneficiorum memoria, in Capitolium uſque perduxit. Tam memorabili exemplo meus liber de reorum pulvere digniſſimo tumore conſurgens, & ſummarum creditor laudum perambulare potuiſſet Protagonis totum limen, donec præmiis abſolutus abiret. Primum enim non imparis dignitate perſonæ, tantum nomen magnificentiſſime operui. Nam quid aliud Protagonis cognomen quam militaris ſcientiæ veriſſimam confeſſionem expreſſit? Nec penſata tot principum, tot ſeculorum laude, illum omnis memoriæ primum ac pæne ſolum ducem, in juſtum gloriæ faſtigium aſſerebam. Nempe ex hoc convitio cæteræ & ſub judicibus litis, ipſa innocentiæ meæ verba ad teſtamentum citabo. Nunc igitur eſt in Euphormione Protagon: *Vir hoc ſeculo major, & dignus fabulantium miraculis vatum*: hic alius, *nihil de eo mortale prædicabat*. Et ſolertiſſimus ſenex multis in eum pręconiis effuſis in hæc verba deſiſtit: *Nulla ſecula Protagonis genium æquarunt*. Et, *Nec quemquam ſimiliorem Numinibus ad nos fata tranſmiſerunt*. Nec minor eximii viri cultus totum ubique Satyricon adoratæ majeſtati ſubſternit. Quod ſi de jocis publicis meus deinde liber crevit, ſi cum populo ſcire auſus ſum, nec acerbiore riſu quam quo Protagonem delectarem [1] inclamare Thalaſſio, ignoſcite, quæſitores; bonitate Protagonis & veſtra libertate ſum deceptus. Sed videte, ne majore piaculo nimis officioſam diligentiam polluatis, dum hos ludos intempeſtiva ſeveritas ſilentio damnatos videtur neſcio qua cenſura notaviſſe.

Si vero de Fortunæ deſcripto imperio queruntur, quam in ipſo Eleutheriæ templo, ipſa ara, ſanctiſſimo honore appellavi, ſi aſpernantur illam deam, & me quaſi ſuorum ſacrorum ignarum incuſant, certe legum ſuarum videbuntur obliviſci, ſed & parvam gratiam habere illi Numini, per quod ipſi creve-

1 *Inclamare Thalaſſio.*] Fauſta vox in nuptiis. Orta conſuetudo ex raptu Sabinarum, cum enim una ex Sabinis raperetur, quærentibus reſponſum eſt Duci Thalaſſio reſervari, quæ quidem nuptiæ cum fauſtæ fuerint, ideo invaluit mos ut in nuptiis Romanorum *Thalaſſio* inclamaretur, ſicut apud Græcos, *O Hymen O Hymenæe*.

creverunt. Nam quod his ſeculis virtuti ſtabile iter ad opes, niſi jam opulentæ? aut quis ad magnarum dignitatum culmina, niſi quadam ſorte pervenit? ac ut nemo niſi dignus, aut divitiarum potiatur aut bonorum, nihilominus opus eſt fortunæ regno, quæ æquales virtute, ſaltem impari felicitate diſtinguat. Nam multorum ingeniorum magnæ dotes, velut debiles & ipſa paupertate ægræ jacent. Libet aliquando meminiſſe Satyricę libertatis & iterum adorare fortunam. Tu es, inquam, ſine qua nullæ virtutes ſibi placent, nullæ poſſunt per noſtrorum temporum tempeſtatem emergere. Tu de ſacerdotiorum collegiis ſuffragiorum poteſtatem, tu de opulentis ſolitudinibus excuſſiſti. ſed & forenſibus miniſteriis in hoc arduo locatis quo ſolum extructæ pertingant divitiæ, quæ via nudæ induſtriæ patet? aut quid ſaltem felici ignaviæ vel ingenioſo ſceleri negaviſti? Sed tantos & tot faſces tibi hæc ætas non dedit. Jam olim omnia potuiſti, etiam ante luxum atque æſtus; etiam [1] cum memoriæ labentium annorum ſatis fixæ parietis fides erat, cum numerantibus clavis, & captas tot annorum uſu gentes nulla interdicta extorquebant. Hac veneratione Fortunæ ſi quis offenditur; aut ipſius beneficiis ſaginatus, capta & ebria mente deſævit, aut ſane eſt iratus, nec reſpicienti per tot vota litavit. Sed hoc totum non video quo argumento poſſit ad minimam Protagonis notam aut injuriam traduci, cui etiam fortunæ arbitrium adſcripſi, ut felicitatem ab illa nemo magis quam ab iſto exoraret. Doromiſum autem (alterum Satyræ crimen) immani piaculo aggreſſus ſum. Scilicet ab ipſo nomine initium injuriæ fuit, & Doromiſum appellavi, quaſi per nimiam frugalitatem liberalitati infeſtum. Ecce de infelici beneficio novum nefas, amoriſque conatus iterum indigniſſimo reatu perculſi. Quaſi Doromiſi non invenerim nomen, quod nullis donis tanta integritas poſſet nulla ſo-

1 *Cum memoriæ labentium annorum ſatis fixæ parietis fides erat, cum numerantibus clavis, &c.*] Quoties aliquid dignum memoria contigerat, toties dictator clavum figebat in Capitolio annum indicens.

2 *Supra*

la ſolicitatione perverti. Cur igitur ambiguum nomen (nam vos ambiguum feciſtis dubitando) in triſtius deduxiſtis, niſi quod mens mala, in ſuſpicionibus gravis veneno ſuo paſtum de innoxio flore quæſivit; Sed & illum quibus verbis, qua commendatione celebravi? Amiſiſſet Satyra ſuum nomen, ſi paulo ulterius indulſiſſem. Nunc *vir ingentis naturæ* appellatur; nunc *qui in cælum poſſit meritiſſima prædicatione levari.* Nam imperitiæ imputabo æmulorum, ſi vel ſenem de illius frugalitate loquentem, vel Euphormionis inopiam cum ſuo artificio Muſiſque neglectam, in criminationis acerbitatem deducere audent. Nimirum æquo jure ſua libertas ſcenæ ac Satyræ larvas indulſit, quibus [1] ſupra Pythagoræ fatum ſæpe homines renaſcantur in die, & nunc juventute luxurient, nunc maturas partes abſolvant. Niſi forte ſervilis calliditas, & ſupercilium heri [2] nunquam Roſcio per eadem ſpectacula convenit. Equidem Euphormionem non excuſo, ſi in diverſos habitus tranſire non licuit, qui in Doromiſi domo ideo ſcholaſticam induit vanitatem, ut irriſus abiret. Tunc enim in inſaniam ludebam, nec dum cognitis fidentium Muſis; qui inutiles, nec ad pulchritudinem exactas nugas omnino tanti putant, ut de egeſtate ſecuri ſint, & ad opes à felicibus tollantur, aut in iis animorum ſcabritudinem incuſent. Nec Doromiſum caſtigabam, ſi Auguſto hanc turbam Poëtarum ſubmoventi ſummus Lyricorum pepercit; dicebamque *ignotas ibi Muſas*, quæ ad ſtimulos ſuperbę paupertatis neſcio quid ignobile & mercenarium cantant. In eo autem ſene, cujus indicio Doromiſi nomen accepi, malignum ingenium non omnino inquieti populi fingebam, qui ſemper magiſtratibus iniquus, tamen ingentia merita non peſſimo aut artificioſo livore agnoſcit. Sed & ma-

1 *Supra Pythagoræ fatum ſæpe homines renaſcantur in die.*] Nota Metempſychoſin Pythagoræ ſive tranſmigrationem in alia corpora, ita ut qui fuiſſet olim Agamemnon poſtea fieret gallus gallinaceus, &c.

2 *Nunquam Roſcio.*] Roſcium Comœdum intelligit, ſub quo ut & ſub Æſopo Comœdo actionem didicit M. T. Cicero.

1 *Abdu-*

magnæ faſtigium portæ & aviditatis effigiem vidi [1] abducentis ab oppidanis Plutum: quod nemo opinor bonæ & candidæ mentis, in cujuſquam contumeliam vertet. In eodem quippe videbit bellorum inſtrumenta, [2] currumque Gradivi, cum ea vaſtitate, quam Annibal Italicæ præſagium cladis in ſomniis exhorruit. Nam auguſtam, ſed formimidabilem domum, & gravem tam longo apparatu non aliter debui quam Martis penetralia depinxiſſe.

Et his quidem argumentis jam confido Eleutheriæ omnes deos digniſſima litatione placatos; Nunc de reliquo ſolicitatus Orbe, ſi quid eſt iratorum Numinum, etiam faciliori propitiatione exorabo. Et vero apud cæteros expedita innocentia facilius emerget. Labetrum autem metuo ne innoxii quidem joci, ſed fortaſſe crimini viciniores implacabili præjudicio in me accendant; præcipue cum cognoverit de hac cauſa indicio illorum, quos Caſſius amoviſſet trium verborum cautione. Nam qui continua integritatis fiducia ſuam cauſam cum cœlo Principibus miſcent, mei premendi occaſionem putavere ſe nactos, quod eodem ſcripto in Labetrum & in ipſos jus libertatis exercuiſſem. Sic igitur potentiam alienam ad ſui ultionem callidiſſima fraude armarunt. Suis injuriis ſilentio tectis, tanquam pio & laudabili dolore commemorant contumelias; (ita enim appellabant) quas ego in Labetrum & Pedæam flagitioſe fudiſſem. Adeoque valuerant aſtus, ut innocens procacitatis Euphormio, novo judicii genere, in alio Euphormionis & Satyrici innocente pæne vindicaretur. Et hoc quidem atrocior videbatur injuria, quod Pedæam illis jocis miſcuiſſem. Nam & ſeverius ſuæ Metellę vindictam in Athenas quam defectionis Sylla exequebatur, [3] & hic Scytha qui in Bajazete pæne

1 *Abducentis ab oppidanis Plutum.*] Plutus ſumitur pro divitiis juxta vocem Græcam.

2 *Currumque Gradivi cum ea vaſtitate quam Annibal Italicæ præſagium cladis in ſomnis exhorruit.*] Gradivum Martem appellabant quod milites in bello per ordines graderentur & incederent. Quod ad ſomnium Annibalis de futura clade Italiæ, vide omnes Rom. Hiſtoriæ ſcriptores.

3 *Et hic Scytha in Bajazete pæne facta Ottoma-*

Digitized by Google

pæne facta Ottomanorum præcepit, plus contumeliis in uxorem quam imperii libidine accenſus eſt. Non eſt tanti meus liber ut imparis odii magnitudinem excipere velim: &, ſi pietatem nolit, ultro ſe iratis noxæ dedit: plus tamen innocentia ſua motus quam periculo meo. Labetrum & Pedæam non tam originis vetuſtas, aut potentiæ extulit robur, quam virtutum claritudo. Neque præconium tantæ confeſſionis jam effundo, aut ſpe beneficiorum agitatus, aut indignitate terroris. Sed ubi res ad ſerium procedit, non auſim ad tanta faſtigia niſi vera adoratione ſuſpicere. Et vero nullius flagitii incuſatos tantum veluti publica voce produxi. Nam communem, & ſi maxime eſſet verus, non turpem rumorem ſequutus ſum, & per aliquot jocorum ſuavitatem expreſſi, ac ut magis impetrabilis venia offenſæ ſit, non tam illud in Euphormionis ludum arripui, quam ut fabulæ vanitatem improbabili narratione damnarem. Igitur nec iſti libertati mallem triſti & ignobili ſuperbia iraſci, quam ridere cum domino gentis humanæ, qui trimeſtres liberos felicibus naſci impatienter non audivit. Sane de Liphippo, niſi ex perſona aliorum nihil dico, quos ſi reverentiores majeſtatis feciſſem, periclitabar adulationis opinione contemni.

At Thebanos quis ignorat eximie à me coli, dum majorem noſtram patriam aſſidua veneratione appello, & amicitias illorum ambitioſe quæſitas ad ſcrupuli moleſtiam & ſolicitudinis conſervo. Nec illi moderationis obliti acerbius meos riſus quam eos miſeram exceperunt, digni quos veris laudibus attollam, cum ſinceris judiciis nec falſa beneficia admittant, nec injuriarum ſpeciem vanitate præjudicii ulciſcantur. In Aquilio autem è vivorum ſocietate jam ſublato, etiam ſupervacua excuſatio eſſet: in cujus conditorium neque fama meæ narrationis intrabit; & ſi maxime fieret, ejus manes humanis negotiis non ſolicitantur.

Vereor

Ottomannorum præcepit, &c.] De Victoriis Magni Tamberlani in Bajazete quam multa habent Annales Turcarum, Calcondilus, Paulus Jovius, &c.

Vereor ne prolixa trepidave defenſio meæ cauſæ fiduciam corrumpat, præſertim quam non ita ſuſcepi quaſi inimicorum meorum humilitas pulſare meam quietem ægritudine ſolicitudinis poſſet. Magnatibus autem ſic me facilius approbabo; Nihil ſcriptum aut cogitatum eſſe, quo illorum dignitatem violarem; Si nihilominus perſeverant ſuſpicari, me execrationem mei fœtus pretium ſuæ benevolentiæ eſſe facturum.

Domita autem vel ſedata vi ferocitatis externæ, jam fortè familiaritas merentium quæret, num tam perpetuo favore mei pignoris caligem, ut in eo cognoſcere errores aut agnoſcere non poſſim, denique ſi quam eum toti orbi, tam etiam mihi excuſo. [1] Nam & Brutus ſuos liberos primum virgis, mox ſecuribus cecîdit, [2] ille autem adulterii vindex non prius filio oculum reliquit, quam ſibi excuſſiſſet; & ubique quo eſt tolerabilior lenitas parcentium ſuis, eo laudabilius erit hujus veniæ ſuavitatem aſpernari. *Igitur* tanquam è publico rediens, & hemicyclo augente privatam majeſtatem, domeſticas de ipſis Præſtitibus culpas expecto. Neque mollius quam jurata ſententia diſceptabo, vel [3] ut tanquam Hermolai patrem ſua rabies in filium abſolvat, vel ut ipſius filium iracundia parentis eripiat; externa miſericordia per internam & velut parricidalem diſcordiam benigniſſima lite erecta. Ecce autem jam vexatum percenſui ſcriptum, duriuſque diſcuſſi, quæ recipere culpam aut abſcondere poſſent. nihil publice peccatum annotavi quod caſtigatione in exemplum poſſem ulciſci. At privata & tantum in domeſticum nomen errata, etiam ætati donavi. Primum quidem, invidioſi argumenti ferociam, quæ ſub prima juventute adhuc rudem & inexpertam libertatem

1 *Nam & Brutus ſuos liberos primum virgis, mox ſecuribus cecîdit.*] Quod Sexti Tarquinii partes ſecuti eſſent cum flore juventutis. Vide Livium & alios.

2 *Ille autem adulterii vindex.*] Scilicet Lucretiæ. Junius Brutus ejecit ex urbe Tarquinios, & civitatem in reip. formam redegit.

3 *Ut tanquam Hermolai patrem.*] Ipſe eſt Hermolaus qui contra Alexandrum conjuraverat.

1 *Plut.*

tatem ſævientium odio vel iracundiæ objecit: tum conatus præmaturos, & cupiditatem famæ, quæ luxuriantem vitio annorum ſcriptionem novaculæ ſæveriori non ſervavit. Nam in prima Satyrici parte etiam quotidie lituras facio, ut in multis velut fronti invenuſtæ, ſaltem velum imponam. Sed hoc judicium non ingrata violentia mihi ereptum fatorum clementiæ permiſi, quæ hoc pæne exeuntis pueritiæ tyrocinium victuris ſpiritibus annumeraverunt. Secundę vero parti quę, provectior biennii mora, ſapuit per prioris impetus nęvos, meam quoque gloriam imputo: ac quod Epidicus & Orator ſuis auctoribus fuerant, id mihi de Callionis potentia liber Euphormio, & ſe primis litteris ſub fabula imbuens, eſſe poteſt. Nimirum ut cenſeri per illius virtutes aut vitia non recuſem. Neque me tam propitii itineris ad gloriam poteſt, aut ſi mavultis pręclari erroris, pœnitere, ſine contumelia immerentis fortunę, quę velut conſilio meam temeritatem provexit. Adoleſcentibus autem totique juventuti, quæ adhuc curioſa & libera diligentia ſpeculatur aditus ad ulterioris vitæ ſecuros & opulentos curſus, meis cautionibus, & jam experto navigio, quo adremigent portum oſtendam. Fallitur enim qui literarum ſplendorem putat etiam [1] Pluti cœcitati illuceſcere, & ſtatim ac in Parnaſſum pervenit, opes ab [2] Apolline efflagitat omnis metalli conditore.

Nam omnibus ſeculis diverterunt divitiæ à ſtudiis virtutis, & ſępius Philoſophia ingratis friguit, quam purpuram deſpexit. Illi ipſi qui libertatem ſolutarum gentium ſubegerunt eloquentia, [3] qui Cheronęa in Philippum arma cudere, qui Corneliis Sergiiſque ſua conſilia extorſere, non exiviſſent de Rhetorum umbra, niſi nudę eruditionis altam & candidam ſimplicitatem mixtura civilium negotiorum corrupiſ-

1 *Pluti cœcitati illuceſcere.*] Fingebatur olim Plutus cœcus, ſive quod ſine lege diſtribueret divitias ſuas, ſeu quod cœcos faciant opes.

2 *Apolline omnis metalli conditore.*] Dicitur Sol author metallorum in viſceribus terræ, maxime vero auri.

3 *Qui Cheronæa in Philippum arma cudere.*] Ipſe fuit Demoſthenes author Philippicarum.

rupiſſent. Nemo igitur intra ipſas literas aliud ſuis laboribus promittat, quam caſtiſſimæ dulcedinem voluptatis, & ad ſummum inutilem egentibus famam. Ille nobiliſſimus amor impetuſque ſciendi, à pecuniæ & ambitus utilitate ſemotus, in ſecuris & jam felicibus ingeniis, inter avitas opes digna & præcipua majeſtate ſe commendat. At vero ſi quis impari amore deceptus, de egeſtate ſua altiſſimas quoque Muſas contemplari & eadem ſinceritate colere audebit, quantumcumque magnifice cogitet ſæpiſſime, de Hecates cœna guſtabit.

Nam ut primum de Rhetorica dicamus, & humanis literis, ſequenteque has Philoſophia, quod præmium quamve ſpem illæ Nymphæ ſuis amatoribus invenerunt? perpetuum ſcholarum pulverem, & (proh facinus) in tam liberalibus diſciplinis ne quidem mercenariæ doctrinæ opulentam locationem; in privatis quoque familiis educationem puerorum jam olim ſervilis neceſſitatis munus, & hodie non unius Piſtocleti immiti ſuperbia deſpectam. Iuris autem immenſa cognitio, per tot nodos impedita, & plerumque ſolventium nugis, ingratiſſimos ſudores raris ſtipendiis videtur ad ſolam æternitatem laboris educare. Nam interclusa tribunalia non niſi jam opulenta ſcientia pulſantur: ſi placet de reorum miſeriis augeri, ſi in patronorum nomen ire, jam exiſtima de mearum literarum pulchritudine, quam hic ſterilem & ad opes currentibus inutilem damnamus. Nempe enim tot municipiorum jura, in ſola codicum nauſea & ſolitudine veſtigabis. Vivo ſtrepitu opus eſt, & callidiſſimis experimentis, quibus incendere lites aut opprimere poſſis. At nec divinis ſtudiis clementior portus; ubique divitias ſui juris faciente fortuna. Nam infinitæ opes quæ ſacrorum cuſtodibus venerunt longa & trepida majorum pietate, nunc mercedi, aut inconſultæ amicitiæ Magnatum, aut ſolicitæ adulationi ceſſerunt. Inter hos ſcopulos tam turbido freto & obſtinatis fluctibus repellentes literatorum remigia à divitiarum curſu quidam velut everberatam tempe-

ſtatem

Digitized by Google

ſtatem propitia fortuna vicerunt, qui in apice ſtudiorum aureos quoque fontes & ambitioſum otium invenere. Sed in illis ipſe caſus potius quam eruditio felix fuit, & ſaltem numeranda paucitate infamant Muſarum egeſtatem, quæ pauciores quam vilia aut pudenda artificia ad humanam ſublimitatem attollunt.

Deſolanda igitur tantorum Numinum limina, & literis inexpiabili ſacrilegio ejectis, fœditas barbarorum annorum revocanda? Abſit ut per tantum flagitium velim fatum jam labentis eruditionis præcipitari, quæ ſi vere æſtimamus, nos è pecudum vilitate ſeduxit, ſoletque præcipue cognationis cum cælò admonere; ſed nec velim juventutem aberrare velut Sirenibus deceptam, nulla præſertim pœnitentia utiliter illius temporis conſilium emendante.

Igitur domeſticas amoliri anguſtias & faſcium dignitatem volentes reſpicere, acri quidem impetu incumbant illis literis quas magis propitio impetu iis natura admoverit: niſi forte flexibili ingenio eligere ſtudia, & repugnantem animum regere poſſunt: cæterum ut ſe aperuerit floridior ætas, & veræ curæ per primos ſtimulos ſolicitaverint mentem, non quidem relinquant ipſas Muſas (neque tam levi ſarcina opprimentur) ſed eas ſecum velut ad utiliorem mercatum circumducant. Tum primum ſuos mores civili venuſtate nec perfunctoria ſolicitudine mitigent, tum ipſa comitas amorque ſolertiæ, & cura placendi, tum fraudis & malarum artium diſciplina, non in uſum, ſed cautionem, ac fortaſſe ſpeciem invigilantem animum informet. Et quidem (ut omittam qui in forum prorumpunt, civica arma inconſultis vendituri) pro genere ac fortuna tranſeat juvenis in factioſam clientelam. Ibi pro omnibus diis patronum ſuum placet, non gravis affectatione paritatis, aut ſordida vilitate dejectus. Sed & iſta prudentia eſt in eligenda ſervitute tenenda; primum ut quod præcipue genii impetu potes, id eſt, qua potiſſimum emines dote, id aut poſſit cognoſcere patronus, aut mirari; deinde ut per altiſſima quæque flumina

navigationem intendas. Nam & de vivis fontibus multæ aquæ hauriuntur, ne quidem ſentientibus ripis, & tuas ſordes eluet pretioſæ purpuræ contactus, ac, [1] ſi ſupra Philoſophum dona erunt, tamen Alexandrum decebunt.

Inter has curas, miſerrimæ quidem mortalitatis ludibria, utiles tamen ad pręſidium ſenectutis, ſi facilitas rerum aut magnitudo ingenii reliquerit otium, ad eruditionem cum pulcherrimo labore colendus eſt animus, qui hac deflexione forenſium rerum, veluti quodam ludo, ſuas curas mitigabat. At vero cum emerſerit liberalis animus de formidine paupertatis, vel cum ſatiaverit modeſtas honorum cupiditates, & poterit ſuas literas inter ſplendorem dignitatum majori præjudicio oſtentare, tum vero permittendæ ſunt habenę iſti ambitioni, tum inquam acrius deſcendendum ad perpetuos quidem ſtudiorum labores, ſed dignos mortalitatis faſtigio, & ſudoris pręterea rivos per multiplicem amœnitatem pluſquam Apio aut Oleaſtro detergentes. In iis domeſtici ſolatii vis ingens, & per ſtupeſcentem tuorum ęqualium barbariem admirationis externæ. Per hanc famam ut omnia felicibus accedunt, ſic quod ſupererit ad editos honores, poteris faciliori aſcenſu emetiri. Quod ſi quis tam robuſto animo erit, ut acquieſcat uni ſuavitati literarum, omneque diſpendium infra celebritatem ponat, & par ingenium tantę nobilitati efferveſcat: Valete faſtigia dignitatum, & habendi libido per ipſas opes excita. Hęc Philoſophia, & inopi lectulo demerſa paupertas, cum volet, certis telis omnem magnitudinem petet, ſua mole vulneribus patentem. Sed & longis pręconiis ſupererit ſuo ſeculo cum luxu ambituque morienti, neque ulla ſpatia definient doctæ virtutis perennitatem. Verum hæc eſt dura & pæne ſylveſtris eruditio, quæ, ſi me audient, multos habebit laudatores; rari autem excellentes animos tanta rigiditate imbuent.

Ne-

1 *Si ſupra Philoſophum dona erunt, tamen Alexandrum decebunt.*] Notum eſt quam liberalis fuerit in Ariſtotelem Alexander, imo & in Diogenem, qui cum interrogaretur ab Alexandro quidquid vellet, id ſe daturum ſi peteret; Reſpondit Diogenes, ut paululum ab ſole ſuo deflecteret.

1 *Utraq;*

Neque vero ſupervacua diſceptatione hic exerro, qui defenſione mea erupi ad præcipiendi gravitatem, ſed volui ita meæ juventutis impetus ad ſtudia probare, ne inde aliis exemplum ſtatuerem, & omnino caſtus liber quam in alienos fuit temperans, tam ſit innoxius laudatoribus ſuis. Nam & Satyricon propitiis fatis tradens, ſtimulos multis forte adoleſcentibus admovi, ut aſſiduis maturiſque literis properarent ad dulcedinem famæ. Nunc vero juventutem utiliſſima ratione dehortor, ne rapta pulchritudine laudum anxie eruditæ eloquentiæ invigilet, id eſt, omnis doctrinæ ſed & omnis ſudoris compendio, niſi ſuis opibus nitatur, vel capaci animo partiri curas poſſit, aut denique de ſcholaſtici pulveris otio nulla ambitione ſe moveat.

Ego vero qualiſcunque fortuna deinceps meos conatus excipiet, non revocabor ab hoc curſu,[1] utraque Pallade aut amicitias meas aut odia colendi; ſed vobis ſummas gratias diligentiſſima memoria habebo, quicunque Euphormionem amaviſtis: cæteris autem, qui ſunt ſolicitudine mea digni, non ceſſabo ſimplicitatem tam inermium jocorum probare, donec ratio aut fortuna meam innocentiam explicaverit.

1 *Utraque Pallade aut amicitias meas, aut odia colendi.*] Eadem Pallas & inimicitias exercuit & odia. Ovidius,

Æqua Venus Teucris Pallas iniqua fuit.

Cecropiis Pallas tamen ipſa favebat Athenis. Inde dicitur & Dea paci præſidens & bello. ita paſſim poëtæ.

Pars IV.

ICON ANIMORUM.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi,

LUDOVICO XIII. Franciæ & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo, Euphormio Felicitatem, Victorias, Triumphos.

Mortalium animos ſeria contemplatione deprehendi, Ludovice rex Chriſtianiſſime, & veluti oculis ſubjici poſſe, ille ſciebat qui in oraculi modum edidit, ut ſe quiſque cognoſceret. Sed privatum bonum eſt ad ſua unius mentis notitiam pervenire. Plurimorum autem varios genios, impetuſque animorum, curioſa diligentia poſſe diſtinguere, res adeo publicæ utilitatis, ut nec indignum duxerim munus quod Tuæ Majeſtatis adoleſcentiæ traderetur, hanc mentium morumque picturam; In qua ut potui fideliſſime Naturæ lineamenta ſequutus ſum, & aliquot diſcrimina adumbravi, quæ in hominum animis eadem Natura conſtituit, ſive terrarum ubi oriuntur ſpiritu, ſive fortuna, in quam naſcuntur, aut perveniunt, ſorte: ſive etiam variarum ætatum diſcrimine, aut illorum affectuum qui penè diverſi ſingulos agunt. Non indulgeo, Rex Sereniſſime, intempeſtiva & ſuperba ſapientia, ut his ſcriptis informare adoleſcentiam tuam ſtudeam, & inter diſciplinas, quæ jam primam tuæ Majeſtatis ætatem feliciter exercent, non rogata ſententia ſuffragio audiri. Habes Iuventutis tuæ Rectores, quos Burrhum & Senecam appellarem, niſi quod in Trajanum inciderunt. Habes utriuſque parentis ſacratiſſimum genium ô Rex, illumque præterea qui à Numine eſt, vobis ſuæ Majeſtatis vicariis incubantem. His tu optime indolem tuam credes. Nobis tamen in parendi

ſortem

Digitized by Google

ſortem genitis ſi templa adornare & coronas licet aris appendere, cur non & pietati videamur operari, cum ipſos ingenii noſtri cenſus, velut in ſacrum Numinum veſtrorum ærarium, ingenua devotione conferimus? At quid (inquies) externæ gentis homo divertit ad peregrini Numinis cultus? Numquam erit (Rex) ut meo Regi domeſticus me apud te ducam externum. Tuæ enim fortunæ magnitudo non in Galliarum adeoque nec terrarum finibus hæret. Tranſit quoque maria, obtinetque amicitiæ jure Britannias, quod perſæpe eſt ipſo ſervorum & civium ſacramento validius. Fœdus dies, ſeculoque pudendus, qui parricidio ſupra omnem atrocitatem horribili inclytum tuum Patrem Orbi ademit, tibi fidem tuorum amicorum approbavit certiore experimento quam etiam ipſi vellent. Inter omnes nemo Regum Principumve Sereniſſimo meo Rege aut verius, defuncto Henrico ingemuit, aut ſincerius timuit viventi Ludovico. Neque vero cunctatus eſt, dum cognito rerum eventu poſſet perfunctoria & ſecura pietate ſe jactare. Sed cum adhuc in tanto rerum articulo extrema timerentur, in hanc vocem ad immortale amicitiæ exemplum erupit, ſe tecum communicaturum pericula, venturaſque in ſortem Britannias quamcunque ille turbo tuis Galliis feciſſet. Nec deinde degeneravit Rex maximus à ſuorum verborum ſanctitate, affectu anniſque tibi Pater, & antequam velles frater, communione dignitatis. Hac tanta animorum utrinque mixtura, & Gallica decet in Britanniis vota fervere, & noſtra apud vos exaudiri. Et ea mihi publica ratio (nam privatas tacuerim) nuncupandi Tuæ Majeſtati donarii. At nunc quidem Iconem Animorum, Rex potentiſſime, tibi vovi, mox quoque Tui Animi & Majeſtatis imaginem Poſteritati paraturus, cum te ad illa, quæ Orbis expectat purpura tua digna, major ætas propulerit, ſpiranſque in oculis atque ingenio tuo Maximi Patris virtus; qui bello ac pace mirabilis, æmulorum invidiam vicit, & amicorum fidem. Galliam ſuam

agentibus fatis inſaniam armis fregit. quid in Cæſaris laudibus majus? Suum deinde in victoria animum clementia exarmavit. nec id potuit Alexander. Tu tanti Patris hæres, tu ſpes metuſque populorum: jam famam impleviſti quantamcunque capere tam teneri anni poſſunt. Dum creſcis, dum in vires ſummis rebus maturas exurgis, Tuæ Majeſtati in hæreditatis interim partem laus Parentis, triumphique, & cæteræ dotes erunt, quibus æternitatem emit. Sed & hæc ipſa, licet patria, aliena eſſe cenſebis, voleſque tuis titulis niti, ubi eoſdem poteris per ætatem meruiſſe. Vale.

PHILOMUSIS.

PRodit iterum in lucem aurum ex marchaſita, & unio ex matrice concha Icon animorum Jo. Barclaii; cui ego auctori non modo præſtanti facundia, ſed omni genere laudis quæ ex litterarum ſtudiis elegantioribus provenire ſolet, ne ex Veteribus quidem Romanis quenquam antepono. Hactenus Naudęus in Bibliographia. *Sed à Barclaii morte homines ſimplices, & prorſus albæ mentis quædam præfixo ejus nomine obtruſerant edita, ac ſi litterarum hoc ævum à plumbo neſciret aurum diſtinguere (Aletophilum intellige.) Hæc* Hieremias Drexelius *è Societate Jeſu in aurifodina, ubi & ipſe elegantem appellat. Hugo Grotius hunc eſſe ait,* Romam Romano qui docet ore loqui. *Ant. Quarengus nepos Cardinalis prolixo carmini quo illum commendat hæc ſubjicit,*

Parce tamen mea Roma quæri, ſeſe ille tuorum
In numerum jam ſponte refert, nomenque Latinum
Principis Auſonii donis ingentibus auctus
Provehit, & ſegnes poſt tempora longa Quirites
Ad veteres Scriptis inſignibus excitat artes.

Hunc Voſſius in Inſtitut. Oratoriis ſæpe citatum vocat ingenioſum & elegantem: *Et ibi ſicut & in magno Atlante Icon animo-*

Digitized by Google

animorum ſæpe celebratur. Hunc quoque commendant Hieronymus Aleander, Ubaldinus Cardinalis, Gaſparus Sciopius, & nuper alius Italus ad Principem ſcribit. Imo tres ſummi Pontifices ſummo hunc apud ſe tenuere loco, Paulus V. qui eum ex Anglia accerſit ut patet ex litteris in fronte Argenidis collocatis: Gregorius XV. qui ſuum diploma Argenidi præpoſuit: Urbanus VIII. cujus poëmatis calculum ſuum Barclajus adjecit in Epiſtola ad Laurum. Non ergo mirum ſi Reges, & Principes eum foverunt, & annuo cenſu donaverunt: inter alios vero Galliæ, & Angliæ qui abeuntem omnibus benevolentiæ ſignis, & ſua imprimis effigie concluſa in aurea pyxide remuneravit. Itaque cum animadverterem libellum hunc parem cum Argenide famam Authori ſuo accerſiſſe, operæ pretium putavi ſi auctæ notis Argenidi hunc ſubciſivis pariter horis utcunque illuſtratum ſine mora ſubjungerem; maximè cum à viris litteraturæ liberalioris amantibus ad id officii compellerer. Accipe ergo, mi Lector, hoc litterarium munus, cujus ope totum percurrere orbem poſſis vel ſedens, & in ſitum, moreſque populorum intueri ſeu barbarica feritate incultorum, ſeu politiori rerum agendarum diſciplina informatorum. Et ſicut habuiſti in notis Argenidis quidquid eſt in fabula eximium, quidquid in antiquis ritibus reconditum, ita in hoc libello potes ediſcere novitatem noviſſimarum ætatum Hiſtoriæ, & Geographiæ. Vale, & hunc meum tantillum laborem æquo animo accipe.

CAPUT I.

[1] *Ætates hominis quatuor, pueritia, adoleſcentia, ætas virilis, & ſenectus.*

HUmani [2] generis, ſicuti cæterorum omnium, præcipua in cunabulis cuſtodia eſt. [3] In arboribus rami naſcentes obſequuntur Agricolæ: cujus ductu vel in altum enituntur, vel ad terram proni deflectunt.

1 *Ætates hominis quatuor, &c.*] Quanti ſit compendii ſcire varios in ſingulis ætatibus, nationibus, conditionibus, affectus, norunt ſane Rhetores, norunt politici, & humanæ ſocietatis amantes: Sed & ii maxime quos peregrinandi in exteras regiones cupido inceſſit, quatenus ad ſingulorum mores ſeſe componant & effingant juxta ſapientis conſilium. *Talis* ſcilicet, ut egregiè Tacitus dialogo de Oratorib. *tenebit habenas animorum, & prout cujuſque natura poſtulabit, adhibebit manum, & temperabit orationes parato omni inſtrumento, & ad omnem uſum repoſito.* Primum ergo ſcrutemur ſingularum ætatum ſingulos affectus. Porro ætas eſt quadruplex, pueritia, juventus, ἀκμὴ ſive ætas conſtans ſeu virilis, & ſenectus. Ita enim Hippocrates quoque dividit, cum ait lib. 1. Aphoriſ. ſect. 1. Aphoriſ. 13. Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι· δεύτερον, οἱ καθεστηκότες· ἥκιστα, μειράκια· πάντων δὲ μάλιστα παιδία· τουτέων δὲ αὖ τὰ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑαυτῶν προθυμότερα ἐόντα. Id eſt, *Senes facillime jejunium ferunt: proxime poſt eos qui ſunt ſtata ætate: minus adoleſcentes: omnium minime pueri; atque inter hos præcipue qui acriores ſunt ac promptiores ad aliquid agendum.* Ita & Cornelius Celſus lib. 1. cap. 111.

2 *Humani generis ſicuti cæterorum omnium præcipua in cunabulis cuſtodia eſt.*] Audiatur Fabius Quintilianus lib. 1. Inſtitut. *Nato filio pater ſpem de illo primum quam optimam capiat, ita diligentior à principiis fiet.* Item: *Sicut aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria eſt mentis agitatio, atque ſolertia, unde origo animi cæleſtis creditur.* Item: *Argumentum quod in pueris elucet, ſpes plurimorum, quæ cum emoritur ætate, manifeſtum eſt non naturam defeciſſe, ſed curam.* Et paulo poſt: *Ante omnia ne ſit vitioſus ſermo nutricibus, quas ſi fieri poſſet, ſapientes Chryſippus optavit; certe quantum res pateretur optimas eligi voluit; & morum quidem in his haud dubie prior ratio eſt. Recte tamen etiam loquantur; has primum audiet puer; harumque verba effingere imitando conabitur: & natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus, ut ſapor quo nova imbuas durat; nec lanarum colores quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt. Et hæc ipſa magis pertinaciter hærent quæ deteriora ſunt.* Concludit: *Non aſſueſcat ergo, ne dum infans quidem eſt, ſermoni, qui dediſcendus ſit.* Et cætera.

3 *In arboribus rami naſcentes obſequuntur Agricolæ.*] Quam frequens ſit illa ſimilitudo hominis cum arbore, docent non ſolum ſacri codices, verum etiam SS. Patrum & philoſophorum teſtimonia. Palma vero in myſticis litteris celebratiſſima duplici de cauſa hominis ſimulachrum eſſe putatur; primum quia fructum non fert ſine coitu, ſed replentur ejus rami gemmis maſculeis, quaſi ſemine quodam: deinde quia in ſuperiore parte habet quaſi cerebrum, quod Hebræi *halulab* הללב Arabes vero

flectunt. Ita puerorum animi, parentum velut obſtetricum manibus fingi poſſunt, certa & in ſequuturam ætatem manſura imagine. Semina maxime, & veluti fundamenta virtutum, his antiquo prææltoque affectu inſinuanda ſunt; ut deinde ignorent, natura an præceptis acceperint, parentibus obnoxio ingenio eſſe, facilique præcipientibus; intemperantia, mendacio & fraude, veluti inſolentia prodigiorum, exterreri; [1] præcipue vim Numinis venerari, nunc beneficio nunc vindicta ſuſpiciendam. [2] Et hæc ipſa non atroci aut moleſta ratione urgenda ſunt. Nam quæcunque ſuppliciorum metu colimus, eadem triſti faſtidio ſolemus averſari: & concepta à puero odia, neſcio qua horroris conſuetudine, ad ſenium quoque deducimus. Sed aſſiduis ſermonibus imbuendi ſunt de faſtigio præmiiſque virtutum: flagitia cum ſupercilio ac verecundia apud illos nominanda: quæ omnino neſciant ſæpe publice nec jam cum infamia regnare. Tam lenibus rudimentis initiati, oderint vitia, virtuteſque tanquam feras aut rigidas non timebunt; & faciles [3] ad hæc prima rectæ diſciplinæ initia accedent, parentum magiſtrorumque

vero *Chedar*, & *Gemar* vocant; quo corrupto moritur arbor, ſicut cerebro læſo homo interit: præterea comam habet in cacumine, & ramos in manuum modum protenſos, & fructus digitorum figuram præ ſe ferentes, unde Dactyli ſunt appellati; ſed & homo in adoleſcentia non ſecus ac tenera arbor flexibilis eſt, & ut in virtutes ita & *Cereus in vitium flecti.*

1 *Præcipue vim numinis venerari nunc beneficio, nunc vindicta ſuſpiciendam.*] Hoc Iſocratis ad Demonicum, hoc Catonis majoris, & priſcæ philoſophiæ conſilium fuit. Hinc Heroum pervulgáta gloria: & Tityi, Siſyphi, Tantali, Ixionis, Enceladi, Salmonei ficta ſupplicia, de quibus conſulendi Homerus in Odyſſea, & Virgilius in Æneide, ubi hic Æneam, ille Ulyſſem inducit inferorum pœnas conſiderantem & præmia piorum ſuſpicientem. nam teſte Horatio,

Oderunt peccare mali formidine pœnæ,
Oderunt peccare boni virtutis amore.

2 *Et hæc ipſa non atroci aut moleſta ratione urgenda ſunt.*] Μηδὲν ἄγαν, ſit modus in rebus neceſſe eſt, maxime in illa ætate impatiente faſtidii; ſed quæ ducitur maxime ſtudio laudis, & mercede virtutis: unde fit ut in illa ætatula æmulatio poſſit plurimum. Ergo de virtute, virtutiſque præmiis magnifice huic loquendum eſt: flagitia cum verecundia & probro nominanda. ſic in virtutis vitiique bivio poſiti virtutis viam licet ſtrictiorem cum Alcide potius eligent. Sunt enim μεγαλόψυχοι adoleſcentes, qui & honeſtum præferunt jucundo & utili, cum honeſtum à turpi ſecreverunt, quod judicium ferre per ſe cum nequeant, illud ex prima inſtitutione ferre ſolent. Itaque

3 *Ad hæc prima rectæ diſciplinæ initia*

Digitized by Google

rumque auſpicio, quorum ſententiis, veluti divinæ mentis oraculis, detinentur imbecilli in illis animi, necdum judicandi ambitione ſolicitati. Accedit, quod non emitur promiſſis adulantium vitiorum haud intacta modo ætas, ſed incapax voluptatis. Itaque rem turpem judicio ſuorum, & ſibi nullis lenociniis commendatam, facillime proſcribent. Neque hic pueritiam initiamus ad ſuperſtitioſæ & anxiæ pietatis ſupplicium, ſed ad virilem cautamque virtutem. [1] Nam cum animus hominis ingenerato pondere in prava deflectat, neceſſe eſt adhuc faciles ramos in contrarium cogi, ut deinde impetu ſuo redeuntes medium inter naturam & inſtitutionem teneant.

In hac autem puerorum diſciplina, gloriæ quoque ſtimuli paſſim infigendi ſunt ſentientibus animis, ut jam tum ſuos honores aſſueſcant ſuſpirare, & ſive ſcholis ſive ludis exerciti, eminere æqualibus labore dulciſſimo contendant. Præterea cum ætate ſenſim veluti ex captivitate deducendi ſunt: ut & mitior majeſtas parentum ſit, & illi etiam non ſubito aut

tia accedent parentum magiſtrorumque auſpicio.] Inde ſit ut Fabius in parentibus plurimum eruditionis optaverit. Nam Gracchorum eloquentiæ multum contulit Cornelia mater, & Lælii filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam dicitur. Et Quinti Hortenſii filiæ oratio apud triumviros habita legitur non tantum in ſexus honórem. Neque minor in magiſtris cura debet verſari circa pueros informandos, ſintque cum primis & habeantur eruditi, ſiquidem primus ardor diſcendi nobilitas eſt magiſtri. Neque vitia habeant quæ perdoceant alios, ut de Leonide pædagogo Alexandri magni referunt. Ubi quæritur à Fabio utrum utilius domi, an in ſcholæ umbraculis pueri erudiantur. Reſpondetque ſibi interroganti aſſueſcendum à puero ei cui in media luce vivendum, non illa ſolitaria & umbratili vita palleſcere, aut reformidare homines; verum excitandam æmulationem; nam etſi ambitio ſit vitium, attamen plerumque ſemen virtutis eſt. Plura vide apud Fabium cap. 3, lib. 1.

1 *Nam cum animus hominis ingenerato pondere in prava deflectat, neceſſe eſt adhuc faciles ramos in contrarium cogi.*] In eadem hæret ſcilicet ſimilitudine cum arbore cujus rami adhuc flexibiles ad nutum torquentur: Ita enim fingenda humana mens in primis annis ne innato pondere (fomite péccati) in prava deflectat, nihil enim habet de ſe homo niſi mendacium & peccatum, cæcitatem & infirmitatem. Ita ut non abſimilis ſit illi ſtatuæ Regi cuidam oblatæ quæ virgas altera manu, gladium geſtabat altera.

En gladium, velum, & virgas mihi
perdita redde,
Paulatim ſordeſco, corporis excute
ſordes;
Infra dejicior, ſecerſum mihi pondera
tolle.

1 *Suit*

aut improviſo libertatis incremento laſciviant. [1] Suis etiam ſtudiis relinquenda eſt pueritia, ne videamur Naturam arguere, quæ hanc ætatem imbecillem eſſe juſſit, & intempeſtiva ſemente ſapientiæ nondum præparatum ingenium corrumpamus. Sit illis innoxia laſciviendi venia, ſtudium literarum magis ad mutationem ludi quam ad faſtidium, minuſque ſupplicii ex ſupercilio parentum quam timoris: fruantur denique adhuc miſerantis Naturæ indulgentia, nec ante humanarum mentium ſupplicia, quam meruerint, tolerent. Niſi forte putamus in levibus malis eſſe, cum pueri à ludo in totum prohibentur, [2] omnemque ſtrepitum faſcium cum illius Stolonis conjuge exhorrent: & ſapientiæ quam nondum capiunt acerba documenta, tanquam mimum, aut exhibent aut revolvunt. Qui ſenſus eſt ad miſerias acerrimus, in hanc ætatem cadit: dum teneræ mentes nec timorem regere poſſunt, & pejus de incognitis malis judicant. At

1 *Suis etiam ſtudiis relinquenda eſt pueritia.*] Modus igitur ſit remiſſionibus, ne aut odium litterarum negatæ faciant, aut otii conſuetudinem nimiæ, inquit *Fabius*. Cui ſententiæ favet Cicero Orat. pro Cœlio, *Detur aliquis ludus ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur.* Et Ariſtot. Eth. lib. 8. cap. 3. *Detur juventuti aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates. Cavendum enim ne præcoces fructus ferat; aut ne ſtudia, qui non poteſt amare, oderit, & amaritudinem ſemel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet.* Non igitur in levibus malis eſt, cum pueri à ludo in totum prohibentur. Hinc Horat. de Arte Poëtica mores puerorum deſcribens:

Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

2 *Omnemque ſtrepitum faſcium cum illius Stolonis conjuge exhorrent.*] Cum enim Stoloni agriculturam exercenti delatus fuiſſet conſulatus, ſtrepitus lictorum & aliorum concomitantium uxoris ejus animum ita turbavit, ut illa aulæ tumultui agrorum pacem præferendam diceret. Ad quod videtur alludere Horatius:

Non enim gazæ, neque conſularis
Summovet Lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Porro Stolonis illa lex fuit, quæ vetabat plus quingenta jugera habere civem Romanum, inquit *Varro* lib. 1. de re Ruſt. cap. 2. Idem docet propter diligentiam culturæ confirmatum fuiſſe hoc genti cognomen quod nullus in ejus fundo reperiri poterat ſtolo, eo quod effodiebantur circum arbores radices quæ naſcerentur è ſolo, quos ſtolones appellabant. Confirmat Plinius lib. 17. cap. 1. *Fuerunt ab arboribus cognomina antiqua,* ait, *ut Fronditio militi illi qui præclara facinora Vulturnum tranſnatans fronde capiti impoſita adverſus Annibalem edidit: Stolonum Liciniæ genti: ita enim appellatur in ipſis arboribus fruticatio inutilis.*

a Sed

Digitized by Google

Ac ut viri quos fortuna ingentibus malis fregit, quam capaces animos habent, totos implent ſuarum miſeriarum contemplatione, atque ſenſu: ſic & in pueris, dum incidit quod miſerrime expaveſcunt, omnis vis timendi dolendique conſumitur. Interrogatus qui prædones laqueum minitantes evaſerat, quo animo expectaſſet mortem; quo, inquit, olim puer flagrum expavi. [1] Sed & illa in pueris perpetui metus acerbitas ſuccum abſorbet, quem Natura ad laxandos corporis artus, & incrementa adoleſcentiæ, exundare voluerat. Non enim ſuam vim ventriculus habet, evocato ad laborantis cerebri præſidium igne, neque actu lætitiæ diffunditur ſanguinis impetus, qui omni interpellatione triſtitiæ marceſcit. Ita hæc ingenia, inter ægræ cuſtodiæ vincula, vel territis vel exhauſtis viribus ſic ſubſiſtunt, ut, qui ſupra pueros ſapuerant, poſtea infra decus virilis prudentiæ delirent. [2] Equis certe, juvenciſque, in primorum annorum libertate incurioſos impetus effundere concedimus, ne tunc primum robur enaſcens timeat ad vincula accedere. Adeo cæcæ mentes, quod in cæteris animantibus videmus, in noſtris pignoribus aut negligimus, aut neſcimus. Neque tamen in infinita libertate prima hæc ætas dimittenda eſt. Sit

1 *Sed & illa in pueris perpetui metus acerbitas ſuccum abſorbet.*] Hinc Machiavellus principum liberos litterarum ſtudiis imbuendos negat, dum ſuccum exhauriri, vireſque eorum cum præceptorum ſævitia tum animi contentione enervari docet. Et Fabius, *Cædi*, inquit, *liberos quanquam & receptum ſit, & Chryſippus non improbet, minime velim, primum, quia deforme, ac ſervile eſt, & certe quod convenit, ſi ætatem mutes, injuria. Deinde quia, ſi cui mens eſt tam illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut peſſima quæque mancipia, durabitur.* Poſtremo, quod ne opus quidem erit hac caſtigatione, ſi aſſiduus ſtudiorum exactor aſtiterit. Quapropter is præceptor præfici debet, qui in parentis locum dignus ſit ſuccedere; *parens* enim, inquit Fabius, *non corporum, ſed mentium eſt*: neque habeat vitia, neque ferat: non auſteritas ejus triſtis, non diſſoluta comitas ſit, ne inde odium hinc contemptus oriatur. Non ira impotens ſit, neque tamen emendanda diſſimulet, ſimplex in docendo, patiens laboris, comis interrogantibus, verecundos ultrò percontetur. Non objurget quaſi oderit: nam illa vox præceptoris quem ut patrem amabunt, & verebuntur, plenius alit.

2 *Equis certe juvenciſque in primorum annorum libertate incurioſos impetus effundere concedimus.*] Talis eſt effrænis juventus qualis eſſe ſolet juvenca. Quæ

Velut latis equa trima campis
Ludit exultim, metuitque tangi.

1 Si

Sit illis mediocris terror ſupplicii, ſumma parentum reverentia, & ſemper quantum ſibi liceat ignorent. Nam [1] ſi procax eſt alicujus pueritia, nimiaque ferocia exuberat, tunc faceſſant

1 *Si procax eſt alicujus pueritia, nimiaque ferocia exuberat, tunc faceſſant lenitatis iſta præcepta.*) Fabius, tenuiores animos, *inquit*, ab injuria Sanctitas docentis cuſtodiat, & ferociores à licentia gravitas deterreat. Eſt enim impunitas peccandi licentia, in iis maxime, qui nondum ducem rationem ſequuntur. Cujus rei exemplum Roma Capitolium orbis nuper dedit. Natus erat ex gente Clariſſimâ Poſthumus, unum viduæ parentis delicium, tandem ſupplicium. Relictis nucibus jam puberi virtus, & ſtudium litterarum citra invidiam, non citra gloriam fuit. Vidit tamen ſequens ætas corruptiorem: quod aſtrorum aſpectu Mathematici ſignificaverant. Dum enim inſano parens amore inſoleſcit, nati fatalem ſortem Pythone accerſito expreſſerat. Interim ille plenis quaſi velis ibat, in virtutis, artiumque ingenuarum ſtadio non ſine ſucceſſu currens, & tam fœlicibus initiis ſpem parentis prævertebat. Sed vix adultum maturant ad ſcelus ganeonum neceſſitudines, non continuo, ſed per ſpiramenta temporum, nec ſine magno matris dolore. Hic quaſi ad metas hæſit candorem ætatis cum indole, pudorem cum elegantia morum labefactans. Etenim blandiente jam luxu, helluonum obſequium ſuperûm legi, nedum parentis prævertens aris & focis abducitur & graſſatorum ad turbas deflectit hoſtilem in modum prædas acturus. Non tam acriter mordent ea quibus ſtipamur in lucem prodeuntes tanquam naturali ſatellitio quam quæ florentem intactamque vitam affligunt. Opimus ſpoliis, dives aleâ, cæteroque luxu incaleſcit: nec alea ſine rixâ, non rixa abſque irarum certamine, ex quo penè ad cædem convertitur: Sed æquis tandem diſceſſum manibus. pubes cerea in vitium flecti, ubi frænum ſemel excuſſit, in quem non impingit ſcopulum? quæ ſi intempeſtivo parentum amore fovetur, in lubrico eſt, & cum vitio adoleſcit. Parentem interim agebat vecordem, ſubjectum diſcrimini pignus uteri, & in mille querelas identidem abibat, ſæpe conquerebatur eo doloris ſenſu, quo incendium facultatum videret, cladem que familiæ ſæpe etiam Aſotus poſt furta & cædes angi conſcientia præter ſolitum videbatur: adeo nemo naturæ ſemina repente opprimit: pœnitet deſertæ matris, ſuum ſcelus premit eum domi, pungit foris, aſſidet ſedenti, fugientem ſequitur. Sed mene traduci, ait, per ora civium lucemque pati: demum ſpe indulgentiæ & peccandi illecebra in proprios lares, atque in gratiam matris revocatur, quæ inſperato nati reditu reviviſcit. Redditus parenti natus meliorem quidem frugem concipit, ſed tardiora remedia quàm mala ſunt, ingeniaque oppreſſeris facilius quàm revocaveris. Iſte enim vix apparet ſuis cum peſtifera gregalium conſuetudo (quid illa non poteſt?) male ſanum à matre abſtrahit, & à parente quidquid corraſit ſtatim effundit. Ludo luxuque expreſſus nec ad Maleam alliſus, ſed ad aleam, ex alea in arenam deſcendit, jactis, ut plerumque fit, inter ludendum rixarum ſeminibus, tandem colluſorem cædit: ſic effrænatus juventæ furor impunitate alitur ingenti peccandi illecebrâ. Nondum cædes in comperto. Placet inſciæ certaminis ac necis matri effrænem indolem cuſtodiæ repagulis premere: nullam res moram patitur: attamen illico præter ſpem matris, accuſatores confluere qui fœdis in Aſotum ardent criminationibus, emicare in forum judices, qui ultimo ſupplicio reum damnant, defixâ ad ſubitum monſtrum plus quam ad Meduſam matre, quæ omnem ſalutis viam fruſtra emolitur: miſcetur enim civitas contrariis ſtudiis, & pro ſe quiſque opibus

ceſſant lenitatis iſta præcepta; tumorque, naturæ *vitio* enaſcens, quem ſæpe parentum lenitas ad ulceris maturitatem fovet, adhuc crudus ac facilis exſecetur.

Hoc modo lepida pueritia ſuæ & parentum voluptati relinquetur, &, poſtquam expleverit ſtultitiam innoxiarum cupiditatum, ipſa ætas paulatim ſtudia mutabit, radiceſque virtutum adoleſcent, quas ipſi jam non impetu, ſed judicio amabunt. Tunc afferent ad adoleſcentiam, & ad crepuſculum prudentiæ, mentem liberam, placidamque, quæ ad illius lucis pulchritudinem vi ſuæ inſtitutionis obverſa ſit.

Sed ut omnis rectitudo diverſis vitiis oppugnatur, plus inter ſe, quam cum media virtute luctantibus; ita qui acerbos adhuc animos vocant ad nimiam maturitatem ſtudiorum, non durius oportet accuſari, quam ignaros virium quas Natura ejuſmodi ætati conceſſit. Nam [1] præterquam quod quibuſdam eſt præcox ingenium, & [2] Curiæ capax prætexta Papyrii, eſt etiam à natura illis annis dos ſua atque ſenſus, vis ſci-

bus gratiaque decertat. Quidni, & ſi ſero ſapiant Phryges? lancinatur tandem puer anteactæ vitæ horrore, primoſque ægritudinis motus Cœlo obſtetricante eluctatur: victus horrore culparum animus vix ſufficit dolori. Aporiatur mater dum opperitur nati ſupplicium. Illa necem deprecatur, quam ille ut meritam ſibi imprecatur: illa rem familiarem eamque ampliſſimam objicit; hic egenos heredes ex aſſe relinquit: Quid plura? non contumaciâ ferrum provocat, non jactatione ferrum recipit. deſiguntur omnes ea juventæ conſtantia' medio in ſpatio integræ ætatis demeſſæ: ſic inolita neque repreſſa conſuetudo incaleſcit & maturam ſceleri juventutem convictus improborum maturat neci. hic Aſoti exitus fuit, quem virtutis bonarumque artium tædium nec non intempeſtivus parentum amor in hanc ſcenam impulit cæteris exemplo futurum.

1 *Præterquam quod quibuſdam eſt præcox ingenium.*] Natura vix alia re magis quam varietate delectatur, & nuſquam ingenioſorem eſſe decuit. Eſt in quibuſdam memoriæ & phantaſiæ acrior vis ad ſuſcipiendas imagines rerum: hos judicii maturitas, illos celeritas intelligendi commendat: Eſt præterea quoddam ingeniorum præcox genus, quod vix unquam pervenit ad frugem; nam herbulæ iſtæ inanibus ariſtis ante meſſem flaveſcunt, rarus igitur ille qui cum Pandora docto Minervæ fictus pollice prudentiam ſingularem obtinuit, ingenii acumine valuit, memoriâ excelluit.

2 *Curiæ capax prætexta Papyrii.*] Papyrius iſte Prætextatus ideo cognominatus eſt, quod in prætexta & adoleſcentia magnopere viſus eſt ſapere. Cum enim à patre duceretur in Curiam, in eaque arcana quædam tunc forte tractarentur, domum reverſus, interrogatuſque

ſcilicet capacis faciliſque memoriæ; quæ in pueris ſumma eſt, & quicquid iis temporibus acceperit, pertinaci felicitate ſervatura: ſed creſcentibus ſenſim annis hebeſcit, inſtar roris ad noſtrorum corporum ſalubritatem eximii, qui in ferventibus plagis ilicibus inhærens, niſi excipitur prima luce, ad ſurgentis Solis radios expirat. Multis ideo ſermonibus, mox uberi hiſtoriarum lectione, dum licet, ſerendus eſt ille campus, ut nec cogitantes pueri bona concipiant, deinde vel cum invitis adolitura. Linguarum quoque varietas, quæ tot vigiliis nobis conſtat, ſurgentibus ad pueritiam infantibus per colloquentium commercium pulchre accedit. Hæc ſcilicet minimi laboris opera, nulliuſque judicii, ubertim exequitur illa ætas, nec labori idonea, nec matura judicio. [1]Quod ſi areſcere ſiverimus facilem humentemque memoriam, erunt longo laboris faſtidio quærenda eadem,

que à matre, quidnam in Senatu actum eſſet, ut dux, *inquit*, uni nubere poſſint. At illa mane convocatis matronis, ad curiam properat: rogantque una omnes, ut eadem lege viros duos habendi licentia ſit etiam fœminis: recognitum ingenium, & pueri conſtantia laudata eſt. *Macrob.*

1 *Quod ſi areſcere ſiverimus facilem humentemque memoriam, erunt longo laboris faſtidio quærenda eadem, quæ tunc melius, & abſque nauſea habuiſſemus.*] Ex humore cerebri feliciorem memoriam fieri docent Phyſici: quæ tamen niſi frequenti uſu & exercitatione excolatur, ſterilis & infructuoſa fiet non aliter quam ager incultus & ingratus qui concepta ſpe cultorem deſtituit. Hinc pueris, in quibus plus ineſt humoris, tenacior memoria eſt: quæ tamen ſi inculta fuerit, more inculti agri nihil niſi ſpinas & tribulos referet. Eſt autem memoria, *inquit Orator*, rerum theſaurus. Et ex Fabio lib. 11. omnis diſciplina conſtat memoriâ, fruſtraque docemur, ſi quidquid audimus, præterfluit. Idem vero maximam artem vocat memoriam, quæ non perperam fingitur à Poëtis *Muſarum mater*, diciturque Μνημοσύνη. Aſſentitur Tullius, dum ait, *Pythagoræorum more exercendæ memoriæ gratia, quod quoque die dixerimus, audierimus, legerimus, commemorandum veſpere, ſi boni oratores eſſe volumus. Eſt enim neceſſaria dicere volenti memoria, theſaurus rerum omnium ferax, omnium ſenſuum animi cuſtos, Muſarum mater.* Ita ille. Porro ediſcenti ut ſcribenti plurimum confert bona valetudo, cibuſque, & ſomnus temperatus. Vinum multum fugias, & libidines, rerum omnium oblivionem, & mortem memoriæ. Nemo erat Cretenſium & Lacedæmoniorum, qui guſtare vinum in caſtris auderet, inquit Plato l. 2. de Legibus; ſed nec magiſtratibus toto eo tempore quo magiſtratibus fungerentur. Gubernatores etiam ac Judices munus ſuum ſubituri, deliberaturi quoque de rebus omnino non negligendis. Teſtis eſt Gellius Romulum ad cœnam vocatum non multum bibiſſe, quia poſtridie negotium haberet. moles negotiorum ediſcenti memoriter, pariter fugienda & affectus nimii, ſicut &

eadem, quæ tunc melius, & abſque nauſea, habuiſſemus Nam quid miſerius, quam hoc tempus, quod prudentiæ idoneum nobis in virili ætate conceditur, licet breve, nec jam tot ſcientiis artibuſque ſufficiens, in his etiam ſæpe conſumi, quæ vacua pueritia, ſi eam excoluiſſes, ita in receſſus memoriæ ut in penariæ cellæ latebras condidiſſet?

[1] Sunt autem in ejuſmodi quoque annis quædam omina creſcentium vitiorum aut futuræ virtutis; moliente jam Natura aptum unicuique indoli fundamentum. [2] Adhuc Cyrus, qui Perſarum imperium condidit, paſtore genitus credebatur, cum in eo emicuit animus, quo deinde toti penè Orienti jugum impoſuit. Puer cum parium annorum cœtu ludebat: rex forte ludendi à jocantibus factus, vere jus regium in ſodales exercuit: contumaces verberibus cecidit, ſat ſuperque idonea majeſtate. Res ad Aſtyagem delata eſt ab eorum parentibus quos Cyrus verberaverat: Et is juſſit Cyrum ad ſe perduci, qui ad ſolii tiaræque conſpectum non vili aut puerili timore emarcuit: Regem ſe ajebat à pueris conſtitutum, & quod regium eſſet, egiſſe. Hinc majora ſuſpicatus Aſtyages, quam quæ præſens pueri fortuna jubebat, in illius genus & parentes quæſivit, mox ſuum ex *filia* nepotem agnovit. [3] Cato autem, qui à fatali ſibi Utica nomen

ſomnus nimius, & modicus; hic enim cerebrum nimis exſiccat, ille, pluſquam par eſt, humidum facit.

1 *Sunt autem in ejuſmodi quoque annis quædam omina creſcentium vitiorum aut futuræ virtutis.*] Sic Alexander Macedo adhuc puer futuri præſagia dedit plurima, quæ quoniam à Quinto Curtio fuſe narrantur, impræſentiarum ſubticebo. Hic autem Cyri & Catonis Uticenſis referuntur exempla, quæ pueritiam commendant & reliquæ vitæ præſagio ſunt. Nihil dicam de indole ominoſa Juliani, cujus futuram nequitiam Gregorius Nanzianzenus quam ſæpè conjecit. Quid de illo referam, qui quoniam aviculæ perfodiſſet oculos, indignus habitus eſt, qui in Senatum admitteretur, neque dignior habitus eſt alter ejuſdem inhumanitatis æmulus, cujus in ſinum cum evolaſſet avicula, quam milvus inſequebatur, ipſe trucem ac barbarum in morem, eandem è ſinu repulit ac foras projecit.

2 *Adhuc Cyrus qui Perſarum imperium condidit, paſtore genitus credebatur, cum in eo emicuit animus, &c.*] Xenophon in Cyropædia Cyri adoleſcentiam pueritiamque proponit tamquam abſolutiſſimum exemplar, & ſpeculum pluſquam Socraticum: nihil tamen de illo pueritiæ augurio dum inter pueros luderet, de quo fuſe Juſtinus libro primo poſt Pompejum Trogum, quem conſule cum Plutarch.

3 *Cato autem qui à fatali ſibi Utica nomen*

men traxit, paulo ſupra infantiam erat, cum Legati Latinorum ſuæ genti jus civitatis oraturi Romam perveniunt, adeuntque Livium Druſum Catonis patruum, apud quem ipſe educabatur. Hunc puerum cum legati per jocum rogaſſent ecquid illos juvare apud patruum precibus vellet, hæſit immotus, eos etiam acri vultu perſtringens. Et ipſi tantulæ ætatis contumaciam admirati, in experimentum indolis ulterius blanditias, moxque minas ingerunt, nec verbum extorquent: tandemque correptum extra altioris triclinii feneſtram, ut in terram projecturi, aliquandiu verſant. Sed is timere dedignatus pejus quoque ſupercilium arctavit. Tanquam in ſeveræ rigiditatis auſpicium, qua ipſe deinde tota vita inhorruit. Errant tamen haud raro qui ex puerorum moribus temere de futurorum affectuum ratione conjiciunt. Nam oportet grave eſſe indicium, & ſupra illius ætatis levitatem pertinax, quod ſit efficacis argumenti ad motus venturorum & flexilium animorum deprehendendos. Unum eſt quod vix fallit præſagium, ſcilicet lacrymarum profuſe excidentium facilitas. Qui enim ad primum perculſæ mentis ictum veris gemitibus madent, ſunt illi naturæ mollioris & ad humanitatem amoremque compoſitæ. Alios videas magnis quidem clamoribus, & ſimulantibus fletum, ſiccos tamen oculos inter parentum minas & verbera tenere; feri iſti plerumque ſi adoleverint, aut certe in opacis pectoribus nec teneros affectus, nec juſtos etiam timores admiſſuri.

[1] In adoleſcentiam deinde productos, primamque juventutem,

men traxit.] Ipſe eſt Cato Uticenſis, qui poſt Pharſalicam cladem cum reliquias Pompejani exercitus contraxiſſet, & terreſtri itinere per deſerta Libyæ ad Jubam Regem perduxiſſet, tandem victo à Cæſare Scipione, Uticæ quam tutandam ſumpſerat, necem ſibi conſcivit, perlecto ante Platonis dialogo de animæ immortalitate, qui Phædon inſcribitur. Iſte à puero Stoicam retinuit gravitatem, quam deinde provectior ætas confirmavit.

1 *In adoleſcentiam deinde productos primamque juventutem, &c.*] Varia hic inſeruntur adoleſcentiæ, ſtatæ ſeu virilis ætatis, atque ſenectutis diſcrimina, variique mores, quos ita deſcribit Horatius libro de Arte Poëtica.

Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, at ponit temere, & mutatur in horas.

tem, ipſe impetus ſanguinis, vireſque jam ſe nimis cognoſcentes, prorſus immutant, & animum abripiunt per inconſultæ fiduciæ ac ſecuritatis æſtus. Tunc primum idonea deliciis

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix:
Converſis ſtudiis, ætas animuſque virilis
Quærit opes & amicitias, inſervit honores,
Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quod
Quærat, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide, gelideque miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, aviduſque futuri:
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero: cenſor, caſtigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt.

Juvenes flagrant cupiditatibus præcipue Veneris, & excuſſo rationis fræno, ſi timor Dei non adfuerit, in omne ſcelus præcipites eunt, ut Terentianus Demea Adelph. act. 5. ſc. 9. videtur innuere:

Quæ vos propter adoleſcentiam
Minus videtis, magis impenſe cupitis,
conſulitis parum.

Et Sanctus Chryſoſtomus epiſt. 3. ad Olympiadem, Ἡ πολλὴ τῆς ἐπιθυμίας ζάλη, ἀσθενέστερος δὲ ὁ λογισμός. *Magna eſt concupiſcentia tempeſtas: ratio vero longe imbecillior.* Nimirum ut Sanctus Baſilius ait in c. 3. Jeſ. p. 903. Od. Mor. τῆς νεότητος ἐπιθυμίαι δυσκάθεκτοι. Id eſt, *juventutis effrænes ſunt cupiditates.* Eoque, ut cum Euripide dicam, οὐ ἡβῶντα οὐ ῥᾴδιον εἴργειν. id eſt, *haud facile eſt pubeſcentem compeſcere.* Verum Epictetus audiatur, Περὶ ἀφροδίσια πρὸ γάμου καθαρευτέον. id eſt, *A Venereis ante nuptias eſſe convenit.* ac ſimiliter ejus æqualis Muſonius, Ὅσαι συμπλοκαί, μοιχείας ἐκτὸς οὖσαι, ἐστερημέναι τοῦ γίνεσθαι κατὰ νόμον, καὶ αὗται πᾶσαι αἰσχραί, ἐπεί τοι γε δι' ἀκολασίαν. *Concubitus omnes, etiam ſi non fuerit adulterium, ſi non juxta legem fiant, turpes & ipſi ſunt; ut qui ſolius libidinis cauſa fiant.* Neque in libidine tantum, ſed etiam cæteris in rebus vehementes eſſe cupiditates adoleſcentiæ ſolent: Nimirum nondum totam exuere pueritiam, de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam, quæ ſtudia in his jam ætatibus noſtris contractiora eſſe debent: in adoleſcentia vero tamquam in herbis ſignificant quæ virtutis maturitas & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ, ut bene Tullius pro Cœlio. Præterea magni refert hic quid velit: ſed quidquid vult valde vult, quod Julius Cæſar de Bruto dictitabat: ſed quoniam nullum violentum eſt durabile, ideo docet Horatius, quod ſit juvenis

Cupiduſque & amata relinquere pernix.

Ratio eſt, quod nec ſatis magno judicio amicitias eligat: nec ſatis conſtanter adverſus oboriens faſtidium tueatur. At in ſenibus jam deferbuere cupiditates, eoque ab iis tam acre illud, quam deſultorium hoc abeſſe ſoleat. Juvenes præterea vehementer excandeſcunt, propterea quod ſint honoris avidi, maxime ſi virium ſuarum conſcii fuerint. Exemplo fuerit Gias l. 5. Æneid.

Tum vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens,
Nec lacrymis caruere genæ: ſegnemque Menetem
Oblitus decoriſque ſui, ſociûmque ſalutis
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.

Diſpar

Diſpar eſt ſenum ratio: quia facile quidem & ipſi ſuccenſent; ſed non æque parent iræ, unde Horatius l. 3. Ode 14.

Lenit albeſcens animos capillus
Litium & rixæ cupidos protervæ.
Non ego hoc ferrem calidus juventa
Conſule Planco.

Sentiunt ſcilicet vires minui: deinde ſenectus frigus calorem ex ira provenientem celerius extinguit; unde fit ut acutæ quidem eorum ſint iræ, ſed cito diſſolvantur: quod teſtatur Ariſtoteles, καὶ οἱ θυμοὶ ὀξεῖς μὲν εἰσιν, ἀσθενεῖς δέ. id eſt, *iræ ſenum acres quidem ſunt, ſed imbecilles.* Confirmat hanc Ariſtotelis ſententiam Lucianus, quando expoſtulantem cum Jove Timonem inducit, quod jam ſenex inultam hominum malitiam ſinat, cum longe iracundior fuerit in juventute. Argumento eſt quod Plutarchus libro περὶ ἀοργησίας dixit, καὶ γέροντες ἀκμαζόντων ὀργιλώτεροι. Confirmat iſtud Euripides,

Ὀργὴ γέροντος, ὥσπερ μαλθακὴ κοπίς,
Ἐν χειρὶ θήγει, ἐν τάχει δ' ἀμβλύνεται.
Senilis ira, mollis in gutta modum
Pungit manum, ſed illico retunditur.

In juvenibus profuſus eſt animus, quippe qui magis fama quam fame moventur, neſciunt enim quid ſit egeſtas. Unde Horatio juvenis dicitur

Utilium tardus proviſor, prodigus æris.

At ſenes habent alios illiberaliter, atque, ut inquiebat ille apud L. Pomponium Atellanarum ſcriptorem, rumorem parvi faciunt, dum ſit crumenam qui impleant. Norunt enim quam difficile pecuniæ acquirantur. Quod ſi quavis ætate difficile ſit, opes parare: quanto magis in ſenectute. Inopiam igitur timent ſenes; ad quam ſi redigantur, effœtis jam viribus, vitam tueri neutiquam poſſint. Atque hoc eſt, quod Terentius ait Adelphis, Act. 5. Sc. 3.

Solum unum hoc vitium affert ſenectus hominibus,
Attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt.

Et Horatius in Arte:

Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.

Simonides vero cum avaritiæ argueretur jam grandævus, reſpondiſſe fertur, malle ſe defunctum opes relinquere inimicis quam vivum egere amicis. Quo ſimul amicorum conſtantiam arguebat. Juvenes bonis ſunt præditi moribus, quia omnia optime interpretantur non habentes in ſe exempla earum perturbationum, quas improbi habent, ut ait Plato libro 3. de Repub. At ſenes cuncta rapiunt in deteriorem partem. Juvenes ſunt creduli, quia nondum ſunt vulpionum dolis redditi cautiores, Senes ſunt στριψίμαλλοι, & ingeniati ad fraudes, ſuſpicioſi, & quos publice non vellicant, hos tacite cogitationis convitio verberant. Juvenes ſunt εὐέλπιδες, id eſt, pleni bonæ ſpei; non enim unquam animo deſpondent; quod partim natura fit, quia multum habent caloris nativi; partim experientiæ defectu, quia non vident cur haſtas abjicere debeant, cum aut nunquam aut raro ſpe exciderint: partim ætatis privilegio; ita Alexander cum primum Perſarum oram conſpexiſſet, cuncta ſua amicis donaſſe dicitur: Rogatus autem quid ſibi ſervaret: Reſpondit ἐλπίδας. E contrario ſenes facile deſperant, tum quia calor naturalis jam elanguit, tum quia ſæpe ſpe ſua ſunt fraudati. Eſt etiam ſenex laudator temporis acti, ut ait Horatius. Ita Euander 8. Æneid.

Qualis eram, cum primam aciem Præneſte ſub ipſa
Stravi, ſcutorumque incendi victor acervos,
Et regem hac Herilum dextra ſub Tartara miſi.

Et Cornelio Gallo teſte Ecl. 1.

Deficit auditor, non deficit ipſe loquendo.
O ſola fortes garrulitate ſenes!

Juvenes ſunt verecundi, quia cum honeſtum & turpe dignoſcere per ſe nequeant, judicium de eo ferunt ex prima inſtitutione. At ſenes inverecundi ſunt, quia dum lucro omnia metiuntur, ſæpe pudor & honeſtas per eos pedibus trahantur licet. Juvenes ſunt μεγαλόψυχοι, id eſt,

Digitized by Google

liciis ætas eſt, nec plus de voluptatum ſenſu gaudet, quam quod illas audeat impune experiri. In poſterum conſulere ideo neſciunt, quia adhuc crudæ vires non reputant ſe obnoxias

noxias

id eſt, magnanimi. Senex vero φειδωλότατος. nam res omnes timide, gelideque miniſtrat. Nimirum adoleſcentes nihil adverſi ſenſerunt, in vita ſenes vero multis edocti malis ſciunt quantis periculis obnoxia ſint humana omnia; ideo cuncta anxiè circumſpiciunt, ac ſæpe nimio pavore præclara quoque conſilia corrumpunt. Ita abfuit parum quin Fabius Maximus Cunctator conſilium Scipionis de transferendo in Africam bello, quo rem ille Romanam penitus reſtituit, eo everſum iret, quod periculoſe nimis pericula omnia expenderet. Quare etſi ſenes, ob longam rerum experientiam magnifice de ſe ſentiant, ac ſæpe Juvenum conſilia habeant deſpicatui: interdum tamen magnos juvenum animos præferre convenit curæ ſenum, pluſquam ſatis eſt, accuratæ. Juvenes honeſtum præferunt utili rectam ſecuti indolem. At ſenes utile præferunt honeſto, quia nihil in vita habent carius vita, cujus parum ſupereſt. Juvenes ſunt φιλόφιλοι, quia ſocietate gaudent & amicitias honeſto potius quam utili metiuntur. Senes ex regula Biantis amant tanquam aliquando oſuri, & oderunt tanquam aliquando amaturi. Juvenes plurimum tranſgrediuntur præceptum illud Chilonis μηδὲν ἄγαν: Peccant enim ſemper in exceſſu, omniaque aſſeverant ut certiſſima. Senes vero peccant in defectu utpote crebro decepti, & ut plurimum addunt in Sermonibus τάχα. Juvenes ſunt μεγαλικάλικοὶ, hoc eſt, vehementer proni ad injuriam inferendam, verum contumeliæ potius quam malitiæ cauſa: ſenes è contra magis injurii ſunt ob malitiam quam ob contumeliam. Juvenes ſunt miſericordes, quia ex ſuo ingenio de aliorum judicant innocentia: Nam ut Tullius ait ad Quintum Fratrem, *ut quiſque eſt vir optimus, ita difficillime eſſe alios improbos ſuſpicatur.* Senes ſunt miſericordes quidem; ſed ideo quia ob infirmitatem ſuam metuunt, ne quid ſimile ſibi immineat. Juvenes ſunt propenſi ad riſum, & ad dicacitatem: At ſenes facetias aſpernantur, quippe ὀδυρτικοὶ καὶ φιλαίτιοι, id eſt, difficiles, & queruli; qui contemni ſe putant, deſpici, & illudi. *Accedit ad cætera ſenectutis mala angor ille ex cogitatione mortis propinquæ*, inquit Tull. de Senect. Sunt & φιλόζωοι, & quo mortis viciniores, eo vitæ cupidiores, cupimus enim ea quibus deſtituimur. Quod ad ἀκμὴν ſive virilem ætatem, ea adoleſcentiæ errores videt; ſeque improvide adeo in multis egiſſe, multum miratur: Et propterea quidquid à ſe peccatum fuit, emendare conatur. Nec jam acres ſunt affectuum ſtimuli, quia fervor ille ſanguinis remiſit. Itaque ut ætas illa inter juvenilem, & ſenilem, velut in medio conſtituta eſt; ita etiam intermediam obtinet naturam. Nam quæ bona adoleſcentia & ſenectus habet diviſa, ea vigor ætatis habet conjuncta: Et quæ juventus ac ſenectus habent in exceſſu, & defectu, hæc habet media ætas in mediocritate, &

Commiſiſſe cavet, quod mox vitare laboret.

Paucis dicam, Juventus fortis eſt, ſed intemperans: Senectus temperans, ſed timida: Virilis ætas fortis & ſobria: Juventus nimis credula, Senectus nimis ſuſpicioſa: Virilis ætas pro rerum natura confidit, aut diffidit. Et ſic de cæteris. Porro hæc doctrina utilis eſt in foro, in curia, in conſortio, in theatro, ubi

Si plauſoris eges aulæa morantis, & uſque
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite, dicat:
Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores
Mobilibuſque decor naturis dandus, & annis.

1 Fœlix

noxias eſſe fortunæ: & præterea lætarum rerum ſpecies tunc animos ita implent, ut ſeveriori prudentiæ, quæ primo aſpectu moleſta eſt, in iis nihil vacet. Et tunc quidem, jam non vano aut diſſimulato impetu, ſua quemque natura in ſtudia abripit, ad quæ potiſſimum factus eſt. Nam quos ad vilia artificia ignobilis indoles ducit, ii deſtinatam ſibi artem monſtrantibus fatis agnoſcunt: tum quibus potior militaris diſciplina: tum quos ingenii vigor ſive Muſis ſive negotiis dicavit: omnis denique ſpecies animorum in ſuam tribum adoptatur, præeunte Natura: Quæ niſi quendam impetum ac ſuavitatem adjungeret huic utilitati laborum quos præſcribit, certe adoleſcentia juventuſque, vix ducta ratione nec durum aliquid in ſe audens, penè cum venia erraret.

Verum & in ipſa incuria eorum, qui omnino à labore ac officio recedunt, plerumque illa vis emicat ad ſe vocantis induſtriæ: veluti herbarum ſemina per ſaxorum latera quæ naſcentibus obſtant exili cacumine enituntur, ut ſaltem ſe oſtendant enecari. Sive enim ignavia adoleſcentes perdiderit, ſive luxus, aut commeſſationum inſana dulcedo, quoties ſuis voluptatibus ludiſque laſſati recedunt interdum ad aliquam laboris ac induſtriæ ſpeciem, cui perfunctorie incubant, &, tantum ad mutationem voluptatis, ad eam potiſſimum partem divertunt, cui diligenter excolendæ idoneam mentem geniumque acceperant. Adeo non poteſt in totum interire fatorum ſtimulus in certa munera unumquemque pulſantium.

Ut vero arbores, quæ multo ac valido ſucco in inutiles ramos exuberant, tandem matureſcente illa luxurie feliciſſimos proventus alere poſſunt: ita juvenis nimio æſtu exultantem liberumque animum nactus, aliquando juſta & ad ſapientiam ſufficiente moderatione reſidebit: quod ſi jam ab ipſa adoleſcentia maturam ſobriamque vim ſortiatur, certe languore inutili ante primam ſenectutem marcebit. Sed hoc maxime eſt ad judicium futuræ virtutis, ſi ipſe inter cætera ſtudiorum aut affectuum genera aliquid valde volet, id

Digitized by Google

quicquid eſt nimio ac veluti præcipiti fervore complectens. Nam hæc acris cupiditas ſaltem oſtendit, illum vero, & per hoc laborioſo impetu, in ſua ſtudia poſſe ferri: ſine qua indole nemo virtutem vere colet, aut gloriæ litabit.

Cæterum quamvis adoleſcentiæ interdum ſint ingrata ſenectutis conſilia, tamen ipſa conſcientia ſapientiæ nondum in ſuis annis maturæ, neſcio quid de iis altum ſentit, qui jam ante experti juventutem per eam commeantibus iter oſtendunt. Animus autem in hoc ætatis flore prima cupidine laudis ardet, impatiens contumeliarum; non diu eadem conſilia probare, aut exequi, facilis; etiam plurimum ſibi placet, nec ſatis amicitias poteſt eligere, nec poſtea adverſus ſuccreſcens faſtidium tueri. Quicquid autem ſubito mentis acumine inveniri aut perfici poteſt, non aptiores in mortalibus habes quam in illo flexu annos. Ut videatur pueritiæ eſſe, facta majorum, vel dicta, indefeſſa memoria adipiſci; juventutis autem, & facere nova, & loqui; ſequentis deinde ætatis ſe ex utriſque moderari.

Excipit juventutem ſtata ætas ac virilis, media inter adoleſcentiæ præcipitia, pondusque ſenectutis. In hac adeo cum animo corpus viget, ut tunc demum vere hominem eſſe credideris, datumque in illorum annorum gratiam quantacunque eſt mortalibus vita. Hic ingens corporum & animorum mutatio, ut ciborum plerumque ac voluptatum alius tunc delectus, ita mores alii, & in novum efformatæ cupiditates. Robuſtus animus, & veluti ab adoleſcentiæ caligine emiſſus, primum ſolet de anteactis erroribus atroci cenſura judicare, mirarique ſe tam improvide potuiſſe peccare.

Illinc ſtatim utilis pœnitentiæ, & ruinas, quas juventus fecerat, emendantis ſedulitas. Opum honorumque præcipuus amor eſt; & quaſi nunquam de vita deceſſuri, ita avide ad illam ſubſidium & ornamenta quærunt. Simulare amicitias, ſuiſque deſideriis imperare, non alii magis ſciunt. Veram quoque fortitudinem habent, caſtigato impetu, ne-

que

que extincto, quo ad iram vindictamque adoleſcentia fervebat. Tunc demum vis integra ſolerſque judicii, in incitato torrente juventutis, non feſſi corporis ægritudine laborans: Cauta illis vitia; ac plerumque nec virtutem ſine præmio colunt.

Sed hanc denique pulcherrimam vitæ partem ſenectus, velut aliquo æſtu ſenſim inundans, ſanguini primum, & mox ingenio, ſuum frigus inſinuat. Hæc diverſa habitu, affectibus, moribuſque, priorum annorum virtutes partim auget, partim avertit in vitia. Timiditas maxime inſidet, & aptam alioqui prudentiæ ſedem infeſtat. Quippe ſenes hoc pectoris igne defecti, qui fortitudinem inſpirat, nec aliter quam per ſua aliorumque pericula in tantum ætatis provecti, omnia ſolent nimis anxia cogitatione verſare, tam quæ ipſi effugere, quam quæ alios perdiderunt. Hinc illa vis conſilii, atque prudentiæ, quæ maximam ſenectutis dotem facit, ſæpiſſime nimio pavore corrumpitur, dum omnia etiam tuta circumſpicit, mavultque interdum malo ocio vulnera tegi, quam in periculum venire medicinæ. [1]Felix ille Cunctator, qui furentem Annibalem vallo caſtrorum, velut clypeo, à pernicie Italiæ ſubmoverat. Ille Fabius penè Imperii Urbiſque aſſertor, quid abfuit, quin religioſa ſupra modum timidaque ſententia, redeuntem felicitatem à Romanis liminibus arceret? Scipio trajiciendi in Africam conſilium impetumque ſumpſerat. Ita extorquendus erat Annibal, & ad patriæ clades de viſceribus Italiæ revocandus. Tam ſalubrem optimi ducis mentem, ſimulque incolumitatem Imperii, penè ille Fabius intervertit, omnia tan-

1 *Fœlix ille Cunctator, qui furentem Annibalem vallo caſtrorum, velut clypeo, à pernicie Italiæ ſubmoverat.*] Ex Fabiorum ſanguine per longam nepotum ſeriem natus eſt Fabius ille Maximus qui dictator adverſus Annibalem creatus, cunctabunda quadam prudentia rem Romanam aliorum Imperatorum temeritate labefactatam, primus reſtituit, adeo ut veriſſime de eo Ennius dixiſſe videatur,

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Et Virgilius 6. Æneid.

Quo feſſum rapitis Fabii? Tu maximus ille es, &c.

A Fabis nomen eſt adeptus, ut Lentulus, Cicero, & alii ab aliis terræ frugibus.

tantæ expeditionis pericula anxie reputans: cum ad naturam ſua ſponte cunctantem ſenectus acceſſiſſet. Sed hunc in ſenibus nævum facile virtutes excuſant, maximeque conjiciendi futuri ſagacitas, quæ in illis edocta per præteriti temporis memoriam, quo minus corporis vinculis obligatur, eo purius omnia & quaſi communicato cum ſyderibus conſilio proſpectat.

Quot urbibus, quotque Imperiis hæc ſapientia ſaluti fuerit, quanta etiam privatis hominibus utilitas, qui ſe ſenum conſiliis permiſerunt, plena ſunt vetuſtatis monumenta, & quotidiano uſu unuſquiſque perdiſcimus. Et fortaſſe hinc ſenibus illa ingens & plerumque indefeſſa loquendi cupiditas, quaſi datus à Natura ſtimulus, ne illi docere gravarentur qui omnium optime poſſent.

Sed plerique eorum non ſatis in hac parte modum tenent, ut quiſque ſe juvenum illis applicuerit, per ſuorum annorum rerumque geſtarum ſeriem infinita oratione euntes; ac quod moleſtiſſimum putes, ne una quidem & ſimplici vexatione contenti, quotieſcunque in eundem inciderint rurſus, pari ſermoni aut invenient cauſam, aut facient. Etiam quo patientior aut verecundior erit, quem ad illud audiendi ſupplicium rapuerint, hoc miſerius eum plectent.

Nec audiri tantum amant: ſed ubi conſuluntur, aut etiam ſponte monent, ſibi fidem haberi, componique omnia in quem modum præſcripſerint, nimis interdum pro imperio volunt; urgentque nolentes: rati ab iis ſe contemptos qui abnuunt regi: Iuvenum virorumque conſilia pervicaci faſtidio & veluti de altiori ſcena deſpiciunt. Tu ſi dignus es, quem aliquando in ſenectute peccantem juventus quæ ventura eſt excuſet, jam mulcebis animos innoxio gaudio exultantes, faciliſque dicentibus, fronte ſaltem ac luminum nutu, quicquid dixerint lætus accipies. Nam quæ minor reverentia provectis his annis & patrium cultum merentibus poteſt haberi, quam ut ſaltem ſimulemus probari à nobis

bis quæ edicunt, facilique & nihil auferente officio tantæ venerationis ætatem ſuo gaudio perfundamus?

Eadem autem rerum humanarum experientia, quæ illos per reliquas ætates ad ſenectutem deduxit, ſimulque eorum exempla, quos viderunt in egeſtatem labi, agere ſolent ad nimiam domeſticæ rei curam. Quis ferat hoc mortalitatis ludibrium, tunc fortunas avidiſſime expeti, cum nec diu manere, nec jam ſolicitare precioſis deliciis effœtum corpus poſſint? Viget hoc tamen in ſiccis pectoribus malum, labenſque Natura timet ſcilicet ad inopiam pervenire, à qua non poſſit jam laſſis viribus, in dies morientibus, vindicari.

Illis vero qui in ſenectute hæc vitia, velut ſyrtes, effugiunt, nihil eſt ad omne conſortium commodius, Res publicas atque privatas feliciſſime regere: deſpicere malos impetus, ac vincere, qui animos noſtros inconſulte diripiunt: & conſulere juventuti, & parcere; quid ipſi fuerint, quid tunc ſenſerint, nondum immemores: digni denique qui longa ſenectute ſua ſapientia fruantur, Orbemque illa veluti expertæ Philoſophiæ diſciplina componant.

CAPUT II.

[1] *Secula penè ſingula ſuum genium habere, diverſumque à cæteris. Eſſe præterea cuilibet regioni proprium ſpiritum qui animos in certa ſtudia & mores quodammodo adigat. Hos ſpiritus inveſtigari operæ precium eſſe.*

GRenovicum pervetuſta Regum Britannicorum domus eſt, miliaria IIII ſub Londino, ad Tameſis ripas. Mons

1 *Omnia ſæcula genium habent qui mortalium animos in certa ſtudia ſolet inflectere, &c.*] Seu hoc ex Aſtrorum influxu, ſeu ex Imperantium genio accidat, vidit ætas præterita per omnes mundi oras varia populorum ſtudia. Roma caput gentium regnante Romulo bellicis exercita eſt operibus; Imperante deinde Numa Pompilio efferati aſſiduo Marte populi religioſis ritibus deliniti ſunt; qui rege Tullo Hoſtilio priſtina belli conſilia reſumpſerunt. Quod apud Athenienſes, Spartanos, Perſas alioqui bellaces olim viſum. Tantum poteſt regnantis auctoritas. Sed hæc priſca ut omittam, liceat in noviſſimorum ſeculorum mores intueri: nam quis præcedentes ſæculi clades audiat, & non indoleat?

Digitized by Google

Mons imminet Regiæ, modico ſupercilio ſubjectum oppidum fluviumque deſpiciens. Brevibus tumulis in illum aſcenditur: verticemque deinde ingenti ambitu planicies extendit. Forte in eum bene mane conſcenderam: & ſolitudo circum erat, ut nemo interpellare poſſet cogitationum ludum dulciſſima libertate errantium. Sed memorabilis amœnitas penè citius animum quam oculos diffudit, aſpectu, non Britannia tantum, ſed fortaſſe tota Europa pulcherrimo. Ingens planicies aliquot ſuſpenſa colliculis, rurſus montes in orbem effuſi, neque cito caſtigabant oculos, neque illos per immenſum cœlum ſpargebant. Tameſis lætiſſima ubertate in viciniam exudat, & ad radices montis redeuntibus in gyrum fluctibus inſulam penè molitur. Paſſim toto alveo naves, & omnis generis onerariæ: ut proximas quidem totas aſpicerem, cæterum longius ſtantes, aut ſub altiori ripa, ex malis antenniſque tanquam nudam & brumalem ſylvam cognoſcerem.

Nihil illa plaga viridius. Paſcuorum utilitas eam frugibus abſtulit: & vix alibi felicior in gramina terrarum luxuries. Privatorum quoque fundos, de more patrio, perpetuæ foſſæ & pleræque in marginibus arbores ſepiunt. Maxime vias publicas altiſſimæ populi à lateribus tuentur, ut de monte deſpicienti perpetua facies hortorum videatur ſaltuumve factorum ad ambulationis voluptatem. Præcipua eſt tam varia viriditas, penè in diverſos colores diſtributa. Nam quæ longius abſunt, velut cærula incumbentis cœli facies opacat: propiora, denſiore fronde in aboribus nigra ſunt, vel humi tenui herbarum virore nitentia. Sed pulcherrimum

doleat? quarum hinc ambitio, inde novitas religionum origo fuit: & in earum præſagium tres Soles viſi, totidemque Lunæ trium mundi partium Europæ, Aſiæ, & Africæ perturbationes præmonentes. Nam dum Calvinus in Gallia, Lutherus in Germania, Zuinglius in Helvetiorum pagis, Oſiander in Polonia novos colendi numinis ritus inſtituunt, apud Perſidem Iſmael Sophi, in Africa Cherifus religionis ſpecie aditum ſibi ad ſolium aperiunt. Aurea prorſus ætas noſtra quæ alta pace pene toto orbe Chriſtiano fovens florentem pietatem florenteſque ſcientias & artes videt.

Digitized by Google

mum ſpectaculum præbebat ipſa urbs, inter eximias Europę celebrata, Londinum, innumeris domibus, vix tamen populi ſui capax: Quippe ad alteram Tameſis ripam late effuſum eſt, viciniſque annexum oppidis, & penè continua ædificia per quatuor miliaria protendens. Per hoc ſpatium non privatæ tantum domus, ſed & fana crebro faſtigio eminent, & media civitas tanquam umbone, ita præcipui templi mole diſtincta eſt.

Cum his ego nec proviſa voluptate deducerer, tandem revocare animum cœpi, & ſic mecum reputare: quid eſſet quod incogitantem rapuiſſet: unde ille aſpectus ſic placeret: quæ occulta vis, quæ ratio meam mentem tetigiſſet? num ipſa urbs, num fluminis curſus, monteſve, an campi, an imago ſylvarum? Horum omnium nihil unum: ſed tantarum varietas rerum, & veluti Naturæ ſuas opes explicantis induſtria. Subiit inde cogitatio: nihil eſſe in mortalium rebus ad ſuam pulchritudinem ſic exactum, quod tandem non fatiget contemplantem, niſi ad hunc quem intuebar modum adverſarum dotium beneficio in aliam aliamque venuſtatem mutetur, ſemperque laſſatos improviſa novitate reficiat: Et quoniam ad omnis decoris faſtigium perducendus Orbis erat, nequaquam tantæ artis oblita natura eſt: Regiones aliquas montibus ſuſtulit, alias in planiciem deduxit: has æſtu torruit, has damnavit ad brumas: reliquas, nec quidem æquali ingenio, temperavit.

Fœcunditatem, aut ſqualorem, non modo non ubique, ſed nec in perpetuum impoſuit: olim felices proventibus terræ, nunc ſterilibus arenis informes ac vaſtæ ſunt: & quæ quondam crudo aëre horrebant, non tantum jam in fruges, ſed & in voluptatum inſtrumenta luxuriant. Adeo eſt ex totius Orbis pulchritudine, illius partes in multîplices habitus vultuſque tranſire. Neque aſtra, licet certis itineribus ſemper curſum tenentia, aëri motus eoſdem & effectus ſolent infundere: Ideoque quamvis iiſdem ſpatiis omnes anni in orbem excurrant, nullus tamen in totum aut eum imitatur

tatur qui præceſſit, aut exemplum eſt ſequuturo.

Sed ille cujus gratia cæterarum rerum ornatus inſtitutus eſt, ille ad divinitatis memoriam ſpecimenque homo compoſitus, præcipue naſcitur in hujus varietatis venuſtatem. Nam non modo diverſos in corporibus habitus ſortiti mortales ſunt: ſed & animos adeo multis ſimul rebus idoneos, ut nulla pictura pluribus coloribus poſſit, aut lineis, delectare intuentes, quam quas in hominibus fata duxerunt. Quæ virtutum aut vitiorum ſeries, quæ artium ſublimitas, quodve calliditatis ingenium, non eſt in hoc ſapientiæ penetrali à Natura reconditum? Nulla tamen quam magis admirere diverſitas, quam in libertatem homines naſci (qui enim aliter ſe regere poſſent, laudemque vel cum pœna infamiam ex ſuſceptis ſtudiis mereri?) ſimulque ſervire, ad quoſdam ſcilicet affectus, ac vivendi penè normam, ſua indole vel temporum ſorte adacti. Nam omnia ſecula genium habent, qui mortalium animos in certa ſtudia ſolet inflectere. Quædam ætates præcipue armis exercitæ; mox omnia in quietem compoſita; tum Regnorum, tum Rerumpublicarum in populis amor; nunc veluti in barbariem homines naſci, deinde facilioribus animis manſueſcere, & poſt ſecula aliquot ad ſtipatum prima caligine ingenium redire. Ita ſæpius Orbis cultis hominum moribus enituit; ſubſidenſque deinde induſtria, velut quadam nube, ſubducta eſt. Florentibus Græciæ rebus, quid ad humanitatem, aut aſtum, illis gentibus defuiſſe exiſtimes? Artificiorum tanta vis, ut in auro, vel ſaxis, ſive hominum, ſive pecudum formas, penè etiam animarent: ea eloquentia, in Poëtis ſuavitas, ut illam ſibi ſumeret Romana ambitio, quam imitaretur, non vinceret. Inde in alias terras concedente fortuna, nulli ipſis Græcis dolentius ad Majorum memoriam ſuſpirabant, à quorum ingeniis exciderant.

Sed Romani Imperii vices, & quæ inde propius ad nos ætates ſunt, multo certius illos mutabiles ſæculorum genios prodent. [1] Sub Auguſto compoſita Roma omnis humanitatis

tis cultu ſuam magnitudinem ornavit, ac inter cætera velut ad faſtigium Latinæ venuſtatis provecta eſt. Nihil vetat ab exiguis quoque rebus magna colligere. Unde tunc Poëtarum examen feliciſſimis numeris ludentium, niſi à quodam ſpiritu tum mentes agente, qui neque labores Poëtarum in Italia afflaverat, & paulo poſt in idem ſtudium incumbentes deſtituit? A Nerone in Trajanum, pauci anni multos quoque Poëtas habuerunt, ingenſque tunc numerus in Rhetorum arena ſudantium: in quibus jam labentis linguæ indicia, & pro nativi decoris, quod perierat, pompa, tumor obſcurus, & ad ſapientiæ ſpecimen ſubornatæ ſententiæ. Eadem tempeſtate ſub Nerone excuſſa pax, qua Orbis Romanorum in quietem componebatur: & mox turbo ubique, & in omnium animis bellum, à Gallia, Germaniaque, ad ultima Orientis ſenſim infuſum, quid erat niſi arcana vis, quod propemodum fatum appellem, ad certas & deſtinatas vices corda mortalium propellens? Quæ ſecuta eſt ætas, jam quidem plurimum exciderat de antiqua venuſtate dicendi: & quod milites omnia poſſent, mores quoque ad feritatem recedebant. Tamen humanitas cum illis malis luctata eſt, donec externæ gentes in Imperium invaſerunt: &, quod luctuoſiſſimum fuit, extincta ſcientia vix ſui memoriam reliquit. Nati ſub hæc tempora homines velut ad barbariem facti, non illam quidem feram, ſed quæ obtuſa ingenia

triſti

1 *Sub Auguſto compoſita Roma omnis humanitatis cultu ſuam magnitudinem ornavit, ac inter cætera velut ad faſtigium Latinæ venuſtatis provecta eſt.*] Nullo ſæculo magis florent liberales artes, quam cum reperiuntur viri principes, & Mecœnates, qui & foveant litteras, & faveant litteratis viris. Hinc Mart. l. I V.

Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones.

Hinc ab Horatio l. 2. od. 17. appellatur

Mecœnas mearum
Grande decus, columenque rerum.

Fuit autem Mecœnas Auguſto gratioſus, & ejus adminiculo in amicitiam Auguſti Horatius ſe inſinuavit, in gradu non mediocri apud utrumque fuit, & in gratiam Auguſti poſt bellum Philippenſe rediit: nec ipſe ſolus Horatius, verum etiam Virgilius Maro, quem laudavit ſuo carmine idem Auguſtus: & quotquot eadem ætate floruere Philologi, & Philomuſi, qui quidem uſque ad ætatem Trajani fuere non pauci. Nec ullo ſæculo magis artes ingenuæ nituere.

1 Et

triſti nocte ſpiſſabat. At tunc plerique Majorum, quorum ſcriptis vel præcepta vetuſtatis vel geſta inerant, omiſſis per incuriam libris, ſecunda & pejore morte oppreſſi ſunt. Artificiorum quoque alia rudioribus præceptis procurata: alia in totum perierunt. Nec multo poſt rurſus hominibus ſcientiæ amor increvit: Sed in illorum ſeculorum infelicitatem damnati, non quam optare tam invenire ſcientiam poterant, ſi ſcientiam appellamus antiquarum notitiam rerum, & acumen, non in ſcholarum modo argutiis, ſed altius ac nobilius ſpirans, denique eruditionem ejuſmodi, qualem veteres in ſui ſeculi litteratis coluerant.

Erat tamen ſcientiæ quoddam genus, animis & temporibus illis aptum: Philoſophiam, reſque divinas, immenſo diſputandi ſtudio aut evolvere, aut miſerius impedire: tum in Iure reſponſa Prudentum, Imperatorumque reſcripta, vel quæ Pontificibus placuerunt, inſanis & inconditis voluminibus ad æternos diſcentium labores augere. Pluribus vero hæc ratio tunc ſcribendi, ut quodcunque argumentum ſibi ſumerent, priorum authorum de eadem re verba atque ſcientias, tanquam ſua, lectoribus darent. Sic unius ſæpe error cæteris lubricum fuit quo temere laberentur; viciſſimque de unius recta ſententia mutuam ſapientiam multi ſumebant.

Etiam quoſcunque titulos libris ſuis facerent, ad univerſa digredi tunc decorum. Quæ illa tempeſtate hiſtoriæ à condito Orbe non exorſæ? Quæ pars rerum humanarum à rudibus ingeniis, quotieſcunque ſcriberent, velut in chaos non coacta? At ut ſcias illos homines non defuiſſe Naturæ, ſed illam tunc anguſtam, & propemodum ægram; certe non parcebant laboribus, nec deerant in illis indicia ſyncera prudentiæ, ubi eas ſcientiarum partes obibant, quas tunc ſolas illi ſeculo fortuna indulſerat. Hoc erat, in Philoſophis quædam arguta diſputandi ratio; in Iuriſperitis autem quid legibus caveretur potius noſſe, quam formularum vim, cauſaſque factionum aut ætates diſtinguere.

Digitized by Google

Iſto denique ſeculo hæc ex hominum animis caligo evanuit, jam ad omnis generis aſtum lucemque compoſitis.

Nec tantæ mutationis indicium in litteris tantum & ſcholis exiſtit. Regnorum, & rerum publicarum momenta multo callidius procurata; bella ingenioſius aut illata, aut repulſa: & in multorum artificiorum culturam tanta felicitas, ut quidquid invenuſtum ac rude eſt, id vel dignum eſſe, vel natum incultis majorum moribus, cum faſtu jactemus. Nec aliunde tanta mutatio quam veluti ab iſtius ætatis indole: cujus præſtantia ubi poſt definita tempora expirarit, tradet Orbem alteri, ac, quod timeri poteſt, rudiori genio; fortaſſe & ipſa poſt aliquot deinde annorum ſpatium reditura. Ita ſeculorum ætatumque diſcrimina, non melius ex ſyderum motu, quam ex humani generis in varia ingenia ac ſtudia deflexione, diſtinxeris.

Sed alius præterea impetus animos rapere ſolet, certiſque affectibus addicere; ille nimirum ſpiritus, qui ſingulis regionibus proprius, naſcentibus hominibus patriæ habitum & cupiditates ſtatim ingenerat. Nam ut iidem cibi pro condientium arte ſaporem quidem mutant, cæterum interna vis alendi aut nocendi nullis blandimentis in totum corrumpitur; ita in omni gente per æſtus ſuccedentium ſæculorum, mores animoſque mutantium, hæret quædam vis inconcuſſa, quam hominibus, pro conditione terrarum in quibus naſci contigerit, ſua fata diviſerunt. Hinc illa ab antiquo vitia, & patriæ ſorte durantia, quæ totas in hiſtoriis gentes aut commendant, aut notant: ut iſtic naturalis levitas populos agat, turbidiſque incerta conſiliis; illic pingues graveſque animi triſti ſuperbia, tanquam ſpecie arcanæ ſapientiæ, ferociant: illi ſitim non tolerent: alii in mutationem, nec proviſa conſilia, temporariis ingeniis incumbant: apud cæteros placari non poſſit ultionis ingenium: Rurſus virtutum æternitas, velut hæreditatis jure ſancita, in quibuſdam ſimplex fides, in aliis acumen animorum, in pluribus fortitudo.

Digitized by Google

[1] Et quoniam nihil utilius, quam ex genio variarum gentium ſic animum inſtruere, ut diverſus ſit cum diverſis, cognoſcatque quid à quaque expectandum, aut timendum, operæ precium erit aliquot populorum præcipuos mores in conſpectum ita dare, ut, ex communi multorum hominum indole, privatam in ſingulis deprehendas. Nec invenietur, opinor, tam ſuperſtitioſus amator ſui ortus, cui grave ſit in recenſione patriæ ſuæ, etiam vitia nominari. Si enim neminem Natura mortalium tam conditis moribus finxit, in quo non aliquid deſideres, velut ultimam artificis manum; cujus ſupercilii eſſet totas Provincias publico fato velle eripere, & indignari, ſe, ubi peccatur, id eſt inter homines, natum eſſe? Faceſſat in omnibus ſuæ gentis præceps favor, ſimulque cæterarum averſatrix invidia: Et noſtra vitia fideliter agnoſcamus, & virtutes in aliis nos delectent.

Igitur ſequeſtro omnia injecturi contemplationem in indolem Populorum, primum Orbem è ſpecula deſpiciamus, & quales ſive incolas, ſive dominos hac tempeſtate ſortitus ſit. Aſiæ Africæque ſub Barbaris Imperiis caſus, & Græco-

1 *Et quoniam nihil utilius, quam ex genio variarum gentium ſic animum inſtruere, &c.*] Quoniam dixerat ſuperius; *ſed alius præterea impetus animos rapere ſolet, certiſque affectibus addicere; ille nimirum ſpiritus, qui ſingulis regionibus proprius, naſcentibus hominibus patriæ habitum, & cupiditates ſtatim ingenerat.* Scilicet variandi ſunt affectus & mores pro natura gentis. Sunt autem Galli præcipites, nec longæ ſpei patientes. Hiſpani contra lenti in conſiliis: in bello autem laboris & diſciplinæ tolerantes: tumidi interim, & vile miniſterium, etiamſi ampla ſpes affulgeat averſantes. Itali ſunt reconditæ mentis, Germani ſimplices & aperti, Poloni feroces & quos fraude magis quam vi ſuperes: Moſcovitæ contra fraudulenti; longum eſſet omnia perſequi, contentus nunc ero verbis Julii Firmici lib. 1. Math. cap. 1. *Scythæ ſoli immani feritatis crudelitate graſſantur. Itali ſunt regali ſemper nobilitate præfulgidi. Galli ſtolidi, leves Græci, Afri ſubdoli, avari Syri, acuti Siculi, luxurioſi ſemper Aſiani, & voluptatibus occupati, Hiſpani elata jactantiæ animoſitate præpoſteri. Ergo Scytharum rabiem nunquam mitigat Jupiter: nec Italis aliquando Sol denegabit imperia: nec levitati Græcorum Saturni ſtella pondus imponit: nec Aſiana laſcivitas ſobria Jovis moderatione corrigitur: nec Siculorum acumen frigido ortu aliquando Saturni obtunditur: nec Syrorum avaritia laſcivis Veneris radiationibus temperatur; nec Afrorum malitioſa commenta, & bilingues animos, ſalutare Jovis ſidus impediet: nec Hiſpanorum jactantiam pigrum poterit Saturni lumen hebetare: nec Gallicam ſtoliditatem Mercurii ſapientiſſimum ſidus exacuet.* Hos diverſos populos noſter ita recenſet.

Digitized by Google

Græcorum Thracumque calamitas, præcipua humanitatis commercia in ultimam Europam coëgit; ut tot cladibus à barbaris domiti, & veluti feliciori parte execti, noſtras vires poſſemus recognoſcere, aut timere alienas. Nos ve-ro ad malorum omnium ſenſus peſtifero ſopore torpentes, nec divinam vim horruimus, ac ne in barbararum quidem gentium minas tot Provinciarum quæ reſtabant valiturum citavimus robur. Etiam omni diſcordiarum genere laceravimus noſtras opes, indigno prorſus facinore, ut, quod uno corpore vix ſat erat, bellis odiiſque in diverſa diſcederet. Tandem ſive expirantibus tot motuum flammis, ſive per malam requiem pejora concipientibus, poſita penè ubique arma miſcent hodie mutuis conſortiis populos, qui ut ingeniis linguiſque diverſi, ita nec una arte poſſunt eſſe tractabiles. [1] Hi ſunt Galli, Britannique, Itali, & Hiſpani, & quos jam immenſa Germania ſuo nomine occupavit. Pannonum quoque reliquiæ, & quod de Illyrico & Dalmatia nobis ſupereſt: tum illi Sarmatæ, atque Scythæ, quos Polonos Moſcoſque appellamus: Cimbri etiam, & quidquid ſub Danico aut Suevico ſceptro componitur. Nec adeo (proh dolor) à Turcis receſſimus, ut pigeat mores illorum, vivendique conſuetudinem, cognoſcere.

In iſtorum populorum moribus licet utiliſſima contemplatione verſari, & Naturæ divitias numerare, quæ tot habitus, mentiumque variarum impetus, una membrorum ſimilitudine obtexit. Cæteras vero plagas eadem diligentia ſcrutari, minus fuerit ad conſortii uſum, quam ad curioſam volupta-

1 *Hi ſunt Galli, Britannique, Itali, & Hiſpani, & quos jam immenſa Germania ſuo nomine occupavit. Pannonum quoque reliquiæ, & quod de Illyrico & Dalmatia nobis ſupereſt: tum illi Sarmatæ, atque Scythæ, quos Polonos Moſcoſque appellamus: Cimbri etiam, & quidquid ſub Danico aut Suevico ſceptro componitur. Nec adeo (proh dolor) à Turcis receſſimus, ut pigeat mores illorum vivendique conſuetudinem cognoſcere.*] Ubi nota propoſitionem præcipuæ partis hujus operis: acturus eſt ſiquidem de exterarum gentium ingeniis & ritibus ſeu barbarica feritate incultis, ſeu politiori diſciplina informatis. Quamquam barbaras nationes & remotiores provincias eadem diligentia ſcrutari minus fuerit ad conſortii uſum quam ad curioſam voluptatem.

voluptatem. [1] Nam Africam qui hodie præter mercatores adeunt, in ipſis littoribus, aut ſi forte nonnihil ulterius à fluminum oſtiis in regionem invehuntur, cum incolis ſubita nec ad amicitiam valida pacta jungentes? [2] Perſas autem à nobis non ſuperſtitionis magis impietas, quam ingens terra-

1 *Nam Africam qui hodie præter mercatores adeunt, &c.*] Hæc tertia pars orbis, quæ in turbinem aut demorſum pyrum deſinit, quæque ab Europa diſtinguitur mediterraneis fluctibus; ab Aſia vero ſinu Arabico, & Iſthmo, Zonæ torridæ maximâ parte ſubjacet, arenis plerumque conſperſa, variis monſtris infeſta, multis in locis inculta, vaſta magis quam frequens eſt. Inſulam diceres undequaque vallatam, ſi Iſthmus abeſſet, quo Ægyptus Arabiæ jungitur. Quid dicam de ſeptem Africæ provinciis? de Barbaria, quam in Feſſæ, Marochi, Doræ (veteris Mauritaniæ) Tromiſi, ſeu Algerii pyraticâ infamis, Tunetani, olim Carthaginis, regna diſtinguunt. Quid de Ægypti ſuperioris celeberrimis urbibus? de Alexandria ad oſtium Nili, Peluſio ſeu Damietta, Babylone caſtello ab Aſſyriis colonis quondam munito; & Memphi ſeu Cayro, Soldani quondam ſede; nunc vero Proregis domicilio? Quid de inferiore Ægypto in Eptanomiam, atque Thebaidem, ubi Thebæ Ecatompylæ vulgo diviſa? Quid de Numidiâ, quam *Bildulgerid* à dactylorum copia vocant; ubi & mons Atlas: ſed ea inculta & monſtris confertiſſima? Quid de deſerto Zara, (quæ vera Libya eſt) ubi arenis viatores nonnunquam obruuntur, ac plerumque magnete nautico velut in mari utuntur? Denique quid de Nubia, de ora quæ dicitur Abex & Zanguebar, de Moſambica, de Cafraria, de Congo, de utraque Æthiopia, & Nigritis à Nigro amne nuncupatis, qui vel pars Nili, vel Nilo par eſt? Porro Nilus, qui eſt originis dubiæ & ſcopulis tanto cum fragore erumpit, ut ſurdos Catadupos accolas faciat; & à decimo ſeptimo Junii per quadraginta dies exundans, per totidem detumeſcit. Cauſa incrementi, imbres Æthiopiæ. Apud Memphiticos autem turris eſt, ad quam ſi Nilus excreverit, ubertas anni conjicitur. Fuit autem alias Africa celebris propter Ammonis ſortes, rupem Auſtro ſacram, & fontem, quem Solis appellitant, rigentem meridie, noctu ferventem, heroumque monimenta Cephei & Caſſiopeæ, Perſei & Andromedæ, Atlantis & Alcidis; atque haud procul à freto Herculeo, in promontorio quod dixere ἀπηλιώτην, ſpecus Alcidi ſacrum: His adde Antæi Gigantis parmam ingentem, nec ullius uſui habilem: Caſtra Lælia & Cornelia, Uticam & Carthaginem, ambas inclytas, ambas à Phœnicibus conditas; illam fato Catonis inſignem, hanc Imperii Romani æmulam pertinacem: Labyrinthum Pſammetichi, ubi domus mille, Regiæ duodecim perpetuo parietis marmorei ambitu: Thebas Ecatompylas: Pyramides Ægypti, Regum ſepulchra. Ajunt autem Pomp. Mela, Solinus, & alii, arenoſam Libyam ſpinis piſcium, & maricum fragmentis ſparſam eſſe: adhuc infixas cautibus videri anchoras, aliaque veſtigia effuſi quondam uſque ad ea loca Oceani priusquam Hercules nexos olim perpetuo jugo colles Calpen & Abilam inaudito labore diremiſſet. Porro ab inſula Nili Meroë, unde olim primum Clima numeratum, cognita erat Africa, ut Ovid. docet. Subjectæ ſunt inſulæ ad occaſum Fortunatæ & Canariæ; ad ortum vero eminet Madagaſcar ſeu ſancti Laurentii & aliæ.

2 *Perſas autem à nobis non ſuperſtitionis magis impietas, quam ingens terrarum*

cucio

erranum cœlique divortium diſcrevit. [1] India pari modo à mercatoribus tantum nautiſque luſtrata: ſi Luſitanos excipias,

cœlique divortium diſcrevit.] Perſarum Imperium à Perſeo filio Danaës nominatum, inter Euphratem, Tigrim, & Indum: inter & Caſpium, & Perſicum mare conſiſtit. Populus ad humanitatem, & artium liberalium ſtudia ſponte propendet, & à ſecta moribuſque Turcarum diſcrepat, qui ad urbium, ſcientiarum, artium liberalium excidium nati, Chriſtianorum vitiis fœliciores, quam virtute ſua fuere. Attamen Rex fratribus oculos erui jubet, ne ad ſceptrum aſpirent, à quo cæci omnes excluſi. Adjectas habet Aſſyriam, cujus caput Niniven ad Tigrim: Suſianam, ubi Suſa priſca Regum ſedes: Ecbatanam ſive Taurim, nunc regiam: Hircaniam ad mare Caſpium, tigribus horrendam: Parthiam, ubi Ecatompylus, & Perſepolis: & Bactrianam, ubi canes aluntur ſepulchrales. At Babylonia pars fuit Meſopotamiæ, & Aſſyriæ, cujus clariſſima urbs Babylon, miraculum orbis. Et hæc regio, dicta Meſopotamia, ab Euphrate & Tigri ambientibus nomen ſortita, fruitur benignitate ſoli, & aëris clementia tanta, ut paradyſum voluptatis ibidem extitiſſe non pauci affirment. Tandem Perſa palam Turcis infeſtus de regni limitibus quotidiano odio belloque certabat: nunc pactæ induciæ, donec inuſtam Mahumetano nomini labem noviſſimis Venetorum laureis Sultanus abſtergat. At nuper dum Chriſtiani Reges aſſiduis armorum incendiis ardebant, Chriſtianæ Religionis hoſtis infenſiſſimus iſte gentem noſtram ſub jugum mittebat, eorum divitiis ad luxum, virginibus ad impudicitias, viris ad ſervitutem, calcata pietate ferum in morem abutens. Ille Sophi, qui nunc apud Perſidem imperat, etſi juvenilibus annis nondum exiit, ſingularis tamen eſt prudentiæ princeps, cujus in ipſa pæne pueritia ſemina jecerat. Tranſeunti enim, dum ſuo cinctus erat ſatellitio, homo agreſtis obvium ſe obtulit, cujuſdam aulici avaritiæ junctam inhumanitatem incuſans, quod homo barbarus repertam à ſe crumenam aureis nummis refertam non modo ſurripere vellet; verum etiam plura quam invenerat, extorqueret. Rex qui inexpertæ pubertatis annos primos non ſatis attigerat, armatum ſatellitium nihilominus ſiſtere jubet; hominemque ad ſe cum aulico introduci. Hic imperterrita fronte cauſam dicere; ille Regis æquitatem provocare cum fletu innocentiæ ſuæ obſide. Princeps ad imperia natus crumenam poſtulat, & ſciſcitatur quantum nummorum crumena inventa contineret? & agreſtis quidem, omnino quadraginta à ſe repertos: aulicus plures exigebat. Totidem Rex ab uno ex purpuratis ſibi officii cauſa adhærentibus poſtulat, & quadraginta nummos ei numerat, neque plures crumena poterat continere. Tum judicio Regis nummos cum crumena agreſti homini tranſſcripſit. Non eſt tua crumena, inquit, quæ tot nummos à te, ut ais, perditos concludere non potuit.

1 *India pari modo à mercatoribus tantum nautiſque luſtrata, ſi Luſitanos excipias, ibi pertinacius inhærentes.*] India clauditur ab Occidente fluvio Indo, qui Regioni nomen fecit, quippe quam interlabens in Oceanum, qui Cambaiam alluit, devolvitur. Hæc à Septentrione Emodis montibus à Tartaris dirimitur: ab Ortu Damaſiis jugis à Sinenſibus diſcernitur: ab Auſtro fluctibus Oceani verberatur. Regionem hanc vaſtiſſimam Ganges aquis ſuis bifariam ſecat. Parti Boreali magnus Mogor Mahumetanus dominatur. Meridionalis gemino cornu in mare procurrit. Cis Gangem ſita eſt Occidua, trans Gangem Orientalis. Ganges autem omnium fluminum maximus eſt, quippe

Eois regnator aquis in flumina centum
Oceanique fre. : centeno jungitur amni.

In occidentali peninſula Cambaiæ regnum.

pias, ibi pertinacius inhærentes. [1] Chinenſes autem cum exteris

num. Decan ubi Goa Luſitani proregis ſedes. Malabar regio ad Auſtrum uſque ad caput Comori exporrecta, in qua Cauanor, Calicut, Cranganor, Cochinum. Ad Orientalem peninſulæ oram Narſinga, quæ & regno nomen fecit, & Maliapor, ubi ex quo D. Thomas Martyrii laurea donatus eſt, crux quotannis ſanguine ſudat. Ad Boream Orixa, & Bengala ad Gangis oſtia. Hæc Sinui nomen indidit, & utraque regnis duobus. Demum regna Pegu, & Siam, & Malaca in aurea Cherſoneſo olim Luſitanorum, hodie Batavorum. Porro mons Gates peninſulam Occidentalem ſic dirimit, ut hinc hyems aſſidua, inde æſtas perennis pari ſolis acceſſu receſſuque deprehendatur. Eteſiarum tamen flatu calores temperantur. Durioris vitæ, & indolis ſunt Indi, etſi litium expertes, pluribus addicti nuptis, quarum quæ chariſſima eſt, in defuncti rogum ſimul arſura ſe proripit. Partim Idolis, partim Mahumetæ deliriis ſerviunt, etſi liqueat eos Chriſtianis legibus à D. Thoma Apoſtolo fuiſſe olim initiatos. Ad palmam, quæ eſt in ora Malabar, quis non ſtupeat, cum & cibum, & potum indigenis, & armamenta navi, vela ſcilicet ex frondibus, rudentes ex cortice, ex trunco cætera ſuppeditet; ex nuce vero quam Cocot appellitant, oleum, vinum, acetum, ſaccarum exprimatur? Ex inſulis nobiliſſimæ ſunt Sumatra, deinde Borneo; tum Java major, quam propter uberes proventus compendium orbis appellant: Poſtea Ceilan ad caput Comori, inſula tantæ amœnitatis, & fœcunditatis, ut ibi conditum primum hominem putent. Sinarum vicinæ ſunt Philippinæ, & Molucæ. Maldivas autem ſubjectas Indiæ, Linea Æquinoctialis interſecat: inſularibus iſtis cujuſdam plantæ, cui nomen Betel, miræ virtutis ad Nicotiæ noſtræ modum; tam frequens eſt uſus, ut cibo facilius, quam frondibus hujus fruticis abſtineant.

1 *Chinenſes autem cum exteris conſortium ultro refugiunt.*] Hæc mundi extrema pars Alexandro, & Romanis impervia fuit, haud dubium quin illis eſſet incognita, quamvis de Sinenſibus ex antiquis Ptolemæus fecerit mentionem: hæc quoniam primos Solis orientis radios excipit, benigniſſimos ejus influxus ſentit, nullibi major aëris clementia, nullibi terra feracior, nullibi opum uberior copia. Incolæ artium peritia, ſcientiarum cultu, obſervantia legum ipſos Europæos antecellunt: nam legibus patriis deſidia ſic plectitur, ut otiari nemo audeat. Agris colendis ruſtici, artibus atque ſcientiis perdiſcendis ingenui operam navant. Provinciæ à philoſophis, quos vulgo *Mandarinos* vocant, adminiſtrantur. Quid dico auri, argentique & gemmarum acervos? Quid ſerici, ſaccari, Moſchi, aliarumque pretioſarum mercium copiam? Quid lacus & amnes pene innumeros, qui piſcium, & avium aquaticarum immenſam multitudinem ſuppeditant? Nemini extero antehac in regnum datus eſt ingreſſus: Unde mirum videri debet, quomodo ante paucos annos Euangelii præcones hujus imperii clauſtra, tam ſeveris cuſtodita legibus, perfringere, in ipſam Regis aulam penetrare, ab Idolorum cultu ad Chriſti jugum non paucos allicere potuerint. Incolis innata eſt arrogantia tanta, ut monoculos Europæos, captos oculis cæteros, ſe ipſos ſolos perſpicaces vulgo jactitent. Regis vero tantus eſt faſtus, ut nunquam in lucem prodeat; ſed loquatur per interpretes; neminem aſpectu dignetur aut affatu præter conjuges, & Eunuchos: nec alio demum niſi filii Solis nomine, præfectos vero provinciarum Solis radios, appellari velit. Superbiæ cauſa eſt longe prolata imperii clauſtra, quod ad Eoum mare ſitum Conchinchina ad Auſtrum, ad Aquilonem Tartaria, murusque longiſſimus, & montium continuum dorſum à vicinis regionibus dirimit.

exteris conſortium ultro refugiunt. [1] Nec ullus ex hominibus noſtris curat cum Tartarorum fœda & ut plurimum miſera

dirimit. At in quindecim vaſtiſſimas provincias, ducentas urbes celeberrimas, Regias duas, quarum Paquinum ad Boream, Nanquinum ad meridiem ſitum eſt, dividitur. Protenditur in latitudine à duodevicesimo gradu ad quadrageſimum quartum: in longitudine vero à 145. uſque ad 170. ut placet doctioribus: & mirum eſt quod tantum imperium in manum Tartarorum venerit, qui ab aliquot annis patefacto ſibi aditu hactenus imperuium regnum occuparunt non ſine aliquâ Numinis providentiâ ſaluti mortalium conſulentis. A Regno Sinenſi non longe abſunt inſulæ Coria, quæ ab eo diſtinguitur freto Nanguineo: & Japonia in Orientali Oceano. Sed quoniam de Tartaris injecta mentio eſt, de his pauca prælibemus.

1 *Nec ullus ex hominibus noſtris curat cum Tartarorum fœda, & ut plurimum miſera gente miſceri.*] Sed quænam illa gens Marti litare tam aſſueta, ut tam paucis annis tot provincias ditionis ſuæ fecerit? Sane agreſtes plerumque & immanes ſunt, feritatemque Borealibus populis communem participant: Adde ferocitati innatæ, & exercitationi bellicæ numerum tumultuario impetu irrumpentem. Quadrata ſunt ſtatura, lata facie & obeſa; oculis contortis & concavis; cæterum robore pollentes, audaces & temerarii, patientes inediæ, & laboris. Jus ſolum in armis, & lex ſola in corporis nervis. Domi equos, canes, feles, ac mures devorant: Militiæ, equis, quibus inſident, venas incidunt, & equinum ſanguinem potant. Incertis plerumque vagantur ſedibus; Stellarumque atque in primis Arctici poli aſpectu curſus ſuos dirigunt. Hi quamvis à tribus ſeculis in Mahumetanas ſuperſtitiones Idololatriam commutarint, de antiquis moribus nonnihil tamen retinuere. Colunt enim Regis ſui deſcriptum nomen in tabulis, huncque filium & umbram Dei appellantes in templis adorant, & in ejuſdem verba jurant, nullam ſibi aliam legem conſtituentes. Irrepſit tamen in has oras præconum opera Chriſtiana religio & non paucos Chriſto ſubjecit; maxime ex quo Sinenſe regnum Tartarorum in ditionem venit, tunc enim liberior acceſſus in iſtas plagas Euangelio patuit. Tam ampla regio eſt, ut Sarmatiam omnem Aſiaticam cum Scythia & Serica ſeu Cattaia amplectatur. Ab amne Tartaro, qui eam partem irrigat quæ Mungul dicitur, appellationem ſortita eſt. Huic ab Ortu confinis eſt Sina: ab Auſtro India & Ganges: ab Occaſu Mare Caſpium & Magna Ruſſia: ab Aquilone Oceanus hyperboreus. Stupenda cœli intemperies & ventorum acerbitas incultam plagam efficiunt, tritici tamen, oryſæ, ſerici, zinziberis, piperis, ſacchari, picis, & nonnullibi auri & argenti oppido ferax eſt, & armentorum omnis generis altrix. Porro de Dæmonibus regionis incolis mira referunt, quæ quoniam omnem opinionem ſuperant, hæc ego è ſapientum conſeſſu in gynecea ſimpulatricum & nutricum cunas eliminanda puto. Nempe ajunt aërios ſpiritus ad cujuſvis obſequium paratos ſeſe offerre conductitios, juſſaque domini ad amuſſim exequi: Vocis quidem diſtinctæ ſonos audies, at ne umbellam quidem loquentis apprehendes. Quis non tales famulos aëre ſolo more Chamæleontis veſcentes ad obſequium optet ſuum? quid de curribus veliferis dicam, quibus ajunt uti Tartaros & ſuas merces per totam transferre regionem? In ea Tartariæ ora quam Zavolenſes Tartari tenent, ferunt quodam ex ſemine peponi vix diſſimili plantam naſci agnum re & nomine referentem, è vulnere manare ſanguinem: quodque omni admiratione admirabilius eſt, quandiu vicinis obſidetur herbulis, tandiu vivere, abſumpto hoc pabulo tabeſcere, penituſque interire: imo appeti-

 cam

miſera gente miſceri. [1] Americam, qua cultum animorum paſſa

eam à lupis, feriſque rapacibus. Tartariæ partes ita diſtinguunt Geographi: & primum quidem in provincias Magno Chamo ſubjectas, urbemque primariam Regis ſedem, quæ Cambalus eſt, Sinenſibus atque Indis celeberrimum emporium: Deinde Tartariam veterem recenſent, quæ cum amne Tartaro hanc irrigante, Tartaris nomen impertiit. Poſtea Tartariam deſertam à Tanai ad mare Caſpium protenſam. Tum Tartariam Sagatai, cujus caput Sammarchan, magni Tamerlani natale ſolum. Denique Turcheſtan, unde Turcæ nomen cum origine mutuati ſunt, in ipſo Perſidis & Indiæ confinio. Imo & Sinenſibus & Tartaris ſubjectas ad ortum inſulas; inter quas eminet Japonia, quæ pluribus ſubjacet Regibus; & in ea regnum Meaco inter alia eximium. Huc pertinet Chorea à Sinenſibus ſolo freto, ſeu anſa Nanquini diſcreta: hæc Japonum gens acuta eſt & ſagax, verum idolorum cultui addicta, non pauci tamen Chriſto litant, ſed cum vitæ, bonorumque naufragio. Famem ac ſitim, algorem & æſtum, laborem ac vigilias æquo animo perferunt: hauſtu calidæ delectantur, uti Sinenſes, quod Romanis etiam in deliciis fuit, atque inde *calicem* à calida hauſta dictum putant.

1 *Americam qua cultum animorum paſſa eſt, Hiſpani ſic tenent, ne ullis extra hos unos impune liceat commeare. Ita ſolis & licet & eſt commodum, illarum gentium indolem pernoſcere.*] Fuere ex priſcis non pauci qui unicum eſſe hemiſphærium hoc quod incolimus ſibi perſuaſerunt: neque ultra Thule propter algores hyemis aſſiduæ: neque ultra Meroëm inſulam Nili propter nimios æſtus eſſe habitabile, non plura quam ſeptem climata computantes. Verum à ducentis circiter annis novus orbis, aut novum hemiſphærium, novaſque terras Veſputius, Columbus, Marius, Choutenus, & ex Neptunigenis aliqui alii aperuere, de quibus tamen ab antiquioribus facta mentio eſt: nam continentem trans Herculis columnas & Oceanum Atlanticum ſitam Plato in Timæo & in Critia noſtri orbis indigenis olim perviam fuiſſe poſt Solonem ſcripſit. Hanc inſulam Atlantidem nominat, tota Europa Aſiaque majorem: ſed terræ motibus atque cataclyſmis ſic exhauſtam, ut non poſſet Oceanus Atlanticus niſi multis poſt annis navibus trajici. Audi Poëtarum facile principem,

Jacet extra ſidera tellus,
Extra anni Soliſque vias, ubi Cælifer Atlas
Axem humero torquet.

Audi & Senec. in Choro act. 2. Medeæ:

Venient annis
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Typhiſque novos
Detegat orbes; nec ſit terris
Ultima Thule.

Addunt Plinius & Solinus perfoſſas Herculis columnas tandem admiſiſſe excluſas Oceani aquas, & rerum naturæ faciem penitus commutaſſe: affirmatque Pomponius Mela in arenoſis *Libyæ* jugis, & cautibus affixas anchoras, & ſpinas piſcium, fragmentaque oſtrearum attrita videri. Et unde tam antiqua novitas niſi ex effuſo quondam ad hos uſque campos prorſus ſteriles & aridos pelago, & mutato terræ mariſque ſitu. A meo neceſſario nuper audivi, cum ipſe Africæ littora ultra fretum Gaditanum legeret, ingentibus ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus abreptum, multiſque diebus vi tempeſtatis jactatum tandem in inſulam tranſnataſſe ingentis magnitudinis verſus Occaſum, cujus ſolum haud inamœnum, frugibus ferax, amnibus irriguum, ſuperbis inſtructum ædibus: & ex ſinu atque magnitudine Americam conjeciſſe, cujus umbra in hoc inferiore hemiſphærio cernitur, de qua & apud Ariſtotelem, & interpretem ejus Apuleium, perinde atque de Magellanica

paſſa eſt, Hiſpani ſic tenent, ne ullis extra hos unos impune liceat commeare. Ita ſolis & licet & eſt commodum, illarum gentium indolem pernoſcere. Qua vero in eadem parte terrarum, nuda barbaries, & generi humano pudenda, efferavit animos incolarum, nullis legibus, nulla induſtria temperatos, diligenter annotarunt quos illuc opum ſpes à regionibus noſtris trahit, inconditi populi ingenium noſtros cultus non capere, ad ſe advectos plerumque tanquam inſidiatores libertatis pro hoſtibus ducere; nec deeſſe tam rudibus animis in flagitia calliditatem; crudelitatem, atque perfidiam, his non raro prudentiæ & fortitudinis loco eſſe.

Horum ulterius mores tradi quid juvet, qui fero impetu Naturam videntur exuiſſe? Præſertim cum ſuis littoribus terriſque contenti ſint; neque ad ſe commeantes, niſi ſubacti, aut in ſolum ſubitæ mercaturæ uſum, excipiant.

Sed, ut à gentibus abeamus, vel ignotis, vel nimio terrarum mariumque diſcrimine à noſtra familiaritate ſubductis; de noſtri Orbis incolis genioque quærentibus, ne quidem ſupervacua diſceptatio erit de regionum cultu, de conditione terrarum, cœloque propitio, vel alterutra intemperie gravi.

CAPUT

ca ſolemnis mentio fit. Diſtinguunt autem Americam in Septentrionalem, quæ Mexicana eſt, & Meridionalem, quæ Peruviana; exiguo Iſthmo alteram ab altera diſcernente: hujus forma triquetra eſt, quæ in tria ampliſſima latera panditur, & in ſex regiones diſtinguitur, quæ ſunt Caſtilla aurea, Peruvia terræ motu nuper concuſſa; Braſilia quam Indiam dicunt Occidentalem, Chica Magellanico freto defixa, quam Patagones incolunt, ſtupendæ gens proceritatis, utpote ad novem vel decem pedum menſuram aſſurgens. Septentrionalem Americam hæ regiones dividunt, Canada, nova Francia, Virginia, Florida, nova Hiſpania, nova Granada, California. In occiduo latere ad fretum Anian duo regna, Quivira, & Anian. Porro ſolum auro, argento, ferroque dives, omni genere animantium ſcatens, piſcibus abundans, refertum margaritis. Indigenæ, quamvis moribus agreſtibus ſint, Deo tamen litant barbaris ritibus ſuis. Verum quà ab Europæis habitatur America, illic religio Chriſtiana viget. Inſulæ pene innumeræ latus utrumque, ſed maxime Eoum cingunt. Subjectæ utrique polo plagæ incognitæ ſunt, & ut creditur, inhabitabiles propter Solis receſſus, & inæqualitatem dierum. Amnis præcipuus eſt in parte Auſtrali *Rio de la plata*, amnis argenteus.

CAPUT III.

Galliæ dotes, & ingenium incolarum.

GAllia [1] pene provinciarum in Europa ampliſſima, ſi eam intra veteres terminos æſtimes, Romanorum quondam terror, Græciæ Aſiæque victoriis clara, jam in varia imperia moreſque diſtincta eſt. Quidquid Rheno, Oceano, Pyrenæis, Alpibuſque clauditur, Gallia erat. Ab alio deinde Alpium latere ad Rubiconem pertinebat. Romanorum cervicibus gravis. Quippe fortiſſimi hominum Galli, cum in Italiam penetraſſent, capta incenſaque Roma tantum terroris attulere, ut deinde caveretur, ne, quoties Galli tumultum intuliſſent, ſacerdotibus ſenibuſve ab armis vacatio eſſet. [2] Et domita quidem à Romanis viciſſim

1 *Gallia pene provinciarum in Europa ampliſſima, ſi eam intra veteres terminos æſtimes, Romanorum quondam terror, Græciæ, Aſiæque victoriis clara, jam in varia imperia moreſque diſtincta eſt.*] Dudum Francorum animis inſita virtus, & Romani nominis æmula, ante inſtitutam Monarchiam ad exterarum gentium invidiam floruerat, merueratque ad ſuæ originis præconium communis fabulæ vanitatem, & reliquiæ Trojanorum dici. Siquidem Romani accitis ad auxilium Francis communem armis communibus hoſtem ſæpepropulſarant: ac ne ipſa quidem Valentiniani Cæſaris ætate de antiqua libertate quidquam remiſerant. Hos & Conſtantinus in amicitiæ fidem, & communem fortunæ bellicæ ſocietatem allexit. Deinde tamen Celtis adverſus Galienum Imperatorem ſuppetias ferunt libidines Principis averſati. At poſtquam Francorum ditionis ſuæ clauſtra proferentium longius terror exſonuit, Romanorum arma horum virtuti repagula objiciuntur, ſed nequicquam, & conatibus utique irritis. Tantum obeſt vicinos in vires aſſurgere imperio pares. Porro Gallia orbis totius olim terror, & Aſiæ, Græciæque domitrix, quam demum à ſolis Diis quos ipſi Galli laceſſiverant, potuiſſe vinci Pompeius Trogus aſſeruit; non aliis quam Rheno, Oceano, Pyrenæis, & interno mari, terminis quondam claudebatur, ab Alpium jugis ad Rubiconem pertinens. Hæc plagarum omnium, quæ ad occaſum receſſerunt, feraciſſima, ſoli bonitate cum genio & indole incolarum certabat. Adde ampliſſimas divitias, quas Gallis benignior natura prodegit, quare hos Cæſar Commentariorum libro primo à Dite prognatos aſſeruit. Eadem cauſa ſæpe *Germanis avara cupiditate adductis* fuit *tranſcendendi in Gallias*, & *relictis paludibus*, ut ait Tacitus, Rhenique & Iſtri littoribus fœcundiſſimo hoc ſolo conſidendi. Robuſtum genus hominum erat, utpote qui in primis annis omni palæſtræ genere induti: unde & victores Romanorum, à quibus & ipſi poſtea victi ſunt, ab uno inquam Cæſare, non uno impetu, ſed per partes. Delectantur equis quos impenſo parant pretio, ut lib. 4. comment.

2 *Et domita quidem à Romanis viciſſim Gallia eſt, ſed per partes, & inter ſe domeſtica æmulatione commiſſa.*] Poſt initam

ciſſim Gallia eſt, ſed per partes, & inter ſe domeſtica æmulatione commiſſa.

Neque integra aut agnovit ſuas vires, aut in Italiam experta eſt. [1] Poſt hæc Franci è media prorupere Germania; & videbantur ad ſecundam ſervitutem Gallias vocaturi.

Sed

tam inter Julium Cæſarem, Cneium Pompeium & Marcum Craſſum potentiæ ſocietatem, quæ Urbi Orbique terrarum, nec minus diverſo quoque tempore ipſis exitialis fuit, Cæſari nullam aliam ad Imperium capeſſendum viam cogitanti, decretæ in quinquennium Galliæ: nullo repugnante, quia ingens in eum populi favor ob immodicas largitiones, fruſtra Senatu ea quæ mox acciderunt, præſentiente: ſed, ut teſte Livio lib. 7. vincit plerumque pars majoris animi, quam conſilii. Vicit horum prudentiam, inquit Tacitus, pronus jam & in ſervitium ruens populus, qui non delectu aut ſapientia ducitur, ſed impetu & quadam temeritate, Fortuna etiam ea quæ reſtabant in Europa, cum Pompeji manibus Aſia eſſet ſubacta, in Cæſarem transferente. Tanto ſcilicet Imperatore opus fuit, ut Gallia Tranſalpina ſub jugum mitteretur, quamquam non niſi domeſtica æmulatione inter diverſos Galliarum populos commiſſa hoc potuerit Cæſar, cum invicti alioqui adunatis viribus, & victores orbis hactenus extitiſſent. Primus Galliarum motus ab Helvetiis cœpit: Hi Rheno, Jura monte (*Sanclaudianum* vocant incolæ,) lacu Lemano, ac Rhodano terminis continentur: Diviſi primum in quatuor pagos, Tigurinum, Tugenum, Urbigenum, & Ambronicum. Non ſufficientibus terris, quæ gentis bello invictæ multitudinem alerent, adducti primum authoritate Orgetorigis; mox eo è vivis rapto, homines bellandi cupidi è finibus exeunt, oppidaque, vicos & domos incendunt, ut ſublata reditus ſpe ad omnia pericula ſubeunda eſſent paratiores. Rauraci, Turingi, Latobrigi, Boji, aliique in ſocietatem recepti ſunt. Turbavit Galliam ipſamque Remp. Romanam tantæ multitudinis metus, crevitque tantum ut ex Senatus decreto Conſules duas Gallias ſortirentur, ſed tamen tota belli moles in unum Cæſarem Galliarum Imperatorem refuſa eſt: conſcriptis in Italia duabus legionibus ad Araris amnem impeditos & nihil tale expectantes ita eſt adorſus, ut magnam Helvetiorum partem concideret, adjuvantibus Heduis & Allobrogibus, at fruſtra repugnantibus Germanis, ipſoque Arioviſto: Secunda longeque cruentior pugna Belgarum pro aris & focis decertantium, ſed & hos nihilominus vicinoſque ad auxilium properantes internecione delevit: quo fere tempore à Publio Craſſo Marci filio Aremoricæ civitates ſubactæ. Itum eſt deinde in Unellos, in *Morinos*, & *Menapios* ad Rheni oſtia poſitos. Porro Cæſar totam Galliam ut per partes ſubjugabat, ita variis provincias appellabat nominibus; ſic dicta eſt Viennenſis prima, Viennenſis ſecunda: Aquitanica prima, & ſic de Lugdunenſi Gallia ſive Celtica & de Belgica.

1 *Poſthac Franci è media prorupere Germania, & videbantur ad ſecundam ſervitutem Gallias vocaturi.*] Franci Germaniæ populi, & fluminis utriuſque Rheni atque Danubii accolæ per centum & triginta annos Gallica arma laſſantes variis incurſionibus Galliarum fines infeſtarunt, quaſi ad ſecundam ſervitutem Gallos vocaturi: ſed toties arciti in ea conſederunt Germaniæ plaga, qua Rheni aquis proximè alluitur, Heſſorum locis aliquot occupatis, quo faciliori negotio Gallos finitimos quotidiano bellandi uſu laceſſerent; dumque Romani naufragii ſui tabellas circumferentes dominationis ſuæ imaginem

nem in Galliis retinerent, dum Orientalibus intenti negotiis Occidentales ſegnius curarent, anſam arripiunt, & advertentes Imperium arbori ventorum undique ſpirantium malignitate profligatæ, ad quam omnes catervatim concurrunt modicum quid avulſuri, non eſſe abſimile, Romanorum Principum ſocordiâ animos dante, Galliam Belgicam, quæ Sequana, Rheno, & Oceano clauditur, primam occuparunt, deinde Gallis bellicam Francorum virtutem ſuſpicientibus cum armorum felicitate conjunctam, jam elangueſcens Romanorum nomen cœperunt deſpicere, ſuaſque urbes victoribus aperire. Id enim eſt moris gentibus vario jugo aſſuetis, ut temeritate Fortunæ in eas partes ruant, ac pronæ ſint, quas ipſa liberaliori fronte intuetur. Attamen ab antiquo illo ſplendore Francia noſtra jam brevioribus clauſtris coarctata paulisper defecit, quippe quod ab ea Belgium, & Germania Cisrhenana, cum Burgundiæ Comitatu, Helvetiis, atque Sabaudia avulſa ſint. Porro jam Franciam noſtram celebrant Archiepiſcopatus quindecim, Epiſcopatus centum & quinque, Senatus Purpuratorum duodecim, Academiæ vero plurimæ: ſed Regum imprimis à tot retro ſeculis nunquam deficiens religiô orthodoxa: Hi primogenitorum Eccleſiæ titulo, ob ſuppetias ſummo Pontifici ſæpe oblatas rebus quaſi deſperatis inſigniti, virtutem etiam curandi ſcrofulas cœlitus acceperunt. Denique ampliſſimum eſt in Galliis commercium ope fluviorum, qui Emporia celebratiſſima alluunt. Etenim ex Lingonum agro, qui altiſſimus ideo Galliæ totius creditur, ſex flumina magni nominis ſcaturiunt, Matrona, Moſa, Moſella, Sequana, Araris, Alba. Matrona à fano ſeu caſtro Sandizeriano navigiorum patiens eſt. Inde Victriacum lambit, Cathalaunum pervadit, Theodorici caſtrum cum Meldis, & Latiniaco irrigat. Tum altero à Lutetia milliari, ad Carentolium, in Sequanam confluit. Moſella Trevirorum peragrata auguſta cum Tullis, ac Metis ad oppidum Confluentes devolvit ſuas aquas: Moſa vero Virodunum, Namurcum, & alias urbes alluit. Alba Sequanæ jungitur, quæ perluens Trecas in Campania, Pariſios in Francia, Rothomagum in Neuſtria in Oceanum ſe præcipitat. Ad Sequanam confluunt Oeſia ad Pontiſaram; non procul à Compendio Axonam excipit. Franciam & Normanniam dirimit Epta, & cum Icaone, Armenſonio, Eura Sequanæ adjicitur. Ligeris omnium latiſſimus ex Arverniæ montibus ſcaturiens præcipiti curſu inſtabilem volvit arenam, & incerto alveo ſpatioſas planities percurrit: tum rigatis Nivernis, Aurelia, Bleſis, Turonibus, Andibus, juxta Nannetes in Oceanum Occidentalem prorumpit. Excipit à ſiniſtris amnes Elaver, Carim, Angerim, & Vigennam: & à dextris Meduanam, quæ Sartam, ac Lorium ſecundum Andes involvit. At Garumna ex Pyrenæis exiliens irrigatis Toloſa, Ægino, Burdegala in Aquitanicum Oceanum effunditur, eique Tarnis, Celindus, atque Duranius aquas ſuas miſcent. Demum Rhodanus ex Alpinis jugis erumpens Lemano lacui primum illabitur: mox Coloniam Allobrogum irrigat: tum Lugduni cum Arari concurrit, & lentiſſimum flumen rapidiſſimus amnis in mediterraneos ſinus pluribus oſtiis ſecum præcipitat, Vienna, Vivario, Arauſiis, Avenione, Nemauſo, Arelate perluſtratis. Araris vero Lingonas primum & Cabilonem, Matiſconemque præterlabitur. Alii ſunt inferioris ordinis amnes qui in mare influunt: Charentonus in Santonibus: Villania in Armorica: *Somona* in Picardia: Scaldis in Flandria: Rhenus autem nulli horum ulla parte cedit antiqui Galliæ termini. Innatum eſt Francis pondus ad novitates, quas in veſtium aſſiduis formis, ut in moribus & nonnunquam in religionum mutationibus ſignificavere. Cæterum toti populo ingens amor, & patientia dominantis. Gens eſt armis ſtrenua, ſed equeſtri certamine melior: indomita apud ſe, verum ut in exteras regiones inundavit, ſtatim innatæ virtutis, ſuique impetus oblita.

I E.

Digitized by Google

Sed mox victores miſcuere ſe victæ genti, ne tam Gallias quam Romanos in Galliis viciſſe viderentur. Jam vero diviſis in pleroſque Principes terris, penè in tantum Galliarum nomen obtinet, quod in iis occupant Franci, gens virtutibus factiſque eximia, & quæ meruit ut communis fabulæ vanitatem ad ſuæ ſtirpis præconium Scriptores uſurpent, dicanturque Trojanorum reliquiæ eſſe.

Hæc igitur omnium regionum, quæ ad Occidentem receſſerunt, feliciſſima, ſoli bonitate cum Genio & indole incolarum certavit.

Ager vini & frumenti paſſim ferax; olea quoque inſignis, & omnibus pomis quæ crudum aërem non ferunt; qui ad Alpes & Liguſticum mare porrigitur, aut viciniore Occidente intepuit. Nec ulla provincia in Orbe terrarum pro ſuis finibus tot incolis divitias indulſit. Adeo omnis generis clara, ut exterorum mercatorum commercia penè ad ſolam voluptatem exceperit. Nam & luxus tranſalpino ſerico precium fecit, & artificia Germanica opulentum populum ad peregrinas delicias adverterunt. Britannicæ tamen merces, ſi non neceſſariis, utilitatis certe pleniſſimis navigiis ſubvehuntur, quæ plumbo atque ſtanno, ubere etiam croco, tam quotidianis uſibus, quam altiori elegantiæ miniſtrant. At Gallia præter meſſes, quibus ſolitudinem Hiſpaniæ levat, vina etiam in frigidiorem viciniam diſpenſata, multa carbaſo & cannabi dives, neceſſaria pleriſque gentibus vela, rudenteſque, & quæ cætera ex funibus in claſſium armamentis idonea, ſubminiſtrat. His & aliis dotibus, aurum, quod in venis ſuis vix habet, largiſſimo proventu excipit, ut, qui illud anxia & crudeli diligentia effodiunt, qui ab extremo devehunt Sole, plerumque videantur Gallicæ felicitati famulari.

Tam diffuſa regione, tot provinciarum vario nexu compoſita, vix ſterilis aut inculti ſoli glebam indulgentia Naturæ omiſit. Nam & vaſta aliquot in Aquitania loca, ne incolis quidem ſunt vacua, vel ingrata, pinetis frequentibus,

bus, & ſucco fructibuſque precioſis; Avibus quoque catervatim provolantibus, quæ in deliciis ſolent haberi: ut aëri illa plaga tantum debeat, quantum de juſto telluris officio arena ſubduxit.

Gallia ad utrumque mare pertingens, Oceano alluitur, & pelago quod ab Hiſpaniæ Africæque faucibus poſitas ad Ægyptum terras interfluit. Ita commodus nauticæ rei ſitus, & qui claſſes per omnis nominis maria littoraque poſſit emittere, ſi Galli quam equis tam navali induſtriæ aſſueſcerent, ſpeſque, ut ſubitas, ita longas ferre poſſent.

Toti populo ingens amor & patientia dominantis. Apud illos vere regnatur, neſaſque quantum Regi liceat dubitare. Gens armis ſtrenua, ſed equeſtri certamine melior; ignara perfidiæ, publico præſertim conſilio: indomitæ intra ſe molis; & ubi in exteros exundat, ſtatim impetus ſui oblita: [1] eo modo nec diu externum imperium tenuit, & ſola eſt in exitium ſui potens. Longobardiam, Neapolim, Siciliam, & ple-

1 *Eo modo nec diu externum imperium tenuit & ſola eſt in exitium ſui potens.*] Prolatis Gallorum dotibus duos illorum defectus exponimus. Primus eſt quod victoriâ uti neſciant: nec enim diu (cætera ut omittam) Siciliam, Mediolanum, Neapolim ſervare potuerunt. Carolus Sancti Ludovici frater capta Maſſilia, ac rebellibus capite truncatis, cum numeroſiſſimo exercitu ſuperatis Alpibus, Romam ab Urbano quarto Tricaſſino primum; deinde à Clemente quarto Narbonenſi evocatus accelerat. Ibi ſingulari pompa & apparatu in Siciliæ Regem inauguratus cum omnibus copiis in Campaniam, Apuliamque progreſſus, apud Beneventum Manfredum hoſtem adortus, magno impetu fudit, Manfredus gregario habitu inter cæſos repertus. Captum oppidum totaque ab Oſcis & ultra Pharum Sicilia in Caroli poteſtatem ceſſit; ſed Henricus Caſtellæ regis frater, ab eo exceptus humaniter, ſingulari fallacia uſus eſt; nam Germanorum Italorumque in Francos conjurationis pro Conradino author fuit. Duplici pugna hoſtes profligati ſunt & locus pugnæ Liliorum appellatus, extructa inſuper ſacra ædes à victore. Conradinus in acie captus juſſu Caroli judicio conſtituto inſignis adoleſcens vix octodecim annos natus capitali ſupplicio affectus eſt. Cujus partibus tuendis Conradus è Syria in Siciliam appulerat, eamque inſulam ita in Carolum armaverat, ut principes civitates ab eo deficerent, ſed miſſo exercitu in Francorum manus Conradus venit, qui effoſſis primum oculis veſte ſuſpenſus infami morte vitam finiit. Hujus fato, truſo inſuper in carcere Henrico, quieta Sicilia aliquandiu potitus eſt Carolus. Verum brevi exorta conjuratione tota Sicilia ab jugo reſiluit: nam authore Petro Aragoniorum Rege ipſe reſurgentis Chriſti die Franci omnes ex compacto crudeliter cæſi ad campanæ pulſum, quo populus ad veſpertinos hymnos convocabatur. Inde *Veſperæ Siculæ* ceſſere in proverbium. Vix diutius Neapo-

Neapolitanum regnum aut Mediolanum obtinuere Franci. Multo poſt tempore vindicaverat ſibi Neapolitanum regnum Carolus VIII. Rex repetito ab Andegavenſibus jure in id Regnum Reginæ adoptione accitis. Rex comparatis ad bellum neceſſariis, Borbonio Franciæ rectore inſtituto, per Cottias Alpes robur juventutis Gallicæ in Italiam tranſmiſit. Tantus Gallici nominis terror fuit, ut Arragonius de fuga cogitaret. Rex magno plauſu Florentiæ exceptus Tuſcos ſupplices admiſit: Romam ingreſſus trepidantem regia humanitate confirmavit: Alexandro VI. honorem detulit, Capuæ ignovit: mox Neapolim cum exercitu feſtinat. Alphonſus Neapolitanus Rex inſperata Caroli felicitate perculſus, relicta Ferdinando filio Calabriæ Duci, qui mox Patrem eſt ſecutus, rerum ſumma, in Siciliam profugit. Tandem Neapolim cum pompa ingreſſus regno potitus eſt Carolus receptis in fidem regni proceribus. Verum ut ſimul parta ac ſperata decora unius horæ fortuna evertere poteſt, ſic partum celeriter regnum tali celeritate amiſſum eſt, ſummo Pontifice Alexandro, Maximiliano Cæſare, Ferdinando Hiſpano, Venetis, ipſoque belli fomite Sfortia, univerſis denique Italiæ Principibus ac prope civitatibus in Regem ita conſpirantibus, ut obſeſſis itineribus Francos reditu in Galliam intercluderent. Rex ſuperato poſt quintum diem Apennini dorſo ad forum Novum in ripa Tarri amnis cum modicis copiis conſederat, millia vix ſeptem armatorum aderant, hoſtium ad ſexaginta, qui tamen jam licitabantur Francorum capita, ipſiuſque Regis. Præcipuus hoſtium Dux Franciſcus Gonzagua, Mantuæ Princeps. Rex tanta multitudine nil motus hortatur ſuos, ut ſtrenuè decertent, iter in patriam & Penates manu & ferro faciendum: tantumque animi vox regia vultuſque Deo proximus Francis addidit, ut apparatus admirabiles ac formidoloſos exiguæ Francorum copiæ profligarent. Inde victor Caietam pervenit: mox liberatâ Novariâ, quam Mantuanus obſidebat, pax inita eſt, Rexque in Franciam revertitur; ſed neque manſit diu in fide Neapolis, revocato in Regem Arragonio, Gilbertoque Montpenſerio ex febre ſublato Galli in patriam rediere: ſic Regnum Neapolitanum cito partum citius amiſſum. Ludovicus XII. Regni ſucceſſor, toto animo in Mediolanenſe bellum incubuit. Commodè accidit, ut Ludovicus Sfortia à ſociis Principibus varias ob cauſas deſereretur, ſed à Venetis potiſſimum, quibus ille Cremonam eripuerat, ſollicitatus ut in Italiam tranſcenderet, eò ingentes copias præmiſit, Aubignio, Trivulſioque Ducibus: hi poſt ſuperatas Alpes variis itineribus ditionem Mediolanenſem ingreſſi multa oppida feliciter oppugnant. Alexandria dilapſo Galeario, Sfortiæ genero, vi capta eſt; Ticinum aliæque urbes ultro ſe dedunt. Sfortia ad Maximilianum Cæſarem fugere coactus, cætera victoribus dona reliquit: ſic brevi Mediolanum in Francorum poteſtatem venit. Cæterum poſt quintum exilii menſem reverſo in Galliam Rege, ſibi diffidentibus & diffidentibus Aubignio Trivulſioque, Sfortia Germanorum auxilio Mediolanum recuperat, omine licet prorſus ſibi infelici, ſiquidem ab Helvetiis proditus, in Galliam adductus eſt, ubi in carcere vitam clauſit. Rex paulò pòſt ad Neapolim recipiendam animum adjicit, Ferdinando Hiſpano in ſocietatem belli admiſſo. Apulia omnis Ludovico Armeniaco Aubignioque ducibus brevi in poteſtatem Gallorum redacta eſt: capta Capua, moxque recepta Neapolis. Fridericus Rex pactus cum Franco annuum ſtipendium in Galliam proficiſcitur: Eum Rex Ducem Andium fecit, ſed non diu Hiſpani cum Francis in regno Neapolitano quieti eſſe potuere: Ambigi tum de finibus. Itaque ab utriuſque gentis ducibus ad arma ventum eſt. Ferdinandus, ut erat cupidus dominandi, Apulia Calabriaque contineri non potuit: jamque ſpe & cogitatione Neapolitanum regnum cum Italia tota devorabat. Conſalvus præmiſſis

& pleraſque alias per Orbem terrarum provincias, frequentibus victoriis ſubegere. Sed mox hoſtes male domitos fidentius quam par erat contemnere, aut ſimulantibus obſequium credere, inconſulta laxaque bonitate. Tum licenter uti victoria, & præter illarum gentium indolem laſcivire: Ad extremum obliviſci armorum, aut ad patriam ſuam reſpicere, cujus diu abſentiam ferre non poſſunt. Per hæc vitia ceſſere in prædam his ipſis de quibus triumphabant; *læta ſemper bellorum initia atroci exitu corrumpentes.*

Nullis mortalibus indoles ad ſpeciem virílis elegantiæ magis facta. Oris intrepidi habitus, motuſque, atque geſtus, qui totum corpus decent. Et hic decor virtutem ingentium virorum adornat; exiguis autem animis pro fuco eſt, ac veluti naturali munimento, quo ſuam humilitatem abſcondant aut mitigent. Sic venuſte compoſiti [1] qualemcunque veſtitum de ſuæ mutationis infinita ſerie, tanquam inexhauſto penu deprompſerint, quocunque ſalutationis artificio corpus inflectant, putes nihil magis illa inſtitutione convenire. Vicinæ autem gentes ridiculo errore deceptæ, ad illorum quoque mores, per earundem veſtium ac motuum

aliquot levibus præliis, cum Franci ſuperiores evaſiſſent, tandem à Venetis aliiſque exteris proditi, ad Criniolam pugna temere commiſſa profligati ſunt Galli: inde capta deditione Neapoli vix Caïeta ſervata toto regno pulſi ſunt: ſic recuperatum iterum Regnum, iterum amiſſum eſt: Utinam vincere Italiam tanti non putaſſent Franci. Magis turpiter amiſſa eſt, quam glorioſe acquiſita: nec clarius unquam Gallicæ indolis argumentum fuit, quæ magis ſtudet acquirere imperia, quam retinere. Secundus Galliæ defectus eſt, ut ſola ſit in exitium ſui potens, quam ſcilicet in externo imperio retinendo novimus impotentem. Unde enim tot bella civilia, quibus parum abeſt, quin noviſſimis ſeculis abſumpta fuerit Gallia. Dictitabat Carolus V. Imper. niſi hauriretur hoſtili gladio Francorum ſanguis, à ſuis civibus eſſe hauriendum, quippe quod Galli ſanguine abundarent. Hinc illa inconſtantia & levitas quam in Gallis exteri irrident: hinc ille impetus & cultus ad novitates. Nam

1 *Qualemcunque veſtitum de ſuæ mutationis infinita ſerie, tanquam inexhauſto penu deprompſerint, &c.*] Ubi Gratia innata Francis laudatur, levitas penes diverſos habitus arguitur, quæ levitas in Gallis antiqua eſt, ut teſtatur J. Cæſar in commentariis lib. 4. *Sunt*, inquit, *in conſilio capiendo mobiles, & novis plerumque rebus ſtudent: Viatores conſiſtere jubent & rumores ſparſos excipiunt.* Imo videas apud Francici nominis hoſtes depictum Gallum nudo corpore cum forficibus in manu, & multiformi panni ac multitiorum genere juxta appoſito, quod eſt mobilitatis ſymbolum.

2 *Et*

tuum variam imitationem putant accedere; ignaræ, lepôris & gratiæ virtute in nonnullis hominibus uno genio cuncta placere; in aliis autem, in quibus Natura ad hos mutabiles habitus propitia non eſt, ejuſdem venuſtatis imitationem & curam ingratam ac ludicram eſſe. Nam virtutes & vitia, & quicunque alii motus ipſis animi receſſibus inhærent, poſſunt à nobis non multum operoſa ſimulatione effingi, quia adeo ingentibus latebris reconduntur noſtri ſenſus, ut vix ullus deprehendat, veris an extemporaneis affectibus deducamur. Sic facile humilitatem ſimulabis; ſic odium, amorem, pietatem. At vero quæ non magis imperio animi, quam uſu, & externo corporis obſequio, perficiuntur, eorum imaginem in te transferre, reluctante natura, non poteris, ut eſt aptitudo corporis prompto habilique decore idonea, ut hilaris jocandi facilitas, & omnino eloquentia, non in præcordiis, ſed ſummo ore nata. Hæc autem cum in Gallia conſuetudine emineant, ægerrime te ad illius ſimilitudinem transferes, niſi ſe tuus genius huic indoli ſponte admoverit.

Cæterum nunquam Orbis dignas gratias hoſpitali Galliæ habebit, quæ humanitatis templum videtur aperire, quo ſe omnium externorum fortuna conjiciat, Animum in hominibus, non patriam æſtimat. Neque communi cæterarum regionum errore, in inquilinis, ac advenis, naſcendi ſortem punit. Ita candido ſimplicique amore virtutis eximios viros, undiquaque prodierint, ſine invidia miratur, & ſua opulentia gaudet augeri, & in tantæ humanitatis præmium habet publicam primum laudem: tum etiam tot hoſpitum fortunam, ac famam, qui Gallico corpori non indigna aut inutili adoptione inſerti ſunt. Neque illic hoſpitibus dediſcendi ſunt patriæ ſuæ mores, aut ad Gallicam ſimilitudinem flectendi, dum ſuperbia abſit, aut inculta barbaries. Quippe, ipſa veluti profeſſione exteri moris, ſollicitabis curioſæ gentis ſtudia, ſimplicius peregrina, quam ſua æſtimantis, etiam quædam vitæ aut corporis vi-

Digitized by Google

tia, ſi modo aliunde advehantur, trahentis in laudem. Nam & peregrini hominis eloquentiam vidimus crebro linguæ errore favorem meruiſſe, & grandis opinionem ſcientiæ, quod non intelligeretur.

Plebis in amplioris fortunæ homines vera, nec ex metu, aut ſola inſtitutione, reverentia; Rurſus primi Optimatum eodem genio culti ab illis, quia gratia aut genere perinde non excellunt. Sed ſuperbiam faſtumque non ferunt; Si videris dominari, ſervire erubeſcunt. Comitas, quæ frontis artificio, luminumque clementer vibrantium, vel per ſermonum familiaritatem blanditur, fidelius purpuratorum latus clientibus cinget, quam potentiæ magnitudo. Opes omnes & ipſe vilior honoribus ſanguis. Præcipue Patriciorum ſpiritus in ſuum aut patriæ damnum ſæpiſſime excreſcunt, dum nemini eorum mercaturæ aut artificiorum utiliſſimam diſciplinam capeſſere ipſa inopiæ experientia perſuadet. Æmulari præpoſtero ambitu magnitudinem placet avorum, & fœdari gentilitium ſanguinem putant, ſi populum vivendi conſuetudine acceſſerint. Ita vanum nobilitatis nomen, & magnifici ocii improba ſpecies, ad patientiam triſtium curarum ſufficit, & in ſola exeuntium morte. [1] Et hæc animorum celſitudo, quamvis ſibi placeat, adeoque ab omnis generis ſordibus videatur abire, tamen interdum penè neceſſariis facinoribus corrumpitur, in miſerorum

1 *Et hæc animorum celſitudo, quamvis ſibi placeat, adeoque ab omnis generis ſordibus videatur abire, tamen interdum pene neceſſariis facinoribus corrumpitur.*] Fateor ſtemmata ſtimulos eſſe ad virtutem, ſed hanc quam multi nobiles torvis oculis intuentur, qui ſola majorum claritate tumentes ad vitia eo liberius prorumpunt, ſatis eſſe putantes, quod clariſſimorum avorum longam ſeriem numerent, & alienis ſolummodo turgentes plumis more Horatianæ Corniculæ, de qua Horat. Epiſt. 3. ad Jul. F.

Ne ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat Cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus.

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco; inquit Ovidius. Et Juvenalis Satyra octava:

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictos oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?
Quis fructus generis? tabula jactare capaci
Fumoſos Equitum cum Dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis male vivitur?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria,

Digitized by Google

ſerorum penatum anguſtiis turbulentam induſtriam exercens, ut vel publica violentia, vel arcanis ſceleribus inopiæ ſqualorem repellat. Mercatura illic vilior quam tantæ utilitatis rem eſſe deceret, & quæ prima humanitatem per orbem circumduxit. Solon quidem qui Athenis leges condidit, & plerique Græcorum, uſque ad nos fama durantium, illo commercio ſuas res tulerunt ad exteros, viciſſimque fecerunt ut exotica ſui cives viderent. Nec abhorret ab hoc more Italia, in illuſtribus familiis opes eadem induſtria late componens. Britannia quoque ſanguinis claritatem illo vitæ genere fœdari non putat. At in Galliis hanc mutuæ utilitatis rationem non modo ſtirpes antiquæ aſpernantur; ſed & quaſi mercatores ſui puderet, ubi illis largius fortuna indulſit, ſtatim in aliam diſciplinam filios ſuos agunt, jubentque majorem paterno faſtigio ſcenam ſperare.

Et quidem magnitudinem Gallicorum animorum nullibi efficacius videas, quam in ambitu Magiſtratuum, à quibus pervicax licitatio jam diu egentium virtutes excluſit. Exhaurire familias, nomina facere, rem fidemque conſumere, decorum; dum inter æquales emineas vel ſterili dignitate, vel precio furtivorum munerum patrimonii ruinam

Atria, nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.

Et

Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis?

Concludit

Miſerum eſt aliorum incumbere famæ.

Sola apud Deum libertas eſt non ſervire peccatis: ſumma apud Deum nobilitas eſt clarum eſſe virtutibus; inquit Hieron. ad Celan. Eſt enim nobilitas, teſte Ariſt. 4. Politic. virtus, & divitiæ antiquæ; nam attenditur ſecundum virtutem generis nobilitas, ait idem 2. Rhet. & nobile eſt quod ex bono prodiit genere. Audi Chryſologum: *Ille clarus, ille ſublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem ſuam putet, ſi dedignetur ſervire vitiis, & ab eis non ſuperari.* Laudabilis vena ſuam ſervat originem, inquit Caſſian. Et Plautus in Merc.

Pulchrius eſt nobilem virtute fieri, quam naſci.

Sunt autem, inquit *Diog. Laërtius*, velamina malitiæ nobilitas. Unde Moyſes eligit humilem cum fratribus vitam, quam aulæ deliciis & honoribus frui. Concludo,

Nobilibus pulchrum eſt ortum eſſe parentibus: at non
Turpibus hos factis dedecorare decet.
Nobilitas nulla eſt niſi quam dedit unica virtus,
Eſſe ergo ſi vis nobilis, eſto bonus.

nam reparante. Nec dubium, quin illa libido titulorum, niſi ipſa ſe frangat, curias, tribunalia, præfecturas, tandem ſit viliori ſanguine anguſtiſque animis maculatura.

Quippe è ſordidiſſimis artibus multi compendioſius ad divitias properant, quam antiqua nobilitate ſpectabiles, paterniſque opibus utentes ex majorum dignitate. Hoc modo, dum ad emendæ Curiæ, aut præfecturæ, ambitum, nummorum pugna initur, ſæpiſſime ii vincunt, qui ut ſanguine ſic & ingenio cedunt. Accedit, quod vetuſtarum ſtirpium viri non tam pervicaci ſtudio ſuas opes dignitatibus illis donant, quam homines adhuc novi, qui è latebris quas auro condiderunt eruere filios properant, & eam nobilitatis gloriam ſuæ genti emere, quam abſque ullo ſumptu in hæreditatis partem Patricii habent.

Sic paulatim hi honores ſordidiorum eſſe poſſunt, (ſi pecuniæ tantum conceditur) & forſan aliquando, in ignobilitatis ſuſpicionem, eorum nominibus cenſeri. Neque ideo fiſci induſtria maligna criminatione carpenda eſt, qui de ejuſmodi Candidatorum bonis excreſcit. Nam cui non ſatius videatur profeſſo precio dignitates à Principe molem publicam ſubeunte proponi, quam avaris Purpuratorum ſuffragiis in prædam concedere? qui, ubi hæc publica licitatio non eſt, obtrudunt Regibus Candidatos, quos ſibi munere chariſſimos fecerint; & quod à domino impetrant, deinde clientibus vendunt. Ut nec meliore ſortitu delectos Reſpublica accipiat, nec interſit eorum qui ad tribunalia ſubvehi ambiunt, utrum cupiditatem dignitatis ſub Principe an ſub Optimatibus luant; utrimque pari ſydere in patrimonii ruinam percurrente. Hæc igitur tolerabili inſtituta conſilio, jam ipſo furore licitantium in præceps abiere, qui & mediocris cenſus virtutem excludunt, & tota opum mole eos honore redimunt, quibus ipſi tam immodicum precium fecere.

Ut vero, quo generoſius vina adolitura ſunt, eo adhuc recentia turbulentius deſpumant, ita iſtius gentis, ad humani-

Digitized by Google

manitatem & cum ſenuerit prudentiam factæ, adoleſcentia ac juventus inſano incautoque impetu ut plurimum fervet. Vana in ejuſmodi ætate libertas, nunc jocandi, nunc ignotos pariter notoſque laceſſendi, & ubique titulos nimiæ ſecuritatis affectans. Leves animi, & rumoribus rapti, jam impatientes ocii, moxque tumultus. Oſtentatio libidinis ſupra naturæ deſiderium inepta, tum inconſulti riſus, neminique parcentes; vis etiam intra ſe irrequieta, per varium ac multiplicem tumultum erumpens. Quidam tamen in omnium exordiis rerum induunt non veram & ideo majori ſpecie ſubornatam prudentiam: Veluti matura ſapientia compoſiti, verba tarde euntia deducunt, lento vultu, & aſtum cum humanitate fingente. Ex re quoque factum nomen, ut appellent frigiditatem. Sed & virtutis ſimulatio tunc eſt ingrata, nec diu tamen ſcientia perſonæ impatientem omnis veli levitatem abſcondit. Media autem indoles, quæ nec Gallis certe deeſt, lætitia capacis animi exuberans, eique non efficta prudentia frenum imponens, ea demum omni precio major, & ad ſapientiæ ſimulque hilaritatis imaginem exacta eſt.

Illud autem in Gallicis moribus, ac veluti fatis, triſte, quod benevolentiam, qua in ſua regione hoſpitibus indulgent, extra patriam vix in ſuos cives expromunt.

Quis credat in exteris tam humano populo non ſatis convenire? Aves quoque in caveam deductæ roſtra & iracundiam vix ſtringunt, & ſocietas fati peregrinationem ferarum conciliat extra ſylvas quærentium prædam.

Soli Galli quocunque in peregrino ſolo conſederint, præſertim ſi miſeri, & ad opem alienam converſi, ſæviſſima æmulatione decertant. Tum occulta ludibria, livorque deformis, tum profeſſa odia, & rixarum etiam ad peregrina tribunalia concives vocantium deriſa improbitas. Sic inter ſe certantes neſcio qua infamia apud imperitos inundant ſuam gentem, quaſi in invidiam nata ſit, exorſque quietis, ac amoris, quo unius patriæ cives arcana vi Natura conjunxit.

Digitized by Google

Et hæc Gallorum extra patriam ſuam labes. Adhuc autem fœdius in Galliarum viſceribus peccant, qui paſſim tanquam gladiatores ad arenam damnati, ſubitis odiis, armiſque privatis, ad ultima diſcrimina committuntur. Rem immanem, & ad iſtius ſeculi probrum: leve jurgium, ſolaque altercantium ambitione increſcens, aut revera innocens jocus, plerumque autem turbulenti ingenii præcipitatio ad famam, ſæpe ad triſtiſſimas cædes & familiarum orbitatem, lymphatam juventutem propellit. Hinc toties miſerorum parentum intercepta conſilia, ſpeſque occiſæ, & propemodum fruſtra pax in Galliis, & quæ vix minus Patricii ſanguinis, quam ſi bello certatum publice eſſet, in hac arena hauſit. [1] Quæ hæc autem dementia? ritu ferarum, non ratione, ſed impetu injurias ulciſci, rerumque ſuarum judicium permittere penè ſcenicæ arti, fortunæque ſæpe fallenti ipſam artem, ut, quicunque felicius, ille & juſtius arma ſuſtulerit? Feræ gentes, & ab ipſa venientes Barbaria, Orbem ſupra aliquot ſæcula ſuis moribus polluerunt.

His authoribus quondam factum, ut in dubiis judiciis, cum utrimque argumenta eſſent obſcura, armis litigantium crederetur. In circum arenamve dimiſſi pugnabant, victus pro nocente habebatur; & inde veſaniæ origo hanc ætatem infeſtans, quæ jam auctis finibus, cum olim in Magiſtratuum arbitrio eſſet, hodie ad privatorum libidinem deſævit. Iſti

1 *Quæ hæc autem dementia? ritu ferarum, non ratione, ſed impetu injurias ulciſci?*] Unde illam vecordem inſaniam oriri putem, niſi ex gladiatoribus, primum in arenam deſcendentibus, ut artis ſuæ periculum faciant, aut ſpectanti populo ſint voluptati: Deinde ex æmulis in Hippodromo litem ſuam gladio, ſeu lancea dirimentibus? Neſcio quo peſtilenti ſidere Gallia noſtra ab uno vel altero ſeculo ſic afflata eſt, ut civilem & nonnunquam cognatum, imo fraternum hauriret ſanguinem, & gloriæ duceret aut tinxiſſe alieno cruore manus, aut æmulum exarmaſſe. Et mirum eſt, quod ille furor omni furore deterior etſi anathemate ſummorum Pontificum damnatus, & edicto Regum, legibuſque civilibus vetitus, non potuit tamen in Gallia noſtra his repagulis coërceri. Putant ſcilicet aliquam famam ſuo nomini comparaturos, & ſe Encelados, *Salmoneos*, Typhœos, Turnos, aut Æneas, Achilles aut Hectoras hoc facinore reputandos. Hinc illa injuriarum impatientia à Chriſtianis moribus omnino abhorrens, ſed ad naturam ferarum, & non tantum Gentilium magis accedens.

1 *Bri-*

Iſti tamen gladiatoriæ arti prætextus eſt, neſcias magnificentia an utilitate acceptior, peritia pugnandi. Nam cum arte gladio ferire, vel deflectere deſtinatos ſibi ictus, quis neget ad rem militarem pertinere? Hoc Græci Romanique, & omnis gens armis ſtrenua, cum ambitu quæſivit.

Nunc vero non tanquam in anguſtia ſeſe prementium cuneorum (ut in juſtis præliis ſolet) ſed veluti in apertæ arenæ libertate, per curſus recurſuſque, per omnem corporis habitum, per longam & diſparem oculorum manuumque fallaciam, quis non potius privatorum odiorum crudelitatem erudire, quam publicæ pietati ſuam fortitudinem parare videatur? Et vero nihil jam ad amentiam aut impietatem reſiduum in propinquos amicoſque ſævientibus. Sive ſanguinis, ſive familiaritatis jure conjuncti, non atrocibus injuriis, ſed inani ſuperſtitione verborum, & propemodum gratis, diſſociati, alterno cruore imbuuntur: quodque ultimum furoris gradum putes, ne inter ſe quidem læſi, ſæpe aliorum inimicitiis tantum nefas tribuere amant, & in gratiam nihil ad ſe pertinentium odiorum ſeipſos & amicorum chariſſimos immolant; quippe à pugnaturis qui perire ſoli nolunt, veluti ad theatrum aut cœnam, ita ad hunc feralem ludum invitati, ultro ſubeunt; & quicquid hominibus aut dulce aut charum eſt, violare non dubitant, ineptiſſimo deſiderio famæ: ut jactentur magno vitæ contemptu in arenam proceſſiſſe, id eſt, truculentiſſimum facinus auſi eſſe barbara ignoratione virtutis.

Sed hæc mala, & ſi quæ præterea maculæ ſe Gallicæ indoli interſerunt, omnino donari eorum virtutibus debent, quos vel ætatis vel ſapientiæ pondus ita compoſuit, ne æſtu patriorum vitiorum diripi poſſint. In iis egregia comitas; non fucata, aut inſidioſe in hos ipſos quibus blanditur collocata. Non fraudibus, non ſecretis odiis vacant: Dignari ſingulos qui acceſſum aut notitiam petunt, & pro ſua ſorte unumquemque mulcere.

Externo homini ad illorum conſortium admiſſo ſatis erit, aperto ſcelere aut nimia ineptia non peccare: ut quidem alibi in alienos mores, ne tibi noceant, intentus ſis; cum maturis autem & caſtigatis Gallorum animis teipſum reſpicias. Nec aliquid in humana ſocietate felicius, quam conſuetudinis tam politæ erecta viriliſque ſuavitas.

CAPUT IV.

Britannica Inſula: in quibus diverſi populi, Angli, Scoti, Hyberni.

BRitannia [1] per tot ſpatia diffuſa, tam diverſis pulſata fluctibus, tamen magis ad magnitudinis ſuæ fidem poteſt varios civium mores, quam tantorum littorum ſinus & nomina proferre. [2] Tanquam alium in Oceano Orbem faceret, omnis animi genera incolis inſevit. Non alia Inſula toto

1 *Britannia per tot ſpatia diffuſa, tam diverſis pulſata fluctibus, tamen magis ad magnitudinis ſuæ fidem poteſt varios civium mores, quam tantorum littorum ſinus & nomina proferre.*] Galliæ adverſa eſt interjecto freto magna Britannia ſatis diverſis moribus. Hi populi tumore inflati pluſquam Iberico propter larga naturæ in eos prodigæ dona, impatienteſque omnis jugi, & ad mobilitatem plerunque proni, civili tumultu Regnum ſæpiſſime miſcuerunt, atque novis paſſim religionibus inſulam ſuam & ſuas mentes aperuerunt. Reges autem quam ſæpe lictoris ſecuri ſubjecere. Porro Britannia vel à Britanno filio Herculis, qui in hac inſula dominatus eſt, vel à Britonibus Galliæ populis, qui eo migravere, nomen accepit. Dicta eſt *Caſſiteris* à ſtanni ibi enaſcentis copia, & *Albion* ab albis rupibus ac montibus, qui Angliam undequaque circunvallant. *Picti* quoque ſunt appellati populi, eo quod corpus pingerent etiam pugnaturi. Pars Meridionalis inſulæ dicitur Anglia, Borealis vero Scotia: quæ duo regna ſeparantur Tueda & Sobeo amnibus. Inter hæc duo regna ab oſtio ad oſtium maximus olim murus fuit. Urbs regni primaria, Londinum ad fluvium Tameſim, emporium, inter Europæ celeberrima celebrandum: Sequuntur Eboracum, Briſtolium, Oxonia, urbs Academica, Cantabrigia pariter Academica, Cantuaria, Archiepiſcopatus duo, Epiſcopatus viginti quatuor. Celebriores portus ſunt in Orientali latere, Neucaſtellum, Hall, Lyn, Harvich, &c. In Occidentali, Cheſter, unde naves in Iberiam ſolvunt: in Meridionali vero Plimouth.

2 *Tanquam alium in Oceano Orbem faceret, omnis animi genera incolis inſevit.*] Scilicet à variis gentibus inſula domita eſt & ſubacta: hinc dicti quoque Anglo-ſaxones, hinc & Vallia ſeu Gallia una ex provinciis dicta à Gallis quondam inſulæ domitoribus. Britanniam magnam Tributariam quidem fecerat olim *Julius* Cæſar; ſed Julius Agricola imperio Romano eam adjunxit, donec ſub Honorio in illa Imperii Romani ſua mole collabentis partitione Reges ſuos habere cœpit, qui variis moribus ipſos populos etiam imbuerant, ſiquidem

Com-

toto terrarum ambitu illuſtrior. [1] Sicilia, Creta, Cyprus, viſæ regni fortunam ac nomen capere poſſe: non, ſi in unum corpus tranſeant, uni Britanniæ terrarum ſpatiis aut opibus pares ſint. [2] Priſcis quoque temporibus, armis inclytis ſtrenua, materiam fabulis dedit, quæ plurimarum gentium ingeniis

Componitur orbis Regis ad exemplum.

Et primum in unoquoque genere eſt regula cæterorum. Hinc Cedua Rex Romam petens Chriſto ſe ſuamque ſubjecit Angliam: ex quo barbaros mores prorſus exuere inſulares iſti Chriſtum induentes. A Ferguſio primo decem ſupra centum reges imperavere. Fuit Guillelmus Dux Normanniæ ab Eduardo tertio hæres nominatus. Venit etiam Anglia in poteſtatem Comitum Andegavenſium: & tandem Scotorum Regis Jacobi Mariæ Stuartæ filii totum Regnum in ditionem ceſſit. Religionum mutationes variæ variis etiam moribus gentem hanc imbuerunt. Quoties enim indigenæ Religionis cauſa ex inſula extorres facti? quoties acciti extranei? Quam multis Religionibus & ſectis Regnum totum proſciſſum eſt? Nunc ſub uno principe ſubjecta Anglia, Scotia, Ibernia, de Carolo nuper revocato morum unitatem ſperare poteſt.

1 *Sicilia, Creta, Cyprus, viſæ regni fortunam ac nomen capere poſſe.*] Sicilia omnes mediterranei maris inſulas amplitudine vincit, quæ ubertate ſoli adèo felix eſt ut horreum Romanorum fuerit appellata. Dicta eſt quaſi *Sicelita*, id eſt, reſecta, nempe ab Italia aqua anguſto freto jam diſcernitur: quondam Trinacria à tribus promontoriis, quibus in diverſa procurrens trianguli formam efficit. Primum promontorium, quod Græciam ſpectat, Pachynum; ſecundum, quod Italiam reſpicit & freto alluitur, Pelorum: denique tertium, quod ad Occaſum vergit, Lilybæum. Hanc incoluere olim Læſtrigones anthropophagi ſive Cyclopes. Urbes præcipuæ fuerunt Syracuſa, fonte Arethuſa, & gemino portu inclyta quondam, nunc vero in ruderibus antiquam extinxit gloriam. Hodie præcipuæ ſunt Panormus, regni caput, quanquam Meſſana ad fretum cum ipſa de dignitate contendat: deinde Catana, Drepanum, Enna, Agragas, Mazara, Tauronelium. Et hanc inſulam Hiſpani poſſident, ex quo in Veſperis Siculis cæſi ſunt omnes Galli, & admiſſi Arragonenſes. Creta ſive Candia, Græcis Latiniſque monumentis plurimum celebrata, ab antiquo ſplendore multum deſcivit: Ecatonpolis à centum urbibus dicta eſt, ſed hodie pauciores ſunt, quarum primaria eſt Candia, quæ nomen in ſulæ fecit: Sequuntur Canea, Rhetinus, & Scyttia. Jam pro illius poſſeſſione Veneti jure, Turcæ ut ſolent injuriâ decertant. In mediterraneo mari præcipua eſt Cyprus, Veneri olim ſacra. Reges habuit ſuos, nec ita pridem Gallos è familia Luſiniana. Tum Genuenſibus, inde Venetis, poſtea Turcis paruit, capta à Solimo Turcarum Imperatore anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo. Urbes præcipuæ Salanis, hodie Famaguſta, Lucotum hodie Nicoſia, Ceraunia hodie Cerines. In expugnanda Nicoſia Bragadeni nobilis Veneti virtus plurimum enituit; ſed major fuit ejuſdem in crudeliſſima morte à fœdifragis Turcis perferenda conſtantiæ laus. Olim celebratæ ſunt urbes Paphus, Cythera, & Amatus. Et quanquam tales ſint hæ tres inſulæ, non ſi in unum corpus tranſeant, uni Britanniæ terrarum ſpatiis, aut opibus vix pares ſint.

2 *Priſcis quoque temporibus armis inclytis ſtrenua, materiam fabulis dedit.*] Cum enim Græci, inquit Mercator in Atlante, Italiam ab Heſpero Atlantis filio

geniis linguiſque vulgatæ ſunt. Quaſi nihil eximium fingi poſſet, quod non apte caderet in alumnos Britanniæ. [1] Olim quidem inter novem Principes diſtributa. Mox bellis atque fœderibus mutati cum Regibus gentium fines: donec tribus Dominis fortuna totius Inſulæ cederet: Saxonum coloniis, quos Anglos appellamus, ſub unius ſceptri felicitatem coactis; Britannorum vero reliquis, pertinaciter inſidentibus Cambriæ montes, (hæc nobis hodie *Wallia* eſt,) & Scotis, quibus jam diu exciſorum Pictorum portio acceſſerat ad Septentrionem colentibus. Mox Cambria diuturnitate bellorum macerata totius Angliæ conſenſui impar fuit. At Scotia ſpe quidem victoriæ minor, ſed cujus ſpiritus Anglia non domaret, veluti in æmulationis argumentum, non pervicacius armis quam diverſa ab Anglis indole pugnare

filio Heſperiam, Galliam à Polyphemi Galatiam fabuloſe dicerent; *hanc inſulam ab Albione Neptuni filio Albionem etiam fabuloſe denominaſſe vero non abſimile videtur*: quod Perottus, & Lilius Gyraldus prodiderunt. Finguntque & Neptunum & Albionem magnorum virorum, qui hanc oram incoluere, progenitores fuiſſe, quod pluribus commentitiis hiſtoriis locum dedit. Nec enim minus proni ad celebrandam ſuam gentem Angli, quam Hiſpani, & Galli fuere, qui & ipſi in talibus & tam fabuloſis narratiunculis effingendis plus æquo fuere dediti: commentaque plurima in dies eduntur, & ſparguntur in vulgus, in quibus fictorum Heroum ſuorum geſta commendant.

1 *Olim quidem inter novem Principes diſtributa, &c.*] Hæc inſula olim in duas partes diviſa fuit, teſte Ptolemæo magnæ conſtr. l. II. c. 6. ubi inſulam univerſam in Britanniam parvam & magnam dividit. Magnam vocat citeriorem ejus partem ad Meridiem: parvam vero ulteriorem, ad Septentrionem. Romani vero ulteriore parte neglecta, quia, ut inquit Appianus, illis utilis eſſe non poterat, citeriorem in provinciam jam redactam primum duplicem fecerunt, inferiorem, & ſuperiorem, ut ex Dione colligitur. Angliæ enim partem citeriorem cum Wallia ſuperiorem; ulteriorem & ſeptentrionalem, inferiorem vocat. Poſtea in tres partes diviſerunt, ut ex Sexto Rufo liquet, in maximam Cæſarienſem, Britanniam primam, & Britanniam ſecundam. Poſtremò, cum imperii Romani formula in dies mutaretur, Britannia in quinque partes diſtributa eſt, in Britanniam primam, & ſecundam, maximam Cæſarienſem, Valentiam, & Flaviam Cæſarienſem. Nonnulli univerſam inſulam olim fuiſſe in tres partes diviſam ſcripſere, nempe in Loegeiam, Cambriam, & Albaniam: ſed hanc recentiorem eſſe diviſionem credit Camdenus, ut quæ à tribus populis, Anglis, Cambris, & Scotis, qui inſulam inter ſe diviſerunt, nata videatur. Poſtea in duo regna, Angliam, & Scotiam diviſa eſt inſula, donec ſub Jacobo VI. utrumque regnum cum Hibernia his adjecta in unum corpus coaluit, hinc Britannia magna priſtinum nomen recepit. Porro tota inſula in IX. principatus diſtincta eſt, nunc in plures comitatus, quos habes in Atlante majore deſcriptos.

1 *Angliæ*

pugnare ſuos juſſit; donec noxioſiſſimam æmulationem fata damnarunt: nunc utriſque impoſito Rege, cujus ſpiritu Inſula in unum Imperium coaluit.

[1] Anglia felicibus paſcuis, & ad multas variaſque arbores commoda humo, commeantium oculos pulcherrima viriditate mulcet: gratuitis etiam bonis plebis animos in ſegniciem exſolvens. Pabulum illic paſſim pinguibus campis abundat, boum equorumque armenta ad perpetuam ejuſmodi animalium aviditatem explens: alibi autem ſiccioribus arvis, & humili gramine induentibus terram, ſuper fidem multos greges educat, excuſatque utiliſſimam & ad ovilia factam ſterilitatem. Ne hyemis quidem rigor aſſueta libero aëri pecora (niſi forte ſupra morem inhorruerit) in ſtabula aut ovilia deducit. Iis ſufficere ſolent nuda ſub dio cubilia, herbæque quas hybernus tepor alit. Quippe hyemes non illic pro plaga & Septentrionis vicinia aſperæ, cum vehementer Gallicam oram quatiant, qua Britanniæ adverſa eſt, multoque rigidius Batavorum cœlo incubent.

In tanta aëris indulgentia Britannicus ager omnis generis ſemina facile concipit atque ſervat. Proceras habet lauros: Roriſmarini planta, apud multas gentes ipſa cura qua educatur precioſa, hic vulgaris, & nonnumquam in ſepes velut ad hortorum cuſtodiam ſtipata. Vitem alere poteſt, uvaſque ad maturitatem perducere. [2] Nam & Cantii amœnitas crebro collium dorſo ſuſpenſa, & Wintonienſis regio, cum

1 *Anglia felicibus paſcuis, &c.*] Britanniam omnibus cœli ac ſoli bonis natura donavit, in qua nec rigor eſt nimius hyemis, nec ardor æſtatis: in qua ſegetum tanta fœcunditas, ut muneribus utriuſque ſufficiat, & Cereris, & Liberi: in qua nemora ſine immanibus beſtiis, terra ſine ſerpentibus noxiis. Contra pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte diſtenta, & onuſta velleribus. Hæc ex Panegyrico Conſtantini.

2 *Nam & Cantii amœnitas crebro collium dorſo ſuſpenſa, & Wintonienſis regio, &c.*] Cantium aliud eſt Angliæ promontorium Occidentale, Straboni & Ptolemæo Ἀκάντιον: aliud, regio maritima contra Galliam, & ad Orientem ſpectans. Hujus incolæ omnium longe humaniſſimi ſunt, & à moribus Gallorum minime differentes. Huic maritimæ regioni quatuor Reges olim præerant, quibus Cæſar, quidquid in annos ſingulos vectigalis populo Rom. Anglia penderet, conſtituit. Poſtea regnum vectigale Pontifici Rom. factum ex

cum cæteris ad Meridiem Ortumve ſpectantibus, *olim vineta habuere, quæ deinde paſcuorum utilitas, viliuſque redemptum ex Aquitania vinum, exemit. Lupi quoque ea* inſulæ parte exacti, nudos greges, & vix alicui moloſſo creditos, non infeſtant.

Nam diligentia antiquorum, cum graſſaretur luporum rabies, curamque paſtorum aut fatigaret aut falleret, totum in iis ſedibus tam pervicacis feræ genus extinxit. *Ita fortuna* per patientiam pecorum ſub dio durantium, & mirabile luporum exitium, profuſas nec æſtimatas opes videtur indulſiſſe. Cibo, corio, vellere, velut exundantis terræ muneribus, populus in ocio, & plerumque oblivione laboris, diteſcit. Ne quidem in colendo croco labor, quem optimum habent, facili herba oblatas in floribus opes non in ullius curæ aut induſtriæ præmium aperiente. Et ne quid tam propenſo fato deſit, tranſmarinum militem ante aliquot ætates non viderunt: Domeſtici autem motus hoc ſeculo rari: *neque in Anglia, ut alibi terrarum, ſolent bella conſeneſcere. Sæpe* octiduum ingentes ſimul turbas quam parit tam abſolvit: in homines ſæviunt, non in opes & tecta, & ſubitæ acies adhuc crudas ſurgenteſque lites dirimunt.

Tam ſpontanea felicitas ſecurum & opulentum vulgus non modico tumore ſuſtollit, ut neque pro conſuetudine cæterarum regionum timida humanitas, & Patriciorum dignitatem reverita, mitiget mores plebis, & plerumque rudiora artificia tot divitiarum tantique ocii crimen fiant. Nam artem aliquam profeſſuri, ſepteni annis, ut plurimum, tyrocinia deponunt: ubi vero peractis rudimentis in collegium artificum adoptantur, quaſi laboribus exempti, ſub ſe alios tyrones aſciſcunt, edoctoſque breviter in officinis proſtituunt:

ex voto Henrici Regis. Metropolis dicta quoque Cantium ſeu Cantuaria, Archiepiſcopalis juxta cum Eboracenſi: at Præſul eſt quoque legatus natus. Jam quod ad Wintonienſem, ſeu Wiltonienſem agrum pertinet, ab oppido primario ſic denominatur, & totus eſt mediterraneus. Terminos ab Ortu Oxoniam & Southamptoniam; ab Occaſu Sommerſetum; à Septentrione Glocestriam habet. Regio paſcuis & frugibus ubique læta.

I Claſ-

ſtituunt: Tunc ipſi non ſolemnes modo dies, ſed & faſtos (quis credat!) ſi ſudum eſt, vario ludo in proximis campis exercent: nubilos in diverſoriis oblectant: prorſus ut artificia impolitius habeant, quippe diſcipulorum peritiæ credita, & eorum redemptores contumacius urgeantur ad pretium, quo & tyronum labor, & deſidia magiſtri ali poſſit. Diligens tamen nonnullarum Operarum induſtria, exactis artificiis eminens, preciumque per Orbem merentibus, ſatis prodit, in ea regione ejuſmodi ſtudia non ſtipatis cœli vitio animis, ſed nimia felicitate laborare. Ut enim ad extimulanda ingenia, arteſque fovendas, nimis cruda aut avara imperia nihil juvant, depreſſis populi mentibus, & deſperatione ſolutis, ita fortuna laſciviens, laborique haud aliter quam per ludum intenta, plebis ſolertiam non attollit ad exactam artium curam.

Nullibi in tam ingenti regno vectigal, non in urbibus pontiumve diſcriminibus publicanorum ſtationes: præterquam iis locis unde naves in exteras plagas ſolvunt. Nam importatas merces, aut quæ inde exportantur, profiteri apud eos neceſſe eſt, qui à Rege portorium conduxerunt.

Sed nec plebis ſuperbia acerbior peregrinis quam in Patricios ſuæ gentis exerta eſt, qui opulentiam ſuæ patriæ luunt ruſticorum faſtidio, ſeipſos penè primis ordinibus ſtirpibuſque æquantium; & indignationis ſuæ tam pretioſam cauſam odiſſe interdum non verentur.

Summa tamen apud omnes nobilitatis reverentia: quam intra brevem eorum numerum æſtimant, quos Dominos vocant. Hi ſunt Duces, Marchiones, Comites, & Barones: Ducium & Marchionum omnes liberi, ex Comitum filiis major natu. Illis quoque Epiſcopos Majorum pietas adjunxit. Apud hos Proceres ad omnia obſequia deſcendere non indignum, & ipſi velut in terram poſitos contemplantes ſuum faſtigium non ignorant. Nec illæ dignitates emptionis commercio producuntur in vulgus nummorumque fortunam: ſed ſucceſſionis ſerie tranſeunt in hæredem;

vel

Digitized by Google

vel beneficio Regis, novi quoque Optimates in hos *gradus* adoptantur. Et ne hoc inane exiſtimes decus: multa publice conſtituta tam ambitioſo nomini reverentiam cultumque conciliant. Si contigerit æri alieno impares eſſe, urgentibus creditoribus in eorum corpora nullum jus eſſe poteſt, quamquam in Anglia debitores etiam in judicium non vocatos ſæpe carcer accipiat. Sed hoc illuſtrius, quod maximorum criminum accuſati, ſcilicet, in ipſam rempublicam iniiſſe conſilia, de equuleo ſecuri ſunt. Veritatem ab iis per tormenta poſſe exprimi noluere qui leges condiderunt.

Anglis ut plurimum gravis animus, & in ſe velut ad conſilium ſeductus; ſeipſos, & ſuæ gentis mores, ingenia, animos, eximie mirantur: Dum ſalutant, aut ſcribunt, deſcendere ad verba imaginariæ ſervitutis quæ iſtorum ſeculorum blandities invenit, niſi forte externis moribus imbuti, non ſuſtinent. Populus rei maritimæ ſtudioſus; neque aliud tantæ *Inſulæ validius munimentum* quam tot nautarum ſedulitas. Nec in caſtris quam navibus pejor miles, præſertim ſi externo aëri aſſuevit, cibiſque, quos ſæpe inexpertos avidius Angli guſtant. Nam hæc gulæ incommoda à Britannia delatas legiones non ſemel abſumſerunt, & [1] claſſem Elizabethæ Reginæ auſpiciis Luſitaniæ littoribus applica-

1 *Claſſem Elizabethæ Reginæ auſpiciis Luſitaniæ littoribus applicatam, cum Angli ſtragem hoſtium & vaſtitatem feciſſent, nimius æſtus & ſuavitas pomorum, ac baccarum, quas illa plaga habet, pene totam debellavit.*] Non ſemel Angli talem expeditionem tentaverunt. Cauſa belli hæc fuit: Cum Luſitani magnam in Africa cladem à Saracenis accepiſſent, cæſo ibi cum flore Luſitanæ nobilitatis Rege Sebaſtiano, qui anno ætatis 24. ad Muleium regno ejectum, armis reducendum, glorioſam magis quam utilem expeditionem ſuſceperat anno 1578. Huic Cardinalis Henricus, qui illius frater, grandis jam natu, affectaque valetudine ſucceſſit: & eo mortuo caducam regni poſſeſſionem multis ad ſe trahentibus Philippus Hiſpaniæ rex adiit anno 1580. Tum Antonius Portugalliæ Princeps auxiliatrices turmas ab Anglis petiit, quibus recuperare amiſſum regnum poſſet. Audiit haud illibenter Elizabetha ſupplicem, utpote quæ jam pridem vindictam in Hiſpanos ob appetitam Angliam moliretur. Hæc prima Hiſpana claſſis quanto nunquam apparatu in Angliam invecta, partim naufragio, partim Draci, Anglicani Ducis, maritimæ rei ſcientiſſimi, conſiliis & artibus perierat. Antonius Portugalliæ, ex quo Bragantiæ dux, qui regnum nuper recepit,

Digitized by Google

plicatam, cum Angli ſtragem hoſtium & vaſtitatem feciſſent, nimius æſtus, & ſuavitas pomorum, ac baccarum, quas illa plaga habet, penè totam debellavit. Diſcrimina omnia, & adeo mortem, impetu plus quam judicio ſpernunt: Et hinc utiliſſimos militum dixeris, ubi ducum ſuorum conſilio reguntur: Sua autem ſponte ruentes, & illa audaciæ caligine pleni, de ſe ſæpius poſt funeſtos exitus queri quam de fortuna debuerunt. [1] In Belgio cum ſtudia partium nuper & arma ſævirent, milites Hiſpanicarum partium aliquot à Batavis capti erant, & ſuſpendio conficiendi: (ita viſum referre vicem hoſti, qui captivos eodem lethi genere perdiderat.) Sed in omnes ſævire non placuit. Ex quatuor & viginti (tot enim capti erant) octo ad laqueum deſtinantur: cæteris incolumitas promiſſa eſt. Demiſſæ igitur in caſſidem ſortes, juſſique ſinguli ſuum fatum extrahere: qui teſſeram ſuſtuliſſet nulla nota inſignem, periculum effugeret; qui ferali imagine impreſſam, ſtatim ab infelici arbore penderet. Omnium mentibus ingens periculi imago inerrabat; quidam præcipue Hiſpanus votis lachrymiſque miſericordiam

pit, Elizabethæ fretus auxiliis denuo Portugalliam tentat: ſed ſeu fatis invidentibus, ſeu Anglis victoria abutentibus, tandem repellitur. Unde colligitur ut de ſe potius quam de fortuna poſt funeſtos exitus queri debeant.

1 *In Belgio cum ſtudia partium nuper & arma ſævirent, &c.*] Hæc hiſtoria geſta eſt ſcilicet quo tempore Hiſpani cum Anglis ſocietatem armorum inierant: nam poſtquam mota ſunt non ſemel invicem bella quà terra, quà mari; tandem pace initâ Hiſpani auxiliares Anglorum turmas adverſum Batavos, qui ab Hiſpaniæ Rege nunc primum deſciverant, movere cœperunt: ſic autem à Batavis jugum Hiſpanum excuſſum eſt. In Belgio, quod Margareta Philippi fratris nomine gubernabat, ſimiliter ut in Gallia, infeſta Calviniſtarum armis erant omnia. Miſſus ad hanc pacandam provinciam Ferdinandus Albanus dux anno 1567. aſperitate animadverſionis, ac præſertim duorum primariæ nobilitatis comitum, Egmondi, & Hornani ſupplicio Belgas irritavit anno 1568. quo Carolus Philippi Regis Hiſpani filius ex Mariâ Luſitanâ à patre in cuſtodiam datus, ejus mandato neci traditur. Batavi, & Mattiacarum ſeu Zelandicarum inſularum incolæ primi anno 1572. libertatis ſignum ſuſtulere excuſſo Hiſpanorum imperio; quod immodicis exactionibus inviſum reddiderat Albanus. Ad iſtorum fœdus acceſſere deinde civitates cæteræ, & in eandem coaluere rempublicam, quæ fœderatorum ordinum hodieque dicitur; dicto Imperatore Guilielmo Naſſovio Arauſicano, cui ſucceſſit Mauricius filius ille qui Juliacum expugnavit anno 1610. & in deditionem accepit Francicis adjutus auxiliis.

1 *De*

Digitized by Google

diam plurimorum, etiam aliquorum riſum elicuit. Erat in illa ſorte ac periculo Anglus, è militum vulgo, qui ingenti vitæ neglectu acceſſit ad caſſidem, & teſſeram nil cunctatus adduxit: favit ſors; erat illa ſalutaris.

Exemptus periculo accedit ad Hiſpanum, adhuc fatali caſſidi manum credere dubitantem: decemque aureos pactus, (fides Numinis) Judices rogat, ut Hiſpano extra aleam miſſo ſibi iterum liceat fortunam experiri. Furioſo, vitamque tantulis nummis æſtimanti, Judices annuerunt, & is rurſus felici teſſera evaſit: non hac gemina modo, ſed & ſimplici ſalute indignus, quam adeo vilem habuerat.

Leges quibus utuntur Angli, Gallica lingua, ſed veteri, & ab hoc ſeculo abhorrente, ii tradiderunt, quos Normannia ad eorum ſceptrum tranſmiſit. Paucæ illæ etiam, & plerumque ambiguæ. [1] De cætero, conſuetudo & conſulta ſapientum ſufficiunt magno aditu ad lites, & infinitam judicum poteſtatem: & arcanum populi ingenium, tanquam Neuſtricæ originis habitus retinens, ad ſubtilitates apertum eſt, quæ litibus forum implent. [2] Et inde vulgatam fabulam crediderim, ineſſe Anglis caudas.

Conſue-

1 *De cætero, conſuetudo & conſulta ſapientum ſufficiunt magno aditu ad lites, & infinitam judicum poteſtatem.*] Præter leges illas Gallico idiomate, ſed ipſo vetere tunc conſcriptas, cum Guillelmus Dux ope Normannorum Angliam ſibi ſubjecit, habet illa natio ſuas etiam ſibi ſingulares conſuetudines, quarum ductu lites intentant, & Gallico more ad multos annos protrahunt. Certe ajunt inferioris Normanniæ populos ad litigationes eſſe natos, & in hac arte mirum quantum ſolertes: hinc Angli ex his progeniti ad lites ita proni, ut

2 *Inde vulgatam fabulam crediderim ineſſe Anglis caudas.*] Quæritur hic unde illi fabulæ locus, & an aliquando viſi ſint caudati Angli, & κέρκωπες? An quod callidi ſint, & aſtutæ ſimiæ vix diſſimiles? An ex eo quod Juridici caudatis amicti togis forum celebrent, aut quia peritia litigandi cæteros Boreales populos, alioqui ſimplicis indolis, & ad credendum plus æquo facilis anteeant? Anglos appellatos eſſe Cerco-Albionas, & caudatos conſtat quidem; ratio vix ſatis liquet. Narrant aliqui, neque inter anicularum commentitia volunt reputari, quæ D. Thomæ Cantuarienſi Epiſcopo aſſerunt accidiſſe: qui, dum Regis Henrici II. iras fugiens, oppidum Angliæ quoddam peragraret, oppidani venerabilem virum tanto habuere ludibrio, ut illius equi caudam amputarent, cui pius præſul inſidebat. Additque Polydorus Virgilius, rerum Anglicarum ſcriptor ſtrenuus, totam iſtorum poſteritatem caudas habuiſſe in vindictam deriſionis, & liberos eorum in lucem veniſſe Cercopes. Utrum fabula ſit, an res geſta, credas necne, mi Lector, per me licet. Sumitur autem Κέρκωψ pro

callido

Digitized by Google

Conſuetudinum autem ac legum, quæcunque à majoribus inoleverunt, adeo patientes ſunt, ut jam olim ſancitas, rudi adhuc tam peccantium vitio, quam legum ſanctitate, etiam nunc mutare aut delere, religio illis ſit. Unde enim niſi ab hac majorum incauta bonitate [1]lex viget, ut maritus jubeatur prolem agnoſcere, hæredemque habere, anno poſt aut amplius natam, quam ipſe ultimo ab uxore diſceſſerit, modo conſtet interim à Britannicis littoribus in exteras regiones non evectum.

[2] In Philoſophia autem, ac Matheſi, terrarumque & aſtrorum

callido ſimiarum genere, & *Cercus* dicitur, qui aſtutè ſubblanditur, ut de Cæſare Cicero ad Atticum libro 8. *Domitius*, inquit, *ut audio, in Coſano eſt quidem, ut audio, paratus ad navigandum: ſi in Hiſpaniam, non probo; ſi ad Cn., laudo. Quovis potius certe, quam ut Cercum videat.* Cæſarem intelligit, qui mira vafritie graſſabatur, ut omnino acciperet principatum, arridebatque omnibus; & præterquam etiam dictaret ingenium, clementiam præferebat: injurias aut diſſimulabat, aut leniſſimè caſtigabat. Plura Cœlius cap. 59. lib. 16.

1 *Lex viget ut maritus jubeatur prolem agnoſcere, hæredemque habere, anno poſt aut amplius natam, quam ipſe ultimo ab uxore diſceſſerit, modo conſtet interim à Britannicis littoribus in exteras, &c.*] Longe ſequiori ratione tamen Henricus VIII. Angliæ Rex legitur imperaſſe. Is cum Annam Bolenam efflictim deperiret, & hanc ſibi conjugio jungere vellet, fama inſoliti & inceſtuoſi amoris ultra Oceanum pervadens ad aures Thomæ, patris Annæ, qui legati vices obibat in Gallia, tandem pervenit; nec mora, in Angliam revertitur, Regem adit, narrat Annam, quam ſibi Rex optabat in conjugem, hanc illegitimo concubitu ſuam uxorem, dum ipſe biennii legationem obiret in Galliis, ex Rege peperiſſe, ideoque filiam Henrici Annam eſſe, quam non ſine ſcelere poſſet ſibi copulare. Cui Rex, Tace ſtolide, plusquam centum proci tuam conjugem corrupere; ſed ex quocunque ſit, ex te vel quovis alio, hanc meam eſſe volo. Juſſuſque eſt Thomas vel ingratiis in prolem legitimam Annam reputare.

2 *In Philoſophia autem & Matheſi, &c.*] Habuit Anglia viros non paucos omni ſcientiæ laude illuſtres, utque priſca ſecula ſileam, mirata eſt noſtra ætas Thomam Maurum, Cæcilium, & Baconem tres Cancellarios regios, nullius diſciplinæ expertes; quod teſtantur eorum monimenta captum omnem ſuperantia: Alexand. Anderſonius Scotus excelluit matheſi, unde Britannia omnium ſcientiarum olim ſchola fuit, unde emerſere Bedæ, Alcuini, Scoti, qui ſcientiæ aquas plusquam Caſtalias toti Europæ propinarunt. Non pigeat hæc legere ex Polydoro ſupra laudato deprompta lib. 5. Fuit annus Salutis 792. cum duos ferunt monachos ex Hibernia, ſive ex Scotia, ut quibuſdam placet, in Galliam delatos, ſe ſapientiam venalem habere magna voce teſtantes; mercedis loco cibaria, & veſtiaria duntaxat petiiſſe, & iſtorum alterum, qui Clemens nominabatur, à Carolo Lutetiæ retentum, eique ex omni ordine civitatis traditos juvenes in diſciplinam; alterum vero in Italiam tranſire juſſum, ac Ticini docuiſſe. Non nemo id aſſignat quatuor Bedæ diſcipulis, Rabano, Alcuino, Claudio, & Jo. Scoto: ſed utcunque ſe res habeat, ſatis conſtat Anglos primos Lu-

 tetiæ

Digitized by Google

ſtrorum ſcientiis, nulla eſt tam prodigioſa ſententia, quæ non ex hac regione authores invenerit vel turbam amatorum, vividam quidem, ſed modum curioſæ ſubtilitati & per innumeras diſputationes effuſæ non invenientem. [1] Terram circumagi, non cœlum, Solem cum ſyderum lata ſerie non inhærere cœleſtibus globis: ſed & globos ejuſmodi nuſquam eſſe, & quicquid Philoſophi deliraverunt, multi ex his opinantur, aut credere ſimulant: tanquam altius ſupraque vulgi ingenium ſpiraturi, ſi videantur communem ſapientiam ut prophanam vilemque negligere, altius in arcana Naturæ, quæ pauci deprehenderunt, intuentes.

Sed ut nihil animos magis agit, quam religionis ſenſus, ita

tetiæ bonas artes docuiſſe: quandoquidem Alcuinus, & Joannes, cognomento Scotus, imprimis inter Anglos doctiſſimi fuerunt. Erat porro ex Northumbria oriundus Beda. Idem Polyd. Virg. lib. 4. ait Regem Scotorum ad Carolum, qui novas conditurus Academias, ad ſe uſque ab extremis orbis partibus eruditos viros evocabat, Clementem & Joannem homines doctiſſimos miſiſſe. Imo S. Neotus, ſanctitate æque ac eruditione præſtans, author fuit, ut deſtructis à Danis Academiis, Oxonii ludus litterarius aperiretur, quo deinde tantus litteratorum concurſus factus eſt, ut Oxonium meliorum artium recte Athenas alteras dixiſſes. qua de re Polyd. Hiſt. Angl. lib. 4. Fuit & Cantabrigiæ Academia. Sunt autem Angli ſcientiarum & artium amantes, non earum modo, quæ communi uſu ſunt receptæ; verum etiam novarum, quales ſunt,

1 *Terram circumagi, non cœlum, &c.*] Cui opinioni Copernicus dedit initium, dicens Solem in centro mundi eſſe defixum tanquam ipſum centrum mundi communemque rerum patrem; terram vero mobilem eſſe, & non ſecus atque planetas circumagi. Videtur ſuffragari noſter Carteſius in ſua nova Philoſophia. Tichobrahe Danus, & ille Germanus qui nuper librum edidit de novo mundo in orbe Lunæ, quem Cæſari dedicavit. Philoſophia prioribus ſeculis inaudita: quidam enim Neoterici docent alios eſſe mundos hocce vulgari longè elegantiores; & eas in orbe Lunæ maculas, minusque pellucidas partes, quas in illa arguimus, aliud nihil eſſe quam aquas, quæ acceptam lucem non reflectunt: quod autem ſplendidum eſt, terras eſſe, quæ radios Solis excipientes, pallidum iſtud lumen, quod in Luna cernimus, efficiunt, non alia ratione quam noſtræ terræ, quæ Solaribus radiis flagellatæ pari fulgore radiantem lucem exhibent. Sed illa Poëtis relinquenda, qui Nemæum Leonem ex ſylvis Lunæ à Junone novercâ ad perniciem Herculis demiſſum volunt. Et ſunt qui non modo de orbe Lunæ iſtud commenti ſunt; verum de cæteris etiam errantibus, in quarum numero orbem quoque noſtrum recenſent, medium illi inter planetas locum tribuentes, Solis ſphæra in centro mundi conſtituta, eaque immobili. Ajunt ſcilicet planetas non iis ſcintillis ardere, quibus ſtellas fixas firmamenti. *Sed* quem fidejuſſorem dabunt? Oculum? At oculo nimium caliganti nulla fides: repugnatque authoritati divinæ hæc opinio, quæ apud Gentiles ſic invaluit, ut caſtratus à filio Jove Saturnus ideo fingeretur.

1 *Prio-*

ita multo acrius ejuſmodi diſputationibus incumbunt. Nec quicquam in numinis cultu modicum poſſunt, qualemcunque ſibi ſpeciem pietatis perſuaſerint. [1] Prioribus ſeculis aucti opibus homines in ſolitudinem & eremum jurantes; adeo

1 *Prioribus ſeculis aucti opibus homines in ſolitudinem, & eremum jurantes, &c.*], Imo quanti viri fuerint, qui aſceteria condidere docent Analiſtæ, cum ipſimet Angliæ reges & regii principes eremum aulæ prætulerint: teſtis eſt Sebaretus, Rex Angliæ & cum Seby Siſardus filius S. Petri Londinenſis aſcetæ. Etenim vitam monaſticam ad vitæ contemplativæ genus pertinere, nemo eſt, opinor, qui dubitet. Quod enim quidam perfectionis ſtudio à turbis ſive in ſuburbia, ſive rus, ſive in ſolitudinem ſecederent, Monachi dicti ſunt. Hos initio per cellas diſperſos Baſilius aggregavit, & cœnobitica vita informavit, donec in Occidente excitavit Deus Benedictum, qui & magiſtra experientia, & divinitus edoctus ſcripſit regulam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam, à Gregorio Pontifice antea Monacho laudatam, & diſperſam, qui ad Bonitum Caſſinenſem ſcribens ait, pro amore, quem in communem patrem, & magiſtrum noſtrum Benedictum, & in diſcipulos ejus ſpecialem, & ſingularem gerimus. Cumque Gregorii diſcipuli Auguſtinus, Laurentius, Mellitus, Juſtus, Petrus, Paulinus, Honorius Anglorum Apoſtoli è monaſterio Gregoriano tanquam ex ſeminario prodiiſſent, Angliæ Reges, & nominatim Egdarus in Diplomatibus ſuis S. Benedictum communis patris titulo pariter honeſtavit, adeo ut idem Rex gloriaretur ſe quadraginta ſeptem monaſteria condidiſſe, ac ſi Deus vitam concederet, non prius deſtiturum ſe quam ad quinquageſimum ſacrum numerum perveniſſet. Tunc magna pars orbis SS. Monachos, Apoſtolos, & Doctores cœpit venerari: ita nimirum à Romanis Monachis Anglia, ita Germania à Monachis Anglis, totuſque fere Septentrio Chriſtiana ſacra ſuſcepit, ut mirum non ſit, quod paſſim in monaſteriis erectæ Cathedræ Epiſcopales, in quibus præſidere nonniſi Monachis fas eſſet: nam ut nihil dicam de monaſterio cathedrali ſub S. Auguſtino Cantuarienſi, ſub S. Paulino Eboracenſi, Roffenſi ſub Juſto, Londinenſi ſub Mellito, ſub Aidano Lindisfarnienſi, Scherbornenſi ſub Aldhelmo, Wigornienſi ſub Egwino, Wormatienſis quoque Eccleſia ſub S. Ruperto, antequam Juvavii ſederet, fuit monaſterium cathedrale. Quid loquar de pietate Bonifacii, Columbani, & aliorum quos orbis Apoſtolos Anglia olim terra Sanctorum edidit? Quid quod Auguſtino & ſociis ejus debent Angli quod Chriſtiani ſunt? Neque pietatem illam ita deferbuiſſe putandum eſt, quandoquidem aſcetæ Weſtmonaſterii, quos Elizabetha ſibi aſſerere deſtinabat, mori potius quam à fide Catholica deficere elegerant. Audi Alcuinum ſanctitate doctrinaque conſpicuum: *O quam fœlix eſt vita Monachorum, Deo placabilis, Angelis amabilis, hominibus honorabilis! Qui hic fideliter vivit inter homines, haud dubium fœliciter regnat inter Angelos. Hæc primitiva inter Apoſtolos initiavit Eccleſia, quibus omnia communia fuiſſe leguntur, & nemo quid ſuum eſſe dicebat, &c.* Neque ipſe aliter vixit quam docuit cœleſtis doctrinæ ſchola; & converſatio in cœlis eſt vita Monaſtica inquit Baſilius. Porro alendo magno cœnobitarum numero neceſſarii fuere magni reditus: neque alendis ſolum Monachis bona cœnobiis ſunt conceſſa, verum etiam pauperibus nutriendis, quod adeo conſuetum fuit, ut unus è congregatione huic officio præfectus non paucos ad id fundos obtinere priſco de more ſoleat. Nunc ubique penes commendatarios ſumma præcipui reditus eſt, etſi

adeo ut optima pars regni fundorumque huic pietati conceſſerit, nimis timido & periculoſo voto, tam illorum qui dabant, quam eorum quibus hæc ipſa concedebantur; cum illi rempublicam exhaurirent, iſti autem in luxum ſe agi tantæ fortunæ vitio ſinerent, mox in invidiam ſecum quoque ſacra tracturi. Et hanc quidem colendi Numinis rationem jam Anglia publice ejuravit, multi autem ſic in contrarium divertere, ut, quo longius à veſtigiis patrum abſunt, eo ſe propiores cœlo credant. Nec id tamen publico conſilio, aut ſi deprehendi contigerit, palam inulto, ſed eluſis per privatas ſuperſtitiones animis, novamque, ac propriam, & per hoc ſibi gratiorem pietatem fingentibus. Itaque quos hæc cepit ſuperba ſuavitas præter cæteros ſapiendi, [1] in varia nomina abierunt, legeſque diverſas, non ipſa hominum authoritate aut numero, ſed pertinacia ſancitas: & quod miſerabili riſu digniſſimum putes, crudelibus edictis illæ ſectæ invicem ſæviunt: unos ſe cœleſtium rerum participes, exortes cæteros omnes eſſe. Forte in unam ſuperſtitionem conſenſerat cum duobus liberis pater, è plebe vir, ſive vulgus intra opum aut ingeniorum humilitatem æſtimes. Illi tres unam rempublicam ſectamque faciebant, (& ſæpe non pluribus hæ religiones conſtant.) Tandem pervicacius inter ſe de divina re agentibus, deceſſit primum à filiis pater, non quod meliora ſentiret, ſed diverſa: & ab illis de communione ſanctorum (nam ſic nugatores dicebant) ejectus eſt. Porro ſancti non his alii præter ſeipſos erant. Mox autem & diſciſſis mentibus alter fratrum alterum à cœleſti conſortio excluſit. Sic de anguſta eccleſia, & trium hominum numero definita, tres quoque eccleſiæ natæ

etſi vix unquam diſciplina regularis religioſius obſervata fuerit. Sed adire potes S. Chryſoſtomum adverſus vituperatores vitæ monaſticæ libro 3. tom. 4.

1 *In varia nomina abierunt, legeſque diverſas.*] Vix plures Græci ex equo Trojano erupere, quam hæreſes ex Anglia: Nam præter illos quatuor opinionibus diſſentientes, qui è Germania acciti ſunt, revixit etiam ibi Arrianiſmus, viguit Anabaptiſmus, ſed Atheiſmus in primis invaluit: de his conſule *Flor.* Ræmundum lib. 6. ubi de mutationibus religionis in Anglia prolixe agitur.

1 Novæ

natæ ſunt; prodigioſo ſcelere, & in amentiam prono. Nec perfunctorie veſani pro ſomniis ſuis pugnant. [1] Novæ indies ſectæ rapiuntur ad tribunal, in quibus nihil ſimile præter unam contumaciam Judices vident. Fœda, indigna hominibus, ſentiunt. Non ullius præeunte veſtigio errantes, ſibi quid credant authores ſunt: non tormenta perhorreſcunt; non ſalubribus conſiliis aut prudentiæ acquieſcentes, igne quoque conſumpti, ſe ipſi furori ſuo litant.

Jam vero peregrinis cum hoc populo agentibus ingens cautio eſſe debet, ne ex paucis, ac fortaſſe plebeiis, totam gentem æſtiment: ſed neque inſtituenda eſt ratio, qua mores tam diverſos excipiant. Ferox vulgus ubi vino aut ira incaluit, nonnunquam ſuperbiam tumoremque in hoſpitum injuriam vertit: In tanto turbine animorum eos per æmulæ ſuperbiæ contumaciam laceſſere velle, paulo aliquid ſupra dementiæ malum eſſet. Nec tunc quidem tempeſtivum eſt tuam cauſam fidentius orare in ſævo ægroque tumultu; multo minus magnitudinem animi oſtentare defenſionem meditantis. Leni & placido queſtu melius exarmaveris irruentes: ignobiles preces erunt, quibus primum æſtum mitigare conaberis in furorem euntium.

Nam hic torrens, ſi nullo obice irritetur, momento languebit. Et hæc quidem timidæ prudentiæ cautio adhibenda, ubi in oppidis agriſve multitudo in advocationem eorum

1 *Novæ indies ſectæ rapiuntur ad tribunal.*] Quamvis omnis religio præter Romanam ſatis excepta ſit in Anglia, nonnunquam tamen in novatas ſævitum eſt; quippe quod ex quo libertati vivendi ad arbitrium patuit aditus, ingens ſectarum inter ſe pugnantium multitudo ibi pullulavit. Noviſſima omnium fuit Jacobi Naylord, & ſociorum, quos *Quaquertios* nuncupant. Ajunt ſe à Deo miſſos ad abſolvendum & perficiendum opus Dei; & eodem modo eductos eſſe de patria, quo olim Abraham, ſignatum ſuper nos lumen ab ipſo ortu ſufficere ad ſalutem illorum, qui hoc ſequerentur: & eos qui carent Euangelio, principia rectæ vitæ in ſe habere ad æternam ſalutem ſufficientia. Addunt mentem cujuſvis expertem nævi à Deo ſe obtinuiſſe; ſacrum autem baptiſmatis lavacrum non eſſe præceptum divinum. Mentiturque ſe Meſſiam Jacobus iſte Naylord, & Matthæus Thomas Agnum Dei. Ducunt ſecum ex utroque ſexu Apoſtolos, qui ſe omni ſpurcitie contaminant. Pſeudo-Meſſiæ nuper perforata eſt lingua præter flagrum & carcerem.

eorum qui in te primi deſæviunt; aut concurrit, aut timeri certe poteſt. In ſolitudine autem, & ubicunque non impari certamine potes ingruentes refutare, tunc exercenda eſt, ſaltem ad ſpeciem, vis animi contumelias non ferentis; qua terrebis non vera virtute inſultantes, & injuriam pati tam idoneus quam inferre. Magiſtratus porro, ac judices, peregrinorum queſtibus faciles, haud multam popularium in illos injuriam ire ſinent; ſi modo non peccaverit multitudo, quam accuſari pronum, plecti autem ubique difficile, &, ut plurimum, nefas. Et adeo hoſpitalia tribunalia in ea gente erecta ſunt; ut, ſive externus actor ſit, faventes judices habeat; ſive uno crimine cum indigena reus, cive ad virgas furcamque deſtinato; ipſe interdum nihil acerbius jubeatur quam à Britannia excedere. Patriciis quoque animus ad excipiendos peregrinos ſponte factus; & famam illius comitatis cum honeſto ambitu quærunt; ut neminem poſſit peregrinationis Britannicæ pœnitere, niſi averſis incultiſque moribus in barbariem natum, aut indignum qui Optimatum conſortio miſceatur. Cum his tamen, qui ſui faſtigii gravem cultum ipſo geſtu atque verbis magnifice adornant, ex adverſo componendus eſt gradus ad certamen majeſtatis; ne te forte aut ex ſua gravitate, aut ex tua oratione æſtiment, quæ non Italicæ Gallicæve humilitatis more demittenda eſt. Evileſces alioquin apud homines non aſſuetos huic generi humanitatis per alternas blanditias mentientis.

[1] Britannia in Septentrionem excurrente, Angliam Scotia excipit, inclyto ſceptro ſupra fidem & ætatem Regnorum

1 *Britanniâ in Septentrionem excurrente Angliam Scotia excipit.*] Scotia amne Tueda, & Sobæo ab Anglia diſcreta plagas habet ad Auſtrum maximè tam fœlices, ut ferant campos Elyſios ibi extitiſſe, adeo amœnus & gratus eſt loci genius omni genere opum prætterquam in montibus affluentis, & ingenia ad humanam ſocietatem exculta; quanquam præceps ad omnia animus, & quærendis opibus aptior quam ſervandis. Hæc Borealis eſt reſpectu Angliæ, cum qua inſulam triquetram efficit tantæ capacitatis ut quæ maxime. A ſylva dicta eſt Caledonia. Caput regni Edimburgum. Glaſco & Santandreum Archiepiſcopales urbes ſunt, quibus ſubſunt Epiſcopales tredecim.

1 Cer-

Digitized by Google

rum cæterorum: quippe viginti jam ſeculis ſui imperii fortunam in unius familiæ hæreditatem ſervavit. [1] Centum & octo Reges à primo Ferguſio in Jacobum Britannicum numerantur; qui tot Regibus Anglicam nobilitatem addens, nunc primum uno imperio omnes Inſulæ partes junxit.

Scotis animus ad humanæ conſuetudinis culturam facilis: corporis habitus ſupra multas gentes: cæteraque cum Gallis communia, præter ſoli ubertatem. Nam [2] regio ad Septentrionem porrecta, nec frumento ubique idonea, multis locis ſteriles montes habet, neque illos ſaltem nemoribus indutos, præterquam ea plaga quæ horridius in cœlum exurgens, ſylveſtre & barbarum cognomen incolis ſuis fecit. Fortiſſimæ tamen genti multum cibum, de avium, ferarumque, armentorum etiam, & gregum frequentia, natura paravit. Trecentorum cervorum aut amplius agmen videre non inſuetum. Multo plures incolarum induſtria cogit ad venantium procerum voluptatem. Neque ex patriis bonis deſunt, quæ advectis exterarum gentium mercibus ad neceſſarios uſus permutent. Sed inopiam æris nullo artificio emoliuntur. Sic in patria facillime degentes, etiam numeroſis clientibus graves; non in exteris locis ſimili cultu, & fortunæ ſuæ pari, vivere poſſunt. Nulli tamen magis memores ſuæ ſtirpis, adeo ut familiæ decus malint interdum ſua paupertate fœdare, quàm ſupprimere intem-

1 *Centum & octo Reges à primo Ferguſio ad Jacobum Britannicum numerantur.*] Jacobus iſte fuit Mariæ Stuartæ, & Comitis Lenoxii Regum Scotiæ filius unicus, qui ſub Iſabellæ Reginæ ala educatus eidem ſucceſſit, & uni imperio omnes totius inſulæ toto orbe illuſtriſſimæ partes junxit, & adjacentes adjecit Orcadas, & Hebtides magno numero inſulas. Succeſſit, inquam, Sceptro Britannico, jure ſane legitimo; ſiquidem ex Henrico Septimo per Margaretam Scotiæ Regis conjugem ſtirpem ſuam deducebat.

2 *Regio ad Septentrionem porrecta nec frumento ubique idonea, multis locis ſteriles montes habet, neque illos ſaltem nemoribus indutos, præterquam ea plaga quæ horridius in cœlum exurgens ſylveſtre & barbarum cognomen incolis ſuis fecit.*] Vocant Scoti incolas iſtos ſylvarum & montium *Hilander*, qui, ut audivi à Scoto, ſine lare, ſine ſede errantes per ſylvas & montes, humi cubant operti gauſape & hyeme ſuper nives altas ſomnum nocturnum capiunt, hac in re Scythis ipſis ſimiles, à quibus Scoti & genus & nomen habere non pauci aſſeverant, qui vix ac ne vix quidem ab eorum moribus degenerant.

tempeſtivos titulos, & ſuæ cognationis parumper oblivisci. Nam in regione, virorum fœcundiore quam frugum, [1] neceſſe eſt clariſſimi ſanguinis multos in egeſtatem naſci: quibus per diverſa terrarum quærentibus opes (nec alii fide, aut induſtria præcellent) & ad præconia ſuæ nobilitatis obſtinatis, ſæpius audientium riſus, quam lachrymæ & fides acceſſit.

Ipſam autem regionem, in ſe quoque animoſam, paſſim inimicitiæ exercent, ſupra fas humanitatis aut odii etiam ſævæ. Quippe per familias & cognomina diſcreti, ſuarum gentium Principes habent, illos qui in antiquiſſimam familiæ hæreditatem ſucceſſerunt. Eos ita obſervant, ut vix patriæ charitas major ſit; & ad ipſos læſi confugiunt, patrocinio viribuſque ſuæ familiæ uſuri. Ita ſæpe modica jurgia, & inter obſcuros, magnis & indignis motibus ſuffecerunt; dum utrimque jurgantes apud illos ſuæ gentis Principes dequeſti, privatas contumelias in ipſarum familiarum injuriam vertunt. Neque rem modico ſanguine peragunt: Interdum in agmen & veluti aciem coacti deſæviunt, & inſita inimicitiarum vis in hæredes quoque abit. Cædem cæde repenſare decorum; incendia alternis ignibus vindicant: Nec aperto tantum Marte; inſidiis, fraudibus agunt. Nihil turpe aut ignobile, ſananti oculos inimicorum malis. Et hæc peſtis ſæpe Optimates evertit: ſive inter ejuſmodi arma extinctos, ſive frequentiam ſtipatorum (nam ſuſpectam vim inimicorum ita ſubmovere neceſſe eſt) fere inopia di-

1 *Neceſſe eſt clariſſimi ſanguinis multos in egeſtatem naſci, quibus per diverſa terrarum quærentibus opes, &c.*] Et hoc habet ſingulare Scotia, primum quod nemo velit à nobilitate ſua exercitio alicujus artis mechanicæ vel mercaturæ degener eſſe, malitque in egeſtate eſſe, & victum in externis quærere regnis, quam indignum ſuo genere ſe præſtare: hinc alii Hiſpanis ſe dedere, alii ſub Galliæ regibus merere. Unde enim illa antiqua, & quæ à Ludovico nono incepit circa Reges Franciæ Scotorum indefeſſa cuſtodia? Deinde quod nemo affinem ſuum & cognominem non agnoſcat, quolibet mutuum ſuis præſtante obſequium, & ipſis in ſtirpe principibus inferiores opibus vel clientelà protegentibus: inde conflatæ nonnunquam breviſſimo temporis intervallo turmæ, v.g. Amiltonum tam unanimi conſenſu pugnantium, ut trecentos Fabios diceres adverſus Vejentes in certamen coëuntes.

1 *Muſa*

diſtractiſque fundis luentes: Etiam quod ut plurimum regio arboribus caret, quidam putant illorum odiorum facinus eſſe, dum adverſis facibus inimicorum ſylvas cremant, & privatis injuriis vaſtitatem patriæ faciunt. Sed hęc olim deflenda dolentius, cum indies iſta arma ſævirent. Nunc placidis rebus, quam ſentire meliora, tam licet augurari. Quanquam enim tantum nefas ſubmovere non fuit in veterum Regum manu, proceribus fide clientum numeroque ferocibus: tamen patriæ ſuæ hoc demum Jacobus Britannicus beneficium dedit. Is cum adhuc uni Scotiæ imperaret, hanc publici mali cauſam habuit in præcipuis regni curis. Sed pigebat illi peſti per partes, & plerumque inutili ſolicitudine, occurrere; nec enim poterat ullis jurgiis vera pax ſtatui, niſi ſimul omnia componerentur, cum exempla ejuſmodi criminum, illiſque venia, neceſſitate temporum frequens, omnes ſolicitarent ad parem audaciam, ſaltem ne timidas aut degeneres iras geſſiſſe viderentur. Semel itaque & in perpetuum placuit hęc odia aboleri.

Ipſe Rex eorum rationem inivit, quorum familię & rixę eminebant. Precibus, & authoritate fractos, partim per ſe, partim per Senatus ſui delectos, ita reconciliavit, ut vix amplius in tota Regione tam aſſueti facinoris acerbitas nominaretur: Ingens opus, nec à ſapientiſſimo & diligentiſſimo Rege, niſi multo tempore & mira felicitate, abſolutum. Jam biennium erat ex quo pacaverat Scotiam, cum ad Angliæ ſucceſſionem vocatus eſt: ingenti auſpicio ad hanc novam Scotorum ſanitatem; quippe tot viribus auctum Regem nunc vero & ſalubri metu colentium.

Scotis præceps ad omnia animus quæ ſpes ſemel perſuaſit, cui maxime credunt: Iracundia in promptu, ſed quam facile poſt primos impetus mitigant. Quærere opes, quam ſervare, meliores: Sive quod indoles fortuna ſua major inconſultæ liberalitatis impetu laborat, amatque opulentiæ famam; ſive patriæ more decepti, ubi ad nummos pervenerint, qui in Scotia felicitati ſufficerent, jam de inopia

ſunt ſecuti, neſciuntque in unaquaque regione cum auri argentique frequentia ſumptus quoque & rerum precia convenire, ut nec facile ingens pecunia quæri poſſit niſi ubi effuſiſſime ſolet expendi. Animi illis in quæcunque ſtudia inclinant, mirifico ſucceſſu inclyti, ut nullis major patientia caſtrorum, vel audaciæ pugnæ, & [1] Muſæ nunquam delicatius habeant quam cum inciderunt in Scotos. Etiam urbanis negotiis pares, ad omnis fortunæ vitæque genera ſuam induſtriam aptavere. Vagis porro, nec ex dignitate peregrinantibus, adeoque non alia nitentibus ope quam ut ſuæ gentis hominum, qui in externis regionibus ſibi divitias peperere, ineant domos, exigantque veluti patriæ vectigal, nihil eſt ſuperba mendicitate deterius.

[2] Inſulæ Britannicæ plagæ vicina, ſub eodem Imperio, Ierna antiquis, mox Hybernia appellata, ſpatiis ingentibus diffun-

1 *Muſæ nunquam delicatius habeant quam cum inciderunt in Scotos.*] Ad omnem humanitatem cum nati ſint Scoti, quid mirum ſi humaniores litteras ſponte amplectantur, & Muſas non raro in ſecretum admittant. Teſtatur hoc volumen Poëtarum Scotorum, qui quales, & quanti ad has artes nati ſint, ipſe Jo. Barclaius gente Caledonius, & pater illius Guillelmus œſtro ſuo Poëtico & alii quam ſæpe probarunt! nam quod ad ſublimes ſcientias habent Bedam Venerabilem, habent Alcuinum, Joannem Scotum, & alios quibus recenſendis prolixior ſim, quare vela contraho.

2 *Inſulæ Britannicæ plagæ vicina ſub eodem imperio, Ierna antiquis, mox Hybernia appellata.*] Hæc inſularum circumjacentium primaria fuit inter Oceanum Britannicum, & Deucaledonium ſita, habitata eſt olim à Cantabris, & à Mileſii poſteris gubernata. Quadripartita eſt in Momomiam ad Meridiem, ubi Vaterfordia: Conaciam, in parte Occidentali, in qua Galloucum: Ultoniam, in parte Septentrionali, ubi Armah: Lageniam, in parte Orientali, ubi Dublinum, Proregis ſedes. Habuit olim Hibernia ſuos Reges, & Regulos, donec Henricus ſecundus, Angliæ Rex, totam inſulam in deditionem accepit, Regulorum uſus diſſidiis. Hodieque cum Scotia Regi Angliæ Carolo II. ſubeſt, ideo dictus Magnæ Britanniæ Rex, cujus tituli dignum pietas & virtus efficiant. Hibernis mira eſt cujusvis aëris patientia, & qui deſidiæ amor cæteras gentes emolliit, hæc Hibernos ad bella duravit telluris genio ad armentorum alimenta contentos. Sunt Religionis avitæ tenaces, & Hiſpanorum morum æmuli, ad quos genus referunt ſuum: ſunt in bello ſtrenui, & fortes, in Dialecticæ argutiis verſuti, fidentes animi, pertinaces, ad pericula celeres, modo adſit vindicta, præcipites. Demum feroces, nec ſatis humanos expertus ſum. Familiæ nobiliſſimæ ſunt Obrieni, Onelli, Odonelli, Oſullinani, Odriſcoti, Giraldini, quorum primi pro patriæ libertate fortiter pugnavere, maxime Morganus, Terlacus, & Mortagus Obrieni. Nullum ibi animal moleſtum, ne aranea quidem aut rana, quæ aliunde allata ibi emoritur.

1 *Ampla*

diffunditur; navibus commoditate portuum facilis, neque ex quorundam incolarum illuvie æſtimanda. Quippe multa felicitate colonos ex Anglia Scotiaque invitat; humenti quidem cœlo, ſed ſalubri; & quod animalia veneno infeſta impune non hauriunt. Lacerti bufoneſque ibi delati non vivunt. Exportatæ arbores nullo ſitu concipiunt vermes, aut incuria araneas admittunt; quamquam & ſuas Hyberni araneas, ſed illas innoxias, habent. Weſtmonaſterii ampla ſedes, ubi jus litigantibus dicitur, ex illis ſylvis trabes accepit, & effecta multa arte tabulata. Mirum dictu; araneis circum parietes pendentibus, vix ligno tam ſordidæ texturæ filamenta adhæreſcunt.

Hybernis, qui ab oppidis cultuque receſſerunt, mira cujuſvis aëris cibique patientia, paupertatis longo uſu. Victu parabili, ſemicruda fera, vel bove, ſatiant famem; cibum temperant lacte: fragiles domos ad altitudinem hominis excitant, ſibi pecorique communes. Et hoc in illa gente mirum: Amor deſidiæ reliquas gentes emolliit; Hybernos duravit ad bella. Quippe per ignaviam fertiles campos illis colere, ac ſerere, pene ignotum. Pabulo, & telluris genio ad armentorum alimenta, contenti ſunt. Artificia quoque non exercent, tanquam maculantia nobilitatem, quam tantopere jactant. Ita turpi ocio exigunt vitam, & incommoda ex ea barbarie frequentia, patientia quam laboribus malunt refellere; tantaque eſt ignoratio deliciarum, ut nec ſentiant mala. Simplici veſte imbrem & frigora tolerant; venatibus ad celeritatem perveniunt, feris parem; feſſis vel nocte deprehenſis humus ſufficit; conteſtoſque nivibus, vel imbre diffluentes, prius ſaties quietis quam cœli injuriæ excitant; pulchra fortitudinis bellique rudimenta, ſi non ex tam fœda ſegnitie. Et has ſordes ne in pace quidem excutiunt, communione Anglorum, vel æmulatione Hiſpanici moris; vitamque tot malis horrentem, veluti curis vacantem, diligunt, improba libertatis ſpecie capti, quæ per diverſas fraudes variis gentibus illuſit. Illis animus ad ſua vi-

tia

tia obſtinatus, labori averſus & per hoc omni frugi; acer ad furtum & prędam, omnemque laborem qui venationem imitatur. Et hęc quidem ignava plebis mala. Optimates ſyncera fide multi, eximios animos dignis ſuo ordine virtutibus excolunt. Etiam qui in urbibus degunt, aut amœnioribus plagis, non mediocri humanitate adornantur. Ita probant; feram illam populi partem, ſua ſponte barbaram, non Inſulæ fato in illa vitia factam eſſe.

CAPUT V.

Germaniæ ritus, & Belgii, cui hodie Germaniæ inferioris nomen.

RHenus flumen ab Alpium radicibus per Belgarum fines Oceano illabens, quam olim incipiebat Germaniam, hodierna imperiorum nominumque mutatione auctam interfluit. [1] Ampla regio, & à Gallia Alpibuſque ad Sarmatas & Pannones pertingens, in diverſos Principes & Reſpu-

1 *Ampla regio, & à Gallia, Alpibuſque ad Sarmatas, & Pannones pertingens, in diverſos Principes & Reſpublicas diſtributa eſt.*] Germaniæ deſcriptionem paucis habes: nam intelligenti pauca. Cæterum Germanorum appellatio antiquiſſima non eſt, utpote quæ à Romanis fluxerit, qui Teutones magnam & populoſam gentem appellavere nomine Germanorum; forte quod Gallis eſſent perſimiles, tum corporum proceritate, tum vivendi ratione, & ab affectu germano; neque Allemanorum vetuſtior eſt appellatio, forte à Lemano lacu. Olim Germania Rheno, Danubio, & Ponto Euxino claudebatur; deinde brevioribus eſt ſpatiis circumſcripta. Demum, ex quo Carolus Magnus Imperator creatus eſt, Germania imperii Romani ſedes fuit. Porro Imperator ante inaugurationem Cæſar & Rex Romanorum appellatur: cujus eligendi jus eſt penes Septemviros Electores, quorum tres ſunt Eccleſiaſtici, quatuor Laici. Præter hos alii Principes ſunt cum Eccleſiaſtici, tum Laici; & urbes imperiales, quibus omnibus caput eſt Imperator. Electores ſunt Archiepiſcopi Moguntinus, urbs primaria Moguntia ad Confluentes Mœni, & Rheni. Trevirenſis, cujus ſedes eſt Vitelliaci; Spirenſem Epiſcopatum etiam ad Rhenum poſſidet. Colonienſis, & ipſe Leodienſis, Paderbonenſis, & Minenſis Epiſcopus, Veſtphaliæ Dux; Bonna vero ſedes illius. Laici ſunt Boëmiæ Rex, ubi Praga; ſubſunt autem Sileſia, & Uratiſlavia; deinde Moravia, & Luſatia. Palatinus Rheni, ad quem ſpectabat quoque Palatinatus Bavariæ; nunc ad Bavariæ Ducem attinet, ſicut & Electoris dignitas. Monachium caput eſt Bavariæ. Dux Saxoniæ circa Albim, & ipſe Marchio Miciniæ, ubi Lipſia, Lantgravius Turingiæ, ubi Vimaria. Caput autem regionis Erfordia. Tenet præterea Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, & Epiſcopatum Halberſtatenſem. Demum Marchio

Reſpublicas diſtributa eſt. Olim ſylvis & incolis fera, nunc oppidis paſſim inſignis: nemoribus quoque, quibus immenſis

Marchio Brandeburgicus, cujus eſt nova & vetus Marchia, ubi Brandeburgum & Francofurtum ad Oderam. Sedes eſt Berlinum. Tenetque partem Pruſſiæ trans Viſtulam tanquam feudum coronæ Poloniæ. Alii principes Eccleſiaſtici ſunt: Salisburgenſis Archiepiſcopus inter Bavariam, & Auſtriam: Herbipolenſis Epiſcopus in Franconia; & in eodem tractu Bambergenſis Epiſcopus. Bremenſis Archiepiſcopus, & Fuldenſis Abbas. Et Laici Archidux Auſtriæ, unde pendent Stiria, Caniſia, Carinthia, Carniolla, Croatia, præter regnum Boëmiæ, Lantgraviatum Alſatiæ, Comitatum Feretanum, Archiducatum Oenopontenſem, Tirolenſem Comitatum, &c. Dux Luneburgenſis, & ipſe Brunſvicenſis. Dux Pomeraniæ, ubi Stetinum: ſed à morte Burgiſlai ducatum tenent Sueci. Dux Mecleburgicus, cujus ſunt urbes Hanzeaticæ Lubecum, Roſtocum, Wimarum. Dux Holſatiæ: Dux Lauemburgicus, ad Albim. Princeps Anhalpinus: Dux Neoburgicus, cujus eſt Ducatus Juliacenſis, ubi Juliacum, & Aquiſgranum prope Belgium, præter Ducatum Montenſem. Lantgravius Haſſiæ: Marchio Badenſis: Dux Witemburgicus, qui tenet magnam partem Sueviæ. Neque omittendi Mansfeldiæ comes in Saxonia ſuperiori, Comes Naſſovienſis ultra Rhenum, juxta Colonienſem agrum. Dux Bipontinus, cis Rhenum, inter Lotharingiam, Alſatiam, & Palatinatum. Denique urbes multæ ſunt principes, quæ nullum agnoſcunt præter Imperatorem ſupremum dominum, alioqui ſui juris; aliæ dicuntur Imperiales, aliæ Hanzeaticæ; hæ ad littus maris poſitæ ſunt, à quo nomen ſortitæ; illæ per Germaniam diſperſæ. Imperiales præcipuæ ſunt Ulma in Suevia, Auguſta Vindelicorum, Ratisbona, Norimberga, Argentoratum, &c. Hanzeaticæ Hamburgum in Holſatia ad fluvium Albim: Stetinum in Pomerania: Brunſvicum, Magdeburgum, Anticum in Pruſſia, Polonica, &c. Porro ſupradicti Principes omnes ad quoſdam circulos ſeu conventus Imperiales revocantur, ubi ſingulorum Principum diætæ celebrantur. Primus eſt Franconiæ. 2. Bavariæ. 3. Auſtriæ. 4. Sueviæ. 5. Halſatiæ. 6. Electorum ad Rhenum. 7. Veſtphaliæ. 8. Saxoniæ ſuperioris. 9. Saxoniæ inferioris. 10. Boëmiæ cum adjacentibus. Fuit olim & Burgundiæ. Ad Germaniam olim ſpectavere Helvetii moribus ſane Germanicis, poſiti ſunt intra Rhodanum, Rhenum, & lacum Lemanum ad Alpes; dicuntur autem confœderati, quod ab anno milleſimo quadringenteſimo, excuſſo Imperatoris jugo, ſui juris eſſe cœperunt, & in unam coire remp. democraticam, quæ tribus membris conſtat; primum eſt Helvetiorum, 2. Confœderatorum, 3. Stipendiariorum. Helvetii diſtinguuntur in tredecim pagos, in quibus octo ſunt urbes. Conventus fiunt aquis Helvetiis, Badam dicimus. Confœderati ſunt Abbas S. Galli; Valeſii, qui à fontibus Rhodani ad Lemanum lacum porriguntur: His præeſt Epiſcopus Sedunenſis: Rhæti, ſub quibus eſt Valliſtelina. Stipendiariorum ſunt oppida, Locarnen, & Belliſona. Totam Germaniam religio multiplex ab uno ſæculo diviſit. Caput omnium Joannes Hus, qui cum infeſtaſſet Boëmiam ſuis dogmatibus, ſemen reliquit cæteris ſectis, quæ poſtmodum paſſim pullularunt. Germaniam commendant non modo ſedes Imperii, regionis amplitudo, ſoli ubertas; verum etiam artificum induſtria, argenteæ fodinæ in Boëmiâ frequentes, quidam fluvii ramenta auri volventes, & alius ad Paſſavium gemmas expuens. Ignota genti perfidia, ars bellica notiſſima ſemper fuit.

ſis tegebatur, ad uſum decuſque caſtigatis. [1] Vitem alit, qua in primam excurrit Italiam, ſupraque inumbrantes Rhenum colles, in Pannoniam quoque declinans, & aliquot præterea locis, ubi humus propitiis collibus vel tepore fluminum mitigatur. Multa deinde abiete, in montibus, ſylviſque, frigentis plagæ arena abundat. [2] Penè mediam Iſter interſecat, in Europa fluminum Princeps, maremque alveum

1 *Vitem alit, qua in primam excurrit Italiam, ſupraque inumbrantes Rhenum colles.*] Hinc locus ſuprà Rhenum dictus olim *Bacchara*, quaſi Bacchi ara, inquit Pomp. Mela, propter vitium ubertatem, & vini generoſitatem.

2 *Pene mediam Iſter interſecat in Europa fluminum princeps.*] Is tamen erat, ut ſupra dictum, antiquæ Germaniæ terminus, Danubium vocat Germani, omnium ſine controverſia Europæ fluminum maximum & rapidiſſimum, quippe quod alios innumeros amnes, inter quos ſunt Oenus, *Suavus*, & *Dravus*, in Pontum Euxinum non uno oſtio ſecum devolvit.

Qui centum populos, & magnas alluit urbes,
Euxinum irrumpit bis terno flumine Pontum.

Hic amnis in Fruſtemburgenſi agro ſcaturiens ab Ulmo incipit eſſe patiens navigii. Relicta Ulmo Sueviam interfluit: inde Eſchingenſe cœnobium, cujus Archimandrites ſacri imperii Princeps eſt, & urbem Lauingennam præterlabitur. Ubi Lichus miſcetur Danubio magnitudine non impar, princeps iſte amnis. Bavaros bifariam dividit: nam qui Auſtralem incolunt plagam, Ducatum conſtituunt: qui vergunt ad Boream, Palatinatum. Ducatus rurſum in ſuperiorem, & inferiorem fluminis Iſaræ undis diſtinguitur, qui amnis poſtquam Monachium lambit, octavo circiter ſupra Uratiſlaviam milliari, Danubii aquis immiſcetur. Ab Ingolſtadio uſque Ratiſbonam duos præruptos & minantes montes Danubius interlabitur: Tempe Theſſaliæ diceres, adeo incorruptus eſt aëris tractus, & frequentes aquarum micantium lapſus, apertaque ambulantibus ſpatia. Tertia à Paſſavio leuca in rupem offenditur aquis ſepulta, quam eſſe diſcrimen Bavariam inter & Auſtriam communis fama eſt; quamvis de Oeno flumine id certius aſſeverem. Paulo inferius recedentia juga locum cedunt gratiſſimis vallibus, & aquis Danubii, qui jam ad Gallicam leucam ſe explicat, mox inæqualiter ſinuatur: nam ut prominentia montium reſiſtunt, coëuntes occurſu mutuo arctius aquas fluminis denuo coërcent uſque Lincium, Auſtriæ clavim, nobiliſſimum emporium: ſecus Imperatoriam villam Danubius in ternos alveos abit. Vienna Imperatoria ſedes uno ex tribus alveis abluitur. Poſtea iſte amnis Hungariam ſeu Pannoniam ſic interſecat, ut quæ Aquilonem reſpicit Superior; quæ Notum ſpectat Inferior appelletur. Poſſonium caput urbium ditionis Imperatoriæ videt Danubium infra ſe quatuor alveos diſtinguentem, & inſulis, quæ patulis arboribus conſitæ ſunt, copiam facientem. Comora in extremo maximæ omnium inſulæ poſita, ubi quatuor Iſtri cornua coëunt: omnium remotiſſima eſt urbium, quæ Imperio Germanico ſubjacent: Inde Javarinum, quæ arx unica furori Mahumetano ſubtrahi potuit, & Strigoniam, tum Budam, alluit, ambas venuſtiſſimas, ſed nunc ſub Turcica gementes tyrannide. Hæc olim Hungariæ caput, & Regum ſedes, ab anno 1526. ad Imperium Sultani Solimanni communi omnium luctu acceſſit:

Digitized by Google

alveum in annuorum pontium ruinam attollens. Ripas amnis celebres quidem urbes, ſed paucæ, nec pro fluminis nobilitate, inſigniunt. Rhenus, ¹Albis, & pleriqüe deinde jam ab antiquo celebres fluvii totam quam lata eſt Germaniam permeant. Regio diverſoriis non inculta, qua Alpes

ſit: in declivi collis ſita partem mœnium habet in jugo munitiſſimam; radicem vero Danubii fluctibus obfirmatam. Subjectæ valles omni amœnitate luxuriant. Aëris autem ea eſt clementia, quæ quadrageſimum latitudinis, longitudinis vero quadrageſimum ſecundum gradum decet. Et quotquot ibi ſuperſunt rudera, ſuperbarum molium reliquiæ, ac veſtigia ſunt. Is eſt enim Mahumetanorum genius, nunquam ut domos extruant, aut extructas conſervent, utpote qui omnia precario poſſideant. Hæc urbs Serviæ, & Hungariæ Turcicæ proregis domicilium eſt. Sed unum mentibus ſtuporem injicit miraculum; quod Iſter ab Occaſu ad Ortum aquas ſuas præcipitans ad æſtus meridiani Solis lentius defluat, Budâ, & Taurino relictis, irrigatâque demum Sueciâ, Bavariâ, Auſtriâ, Serviâ, Bulgariâ, Valachiâ. Iſter ſex aut ſeptem oſtiis in Pontum Euxinum labitur, ſexaginta receptis amnibus non vulgaris famæ. Ajunt in Germaniâ totâ Danubium, ab Hungariâ Iſtrum dici, Iſtros Lucanus lib. 4. appellat accolas. Super hunc fluvium Trajanus Nerva pontem miri operis in Mœſiâ conſtruxit, teſte Dione Caſſio.

1 *Albis & plerique deinde ab antiquo celebres fluvii totam quam lata eſt Germaniam permeant.*] Albis Saxoniam perlabitur, & ſupra Hamburgum Oceano confunditur. A Cheruſcis Suevos dividit, inquit Tacitus. Velleius Semnonum, atque Hermundurorum fines præterfluere teſtatur. De eo Lucan. lib. 2.

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos

Albis, & indomitum Rheni caput.

Plin. 5. 14. Oritur ex Boëmiæ montibus, cujus oſtia hodie Thiethmarſi & Wilmarſi tenent. Suſcipit multa flumina Pragenſem præterlabens civitatem, deinde Egram, poſtea Salam, atque Ortellam: demum Hamburgum præterfluens in Oceanum Germanicum vaſto ore evolvitur. Ab undecim fontibus ita nominatur, nam *Elbe* Germanis undecim ſignificat. Ad ripam mulieris effigies humana major pergere ulterius Druſum vetuit. ita Tranquil. Dio. Alii amnes ſunt Viadrus, ſeu Suevus, ab Oderbergo monte, unde fontes in Marcomanniam, ſive Moraviam deducit, appellationem ſortitus. Hic multorum amnium acceſſione auctus Francofordiam Academiâ celebrem præterfluit: & poſtquam Stetinum, emporium nobile pervaſit, Caminum urbem Epiſcopalem tranſit, ubi ingenti lacu effecto in Germanicum Oceanum influit. Viſurgis Variana clade nobilis, ut Paterculus ait: Dioni ὀσίκργος, hunc Ovidius Iturgum videtur appellare,

Decolor infesta teſtis Iturgus aqua.

Ex Haſſia venit, & juxta Mindenſem, Werdenſem, Gotingenſem, ac Bremenſem civitates præterlapſus, Veſeræ nomine notior in Oceanum defertur, ut & Amaſia. Nec ignobilis eſt amnis Viſtula, ultra quem Ptolemæus Sarmatiam Europæam collocat: Iornandes Scythiam: hic Sarmaticis jugis decurrens Cracoviam Poloniæ metropolim alluit, auctuque fluminum vaſtus in trina ſe fundit oſtia: Hinc Gedanum ſive Dantiſcum, nobiliſſimum emporium, præterlabens, Elbingam Prutenici Boruſſorum reguli Academiam, tum Locſtetum oppidum alluit, & trifido amne in Venedicum ſinum effunditur. Sunt & alii complures, nobileſque fluvii: quos inter

1 Rhe-

Digitized by Google

Alpes latus tegunt, totoque Iſtri curſu, & qua *labitur* [1] Rhenus, Mœnuſque, & Moſella, tanti fluminis incrementa: eadem, qua ad Oceanum ſpectat, aut introrſus à præcipua ac publica viarum celebritate divertit, ſqualentibus hoſpitiis, totoque vivendi genere, multum ſui illius genii retinens, quem antiqui ſcriptores notaverunt. Urbes tamen non indignæ ſua fama: foro præcipue compitiſque ad munditiem exactis: porrectis quoque domibus in altum & æquale faſtigium, & fragilem materiam celante pictura.

Interiora ædium non pari artificio ad uſus aptata ſunt. Lectos ſternunt in ſemota ac plerumque obſcura *ædium* parte. Caminis, ut plurimum, non utuntur. *Fornaculas* ad levamen frigoris malunt; quas intextas tricliniorum parietibus pro conditione aëris ignibus complent. ſed hic calor pleriſque advenarum moleſtus eſt, quod & capita inexpertis vaporibus gravet, & illinc in publicum prodeuntibus, laxum corpus, atque omnis auræ impatiens, exhorreat. Præ-

1 *Rhenus, Mœnuſque & Moſella.*] Rhenus ab Cæſare, aliiſque nobilitatus, in capite duos efficit lacus, Acronium ſive Conſtantienſem à Conſtantia ad eum ſita, alterum Venetum ſeu Cellenſem, à Cella oppido. Hinc ad Occaſum oppidum Reyenfelden alluit; eumque tractum uſque Baſileam ſequitur, & Argentoratum lavat: inde multas regiones interluens, multis receptis amnibus Spiram, Wormatiam, Moguntiam pervadit, hinc ad Occaſum converſus Bingium alluit: inde ad Cæciam vergens tergo Confluentia, Bonna, & Colonia relictis, circa initium agri Batavi, qui nunc Clivici juris eſt, ſcindit ſe bifido curſu in diverſa labens apud Lobecum: ita ut pars altera Rheni Arenacum petat urbem Gelriæ primariam, inde Vadam, mox Rhenam, tum Batavodurum decurrit. Jamque Rhenus mutato nomine Lecca dici incipit. Colemburgum, & Vianam prœterlapſus, luſtrataque Schoonhovia in Merovam amnem, priuſquam Moſæ nomen induat, ſe effundit. Pars Rheni altera ad lævam ſe flectit, & Neomagum urbem antiquam prœterfluit; & *Tielam* pergens, Bomeliamque ad lævam relinquens non procul Woricomio Moſam accipit, mox apud Goricomium Lingæ amnis ſegniſſimi incremento auctus Merovæ nomen accipit à Merovæorum arce; quam ubi *prœteriit nobiliſſimam* ex urbe *inſulam Durdrechtum dictam* prælabitur. *Demum receptis* Lecca, & Iſala *Rheni* brachiis Iſelmondam prœterfluens ſub Roterodamo Moſa appellari incipit, ubi recedentibus latius terris, vaſto jam ore Sciedamum, & Vlaerdingam ad dextram relinquit, & paulo poſt miſcetur aquis Oceani. Mœnus nec ipſe ignobilis poſtquam Franconiam, & Francofurtum alluit, in Rhenum coit. Denique Moſella circa fines Lingonum in Celtis oriens Metenſem, & Trevirenſem urbes prœterfluit, mox ad Confluentes Rheno jungitur.

1 *Hyp-*

Digitized by Google

Præterea ſi remittere ignis incepit, hoc genus [1] hypocauſta ingratis odoribus ſpirant, ea maxime in quibus convivantur, ubi expreſſæ confuſæque tot dapium nebulæ exæſtuant; vino quoque, ut illic aſſolet, quam epoto tam effuſo. Neque in hypocauſtis modo, ſed & in cæteris thalamis quoque atque tricliniis, fœda multis Germanorum & confuſa rerum incuria: ideoque advenis in hæc penetralia admiſſis aër gravis.

[2] Immenſa cupiditas potus, jam confeſſo vitio, ideoque magis libero, illam gentem infeſtat. Nec ad voluptatem tantum hæc Thracica libido eſt, ſed in parte comitatis, & pene diſciplinæ. Venalis quorundam Principum gratia pretio tam infami, ſive quærentium comites vitiorum, ſive legatis, adveniſque, hoſpitalem parantium menſam. Nam Germani nulla comitate ſuavius, quam longo nec ſobrio convivio, peregrinos credunt excipere: & tunc veriſſimam ab ipſis hoſpitibus benevolentiam in ſe expromi, ubi mutuis poculis inundari non abnuunt. Id illic ſumma urbanitas, & coëuntibus prima amicitia animis in fœderis locum.

Forte.

1 *Hypocauſta ingratis odoribus ſpirant.*] Unde & Papin. 1. Sylv.
—— *Tenuem volvunt hypocauſta vaporem.* Hinc dictum *hypocauſtum* Latine *vaporarium*, dicitur autem παρὰ τὸ ὑποκαίειν, à ſuccendendo. De hypocauſtis ejuſmodi mentionem faciunt Plinius ad Callum, & Vitruvius, qui appellat *hypocauſim.* Galli *poeſle.*

2 *Immenſa cupiditas potus, jam confeſſo vitio, ideoque magis libero, illam gentem infeſtat. Nec ad voluptatem tantum hæc Thracica libido eſt, ſed in parte comitatis, & pene diſciplinæ.*] Etſi fœdius nihil quam Centaurorum, & Lapitharum more compotare, quæ Thracica libido eſt, unde turpe hoc genus monſtrorum magis quam hominum, tamen inveterata jam à multis ſeculis iſta conſuetudo uſque ad nauſeam perpotandi ita gentem illam occæcavit, ut hodie Germani nuſquam ſuavius & humanius, quam longo ferculorum, & palatitii potus ordine hoſpites ſuos excipi poſſe credant, & tunc certiſſimæ benevolentiæ argumentum ſibi dari, cum convivæ inundari vino non abnuunt. Inde forte nata illa circa religiones incuria, ita ut hanc putent ſanctiſſimam, in eamque jurent, cui ſuus Princeps dixerit ſacramentum. Heic nota cuilibet ætati ſuum eſſe genium; Cæſar enim in Commentariis aſſeverat Germanos fuiſſe abſtemios, ne ſcilicet in bellicis laboribus molleſcerent: *Plus ibi boni mores valent*, inquit Tacitus, *quam alibi bonæ leges.* Et Cæſar: *Major pars victus eorum in lacte, caſeo, & carne.* Item: *hoſpites ab injuria prohibent, ſanctoſque habent, iis domus omnium patent, &c.*

Digitized by Google

Forte ſtipendiarium è Germania militem Tribuni in Gallias, & ipſi Germani, adduxerant, Regi operam ſuam navaturi. Ex his unum vir inter Gallos clariſſimus vocavit ad cœnam, gnarus utique quam precioſum eſſet amicitiæ pignus quod bibendo cum Germanis ſancitur. Itaque hominem largiori potu invitavit ad hilaritatem convivii; crebræ poculorum formæ & bibendi rationes commeabant, cum Germanus, ſive in experimentum benevolentiæ, quam hoſpes præferebat, ſive quod languidum in bibendo certamen averſatus, ſtrenuam victoriam quærebat, laceſſito Gallo præit, exſiccatque ingentis molis ſcyphum: neque Gallus conterritus mirantibus nobis ſurgit, &, Ut ſcias, inquit, te in amicum incidiſſe, non modo conditionem, quam feciſti, non recuſo, ſed ecce & in benigniſſimam litem mutua vice laceſſo. His dictis, poculum primo, in quod erat provocatus, perpetuo ſpiritu haurit: idemque iterum ingeſto mero plenum in hoſpitis gratiam jam tumentibus membris infundit. Delectatus tam prolixi amoris indiciis ille Tribunus, in pedes vix tum patientes oneris ſurgens; Tu vero, inquit, nec putes collocatam in ingratum tantæ amicitiæ operam. Scis non parvam militum manum ſub ſignis meis eſſe. Hos ego totis duobus menſibus in caſtris habebo, veſtro ærario nihil graves (quandoquidem id jam temporum iniquitas abſumpſit.) Stipendium deinde ſi placet, & licebit, perſolvetis. Ad tam grandem unius poculi mercedem tum ſubito quidem horrore ſtupuimus, ſed multo deinde amplius cum promiſſo fides eſſet. [1] Apud hanc gentem aperti mores placent, & qui Baccho libertatis nomen impo-

1 *Apud hanc gentem aperti mores placent, & qui Baccho libertatis nomen impoſuere.*] Tritum adagium eſt, *in vino veritas*, & ὁ οἶνος οὐκ ἔχει πηδάλια, *vinum caret clavo*, propterea quod ebrietas nihil conſulte, neque moderate vel dicit, vel facit: Obruitur enim ratio, quæ clavi vice ſobrios moderatur, & gubernat. Ovid.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile ſuadent;
Illa pudore vacat, Liber, Amorque metu.

Bacchus dicitur Deus libertatis, unde & *Liber* & *Lyæus* & *Lydius* & *Lyſius* appellatus. *Liber* quidem, quia vino uſi libere loquuntur, neque noverunt celare arcana. *Lyæus* vero παρὰ τὸ λύειν τὰ μέλη

impoſuerunt. Omnem ſpeciem reconditi aſtus odere; ſive quod fideliter non tegunt arcana, cum mero ſolvuntur, ſive quod animi in illis corporibus plerumque ſentiunt ſe retuſos, & aciem cæterorum, tanquam in ſe intentam, moleſtiſſimo timore ſuſpiciunt.

Rerum publicarum Magiſtratus, ex civium ſorte delecti, non quidem ſublimis elegantiæ mentem afferunt ad Tribunal, ſed diligentia efficaci inhærent parentum inſtitutis. [1] Faciles autem ad imperantium nutum populi, etiam ſæpe ſuis Magiſtratibus de Religionibus credunt; & vix ſacrorum ritus, quos Princeps Civitaſve probaverit, videas ulla privatorum religione aut pertinacia inquietari. Mala quæ Angliam, &, quamdiu inter hos æſtus luctata eſt, Galliam jactaverunt, hæc miſerabilis incuriæ penè dicam felicitas evaſit. Auſtriam tamen exceperim, ſcilicet penè exeuntem de Germanico cœlo, nec quæ ut nomine, ita priſcorum ingeniorum ſorte excidit. (pars enim Pannoniæ priſcis fuit.) [2] Bohemiam quoque, non hac primum ætate infelicibus

τὰ μέλη τῶν μεθυσκομένων, quod ſolvat curas ebriorum. Unde & λυσομελὴς à Græcis nominatur. Horat. lib. 2. Od. xi.

Dißipat Evius

Curas edaces. Et, *Vino pellite curas.* Tacitus Germanos vocat *lætam bello gentem, ſed minime aſtutam nec callidam, aperientem ſecreta pectoris, atque detectam omnium mentem, & fidei commiſſæ patentiorem.*

1 *Faciles autem ad imperantium nutum populi.*] Etenim quam ſæpe viſi ſunt populi, qui ter & quater ad nutum ſuorum religionem mutaverint. Vidit hoc Saxonia, aliæque Provinciæ, tantus eſt in his populis vel amor Principum, vel religionnm incuria. Non enim politicâ Machiavelli ratione, qui docebat utendum religionibus ſicuti veſtibus, id ab eis præſtitum eſſe putandum eſt, itaque videas totas urbes, imo provincias Lutheranam ſectantes nullis exceptis, aut Catholicam. Non ſic in Gallia, vel Anglia, ſed nec in Auſtria, quæ quaſi à Germania recedens vicinos mores induit.

2 *Bohemiam quoque, non hac primum ætate.*] Longa eſt injuria, longæ ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum. Invaſerant ſcilicet Bohemiam Joannis Hus errores. Iſte langueſcentes aut amentes Wiclefi opiniones poſtliminio revocans Pragenſem Academiam jurgiis, mox civilibus bellis miſcuerat. Hinc ad arma frequens impetus, tandem Pragæ Optimates è ſumma arce ab Huſſitis per feneſtras præcipitantur. Fuere enim Joannis Hus cineres, poſtquam in concilio Conſtantienſi igne abſumptus eſt, quaſi ſemen longe aliarum controverſiarum, rixarum, bellorum. Mox Ziſca Taboritarum Rex fictitius multo ſævius debacchatur, nec jam cum ipſis poteſt Huſſitis convenire. Eſt Boëmia Germaniæ quaſi umbilicus; moribus tamen diverſis, neque candidis, ſed tumentibus, ac turbulentis, & cedere neſciis.

Digitized by Google

ſunt ſecuti, neſciuntque in unaquaque regione cum auri argentique frequentia ſumptus quoque & rerum precia convenire, ut nec facile ingens pecunia quæri poſſit niſi ubi effuſiſſime ſolet expendi. Animi illis in quæcunque ſtudia inclinant, mirifico ſucceſſu inclyti, ut nullis major patientia caſtrorum, vel audacia pugnæ, & [1] Muſæ nunquam delicatius habeant quam cum inciderunt in Scotos. Etiam urbanis negotiis pares, ad omnis fortunæ vitæque genera ſuam induſtriam aptavere. Vagis porro, nec ex dignitate peregrinantibus, adeoque non alia nitentibus ope quam ut ſuæ gentis hominum, qui in externis regionibus ſibi divitias peperere, ineant domos, exigantque veluti patriæ vectigal, nihil eſt ſuperba mendicitate deterius.

[2] Inſulæ Britannicæ plagæ vicina, ſub eodem Imperio, Ierna antiquis, mox Hybernia appellata, ſpatiis ingentibus diffun-

1 *Muſæ nunquam delicatius habeant quam cum inciderunt in Scotos.*] Ad omnem humanitatem cum nati ſint Scoti, quid mirum ſi humaniores litteras ſponte amplectantur, & Muſas non raro in ſecretum admittant. Teſtatur hoc volumen Poëtarum Scotorum, qui quales, & quanti ad has artes nati ſint, ipſe Jo. Barclaius gente Caledonius, & pater illius Guillelmus oeſtro ſuo Poëtico & alii quam ſæpe probarunt! nam quod ad ſublimes ſcientias habent Bedam Venerabilem, habent Alcuinum, Joannem Scotum, & alios quibus recenſendis prolixior ſim, quare vela contraho.

2 *Inſulæ Britannicæ plagæ vicina ſub eodem imperio, Ierna antiquis, mox Hybernia appellata.*] Hæc inſularum circumjacentium primaria fuit inter Oceanum Britannicum, & Deucaledonium ſita, habitata eſt olim à Cantabris, & à Mileſii poſteris gubernata. Quadripartita eſt in Momoniam ad Meridiem, ubi Vaterfordia: Conaciam, in parte Occidentali, in qua Galloucum: Ultoniam, in parte Septentrionali, ubi Armah: Lageniam, in parte Orientali, ubi Dublinum, Proregis ſedes. Habuit olim Hibernia ſuos Reges, & Regulos, donec Henricus ſecundus, Angliæ Rex, totam inſulam in deditionem accepit, Regulorum uſus diffidiis. Hodieque cum Scotia Regi Angliæ Carolo II. ſubeſt, ideo dictus Magnæ Britanniæ Rex, cujus tituli dignum pietas & virtus efficiant. Hibernis mira eſt cujusvis aëris patientia, & qui deſidiæ amor cæteras gentes emolliit, hæc Hibernos ad bella duravit telluris genio ad armentorum alimenta contentos. Sunt Religionis avitæ tenaces, & Hiſpanorum morum æmuli, ad quos genus referunt ſuum: ſunt in bello ſtrenui, & fortes, in Dialecticæ argutiis verſuti, fidentes animi, pertinaces, ad pericula celeres, modo adſit vindicta, præcipites. Demum feroces, nec ſatis humanos expertus ſum. Familiæ nobiliſſimæ ſunt Obrieni, Onelli, Odonelli, Oſullinani, Odriſcoti, Giraldini, quorum primi pro patriæ libertate fortiter pugnavere, maxime Morganus, Terlacus, & Mortagus Obrieni. Nullum ibi animal moleſtum, ne aranea quidem aut rana, quæ aliunde allata ibi emoritur.

Digitized by Google

diffunditur; navibus commoditate portuum facilis; neque ex quorundam incolarum illuvie æſtimanda. Quippe multa felicitate colonos ex Anglia Scotiaque invitat; humenti quidem cœlo, ſed ſalubri; & quod animalia veneno infeſta impune non hauriunt. Lacerti bufoneſque ibi delati non vivunt. Exportatæ arbores nullo ſitu concipiunt vermes, aut incuria araneas admittunt; quamquam & ſuas Hyberni araneas, ſed illas innoxias, habent. Weſtmonaſterii ampla ſedes, ubi jus litigantibus dicitur, ex illis ſylvis trabes accepit, & efficta multa arte tabulata. Mirum dictu; araneis circum parietes pendentibus, vix ligno tam ſordidæ texturæ filamenta adhæreſcunt.

Hybernis, qui ab oppidis cultuque receſſerunt, mira cujuſvis aëris cibique patientia, paupertatis longo uſu. Victu parabili, ſemicruda fera, vel bove, ſatiant famem; cibum temperant lacte: fragiles domos ad altitudinem hominis excitant, ſibi pecorique communes. Et hoc in illa gente mirum: Amor deſidiæ reliquas gentes emolliit; Hybernos duravit ad bella. Quippe per ignaviam fertiles campos illis colere, ac ſerere, pene ignotum. Pabulo, & telluris genio ad armentorum alimenta, contenti ſunt. Artificia quoque non exercent, tanquam maculantia nobilitatem, quam tantopere jactant. Ita turpi ocio exigunt vitam, & incommoda ex ea barbarie frequentia, patientia quam laboribus malunt refellere; tantaque eſt ignoratio deliciarum, ut nec ſentiant mala. Simplici veſte imbrem & frigora tolerant; venatibus ad celeritatem perveniunt, feris parem; feſſis vel nocte deprehenſis humus ſufficit; contectoſque nivibus, vel imbre diffluentes, prius ſaties quietis quam cœli injuriæ excitant; pulchra fortitudinis belliquE rudimenta, ſi non ex tam fœda ſegnitie. Et has ſordes ne in pace quidem excutiunt, communione Anglorum, vel æmulatione Hiſpanici moris; vitamque tot malis horrentem, veluti curis vacantem, diligunt, improba libertatis ſpecie capti, quæ per diverſas fraudes variis gentibus illuſit. Illis animus ad ſua vitia

tia obſtinatus, labori averſus & per hoc omni frugi; *acer ad* furtum & prędam, omnemque laborem qui venationem imitatur. Et hęc quidem ignava plebis mala. Optimates ſyncera fide multi, eximios animos dignis ſuo ordine virtutibus excolunt. Etiam qui in urbibus degunt, aut amœnioribus plagis, non mediocri humanitate adornantur. Ita probant; feram illam populi partem, ſua ſponte barbaram, non Inſulæ fato in illa vitia factam eſſe.

CAPUT V.

Germaniæ ritus, & Belgii, cui hodie Germaniæ inferioris nomen.

RHenus flumen ab Alpium radicibus per Belgarum fines Oceano illabens, quam olim incipiebat Germaniam, hodierna imperiorum nominumque mutatione auctam interfluit. [1] Ampla regio, & à Gallia Alpibuſque ad Sarmatas & Pannones pertingens, in diverſos Principes & Reſpu-

1 *Ampla regio, & à Gallia, Alpibuſque ad Sarmatas, & Pannones pertingens, in diverſos Principes & Reſpublicas diſtributa eſt.*] Germaniæ deſcriptionem paucis habes: nam intelligenti pauca. Cæterum Germanorum appellatio antiquiſſima non eſt, utpote quæ à Romanis fluxerit, qui Teutones magnam & populoſam gentem appellavere nomine Germanorum; forte quod Gallis eſſent perſimiles, tum corporum proceritate, tum vivendi ratione, & ab affectu germano; neque Allemanorum vetuſtior eſt appellatio, forte à Lemano lacu. Olim Germania Rheno, Danubio, & Ponto Euxino claudebatur; deinde brevioribus eſt ſpatiis circumſcripta. Demum, ex quo Carolus Magnus Imperator creatus eſt, Germania imperii Romani ſedes fuit. Porro Imperator ante inaugurationem Cæſar & Rex Romanorum appellatur: cujus eligendi jus eſt penes Septemviros Electores, quorum tres ſunt Eccleſiaſtici, quatuor Laici. Præter hos alii Principes ſunt cum Eccleſiaſtici, tum Laici; & urbes imperiales, quibus omnibus capur eſt Imperator. Electores ſunt Archiepiſcopi Moguntinus, urbs primaria Moguntia ad Confluentes Mœni, & Rheni. Trevirenſis, cujus ſedes eſt Vitelliaci; Spirenſem Epiſcopatum etiam ad Rhenum poſſidet. Colonienſis, & ipſe Leodienſis, Paderbonenſis, & Minenſis Epiſcopus, Veſtphaliæ Dux; Bonna vero ſedes illius. Laici ſunt Boëmiæ Rex, ubi Praga; ſubſunt autem Sileſia, & Uratiſlavia; deinde Moravia, & Luſatia. Palatinus Rheni, ad quem ſpectabat quoque Palatinatus Bavariæ; nunc ad Bavariæ Ducem attinet, ſicut & Electoris dignitas. Monachium caput eſt Bavariæ. Dux Saxoniæ circa Albim, & ipſe Marchio Micinræ, ubi Lipſia, Lantgravius Turingiæ, ubi Vimaria. Caput autem regionis Erfordia. Tenet præterea Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, & Epiſcopatum Halberſtatenſem. Demum

Marchio

Digitized by Google

Reſpublicas diſtributa eſt. Olim ſylvis & incolis fera, nunc oppidis paſſim inſignis: nemoribus quoque, quibus immenſis.

Marchio Brandeburgicus, cujus eſt nova & vetus Marchia, ubi Brandeburgum & Francofurtum ad Oderam. Sedes eſt Berlinum. Tenetque partem Pruſſiæ trans Viſtulam tanquam feudum coronæ Poloniæ. Alii principes Eccleſiaſtici ſunt: Salisburgenſis Archiepiſcopus inter Bavariam, & Auſtriam: Herbipolenſis Epiſcopus in Franconia; & in eodem tractu Bambergenſis Epiſcopus. Bremenſis Archiepiſcopus, & Fuldenſis Abbas. Et Laici Archidux Auſtriæ, unde pendent Stiria, Caniſia, Carinthia, Carniolla, Croatia, præter regnum Boëmiæ, Lantgraviatum Alſatiæ, Comitatum Feretanum, Archiducatum Oenopontenſem, Tirolenſem Comitatum, &c. Dux Luneburgenſis, & ipſe Brunſvicenſis. Dux Pomeraniæ, ubi Stetinum: ſed à morte Burgiſlai ducatum tenent Sueci. Dux Mecleburgicus, cujus ſunt urbes Hanzeaticæ Lubecum, Roſtocum, Wimarum. Dux Holſatiæ: Dux Lauemburgicus, ad Albim. Princeps Anhalpinus: Dux Neoburgicus, cujus eſt Ducatus Juliacenſis, ubi Juliacum, & Aquiſgranum prope Belgium, præter Ducatum Montenſem. Lantgravius Haſſiæ: Marchio Badenſis: Dux Witemburgicus, qui tenet magnam partem Sueviæ. Neque omittendi Mansfeldiæ comes in Saxonia ſuperiori, Comes Naſſovienſis ultra Rhenum, juxta Colonienſem agrum. Dux Bipontinus, cis Rhenum, inter Lotharingiam, Alſatiam, & Palatinatum. Denique urbes multæ ſunt principes, quæ nullum agnoſcunt præter Imperatorem ſupremum dominum, alioqui ſui juris; aliæ dicuntur Imperiales, aliæ Hanzeaticæ; hæ ad littus maris poſitæ ſunt, à quo nomen ſortitæ; illæ per Germaniam diſperſæ. Imperiales præcipuæ ſunt Ulma in Suevia, Auguſta Vindelicorum, Ratisbona, Norimberga, Argentoratum, &c. Hanzeaticæ Hamburgum in Holſatia ad fluvium Albim: Stetinum in Pomerania: Brunſvicum, Magdeburgum, Antſicum in Pruſſia, Polonica, &c. Porro ſupradicti Principes omnes ad quoſdam circulos ſeu conventus Imperiales revocantur, ubi ſingulorum Principum diætæ celebrantur. Primus eſt Franconiæ. 2. Bavariæ. 3. Auſtriæ. 4. Sueviæ. 5. Halſatiæ. 6. Electorum ad Rhenum. 7. Veſtphaliæ. 8. Saxoniæ ſuperioris. 9. Saxoniæ inferioris. 10. Boëmiæ cum adjacentibus. Fuit olim & Burgundiæ. Ad Germaniam olim ſpectavere Helvetii moribus ſane Germanicis, poſiti ſunt intra Rhodanum, Rhenum, & lacum Lemanum ad Alpes; dicuntur autem confœderati, quod ab anno milleſimo quadringenteſimo, excuſſo Imperatoris jugo, ſui juris eſſe cœperunt, & in unam coire remp. democraticam, quæ tribus membris conſtat; primum eſt Helvetiorum, 2. Confœderatorum, 3. Stipendiariorum. Helvetii diſtinguuntur in tredecim pagos, in quibus octo ſunt urbes. Conventus fiunt aquis Helvetiis, Badam dicimus. Confœderati ſunt Abbas S. Galli; Valeſii, qui à fontibus Rhodani ad Lemanum lacum porriguntur: His præeſt Epiſcopus Sedanenſis: Rhæti, ſub quibus eſt Valliſtelina. Stipendiariorum ſunt oppida, Locarnen, & Belliſona. Totam Germaniam religio multiplex ab uno ſæculo diviſit. Caput omnium Joannes Hus, qui cum infeſtaſſet Boëmiam ſuis dogmatibus, ſemen reliquit cæteris ſectis, quæ poſtmodum paſſim pullularunt. Germaniam commendant non modo ſedes Imperii, regionis amplitudo, ſoli ubertas; verum etiam artificum induſtria, argenteæ fodinæ in Boëmiâ frequentes, quidam fluvii ramenta auri volventes, & alius ad Paſſavium gemmas expuens. Ignota genti perfidia, ars bellica notiſſima ſemper fuit.

Digitized by Google

ſis tegebatur, ad uſum decuſque caſtigatis. [1] Vitem alit, qua in primam excurrit Italiam, ſupraque inumbrantes Rhenum colles, in Pannoniam quoque declinans, & aliquot præterea locis, ubi humus propitiis collibus vel tepore fluminum mitigatur. Multa deinde abiete, in montibus, ſylviſque, frigentis plagæ arena abundat. [2] Penè mediam Iſter interſecat, in Europa fluminum Princeps, maremque alveum

1 *Vitem alit, qua in primam excurrit Italiam, ſupraque inumbrantes Rhenum colles.*] Hinc locus ſuprà Rhenum dictus olim *Bacchara*, quaſi Bacchi ara, inquit Pomp. Mela, propter vitium ubertatem, & vini generoſitatem.

2 *Pene mediam Iſter interſecat in Europa fluminum princeps.*] Is tamen erat, ut ſupra dictum, antiquæ Germaniæ terminus, Danubium vocat Germani, omnium ſine controverſia Europæ fluminum maximum & rapidiſſimum, quippe quod alios innumeros amnes, inter quos ſunt Oenus, Suavus, & Dravus, in Pontum Euxinum non uno oſtio ſecum devolvit.

Qui centum populos, & magnas alluit urbes,
Euxinum irrumpit bis terno flumine Pontum.

Hic amnis in Fruſtemburgenſi agro ſcaturiens ab Ulmo incipit eſſe patiens navigii. Relicta Ulmo Sueviam interfluit: inde Eſchingenſe cœnobium, cujus Archimandrites ſacri imperii Princeps eſt, & urbem Laugennam præterlabitur. Ubi Lichus miſcetur Danubio magnitudine non impar, princeps iſte amnis Bavaros bifariam dividit: nam qui Auſtralem incolunt plagam, Ducatum conſtituunt: qui vergunt ad Boream, Palatinatum. Ducatus rurſum in ſuperiorem, & inferiorem fluminis Iſaræ undis diſtinguitur, qui amnis poſtquam Monachium lambit, octavo circiter ſupra Uratiſlaviam milliari, Danubii aquis immiſcetur. Ab Ingolſtadio uſque Ratiſbonam duos præruptos & minantes montes Danubius interlabitur: Tempe Theſſaliæ diceres, adeo incorruptus eſt aëris tractus, & frequentes aquarum micantium lapſus, apertaque ambulantibus ſpatia. Tertia à Paſſavio leuca in rupem offenditur aquis ſepulta, quam eſſe diſcrimen Bavariam inter & Auſtriam communis fama eſt; quamvis de Oeno flumine id certius aſſeverem. Paulo inferius recedentia juga locum cedunt gratiſſimis vallibus, & aquis Danubii, qui jam ad Gallicam leucam ſe explicat, mox inæqualiter ſinuatur: nam ut prominentia montium reſiſtunt, coëuntes occurſu mutuo arctius aquas fluminis denuo coërcent uſque Lincium, Auſtriæ clavim, nobiliſſimum emporium: ſecus Imperatoriam villam Danubius in ternos alveos abit. Vienna Imperatoria ſedes uno ex tribus alveis abluitur. Poſtea iſte amnis Hungariam ſeu Pannoniam ſic interſecat, ut quæ Aquilonem reſpicit Superior; quæ Notum ſpectat Inferior appelletur. Poſſonium caput urbium ditionis Imperatoriæ videt Danubium infra ſe quatuor alveos diſtinguentem, & inſulis, quæ patulis arboribus conſitæ ſunt, copiam facientem. Comora in extremo maximæ omnium inſulæ poſita, ubi quatuor Iſtri cornua coëunt: omnium remotiſſima eſt urbium, quæ Imperio Germanico ſubjacent: Inde Javarinum, quæ arx unica furori Mahumetano ſubtrahi potuit, & Strigoniam, tum Budam, alluit, ambas venuſtiſſimas, ſed nunc ſub Turcica gementes tyrannide. Hæc olim Hungariæ caput, & Regum ſedes, ab anno 1526. ad Imperium Sultani Solimanni communi omnium luctu acceſſit:

alveum in annuorum pontium minam attollens. Ripas amnis celebres quidem urbes, ſed paucæ, nec pro fluminis nobilitate, inſigniunt. Rhenus, [1]Albis, & plerique deinde jam ab antiquo celebres fluvii totam quam lata eſt Germaniam permeant. Regio diverſoriis non inculta, qua Alpes

ſit: in declivi collis ſita partem mœnium habet in jugo munitiſſimam; radicem vero Danubii fluctibus obfirmatam. Subjectæ valles omni amœnitate luxuriant. Aëris autem ea eſt clementia, quæ quadrageſimum latitudinis, longitudinis vero quadrageſimum ſecundum gradum decet. Et quotquot ibi ſuperſunt rudera, ſuperbarum molium reliquiæ, ac veſtigia ſunt. Is eſt enim Mahumetanorum genius, nunquam ut domos extruant, aut extructas conſervent, utpote qui omnia precario poſſideant. Hæc urbs Serviæ, & Hungariæ Turcicæ proregis domicilium eſt. Sed unum mentibus ſtuporem injicit miraculum; quod Iſter ab Occaſu ad Ortum aquas ſuas præcipitans ad æſtus meridiani Solis lentius defluat, Budâ, & Taurumo relictis, irrigatâque demum Sueciâ, Bavariâ, Auſtriâ, Serviâ, Bulgariâ, Valachiâ. Iſter ſex aut ſeptem oſtiis in Pontum Euxinum labitur, ſexaginta receptis amnibus non vulgaris famæ. Ajunt in Germaniâ totâ Danubium, ab Hungariâ Iſtrum dici, Iſtros Lucanus lib. 4. appellat accolas. Super hunc fluvium Trajanus Nerva pontem miri operis in Mœſiâ conſtruxit, teſte Dione Caſſio.

1 *Albis & plerique deinde ab antiquo celebres fluvii totan quam lata eſt Germaniam permeant.*] Albis Saxoniam perlabitur, & ſupra Hamburgum Oceano confunditur. A Cheruſcis Suevos dividit, inquit Tacitus. Velleius Semnonum, atque Hermundurorum fines præterfluere teſtatur. De eo Lucan. lib. 2.

Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Plin. 5. 14. Oritur ex Boëmiæ montibus, cujus oſtia hodie Thiethmarſi & Wilmarſi tenent. Suſcipit multa flumina Pragenſem præterlabens civitatem, deinde Egram, poſtea Salam, atque Ortellam: demum Hamburgum præterfluens in Oceanum Germanicum vaſto ore evolvitur. Ab undecim fontibus ita nominatur, nam *Elbe* Germanis undecim ſignificat. Ad ripam mulieris effigies humana major pergere ulterius Druſum vetuit. ita Tranquil. Dio. Alii amnes ſunt Viadrus, ſeu Suevus, ab Oderbergo monte, unde fontes in Marcomanniam, ſive Moraviam deducit, appellationem ſortitus. Hic multorum amnium acceſſione auctus Francofordiam Academiâ celebrem præterfluit: & poſtquam Stetinum, emporium nobile pervaſit, Caminum urbem Epiſcopalem tranſit, ubi ingenti lacu effecto in Germanicum Oceanum influit. Viſurgis Variana clade nobilis, ut Patercnlus ait: Dioni οὐίσουργος, hunc Ovidius Iturgum videtur appellare,

Decolor infecta teſtis Iturgus aqua.

Ex Haſſia venit, & juxta Mindenſem, Werdenſem, Gotingenſem, ac Bremenſem civitates præterlapſus, Veſeræ nomine notior in Oceanum defertur, ut & Amaſia. Nec ignobilis eſt amnis Viſtula, ultra quem Ptolemæus Sarmatiam Europæam collocat: Iornandes Scythiam: hic Sarmaticis jugis decurrens Cracoviam Poloniæ metropolim alluit, auctuque fluminum vaſtus in trina ſe fundit oſtia: Hinc Gedanum ſive Dantiſcum, nobiliſſimum emporium, præterlabens, Elbingam Prutenici Boruſſorum reguli Academiam, tum Locſtenum oppidum alluit, & trifido amne in Venedicum ſinum effunditur. Sunt & alii complures, nobileſque fluvii: quos inter

1 *Rhe-*

Alpes latus tegunt, totoque Iſtri curſu, & qua labitur [1] Rhenus, Mœnuſque, & Moſella, tanti fluminis incrementa: eadem, qua ad Oceanum ſpectat, aut introrſus à præcipua ac publica viarum celebritate divertit, ſqualentibus hoſpitiis, totoque vivendi genere, multum ſui illius genii retinens, quem antiqui ſcriptores notaverunt. Urbes tamen non indignæ ſua fama: foro præcipue compitiſque ad munditiem exactis: porrectis quoque domibus in altum & æquale faſtigium, & fragilem materiam celante pictura.

Interiora ædium non pari artificio ad uſus aptata ſunt. Lectos ſternunt in ſemota ac plerumque obſcura ædium parte. Caminis, ut plurimum, non utuntur. Fornaculas ad levamen frigoris malunt; quas intextas tricliniorum parietibus pro conditione aëris ignibus complent. ſed hic calor pleriſque advenarum moleſtus eſt, quod & capita inexpertis vaporibus gravet, & illinc in publicum prodeuntibus, laxum corpus, atque omnis auræ impatiens, exhorreat.

Præ-

1 *Rhenus, Mœnuſque & Moſella.*] Rhenus ab Cæſare, aliiſque nobilitatus, in capite duos efficit lacus, Acronium ſive Conſtantienſem à Conſtantia ad eum ſita, alterum Venetum ſeu Cellenſem, à Cella oppido. Hinc ad Occaſum oppidum Reyenfelden alluit; cumque tractum uſque Baſileam ſequitur, & Argentoratum lavat: inde multas regiones interluens, multis receptis amnibus Spiram, Wormatiam, Moguntiam pervadit, hinc ad Occaſum converſus Bingium alluit: inde ad Cæciam vergens tergo Confluentia, Bonna, & Colonia relictis, circa initium agri Batavi, qui nunc Clivici juris eſt, ſcindit ſe bifido curſu in diverſa labens apud Lobecum: ita ut pars altera Rheni Arenacum petat urbem Gelriæ primariam, inde Vadam, mox Rhenam, tum Batavodurum decurrit. Jamque Rhenus mutato nomine Lecca dici incipit. Colemburgum, & Vianam præterlapſus, luſtrataque Schoonhovia in Merovam amnem, priuſquam Moſæ nomen induat, ſe effundit. Pars Rheni altera ad lævam ſe flectit, & Neomagum urbem antiquam præterfluit; & Tielam pergens, Bomeliamque ad lævam relinquens non procul Woricomio Moſam accipit, mox apud Goricomium Lingæ amnis ſegniſſimi incremento auctus Merovæ nomen accipit à Merovæorum arce; quam ubi præteriit nobiliſſimam ex urbe inſulam Durdrechtum dictam prælabitur. Demum receptis Lecca, & Iſala Rheni brachiis Iſelmondam præterfluens ſub Roterodamo Moſa appellari incipit, ubi recedentibus latius terris, vaſto jam ore Sciedamum, & Vlaerdingam ad dextram relinquit, & paulo poſt miſcetur aquis Oceani. Mœnus nec ipſe ignobilis poſtquam Franconiam, & Francofurtum alluit, in Rhenum coit. Denique Moſella circa fines Lingonum in Celtis oriens Metenſem, & Trevirenſem urbes præterfluit, mox ad Confluentes Rheno jungitur.

1 Hypo-

Digitized by Google

Præterea ſi remittere ignis incepit, hoc genus [1] hypocauſta ingratis odoribus ſpirant, ea maxime in quibus convivantur, ubi expreſſæ confuſæque tot dapium nebulæ exæſtuant; vino quoque, ut illic aſſolet, quam epoto tam effuſo. Neque in hypocauſtis modo, ſed & in cæteris thalamis quoque atque tricliniis, fœda multis Germanorum & confuſa rerum incuria: ideoque advenis in hæc penetralia admiſſis aër gravis.

[2] Immenſa cupiditas potus, jam confeſſo vitio, ideoque magis libero, illam gentem infeſtat. Nec ad voluptatem tantum hæc Thracica libido eſt, ſed in parte comitatis, & pene diſciplinæ. Venalis quorundam Principum gratia pretio tam infami, ſive quærentium comites vitiorum, ſive legatis, adveniſque, hoſpitalem parantium menſam. Nam Germani nulla comitate ſuavius, quam longo nec ſobrio convivio, peregrinos credunt excipere: & tunc veriſſimam ab ipſis hoſpitibus benevolentiam in ſe expromi, ubi mutuis poculis inundari non abnuünt. Id illic ſumma urbanitas, & coëuntibus prima amicitia animis in fœderis locum.

Forte.

1 *Hypocauſta ingratis odoribus ſpirant.*] Unde & Papin. 1. Sylv.
— *Tenuem volvunt hypocauſta vaporem.*
Hinc dictum *hypocauſtum* Latine *vaporarium*, dicitur autem ἀπὸ τὸ ὑποκαίειν, à ſuccendendo. De hypocauſtis ejuſmodi mentionem faciunt Plinius ad Callum, & Vitruvius, qui appellat *hypocauſim*. Galli *poeſle*.

2 *Immenſa cupiditas potus, jam confeſſo vitio, ideoque magis libero, illam gentem infeſtat. Nec ad voluptatem tantum hæc Thracica libido eſt, ſed in parte comitatis, & pene diſciplinæ.*] Etſi fœdius nihil quam Centaurorum, & Lapitharum more compotare, quæ Thracica libido eſt, unde turpe hoc genus monſtrorum magis quam hominum, tamen inveterata jam à multis ſeculis iſta conſuetudo uſque ad nauſeam perpotandi ita gentem illam occæcavit, ut hodie Germani nuſquam ſuavius & humanius, quam longo ferculorum, & palatitii potus ordine hoſpites ſuos excipi poſſe credant, & tunc certiſſimæ benevolentiæ argumentum ſibi dari, cum convivæ inundari vino non abnuunt. Inde forte nata illa circa religiones incuria, ita ut hanc putent ſanctiſſimam, in eamque jurent, cui ſuus Princeps dixerit ſacramentum. Heic nota cuilibet ætati ſuum eſſe genium; Cæſar enim in Commentariis aſſeverat Germanos fuiſſe abſtemios, ne ſcilicet in bellicis laboribus molleſcerent: *Plus ibi boni mores valent*, inquit Tacitus, *quam alibi bonæ leges*. Et Cæſar: *Major pars victus eorum in lacte, caſeo, & carne.* Item: *hoſpites ab injuria prohibent, ſanctoſque habent, iis domus omnium patent, &c.*

Digitized by Google

Forte ſtipendiarium è Germania militem Tribuni in Gallias, & ipſi Germani, adduxerant, Regi operam ſuam navaturi. Ex his unum vir inter Gallos clariſſimus vocavit ad cœnam, gnarus utique quam precioſum eſſet amicitiæ pignus quod bibendo cum Germanis ſancitur. Itaque hominem largiori potu invitavit ad hilaritatem convivii; crebræ poculorum formæ & bibendi rationes commeabant, cum Germanus, ſive in experimentum benevolentiæ, quam hoſpes præferebat, ſive quod languidum in bibendo certamen averſatus, ſtrenuam victoriam quærebat, laceſſito Gallo præit, exſiccatque ingentis molis ſcyphum: neque Gallus conterritus mirantibus nobis ſurgit, &, Ut ſcias, inquit, te in amicum incidiſſe, non modo conditionem, quam feciſti, non recuſo, ſed ecce & in benigniſſimam litem mutua vice laceſſo. His dictis, poculum primo, in quod erat provocatus, perpetuo ſpiritu haurit: idemque iterum ingeſto mero plenum in hoſpitis gratiam jam tumentibus membris infundit. Delectatus tam prolixi amoris indiciis ille Tribunus, in pedes vix tum patientes oneris ſurgens; Tu vero, inquit, nec putes collocatam in ingratum tantæ amicitiæ operam. Scis non parvam militum manum ſub ſignis meis eſſe. Hos ego totis duobus menſibus in caſtris habebo, veſtro ærario nihil graves (quandoquidem id jam temporum iniquitas abſumpſit.) Stipendium deinde ſi placet, & licebit, perſolvetis. Ad tam grandem unius poculi mercedem tum ſubito quidem horrore ſtupuimus, ſed multo deinde amplius cum promiſſo fides eſſet. [1] Apud hanc gentem aperti mores placent, & qui Baccho libertatis nomen impo-

1 *Apud hanc gentem aperti mores placent, & qui Baccho libertatis nomen impoſuere.*] Tritum adagium eſt, *in vino veritas*, & τὸ οἶνος οὐκ ἔχει πηδάλια, *vinum caret clavo*, propterea quod ebrietas nihil conſulte, neque moderate vel dicit, vel facit: Obruitur enim ratio, quæ clavi vice ſobrios moderatur, & gubernat. Ovid.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile ſuadent;
Illa pudore vacat, Liber, Amorque metu.

Bacchus dicitur Deus libertatis, unde & *Liber* & *Lyæus* & *Lydius* & *Lyſius* appellatus. *Liber* quidem, quia vino uſi libere loquuntur, neque noverunt celare arcana. *Lyæus* vero ἀπὸ τοῦ λύειν τὰ μέλη

impoſuerunt. Omnem ſpeciem reconditi aſtus odere; ſive quod fideliter non tegunt arcana, cum mero ſolvuntur, ſive quod animi in illis corporibus plerumque ſentiunt ſe retuſos, & aciem cæterorum, tanquam in ſe intentam, moleſtiſſimo timore ſuſpiciunt.

Rerum publicarum Magiſtratus, ex civium ſorte delecti, non quidem ſublimis elegantiæ mentem afferunt ad Tribunal, ſed diligentia efficaci inhærent parentum inſtitutis. [1] Faciles autem ad imperantium nutum populi, etiam ſæpe ſuis Magiſtratibus de Religionibus credunt; & vix ſacrorum ritus, quos Princeps Civitaſve probaverit, videas ulla privatorum religione aut pertinacia inquietari. Mala quæ Angliam, &, quamdiu inter hos æſtus luctata eſt, Galliam jactaverunt, hæc miſerabilis incuriæ penè dicam felicitas evaſit. Auſtriam tamen exceperim, ſcilicet penè exeuntem de Germanico cœlo, nec quæ ut nomine, ita priſcorum ingeniorum ſorte excidit. (pars enim Pannoniæ priſcis fuit.) [2] Bohemiam quoque, non hac primum ætate infelicibus circa

τὰ μέλη τῶν μεθυσκομένων, quod ſolvat curas ebriorum. Unde & λυσομελὴς à Græcis nominatur. Horat. lib. 2. Od. x1.

Diſsipat Evius
Curas edaces. Et, *Vino pellite curas.* Tacitus Germanos vocat *lætam bello gentem, ſed minime aſtutam nec callidam, aperientem ſecreta pectoris, atque detectam omnium mentem, & fidei commiſſæ patentiorem.*

1 *Faciles autem ad imperantium nutum populi.*] Etenim quam ſæpe viſi ſunt populi, qui ter & quater ad nutum ſuorum religionem mutaverint. Vidit hoc Saxonia, aliæque Provinciæ, tantus eſt in his populis vel amor Principum, vel religionum incuria. Non enim politicâ Machiavelli ratione, qui docebat utendum religionibus ſicuti veſtibus, id ab eis præſtitum eſſe putandum eſt, itaque videas totas urbes, imo provincias Lutheranam ſectantes nullis exceptis, aut Catholicam. Non ſic in Gallia, vel Anglia, ſed nec in Auſtria, quæ quaſi à Germania recedens vicinos mores induit.

2 *Bohemiam quoque, non hac primum ætate.*] Longa eſt injuria, longæ ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum. Invaſerant ſcilicet Bohemiam Joannis Hus errores. Iſte langueſcentes aut amentes Wiclefi opiniones poſtliminio revocans Pragenſem Academiam jurgiis, mox civilibus bellis miſcuerat. Hinc ad arma frequens impetus, tandem Pragæ Optimates è ſumma arce ab Huſſitis per feneſtras præcipitantur. Fuere enim Joannis Hus cineres, poſtquam in concilio Conſtantienſi igne abſumptus eſt, quaſi ſemen longe aliarum controverſiarum, rixarum, bellorum. Mox Ziſca Taboritarum Rex fictitius multo ſævius debacchatur, nec jam cum ipſis poteſt Huſſitis convenire. Eſt Boëmia Germaniæ quaſi umbilicus; moribus tamen diverſis, neque candidis, ſed tumentibus, ac turbulentis, & cedere neſciis.

circa Numinis cultum litibus in ſe converſam. Sed & illa quanquam in Germaniæ ſinu, tamen ab ipſius corpore execta eſt, lingua, moribus, legibuſque diverſis.

[1] Litteræ in multis locis cultæ inter homines minus ſciendi avidos quam docendi. Plura quam legerint ſcribunt: & ſuam famam ex voluminum quæ edunt numero aut magnitudine æſtimant.

[2] Vis mentium ut opaca, ita ad æternitatem laborum eſt robuſta, ut cæteri melius quidem ſcire, illi vero plura poſſint. Ex Optimatibus multi, qui ſuis opibus moribuſque contenti, unam Germaniam aut viderunt, aut mirantur, licet judicio ſuo graviſſimæ prudentiæ conſcii, humanitatem noſtri ſeculi parum habent.

Verba illis ſimplicitatis antiquæ, neque ſcientiarum vis hodiernæ ſapientiæ coloribus cincta. Peregrinandi gens avida, & exterorum morum, dum ſe receperit domum, aut ſimulatrix aut retinens. In eorum ſedibus inoleſcere peregrinos aut ad dignitates pervenire, inſuetum: & penè contumelioſum apud illos nomen eſt, quo externos appellant.

His moribus oneratam Germaniam ſuæ dotes & magnitudo

1 *Litteræ in multis locis cultæ.*] Hinc plures Academiæ, Gymnaſiaque paſſim erecta. Præcipuæ ſcholæ ſunt Baſileenſis, Colonienſis, Dillingenſis, Moguntinenſis, Marpurgenſis, Lipſienſis, Ingalſtadienſis, Heidelbergenſis, Gripſwaldenſis, Friburgenſis, Francofurtenſis ad Oderam, Erfordenſis, Pragenſis, Roſtochenſis, Coningsbergenſis, Trevicenſis, Tubigenſis, Viennenſis, Breſlavienſis, Witembergenſis, & Herbipolenſis, ex quibus innumeri viri emerſerunt omni genere ſcientiarum eruditiſſimi.

2 *Vis mentium ut opaca, ita ad æternitatem laborum eſt robuſta.*] Germanis ſane hodie tanta induſtria à natura indita eſt, ut omnis generis opificia ſtudioſe & cum laude exerceant. A Germanis machinæ, tormentaque ænea inventa ſunt: non ſecus atque Typographia, & horologia. Mitto eorum in fundendis, cudendiſque metallis, quæ plurima omnis fere generis ibi excreſcunt, admirabilem tota Europa peritiam. In quibus laboribus toti ſunt; unde non fruſtra tanto corporis robore & mole natura & genius loci *jam olim* hactenus eos *ſolidavit. Hinc naſcitur* illa gentis in quærendo lapide Philoſophorum indefeſſa cura, aliiſque arcanis in naturæ majeſtate abdititiſſimis; in quibus excelluere Baſilius, & Trithemius, ambo Germaniæ monachi, ita ut poſterior hic magus, & faſcinator apud ignaros tot ſecretorum peſſime audiret. Sunt enim nati ejuſmodi homines adeo ſui æſtimatores, ut quæ minime capiunt, illico improbent, ac damnent. Habes retractationem Spondani in ejus ſupplemento.

Digitized by Google

tudo virilium virtutum abſolvit. Ignota ibi perfidia, etiam in venali fortitudine ſtipendia merentium. Ne ingenium quidem fraudis aut odia ſub amicitiæ titulis latent: & omnino ingentia ſcelera verecundi populi ſimplicitas ignorat. Parca & in furtorum ſuorum tenebris merſa libido: non, ut alibi terrarum, palam inter titulos atque ludos exultantis juventutis. Nam & prope ad muliebris pudicitiæ ſimilitudinem viri quoque hanc peſtem aſpernantur. Prudentia autem ut non illic ſubtilia ingenia paſſim habet, quorum artificio deducatur in confinium doli: ita veris maturiſque judiciis inſidet, quæ & facile caveant ſuis rebus & alienos errores deſpiciant.

Neque deſunt altiſſimæ mentes, in quibus patriam gravitatem vividi & excitati acuminis felicitas temperat; Præcipue ſi validum ingenium diu peregrinis artibus moribuſque miſcuerint. Gens armis egregia, & quæ pacem ferre poſſit. Tarde & cunctantibus conſiliis ad tumultus concitantur: ſed excitos longa tempeſtas, & hominibus digna, exercet. Populus æris ferrique tractandi peritia, & per mille artificia ducendi, inſignis eſt. Typographiæ inventum, pulveriſque nitrati, illis ingeniis Orbis debet, ambiguo prorſus beneficio, & quo tam pernicies mortalium, quam utilitas, ſeſe humanis rebus ulterius inſinuavit. Candidi animi, virtutes aliorum, factaque, aut inventa, maxime abſentium, non maligno & timido livore delibant, ſed ſinceris laudibus ac propemodum immodicis attollunt.

[1] Sed nihil in ea gente magnificentius, quam quod nomen ſummi Imperii Aquilamque ſibi habet: tanquam Romam Ger-

1 *Sed nihil in ea gente magnificentius, quam quod nomen ſummi Imperii Aquilamque ſibi habet.*] Quæ Germania ultima omnium Romam adoravit, hæc jam inſignibus Imperii, ac domicilio Imperatoris illuſtris eſt. Poſtquam enim ab Anno 476. quo Romulus Auguſtus ſeu Auguſtulus ſexto imperii ſui menſe nondum completo ab Odoacro Rege Herulorum depoſitus eſt, uſque ad Annum 800. vacaſſet imperium Romanum, tandem Carolus Magnus, Pipini Filius, Rex Francorum, & dominus totius propemodum Germaniæ, Italiæ, atque Hiſpaniæ ſolo ferro effectus, coronatus eſt Imperator Romanorum à Leone III. Papa die natalis Domini anni 800. ſedemque imperatoriam po-

Digitized by Google

Germania vicerit; & provinciarum ultima, quę Italico jugo acceſſit, jam ſit ſola in qua nomen atque reliquię fortunæ Romanæ acquieverint. Tanti nominis ſancta Majeſtas, nulla ſociorum Principum æmulatione corrumpitur, Regeſque, quanquam viribus ſæpe majores, ſponte Imperatorio culmini concedunt. Olim quoque illi ſummæ appellationis faſtigio inerant dignæ vires, quæ paulatim emarcuerunt velut fatali ſenectute. Quippe domeſticis bellis, tum nimia Optimatum potentia, denique quod [1] non naſcendi ſorte, ſed per ſuffragia defertur hæc dignitas, datus ad terram Imperii vigor venerabile ſpecimen in hæc ſecula magis cæterorum pietate quam ſua fortitudine ſervavit. Inter cæteras [2] hanc præcipue excidentium virium cauſam invenias, quod

ſuit Francofurti: in Franconia, & Aquiſgrani quoties à Gallia aberat: demum Viennam in Auſtria, ex quo maxime ad Auſtriacos imperium pervenit.

1 *Non naſcendi ſorte, ſed per ſuffragia defertur hæc dignitas.*] A Carolo Magno hæreditarium quodammodo fuit imperium, nam ſucceſſive ejus filii ac nepotes hoc ordine anno 814. Ludovicus Pius Caroli filius, 840. Lotharius Ludovici fil. 855. Ludovic. II. Lotharii filius. 875. Carolus II. cognomento Calvus. Inſeritur à pleriſque Ludovicus Balbus an. 878. anno 881. Carolus III. Craſſus cognomento. 887. Arnolphus ab exauthorato patruo. 899. Ludovicus III. ultimus ex ſtirpe Caroli magni, qui & ipſe cum duobus ſequentibus Conrado, & Henrico aliiſque in numerum Imperatorum refertur à Germanis, licet nec Modoëtiæ prope Mediolanum ferreâ, nec Romæ aureâ coronâ unquam redimiti fuerint. Porro variæ diſſenſiones quæ in Imperatore inaugurando contigerant, locum ſuffragiis, & dignitatem electionis Septemviris pepererunt. Aſſerunt Bellarminus, & Baronius I.R.E. Cardinales Gregorium quintum Imperatoris creandi jus certorum Principum ſuffragiis alligaſſe, quos & numero ſeptem vel iſte ipſe, vel ſucceſſor ejus quiſpiam conſtituiſſe creditur. Ajunt nonnulli penes omnes dominos ſacri Imperii Romani feudatarios ducentis totis annis fuiſſe, & hos deinde in ſeptem fuiſſe redactos. Teſtantur hæc litteræ Electorum Brandeburgi, Saxoniæ, & aliorum ad Bonifacium Papam. Attamen Panvinus, Aventinus lib. 5. *Hiſt.* Bavaricæ, & Onuphrius in comitiis imperatoriis reliquere ſeptem Electores ſub Gregorio X. anno Domini circiter milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio fuiſſe primum inſtitutos, & à Carolo IV. Imperatore confirmatos. Denique ante coronationem, quæ fieri ſolebat à ſummo Pontifice, Imperator deſignatus Romanorum Rex, & Cæſar dicitur, poſt coronationem Imperator Auguſtus appellatur.

2 *Hanc præcipue excidentium virium cauſam invenias, quod ipſi Optimates nimiis patrimoniis, tum Imperatorum beneficio aucti, commiſſas ſibi quondam Provincias tandem in Principatus mutavere.*] Hanc imminuti Imperii cauſam affert Jo. Barclaius xv. capite libri primi Argenidis. *Ipſi*, inquit, *Aquilii diverſo è genere lecti quam ſæpe majeſtatis ſuæ vires his proditas curis fregerunt? Inter hos ille cujus ſanctiones aureas dicunt, ut filio*

regnum

quod ipſi Optimates nimiis patrimoniis, tum Imperatorum beneficio aucti, commiſſas ſibi quondam Provincias tandem in Principatus mutavere, & ne non aliquid ſupra Imperatorem eſſent (qui non juri ſuccedendi, ſed ſuffragiis, fortunam ſuam debet) etiam ſuæ hæreditatis fortuna in ſobolem tranſeunte. Hoc modo gentium & populorum mentes, quas vis quædam ingenita ad ſuorum Principum cultum advertit, antea in unius Imperatoris reverentiam intentæ, ad iſtos vicarios, & mox dominos, acceſſerunt: propiori ſcilicet vel periculo, vel utilitate. Ita cœpta, inſitaque deinde, Purpuratorum potentia, totam Imperii molem exhauſit; Primumque [1] quod è Gallia ſupererat, mox ipſa Italia, fons nempe Imperii, tum validiſſimæ Germaniæ partes, veluti de ſuo corpore exciſæ, in diverſos animos, ipſa dominantium varietate numeroque, abierunt. Galliæ, Britanniæque, id eſt veriſſimis regnis, longe alia ratione proviſum; exterminati Numinis conſilio, regnantumque induſtria, Optimates, quorum ſuſpectæ vires erant. [2] Nam quis porro

regnum pararet, quo precio ſuffragatores emit? Ipſe ille eſt Carolus IV. Imperator, qui deceſſit anno ſalutis 1378. imperii vero ſui 32. is poſtquam Romæ coronatus eſt, cæſo competitore Gonterio, remenſus eſt in Germaniam, Dietamque coëgit, in qua pragmaticam illam tulit ſanctionem, quæ Imperatoris eligendi continet formam, juxta quam cum ambiret ſuffragia pro filio, ſeptem Electoribus diviſit Imperii dominium, & ſic proditas ſceptri vires fregit. Hoc ſceptri incommodo (ut ſubjicit ibidem in Argen.) cum ſolvendo non eſſet, publica iis vectigalia conceſſit, quæ primum pignoris nomine occupata, mox iſti imbecillitate vel errore regnantum in hæreditatem verterunt. Ita cœpta, inſitaque deinde Purpuratorum potentia totam imperii molem exhauſit.

1 *Quod è Gallia ſupererat, mox ipſa Italia, fons nempe Imperii, tum validiſſimæ Germaniæ partes veluti de ſuo corpore exciſæ.*] Poſt diutina bella Hiſpanos inter & Gallos Henricus ſciens Carolum fidem patri datam pro Mediolanenſi agro feſelliſſe dum per antiquam Auſtraſiam tranſit, Mediomatricum Tullos, & Virodunum tres urbes Epiſcopales cum adjacentibus vicis occupat. Nuper autem compoſita pace Imperatorem inter & Francorum Regem Alſatia cis-Rhenana Franciæ conjuncta eſt, cujus urbs primaria Briſacum. Helvetii olim Germaniæ populi ad Alpes circa annum milleſimum quadringenteſimum Imperatoris jugum excuſſere, & una cum Rhætis vicinis in reſpublicas, aut fœdera coiëre. Denique in ipſa quoque Italia quod ſupererat ex Romania reliquiis hoc quoque Imperator amiſit, in agro Veneto, Mediolanenſi, Ravennatenſi, & alibi.

2 *Nam quis porro regibus locus, ſi Neuſtriam, &c.*] Cum Jul. Cæſar Gallias

porro regibus locus, ſi Neuſtriam, Armoricos, Aquitaniam, Æduos, Arvernos, Pictones, Provinciam, atque Campaniam, ſui ut quondam Reguli, Ducum titulis, Comitumve, obtinerent, viribus ſuis tuti, & veluti precario obſequio Regem minorem tantum non deſpicientes? [1] In Britannia autem formidabiles Ducum opes, Comiteſque Palatini, regio prope jure, factionibus & clientelis graves, quibus regnum cladibus miſcuerunt? quam ſæpe in Reges atroci conjuratione certarunt? Nulla hodie certior Regni ſalus, quam quod eorum potentia, ſtirpeſque depreſſæ, regni nervos in unum contulerunt.

Hanc igitur deſcripti Imperii cladem antevertere Imperatores debuere, cum ſe primum immodice Optimates efferrent.

cœpit invadere, habebat illa, ut ipſe teſtatur in commentariis, ſuos Regulos quamplurimos. Subjectis imperio Galliis jam præfuere præfecti à Romanis miſſi, donec imperio ſua mole oppreſſo ad Galliæ Reges ſumma rerum venit. tunc Clodoveus in quatuor liberos regnum omne diviſit, quod ipſum fecit Clotarius ejus filius. Poſtea æquæ partes etiamnum exciſæ nunc ab Anglis, modo à Nortmannis ſeu Danis, aliàs à Gothis, aut iterum liberis datæ ut Lotharingia, Aquitania, Burgundia. Imo Hugo Capetus quo faciliori negotio aditum ſibi ad ſolium faceret extincto Ludovico quinto, & Carolum Lotharingiæ ducem ſuffragiis & gratia ſuperaret, totum pene regnum diviſit in Proceres, quos Comites, Barones, vel Duces appellavit magno ſane reipublicæ Gallicæ incommodo. Et hoc tandem ſtetit donec deficiente ſtirpe, vel aliis de cauſis, quibus percenſendis prolixior videar, ſumma totius regni ad ſuum caput revertit, quam ô nulla ætas poſthac iterum diviſam aſpiciat, & lugeat!

Multos eſſe malum Reges, Rex unicus eſto.

1 *In Britannia autem formidabiles Ducum opes, &c.*] Hæc inſula, non ſecus ac adjacentes eandem ſortem paſſa eſt; Reges enim alios vel potius Regulos habuit, qui totam oram dividebant in partes, plurimorum hercle origo, caputque bellorum. Imo ex quo à Regibus gubernata eſt, nimia Ducum aut Comitum potentia multis turbis ſæpe anſam obtulit, nam ut cæteras, antiquioreſque ſileam, quam diutinis tumultibus Angliam implevere Candida roſa, & purpurea, hoc eſt mutua inter Eboracenſes, & Lancaſtrenſes Duces odia? Quot inde clades, & cædes! Taceo Joannæ filiæ Comitis Norfolxenſis ambitus. Non dico Eſſexi licet Eliſabethæ gratioſi in ultimis defectionem, aliaque plurima, quæ noſtra ætas vidit, & adhuc videt, Cromwelli dominatus, Lamberti conatus, & ſpes inanes, tam multorum proditiones, quæ regio ſanguine, & nuper, & ſæpe alias hoc theatrum crudelitatis aſperſerunt: adeo periculoſum eſt Regem ex Optimatum nimia authoritate pollentium pendere arbitrio. Quod & in vicina Scotia non ita pridem exemplum dederat in Maria Stuarta, quæ pariter Optimatum ex potentia, & ambitione oppreſſa eſt. Proh horrendas feræ, & nuſquam interituræ poſteritati tragœdias!

Digitized by Google

ſerrent. Nunc autem inveteratis rebus, adeoque compoſito Imperio, ut ex his ipſis Proceribus potiſſimum conſtet, velle iiſdem potentiam extorquere, intempeſtivum ac inane facinus eſſet, tot vindicibus ejuſmodi dignitatum in communis decoris ſecuritatem coituris: maxime cum tam jure hodie ſuis Provinciis potiantur, quam Imperator ſummæ rerum præfectus eſt. Conſenſu videlicet eorum qui potentiam tradidere; tum poſſeſſione, ac tempore, quo omnia Imperia, plerumque ab initio aut violenta, aut invalida, legitima eſſe cœperunt.

Sed [1] quod expiranti Imperio malorum ſummum fuit, imitatæ Procerum morem plurimæ urbes, ſe quoque velut in ſingulares reſpublicas collegerunt. Leges ſibi dixere, certoſque magiſtratus; &, ne dubites ab antiquo receſſiſſe officio, ſibi nomen libertatis in iſta ſeceſſione fecerunt; mutuis quoque inter ſe fœderibus ad auxilia, & aſſerendum jus repentinæ majeſtatis. Sic illa regio quæ ſub uno ſpiritu, uno quoque Rectore, par toti Europæ eſſe poſſit, viris, urbibuſque inclytis, & digna in quam Romanæ fortunæ ſpecies tranſierit, [2] jam vix agrum urbemve inveniat, quam ſuo Imperatori pleno jure cum Imperio tradat. Neque enim

1 *Quod expiranti Imperio malorum ſummum fuit, imitatæ Procerum morem plurimæ urbes.*] Hæ ſcilicet ſupra dictæ Imperiales, & liberæ, quæ ſui ſunt quoque juris, ut Colonia, Spira, Worma, Straſburgum, Baſilea, Colmarum, Hagenavium, Monaſterium S. Gregorii, Francofurtum, Lubecum, Hamburgum, Dantzicum, Rottemburgum, Ulma, Bibrachium, Roſtochium, Rotelium, Auguſta, & complures aliæ Imperiales, vel Hanzeaticæ, quæ ſuo jure, & ſuis fruuntur & utuntur legibus: in ſuos tamen & ipſæ coëunt jam recenſitos circulos, & conventus, & Imperatorem pariter ſummum dominum agnoſcunt, eique ad Germaniæ defenſionem annuas pecunias, ſed ſponte, pendunt. Unde notat nec immerito neceſſe eſſe eum, qui ſuffragiis Septemvirûm electus eſt, opibus eſſe potentem. alioqui

2 *Iam vix agrum urbemve inveniat, quam ſuo Imperatori pleno jure cum Imperio tradat.*] Inde fit, ut in tota Germania paucæ familiæ præter Auſtriacam ferendæ tantæ moli pares eſſe poſſint, etſi non dubitem ex Ducibus Bavariæ, & Saxoniæ ſane potentiſſimis non paucos ad Imperium fuiſſe evectos. Auſtriaca autem domus obtinet in Germania Archiducatus Auſtriæ, & Oenoponti, Comitatum Tirolienſem, Carinthiam cum Carniolâ, Stiriâ, & Croatiâ, & nonnulla id genus. Nam quod attinet Boëmiam, Hungariam & paucas terras, quæ dicuntur Imperii, hæ ab Imperatore pendent, ut Imper. eſt.

enim aut Reſpublicæ, aut Dynaſtæ, in ſuis arcibus Imperatoris præſidia regnare patiantur; neque inveniat tam anguſta appellatione dignatus, in tot oppidis, ubi cum civium venia habitet. Hoc dulci publicoque errore, ſuæ patriæ majeſtatem exarmarunt. Neque enim Septemviri, quibus nominandi Imperatoris patrio more conceſſum jus, alium quam ingentis potentiæ virum, & qui vel opulentis ditionibus, vel purpura etiam ſceptriſque emineat, Cæſarem dicere debent. Sola virtus atque nobilitas hæc ſuffragia ferre non poſſunt. Ubi enim conſideret Imperator, niſi jam illi antea extra Imperium ſedes; ubi Regia, quæ tantæ majeſtatis titulos excipiat? Ægre alicubi habitare paterentur, quem ut plurimum amant abſentem venerari. Quod ſi fortiſſimæ gentis fatum delecto Principi totam provinciam regio more habendam permitteret, tunc indomitis viribus de ſuo corpore inveniret illi ſceptro idoneos, unamque in comitiis virtutem reſpicere cogeretur.

Igitur Imperatori in omnes eſt, ſed certa & caſtigata, potentia. In civilibus litibus ad eum ut plurimum provocatur. Capitalia judicia Dynaſtæ, atque Reſpublicæ, ſæpe ſuo jure exercent. Is comitia Imperii cogere, bella indicere, de ſummis inter ipſos Dynaſtas controverſiis judicare. Ingruentibus bellis milites & pecuniam imperat: ſi imperare putes, quod non aliter quam aſſenſu civium tollit.

Principes, ut in ingenti regione, permulti. Sed diviſæ inter agnatos ſingularum familiarum opes ingentium titulorum magnitudinem ſæpe non æquant: quippe haud multo ſecus Provincias atque Dynaſtias quam privatæ ſortis hæreditatem dividunt. Eo modo Saxoniæ Principatum forte plures hoc ſeculo fratres inter ſe ſpargebant: & quoniam res ardua erat, legum & conſuetudinum periti his advocantibus advenere; quibus in conclavi ſedentibus cum litigantes fratres adeſſent, emotæ mentis vir, ſed innoxia jucundaque inſania conſuetus delectare audientes, in id ſecretum perrupit: quem grandior natu ex Saxonicis fratribus intuens,

tuens, (nam is illius aulæ cibiſque aſſueverat) Vis autem & tu, inquit, ſententiam dicere de herciſcundæ familiæ rebus? At ille; Et quidni, inquit, velim? Expectaverant omnes ab amente ridiculi lepôris venuſtatem. Igitur rogare perſeverant, ne in tanta re ſuum conſilium deeſſe pateretur. Sed ipſe negabat, niſi veſtis qualem Juriſperiti induebant ſibi daretur, tantæ conſultationi miſceri; cum illa ſe ſapientiam eſſe ſumpturum. Hilarior genius omnes invaſerat: Adeo ut ipſius quoque herus, non ſine maximo riſu, juberet, de penu ſua produci ſuffultam pellibus togam, injicique cupienti. Quam ut ille curioſe aptavit, bis terque per triclinium ſpatiatus, rogare dominum cœpit, ecquid ſe illa veſtis deceret? Egregie, inquit, ſed ſupereſt ut his rebus, quæ inter nos agitantur, tua ſapientia modum imponat. Ille brevem in ſe moram eſſe reſpondit, in proximum conclave pauliſper abiturum: illic ſe melioris ſapientiæ ſpiritus ad conſilium arceſſere velle. Cum eo ſeceſſiſſet, adduxit repente oſtium, ne quis arbiter prudenti nequitiæ interveniret; exuitque illam togam, & gladiolo, quo erat accinctus, ab humeris ad fimbriam in longas & exiles partes exſecuit. Ita laceram cum ſibi iterum injeciſſet, reſerat fores, pervenitque ad dominum, & intueri rurſus jubet quam ornatus incederet. Iracundia arcuit riſum, quia precioſa erat veſtis quæ ita in partes perierat, &, O te vecordem, inquit, flagelliſque ſcindendum! nihil vero timuiſti dominicæ veſti furioſas manus afferre? Neque ille conterritus, Ridiculum, inquit, cum vos multo periculoſius inſaniatis, tam graviter mihi iraſci. Hæc eſt veſtræ fortunæ imago quam indui, multoque ſtolidius Saxonicum Principatum perditis, quam ego hanc togam. Incolumis me decebat, ridetiſque diſcerptam. Ita Saxonia integro corpore viget, armis & opibus gravis: cum eam per partes laceraveritis, nemo priſtinam dignitatem agnoverit.

Germanorum Principum divitiæ, præter aliquot vectigalia, aut tributa, plerumque ex gregibus armentiſque ſunt: agri

agri quoque fœcunditate, quem ut maxime ſpontanea nec redempta ruſticorum opera exercent. Hoc modo ſuas opes, & annuæ pecuniæ numerum, non poſſunt definire, cum ſit ex mutabili annonæ precio æſtimanda. Nobilitati magna & ſuperſtitioſa ſui generis cura eſt; & maculari veterum ſanguinem putant, ſi ad novam imparemve familiam matrimonii conſortio acceſſerit: nec in multas ſtirpes hæc nota eluitur. Quippe, ad Patricii generis ſincerum documentum, in utraque parentum ſerie octo ex majoribus numerant, in quibus hæc inæqualis conjugii labes non hæſerit. In conferendis ſermonibus unicuique hominum ſorti deſtinatos titulos & loquendi normam habent. Ea negligere, aut incurioſe confundere, magna religio eſt. Nec ulla gens tot conceptis formulis agit; etiam eorum memoriam fallentibus, quos à puero illa ars & tot diſcriminum ſuperſtitio exercet.

[1] In illius Belgii parte, quam ſuo nomine Germania invaſit, ſunt fere illæ Provinciæ, quæ ſub Burgundica olim ſtirpe

1 *In illius Belgii parte, quam ſuo nomine Germania invaſit, ſunt fere illæ Provinciæ, quæ ſub Burgundica olim ſtirpe unum corpus bello, nuptiis, ſucceßione fecerunt*] Totius narrationis ordo & ſeries hæc eſt, ab ovo, ut ajunt, repetenda: Philippus Valeſius, Joannis Francorum Regis filius, cum adverſus Anglos pugnans ſtrenue egiſſet, Dux Burgundiæ à patre creatus eſt, deinde & totius Belgii, quam Germaniam inferiorem dicunt, nuptiarum fœderibus princeps. Joannes, Ducis Philippi filius, paternæ hæreditatis ſucceſſor, provincias illas omnes pariter obtinuit, hic Ducem Aurelianenſem, poſtquam ex Hungariâ reverſus eſt, incautum oppreſſit, ingentium odiorum, & malorum, quæ exinde invaſere Galliam, origo & caput. Deinde amici colloquii, & pacis ineundæ ſpecie Joannes necatus eſt præſente Carolo Delphino, atque eodem annuente. Mox vindictæ paternæ impatiens Philippus cognomento Bonus, initâ cum Anglis armorum ſocietate, Anglis in Gallias viam aperuit: Sed quis ſtrages, clades, neces, inſidias, proditiones, crudelitates enumerando complectatur? Philippus Atrebati reconciliatus Carolo acquiſitas obitu Theodorici Namurrenſis, Philippi, & Jacobæ alias provincias adunavit, quibus filius ejus Carolus, dictus Audax, Ducatum Gueldrenſem addidit. Iſte ad Naceium, quam urbem Lotharingiæ oppugnabat, occiſus, Mariam Valeſiam filiam reliquit omnium bonorum hæredem, quam Maximilianus Auſtriacus duxit uxorem. Philippus ejus filius Joannam Caſtiliæ Regis filiam ſibi junxit, quæ peperit ei Carolum quintum, ad quem præter Hiſpaniam, & provincias ſeptemdecim, totamque Burgundiam, etiam Imperium ipſum acceſſit non ſine magna competitoris invidia circa hæc tempora in Belgio, quod

Digitized by Google

ſtirpe unum corpus bello, nuptiis, ſucceſſione fecerunt: mox ad Hiſpanum conjugii fœdere delatæ, & ſummum illius gentis robur, ſi tam pati abſentis Principis cruda imperia, quam præſenti parere, potuiſſent. Sed ex his populis multi durius hac ætate ſe habitos queſti, reſciſſis concordiæ vinculis, quibus cum Principe, ac inter ſe, tenebantur, acerrima tempeſtate, & ad Europæ terrorem idonea, inhorruerunt. Per hos motus pars ſibi libertatem armis fecit, & cæteri, ſive domiti bello, ſive antiquum dominorum nomen reve-

quod Margareta Philippi fratris nomine gubernabat, ſimiliter ut in Gallia infeſta novatorum armis erant omnia. Miſſus ad has oras pacandas Ferdinandus Albanus Dux anno 1567. aſperitate animadverſionis, ac præſertim duorum primariæ nobilitatis Comitum Egmondani, & Hornani ſupplicio Belgas irritavit omnes anno 1568. quo Carolus Philippi Regis Hiſpani filius ex Maria Luſitana, à patre in cuſtodiam datus, ejus mandato neci traditur. Batavi, quos Hollandos vocant, & Mattiacarum inſularum incolæ, Zelandicas vulgo nominant, primi anno 1572. ſignum libertatis ſuſtulere, excuſſo Hiſpanorum imperio, quod immodicis exactionibus inviſum reddiderat Albanus. Ad illorum fœdus acceſſere ſubinde civitates cæteræ, & in eam coaluere Rempublicam, quæ Fœderatorum Ordinum dicitur. Denique horum impetus ab Joanne Auſtriaco compreſſi, qui cum anno 1578. è vivis abiiſſet, ad Franciſcum Alenconium ſumma Imperii defertur à conjuratis Ordinibus. Is ex Anglia, quo nuptiarum cum Elizabetha regina conficiendarum ſpe navigarat, ad Belgium appulſus, cupideque ab omnibus acceptus, inſequenti anno redit in Franciam, cum mutata eorum, à quibus erat vocatus, in ſe ſtudia reperiſſet. Jam illic pro Hiſpanis aderat Alexander Farneſius Dux Parmenſis, qui fuſis ejectiſque rebellibus, paulatim civitates ad obſequium reduxit anno maxime 1583. & 1584. Hoc poſteriore Guillelmo Arauſicano, qui mira callidâque induſtriâ in Confœderatorum benevolentiam irrepſerat, interfecto, Mauricius ejus filius dux in parentis locum à Fœderatis adſciſcitur, annum agens 18. Itaque advertendum ſeptemdecim illas provincias, quæ olim Hiſpano Regi parebant, ſic hodie deſtructas eſſe, ut media fere pars Confœderatis Ordinibus Batavorum pareat: adeo ut Hiſpano jam ſuperſint Flandria, Hannonia, Limburgum, Namurcum, Lutzemburgum, Brabantia, Gueldria, Marchionatus S. Imperii, Mechlinenſe dominium, denique Arteſia jam pene tota ſub ditione Regis Franci. In ditione vero Batavorum ſunt Hollandia, Zelandia, Dominium Trajectenſe, Tranſiſalania, Zutfania, Friſia Occidentalis, Groningia. Et hæ quidem provinciæ Batavis omnino aſſociatæ ſunt. Sed hi ex aliis quoque provintiis multa decerpſere; ſic in Gueldria Neomagum, Arenacum, &c. in Brabantia Trajectum Moſæ, Boſcum Ducis, Berdoaſum: in Flandria Scluſam, Hulſtum cum quibuſdam minoribus inſulis, & caſtris: ubi nota totum Belgium in provincias ſeptemdecim, Ducatus quatuor, Comitatus ſeptem, Marchionatum unum, quinque dominia fuiſſe diſtinctum. ejus fluvii ſunt præcipui Rhenus, Moſa, Iſala, Scaldis, Legia, Colma, Sabris.

1 Nulli

Digitized by Google

reveriti, in Principis fide manſerunt. Qui Hiſpanorum Imperium aſpernati in Rempublicam ſeceſſere, ii maxime ad Oceanum colunt, ad exteros populos nomen à præcipua inter illos Batavorum gente ſortiti. Neceſſaria poſt defe-ctionem audacia, rem nauticam curavere. Inde robur, atque opes, omnia littora ſcrutantibus, & per hos infeſtum Hiſpaniæ mare. Statimque ducta oppida, & ex quotidianis prædis divitiæ. Acceſſere ex Gallia, Angliaque, *auxilia, in mutuam* tam eorum qui juvabantur utilitatem, quam illorum qui juvabant. Alii ſub Hiſpaniæ ſceptro poſiti, nomen quoque à Provinciarum una duxere, & per Orbem Flandrorum appellatione cenſentur. Diſtinctis in hæc duo imperia populis, idem tamen genius, iidem mores manent. Candida quidem, ſed veluti cœli vitio depreſſa ingenia, quæ etiam gravius bibendi intemperie ſtipant, ſive hanc ſitim fortuna terrarum, & ex majoris Germaniæ vicinia velut ſpiritus, ſive mos educandæ infantiæ accendit. Quippe adhuc ab ubere pendentibus, quo paulatim lactis deſiderium minuant, laguncula ad ſimilitudinem uberis effictas, & hordeaceo potu plenas, tradunt in manu. Tum rudis & incurioſa ætas ſubinde ad os referens tarde meantem potum, ſugendi ſimilitudine capitur, tum etiam innocentis ocii faſtidium levat. Nec utilitate res caret, ſi ex primis incrementis rem æſtimes. Quippe valida membra, ſuccoque lætiſſimo ad venuſtatem florentia, ita inſtitutam infantiam decorant. Sed aſſidua bibendi ratio, ipſo uſu *in perpetuam* voluptatem tranſiens, ſubinde palati *aviditatem ſolicitat*, ſemper utique poſt hunc morem aut natantem aut arentem. Accedit illius potus conditio, non ad diluti vini conſuetudinem ſitim ſatians; ſed craſſo liquore identidem faucibus relinquens, quod ſuccedente potu diluendum ſit. Illa tamen perpotandi dulcedine (quod mireris) in ſegniciem non merguntur obrutæ mentes: ſed ultra cæterarum gentium ſedulitatem, mercaturæ, artificiis incumbunt. Aſſuefactis ſcilicet robuſtiſque corporibus, illi vitio pares ſunt, & hau-

ſtas

Digitized by Google

ſtas inter convivia nebulas mirabili felicitate exolvunt; adèo ut in multam noctem producta temulentia poſtero mane ad negotia vacaturis pigritiam non imponat.

[1] Nulli ad vilium artium induſtriam meliores. Ocium pluſquam Attica ſeveritate multaverunt. Pueri in tyrocinia diſtributi, publico ſi neceſſe eſt ſumptu: virgines ad filum lanamque eruditæ: omnem ætatem idoneus ſudor exercet, & à puero familiaris labor ignotam ſegnitiem, vel ipſa conſuetudine, neſcit amare. Tam frugali diſciplina, artificiorum vis ingens opulentiam illuſtrat civitatum, paucique in mendicitatis veterno acquieſcunt. Ingenium populi neque capax neque patiens fraudum. Ea fide qua ſunt digni facile alios æſtimant, ſed decepta ſimplicitas intractabili odio perfidiam lædentium fugit. [2] Inter hos eximiæ quædam mentes omni ſeculo ſuſtinuerunt dignitatem literarum, aut ad

1 *Nulli ad vilium artium induſtriam meliores.*] Et in hoc pariter Belgæ à Germanis minime differunt, quod artes omnes etiam illiberales habent in pretio; in his autem induſtriam plurimum commendant ſuam, Horologia miræ prorſus artis, arculæ, & abaci affabrefacti, contexti eleganter panni, & telæ: peripetaſmata, tapeteſque Phrygia quaſi acu picta, quæ non tantum propriis regionis uſibus inſerviant; ſed etiam ulterius in Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, reliquamque Europam, atque adeo in Aſiam & Africam deportentur. In picturis nulla æque natio excellit: oleo colores miſcere primus docuit Jo. Eickius Belga. Magnam denique & copioſam exercent mercaturam, cujus, quæcunque etiam illa ſit, peritiſſimi ſunt. Atque ipſum Belgium maxima parte, mercatura, & artibus nititur. Adeo Belgæ omne otium pluſquam Attica, dicam potius, velut antiqua Gallorum veterum ſeveritate multant, nullus ut ibi nec puer quidem quinquennis vacet, nam qui gravioribus aut elegantioribus non fuerint idonei, hi ad leviores operas applicantur. Vidi ipſe puerulos dum à parentibus tapetes texebantur, ipſos lanas ſollicite, & velut ex conducto explicantes. Tum ſtupenti mihi pater illorum, ſic, inquit, juvat omnes pro ætatis captu, victum laborando quærere, ociumque defugere.

2 *Inter hos eximiæ quædam mentes omni ſeculo ſuſtinuerunt dignitatem litterarum.*] Neque mirum, cum Academias habeant adeo celebres, Lovanienſem, Duacenſem, Lugdunenſem, Franekeranam, & Groeningenſem. Lovanienſis frequentia collegiorum, Studioſorum, doctorum celeberrima. Collegia potiſſima ſunt Lilium, Caſtrenſe, Porci, & Falconis. Eſt & trilingue Buſlidianum, in quo Græca, Latina, Hebraica docentur. Ex his Academiis innumeri viri prodiere omni ſcientiæ laude celebrati, & quotidie prodeunt. Nam ut veteres omittam, ſunt Grotii, Voſſii, Gronovii, Scriverii, & Schrevelii. Poſtremum autem hoc Schrevelii nomen, qui de re litteraria tam bene eſt meritus, quis Academicus ignotum poteſt habere, cum obverſentur nobis ante oculos tam luculenta, tam varia doctrinæ illius monimenta, & tam

ad Principum, rerumve publicarum ſecreta admiſſi, commiſſas res digna ſolertia curavere. Nimirum ut in regionibus, ubi vulgo, & velut ipſo natalium munere, acria aut lepida ingenia exurgunt, pauci ex ſuæ mediocritatis tenore vel curant vel poſſunt excedere: ita humilioris veluti fati gentes, & plus antiqua bonitate, quam per vanam ſubtilitatis culturam ornatæ, interdum ingeniis ſunt inſignes, quæ propius ad cœlum accedant, quam ad terram erant nata.

[1] Batavorum Optimates, ad Reipublicæ genium, quam ipſi fecere, animos quoque & mores velut in vulgus deduxerunt; ſive facilitate naturæ, & in eam ſortem nati quam res ſuæ hodie habent, ſive callida, & ad tenendum populum apta imagine; prompti quoque ad mutuæ ſervitutis imperia, niſi cum juſſi imperare. At Proceres Hiſpanicæ ditionis, plus ſcilicet ſtimulis aularum exercentur, & Belgicos animos imperantis populi moribus miſcent. Hinc veluti gemina illis indoles, variatumque, ac pene diviſum, per diverſiſſimos affectus ingenium. Sed [2] inter cæteras cupiditates præcipua honorum libido eſt. Titulos, ac nomina per

tam multi ejus ingenii fœtus, quibus enumerandis quis ſufficiat, quotquot enim humaniores authores ſunt, quorum maxime in ſcholis viget uſus, & authoritas, ſeu Latini ſint, ſeu Græci, hi omnes ſummo cum labore ab Schrevelio noſtro videntur illuſtrati. Inter Bibliothecas variis in locis, pluribus iiſque rariſſimis libris refertas, Lugdunenſis maximam habet famam.

1 *Batavorum Optimates ad rep. genium, quam ipſi fecere, animos quoque & mores velut in vulgus deduxerunt.*] De Batavorum moribus idem quod de Flandris faciendum judicium, cum fere ſub eodem cœlo habitent, etſi Hollandia ad mare magis accedat, ideoque humidior ſit propter amnium circumcingentium frequentiam: imo cum ab uno & eodem corpore ab aliquot annis ſint ſecreti. Sunt enim pariter aperti, candidi, humani, præſtantes corpore, induſtrii, etiam vini plus æquo amantes, ingenioſi, laborioſi, & qui formicæ exemplum ſequuti, ocium pluſquam Attica etiam ſeveritate mulctaverunt. Omnem ætatem idoneus ſudor exercet: unde fit ut pauci in mendicitatis veterno acquieſcant. Tandem ingenium populi neque capax, neque patiens fraudum eſt. Hoc tamen illius par, neſcio cujus Poëtæ diſtichon, liceat adjeciſſe,

In Batavis una eſt libertas peſſima terris,
Vivitur ad nutum, libera relligio eſt.

Nam Amſtelodami, quod eſt opulentiſſimum emporium, omnium religionum, præterquam Catholicæ uſus permittitur.

2 *Inter cæteras cupiditates præcipua honorum libido eſt.*] Sunt certe parum ambitioſi, & parum ſuperbi; ſed hic ad virtutes, & ſcientias ſtimulus non tremendus eſſe poteſt; ſi non abutantur ad

Digitized by Google

na per adulantium aſtus inventa ad diſcrimen dignitatum, anxie ambiunt ac tuentur. Neque ulla re magis tibi eorum animos conciliaveris, quam cum arte & honore compellando. Blandientibus faciles, largique honorum, dum majores expectant. Ita callidæ laudationis fraudem vera ſimplicique gratia remunerantur, niſi quod inanibus cauſis ad amandum concitatos ſæpe idem impetus mutat, vana forſitan ſuſpicione contemptus, uſque ad odium quoque averſos.

Vulgus in illis utrimque Provinciis ſpeciem libertatis & vana paritatis indicia plus ipſa libertate æſtimat. Et hinc artes, quibus facile capi poſſit: Non dedignari ruſticos jocos, per viam annuere comeſſantibus; &, cum multum emineas, ipſis tamen, nihil auferente nec multum duratura humilitate, miſceri. Guilielmus Auriacus, ſummorum conſiliorum vir, plus hac arte quam ulla acie Ibericas opes afflixit. Agreſtes Batavorum pleraque oppida ad Oceanum incolebant; haud dubie deficientis ab Hiſpano Belgii ſummum robur, & utriuſque Solis divitias fatigaturum: nam urbes natura ſituque impeditæ, non operoſo munimento poterant ad inexpugnabile robur educi. Sub prima igitur defectionis initia, Guilielmus popularitatis novitate animos omnium in ſe convertit, reputantes quanto meliori conditione quam ſub ipſo Rege viverent, ſub auſpiciis ducis, ſibi faſces & imperium debentis. Quippe ab aratro aut navigio inculti, adibant nec majeſtate nec ſatellitio gravem. Ipſe altiſſima calliditate gaudebat, non ſe per invidioſa nomina ab obviis objectiſque, ſed & Guilielmum interdum appellari; gnaruſque quo potiſſimum modo ſuæ gentis affectus impel-

ad facinus. Potentiores ſplendidè, & magnificè epulantur, ſeque verè magnificos oſtentant. Nitidas, abſterſas, ornatas habent domos, & ab omni ſupellectile ſic inſtructas, nihil ut deſiderari poſſit. Minimè tamen inferiores à potentioribus deſpiciuntur, imo familiater omnes colloquuntur: qua in re cum Batavos plurimum delectari Guilielmus Naſſovius intelligeret, non eos tantum admittebat in ſocietatem ſuam & familiare colloquium; verum etiam vilem ſe, & quaſi unum de plebe apud illos habebat, quin & popularia verba conabatur homo callidus, & alia id genus moliebatur.

Digitized by Google

impellerentur, nullam ſalutantium vilitatem alto aut incurioſo ſupercilio obibat. Excepta vox in adulationem caſtigantium humanitatem ſuam; hominem bene emi, qui ſalutatione conſtaret.

CAPUT VI.

Italia, & Italorum indoles.

ITaliam [1] inter exiguas olim aquas quæ Rubiconem faciunt æſtimatam, nunc Alpium clauſtra propius ad naturę mentem definiunt. Tellus multum ſuis bonis, ſed amplius propitię famæ debens, [2] olim Græcorum coloniis ad Orientem celebrata; tum magnitudine Imperii, quo illuſtrius nulla ætas aſpexit, & ſuorum ingeniis culta; nunc etiam, poſt exciſos Romanæ magnitudinis nervos, adhuc multis gentibus manet omnis vitæ & inſtitutionis exemplum. Ibi lævigari juventutem, ibi humanitatem velut ludum aperire, noſtri

1 *Italiam inter exiguas olim aquas, quæ Rubiconem faciunt, æſtimatam, nunc Alpium clauſtra propius ad naturæ mentem definiunt.*] Italia à vini generoſi feracitate dicta olim Oenotria, brevioribus quidem ſpatiis claudebatur, dum Gallia ad amnem uſque Rubiconem, qui ex Apennino naſcens Ravennam inter, & Ariminium in ſinum Adriaticum influit, pertingebat. Nunc ab Alpibus in altum excurrit, & ſuperum inter & inferum mare media porrigitur, donec in duo cornua ſcinditur, altero ad Siculum mare, altero ad Ionium procurrente. Sub Alpibus Ligures ſunt; ſub monte Apennino Hetruſci. Sequuntur Latini, Volſci, Campani, & Bruttii. Hanc hominis cruri non temerè plerique compararunt: Nam tibia infero mari objacet, jura ſupero, ubi Marchia, Anconæ inde dictæ, quod in cubitum flexa ſit. Pes Ionio mari abluitur, calcaneus Epyrum ſpectat, vola ſeu concavitas ſinum Tarentinum efficit: Carnoſiores partes promontoria ſtatuunt Zephyrium, Carcinam, & Brutium. Digiti in Siciliam converſi ſunt. Genu eſt in promontorio Populonio: coxendix & femur ad Alpes pertinent, qui Rhætios & Pedemontanos à Longobardia in hac Boreali Italiæ plaga diſcernunt. Porro Longobardia altera eſt Ciſpadana, Tranſpadana altera. Hæc tres ditiones amplectitur, Mediolanenſem, Mantuanumque Ducatum cum parte Veneti Dominii. Ubi Brixia non ignobilis. Illa ex tribus pariter eſt conflata, bino Ducatu Parmenſi, atque Mutinenſi, & Marchionatu Montis Ferrati.

2 *Olim Græcorum coloniis ad Orientem celebrata.*] Iſtuc appulerunt Aborigines, & Arcades duce Euandro, qui Pallanteum condidit: eo pariter coloniam advexit Tyrrhenus, & urbis, quæ nunc Florentia eſt, fundamenta jecit. Tarentum Lacones & auxerunt & incoluerunt. Sileo Cumas, aliaſque magni nominis urbes Græcorum colonias. Imo tota illa pars Italiæ, quæ ad Orientem & Auſtrum vergit, magna Græcia olim dicebatur.

1 *Ipſa*

Digitized by Google

noſtri homines arbitrantur. [1] Ipſa nomina urbium, locorumque, tot hiſtoriis fabuliſque vulgata, ad ſtuporem imperitorum valent, ſemperque aliis ſincerius quam ſibi credentium. Hoc mortalium favore, & Italiæ mala teguntur, & bona ſpecioſiora ſunt. [2] Nec dubium quin aliquot locis amœna ſit ſupra cæterarum regionum felicitatem: qua Benacus maſculis undis per montium clauſtra ludit, qua Avernus, Puteoli, Cumæ, laſciviunt. Etiam quicquid Gallico nomini Longobardi eripuerunt, ferme æquis & irriguis agris, pulchritudinem ſuam habet. Sed ſi totius Italiæ fortuna cum vicina conferatur Germania, Galliaque, & ad Septentriones pertinente Britannia, tunc fortaſſe & erubeſcemus, quod prævaricatione noſtra, qui tantam illius famam ultro alimus, dotes premat noſtrarum regionum non inferiores.

[3] Tellus frequentia montium aſpera, aut nimio & maxime

1 *Ipſa nomina urbium, locorumque tot hiſtoriis fabuliſque vulgata.*] Quid enim dicam de Latio, ita dicto, quod his Saturnus latuiſſet in oris? Quid de Neapoli ſive Parthenope, ſic appellata ab una ex Sirenibus, quæ quod tranſeuntem Ulyſſem in ſcopulos cantu pellicere non potuerat, in mare ſe præcipitem dedit. Sed & ipſa Roma princeps à Romulo condita quam multis fabulis locum dedit?

2 *Nec dubium quin aliquot locis amœna ſit ſupra cæterarum regionum felicitatem, &c.*] Duabus, inquit, in plagis Italiæ magna ubertas eſt, qua Benacus, qui lacus eſt in agro Veronenſi inter arctas montium fauces, ubi Lombardia Ciſalpinæ Galliæ locum occupavit: deinde & in Campania, ubi Avernus lacus, & amœniſſimæ urbes, aut Municipia Puteoli, Cumæ, &c. Ibi enim, ut cum Pomponio Mela, & Solino loquar, laſciviens natura divitias ſuas largiſſimo ſinu ita profundit, ut Bacchi, & Cereris certamen non immerito appelletur. Cœli autem tanta clementia eſt, ut hanc ſpirantibus auram, valetudinem ac robur inſpiret. Ipſe Annibal, quem belli labores indefeſſi non fregerant, hujus plagæ deliciis attritus eſt.

3 *Tellus frequentia montium aſpera.*] Italiam à Gallia, & Germania dividunt Alpes, qui montes, cum perpetuo dorſo ad multa ſpatia porrigantur, varias appellationes ſortiti ſunt. Nam ad mare dicuntur Alpes maritimæ; juxta Seguſium Cottiæ appellantur: deinde Graiæ ſequuntur; tum Pœninæ, poſtea Rhæticæ: prope Bavariam Noricæ: ad Forum Julium Carnicæ: demum Juliæ in extremis Italiæ finibus. Eſt mons Maſſicus in regno Neapolitano, ubi vinum laudatiſſimum, quod Maſſicum dixere. Eſt in eodem tractu Veſuvius eruptione ignium, & interitu Plinii notabilis. In Apulia ad mare ſuperum mons Garganus, apparitione Archangeli Michaëlis illuſtris. Attamen inter omnes Italiæ montes Apenninus verticem attollit, & in Italiam procurrens bifariam eam dividit, è cujus fere media longitudine Tiberis defluens, multiſque

Digitized by Google

me ſterili æſtu torrens. Solum in pleriſque locis aret, & qua ſegetes patitur, frequens rubiginis tabes crudas fruges corrumpit, aut incuſſa turbinibus grando. Ne quidem paſcuorum magna vis, improbo vellere ciboque pejore. Et vix unquam ubertas Italiæ ſuis alumnis per triennii continuam felicitatem ſatisfecit; multo minus ſuffectura, niſi frugalitas, cœlique conditio multum cibum aſpernantis, parca & ſobria convivia temperaret. Variorum generum arbores, quæ ſub noſtrorum ſiderum manſuetudine largo proventu ſe onerant, ibi nimio Sole conſumptæ, invalidos & vix utiles fructus edunt. Malis autem aureis, puniciſque, præfervida regio, & diverſa ficuum ſtirpe, ad ſuorum æſtuum levamen abundat: quæ nec neceſſaria ad humanos uſus ſunt, & per Orbem circumlata, plus noſtris deliciis quam precio ſuo merent. Nam olivas, quanquam ibi inter tria maxima humani generis commoda (cum ſegete vinoque) numeratas, maxime ex ſuarum regionum conditione æſtimant, in quibus paſcuorum vitio ſiccæ boves, exilia ubera, aut olida, mulgentibus tradunt. Carnes, ſi pauciſſimas excipias animalium ſub ſole pervicacius durantium, à noſtrarum menſarum deliciis pene in alios ſapores degenerant.

[1] Ut jam illa Paraſitorum gula, Græcas Romanaſque comœdias piſcium commendatione implens, pro illarum ſedium ſorte non parum videatur ſapuiſſe.

Urbes

tisque deinceps fluminibus auctus ab Herruria Latium, Janiculum ab urbe Roma dividit, tandem gemino oſtio in mare devolvitur.

1 *Ut jam illa Paraſitorum gula, Græcas Romanaſque comœdias piſcium commendatione implens, &c.*] Vix ulla reperitur apud Menandrum, Apollodorum, Plautum, & Terentium, Græcos & Latinos Poëtas mimicos, ubi non aliqui reperiantur Paraſiti: apud Plautum Aſinaria, Stichus paraſitos depingit ſuis nativis coloribus; & Curculio in Bacchidibus, Saturio in Perſa paraſiti introducuntur ab eodem Plauto: & in Eunucho Terentii Gnatho paraſitus quàm optume perſonam ſuam agit: neque frigidius mimos emungit Phormio & ipſe paraſitus apud eundem Terentium. Nec minus apud Græcos comicos admiſſi paraſiti, maximè cum Latini ex Græcis fontibus amœnitatem ſui ſocci hauſerint, id eſt, ex Ariſtophane, Apollodoro, Menandro, & aliis. Porro quantum iſti Gnathones, & Saturiones piſces commendarint, patet ex Sticho,

[1]Urbes eximiæ, amœnis, ut plurimum, locis conditæ. Domus non è fragili materia, hæ præſertim quas Palatia appellant, plus interdum ſua mole ſpectabiles quam ad habitantium uſum aptatæ. Vario marmore, ac interdum auro nitent: faſtigia ingenti opere in altum producuntur. Exeſæ ſtatuæ precioſis locantur umbonibus, haud raro ſoio vendentium mendacio debentes quod tam ambitioſe emineant. Qua vero parietes laxantur in feneſtras, non par reliquo artificio ædibus decor eſt. Nam plerumque aut carbaſi vile textum, aut inunctæ oleo chartæ id ſpacium amplectuntur quod recipiendo lumini deſtinant; quæ nec in publicum decent, & eorum oculos qui ſunt in ædibus, intra triclinii aut porticus fores, tanquam in cuſtodia, coërcent: longe à Britanniæ aut Galliæ cultu, quo muri ad feneſtras aperti vitro junguntur, libero ad exteriora conſpectu, lætaque trepidantis, ut ſolet, ſplendoris imagine. Templa autem (nam in tantæ famæ parte ſunt) nec totam advenarum expectationem implebunt. In imaginibus, ſigniſque, ſummus decor. Nihil a-ris formoſius. Purpuram, ſericumque, inter gemmas, & metalla, pro vilioribus ornamentis numerant. [2]Solum omnis artificii pavimentis effulgens diverſo marmore miſcetur,

Sticho, & aliis ſupra citatis Plauti mimicis: ſunt ſcilicet piſces Romanæ deliciæ.

1 *Urbes eximiæ, amœnis, ut plurimum, locis conditæ.*] Non jam commemorabo Bajas Romanorum luxu, aut Cannes Annibalis deliciis infames: celebrantur autem jam in Italia trito proverbio, Roma Sancta, pinguis Bolonia, Padua docta, Neapolis venuſta, Genua ſuperba, Florentia formoſa, Ravenna antiqua, Mediolanum latum, Venetia opulenta. in ædificii magnificentia conſpicitur :- nam

2 *Solum omnis artificii pavimentis effulgens diverſo marmore miſcetur, &c.*] Opere nimirum teſſellato, imo & vermiculato, & moſaico, nitent ipſa pavimenta, quæ varias aut hominum aut volucrum effigies referunt, ut nec abſit à luxu hoc quod pedibus ſternitur, neque nova Roma magnificentiæ plurimum ab antiqua remiſiſſe, jure nunc damnandæ, ut vel arguendæ, præterquam in ſacris ædibus, ut quæ ſimplicitatem Bethlemiticam parum oleat. Quanquam ſi triumphantis Romæ miracula enumerem, nihil ad magnificentiam templorum, Circorum, Amphitheatrorum, Obeliſcorum, Thermarum, Avium, Columnarum, Aquæductuum; Arcuum, Statuarum, ædium jam accedet, adeo totus quaſi Oriens videbatur exhauſtus, ad Romam Reginam orbis decorandam.

cetur, quod per idoneos colores vel imaginem florum reddit, vel in volucrum pecudumque ſpeciem conjungitur. Columnæ etiam ex marmore, ingentes, & penè ad illius lapidis vilitatem. Sed tam opulenta pulchritudo non ad ultimum venuſtatis pervenit, faſtigiis ſcilicet plerumque non editis, & nunquam libero Sole in obſcuras ſedes admiſſo. Feneſtræ multo ferro, & ipſa picturarum denſitate inumbrantur: ſi quam Ædem vel fores opportunæ, vel viciniæ libertas illuſtrat, etiam appoſitis velis, pariete interjecto, tanti ſideris munus repudiant. Adeo religionis ſenſum putant triſtitia noctis elatum, & per lucis jucunditatem expirare. Quicquid vero peregrini de publicis illis operibus credant, certe privatas hoſpitiorum ſordes, ac plurimum egeſtatem, non ſine triſti ſenſu & mirantur, & oderunt. Quippe in diverſoria delatos, jejunæ ſqualenteſque epulæ inter aviditatem & faſtidium dividunt. Tum tricliniorum ſitus; tum culicum, cimicumque omni genere infeſta cubilia. Acer inde diverſitor, & inclementis hoſpitii gravis merces.

Sed alia illi regioni blandimenta fortuna invenit, quibus adventantium ſtudia caperentur. Nam aut publicus error, aut propitium Italiæ fatum, ex omni Europa ibi juventutem propellit, mutuo in tanta frequentia ſolatio, quod cum ipſi ſibi debeant, huic tamen imputant terræ. [1] Sive igitur tuæ gentis homines amas, ibi frequentiam invenies; ſive te aliorum delectabit conſortium, in tam numeroſis diverſarum regionum cœtibus erit quoque quod deligas: præcipue quodam animorum commercio peregrinos alligante, ut interdum ad amicitiam plus valeat hoſpites ſimul eſſe, quam cives. Ita ex omnibus provinciis in unum corpus tranſeunt, ibique

1 *Sive igitur tuæ gentis homines amas, ibi frequentiam invenies.*] Non hodie primum Roma receptaculum fuit omnium gentium, cum priſcis temporibus Cornel. Tacitus factum aſſerat, ut boni, & mali de quacunque ora Romam ſe reciperent, maxime ex quo orbis totus Romam cœpit adorare. Nunc vero cum ſit Roma domicilium religionis, arx fidei, Eccleſiæ Capitolium, iſtuc populi quacunque gentium confluunt, ceu lineæ ad centrum collimant.

Digitized by Google

ibique communem, & extemporaneam patriam videntur conſtituiſſe. Præterea, qui in Italiam pergunt, juvenes, ac plerumque opulenti, dum aut oppida mutant, aut præcipua incolunt; dum omnia ad videndi audiendique voluptatem ſollicitant, annos elapſæ pueritiæ venturæque prudentiæ medios permittunt incurioſæ remiſſioni: maxime cum à patria ſemotis non occurrat domeſticorum negociorum facies, & hæc ætas à gravioribus curis ſeipſa ſubducat. Accedunt oblectamenta juventutis, ars equeſtris, Cithara, ſpectacula, artifices ad Comœdiam nati, ſed vix cothurno pares. Reverſis deinde in Patriam, & negocii (ut opus eſt) plenis, quid mirum ſuavi recordatione redire mitiſſimi temporis ludum, percuſſoque animo in elapſæ nec rediturae oblectationis memoria, locum quoque tantæ felicitatis conſcium gratum eſſe?

Cæterum magni caſus, & regio toties in exitium ſui dives, illos primos, & quos ex veteribus dicimus mores, de Italicis gentibus ut plurimum excuſſit. Animus tamen omnium rerum capax. Neque pingui impetu, & tantum ad naturæ imperium, ſed erudite, & cum artificio, virtutes, aut vitia ſequuntur. Humanitatis effuſa promiſſio ab iis omni corporis geſtu ſancitur: verba exactæ urbanitatis, & cum volunt ad perſuadendum aptiſſima. Etiam prolixe benevolentiæ indulgent; &, ubi vere amant, omnia diſcrimina habent infra tam humani fœderis ſanctitatem. Si quos autem oderunt (ſive ſponte averſi, ſive ſe laceſſitos exiſtiment) ideo periculi plenior res eſt, quia hanc animi ægritudinem plerumque tegentes, alte interim æmulationis aut offenſæ memoriam recondunt. Læſi interdum ad obſequium deſcendunt, ut inter amicitiæ jura tutiori fraude graſſentur. Etiam ætatem odia hæc ferunt; Ac quod noxioſiſſimum putes, nonnunquam animus tam facilis eſt ad vulnus, quam pertinax ad cicatricem. Mentes intra triſtiorem prudentiam caſtigatæ vix ſuſtinent jocos; nec quid temere, & abſque conſilio, vel dicere aſſueti vel facere, ex ſuo quoque

Digitized by Google

more alios æſtimant: nutus omnium, oculos, verba, in argumenta animi ſuperflua ſubtilitate ducentes. Ita perpetuis ſuſpicionibus, atque curis, ſui æſtus pœnas luunt. Sed & ipſa nimiæ calliditatis opinio eſt ingrata, cum vix in ſimplicem, nec ſuſpectam familiaritatem deſcendentes, ſemper ſtare in ſpecula credantur, quid cæteri agant arbitraturi. Venena, damnatamque libidinem, ideo omiſerim, quod non Italiæ propria vitia, ſed in totum Orientem criminatio, ad meridiem quoque deflectens, uni genti præcipue imputari jure non poſſit. Maxime cum hæc ſcelera tenebris fraudique mandata, & negari facilius à conſciis poſſint, & ab æmulis fingi. Ingens autem & publica crudelitatis opinio eſt, qua illic feruntur odia inter ſe inimici exercere, prædoneſque graſſari. Ita affectus diſpenſante natura, ut, in quibus regionibus major paſſim humanitatis ſpecies cernitur, ibi prædonibus ſit trucior animus, inimicitiarum quoque & ultionis ingenium magis in barbaros ritus degeneret. Nam Italia ultro prodigens obſequii cultuſque promiſſa, quod eſt ad odiorum immanitatem aut latronum, in extremum ſævitiæ abiit. Galli non pari humilitate verborum, geſtuumque, amicitiam colentes, multum quoque de crudelitate remiſerunt. Neque enim tam facile adducuntur, ut impiis cædibus naturæ jus violent; ſaltemque mortem ſuppliciorum maximum putant, non pœnarum optabilem metam, & ad quam debeant inimicis per tormenta gradus eſſe. Demum Anglia à Gallicæ humanitatis pompa recedens, etiam multo magis ab illa crudelitatis barbarie divertit. Nam & prædones ſpoliis contenti ſunt, & omnino inſolens facinus adimere vitam: oblongas perticas, ferroque præfixas, cervicibus euntium illidunt, ut, animo per ſubitum & brevem liquente torporem, nec illi ſuas res defendere poſſint, nec ipſi ad cædis nefas adigi, qua mutuæ rixæ frequenter funeſtæ ſunt.

* Italiam autem, quanquam totam Alpes & maria in ſe collegerint, unius quoque linguæ ſocietate cognatam, tamen

men diverſus multiplexque ſpiritus in varios mores egit. [1] Sæpe enim, & per partes, à diverſis gentibus victa, non unius animi incolas admiſit, quos indoli ſuæ miſcens, ab iis viciſſim externi genii ſatis imbuta eſt. Acceſſit ad formanda ingenia regiminis modus, in quod ſe unaquæque pars poſt tot cladium mutationem compoſuit.

Roma multo variarum gentium impetu jam olim de ſuæ magnitudinis ac opulentiæ faſtigio dejecta eſt, tanquam Orbis ſua ſpolia inde repoſceret. Neque unquam mutatio jus ſuum in hominum animos majore prodigio exercuit, quam cum illud Imperium, ingenti ſpiritu Romanæ indolis erectum, humilitate & ſocordia afflixit. [2] Nunc ipſa Urbs ſub Pontificum Jure, cum non modica Latii Umbriæque regione, viciniſque aliquot populis, aptos quoque tali imperio

* *Italiam autem, quanquam totam Alpes & maria in ſe collegerint, unius quoque linguæ ſocietate cognatam, tamen &c.*] Nimirum in re bellica Peruſini ſtrenui ſunt; Calabri præcipites; Spoletani callidi; Bononienſes efferi; Neapolitani temerarii & mobiles; Tarentini acriter inſtantes; Piceni rapaces; Placentini crudeles; Mediolanenſes intrepidi; Romani fortes; Florentini parci; Mantuani viles; Anconitani ſordidi; Veneti ſubdoli; Ferrarienſes pertinaces; Parmenſes inſtabiles; Mutinenſes prolixi. Paucis dicam, Itali læſi ad obſequium interdum deſcendunt, ut inter amicitiæ jura tutiori fraude graſſentur. Venena, vindicta & libidines non Italorum propria vitia ſunt; ſed in totum Orientem atque Meridiem deflectens hæc criminatio uni genti imputari non poteſt.

1 *Sæpe enim, & per partes, à diverſis gentibus victa, non unius animi incolas admiſit.*] Præter ſupra memoratas Græcorum, & Aſiaticorum colonias tranſmiſſas in Italiam, liquet ex ipſis veterum monumentis Gallos duce Brenno primum in Tuſciam ſuperatis Alpium jugis; deinde Romam armorum terrorem contuliſſe, & fruſtra obnitentibus Romanis Urbem expugnaſſe, ac demum inter Alpes, & Rubiconem amnem conſediſſe: quæ Gallia Ciſalpina dicta eſt. Deficiente Imperio Heruli, Gothi, Wandali, Longobardi, Dani, Germani, Franci, Hiſpani, Italiam diverſis ætatibus occuparunt, quæ jam in plurimos Principatus diverſa variis idcirco moribus imbuta eſt. Quin ipſa Roma multo variarum gentium impetu jam olim de ſuæ magnitudinis, ac opulentiæ faſtigio dejecta eſt, tanquam orbis ſua ſpolia repoſceret.

2 *Nunc ipſa Urbs ſub Pontificum Jure, cum non modica Latii Umbriæque regione, viciniſque aliquot populis, aptos quoque tali imperio animos induit.*] Ditio ſummi Pontificis in partes quinque ſecta eſt; in Flaminiam, vulgo Romaniam, cujus caput Bononia: Ducatus Urbinatem, & Spoletanum; Patrimonium S. Petri, cujus principalis urbs Peruſia: Anconæ Marchiam ad ſinum Venetum: & Latium, ſeu Campaniam, ubi Roma princeps orbis Chriſtiani, & totius Italiæ arx. Incolæ perpetua pace gaudentes ad belli terrores penitus inſueti ſunt, & inepti ad arma.

Digitized by Google

perio animos induit, ſcriptis quippe, terroreque, & veneratione cœleſtium rerum, toto Orbe ſui Principis Majeſtatem, pluſquam armis & majorum fortitudine, aſſerens. [1] Sub Regibus autem illud omne conceſſit, quod à Piceno, ſinuque Formiano, Adriaticæ & Tyrrhenæ undæ cingunt, in ingens Ionii maris latus extrema cornua Italię effundentes: [2] Sedem nomenque Imperio Neapolis dedit. Non alibi in Italiæ

1 *Sub Regibus autem illud omne conceſſit, quod à Piceno, ſinuque Formiano, Adriaticæ & Tyrrhenæ undæ cingunt.*] Præter ſummum Pontificem Hiſpaniæ Rex multas etiam tenet Italiæ provincias, quas ante Franci poſſederant, & ante illos aliqui Reges: unde nomen Regno Neapolitano & titulus regni, cujus ultimus Federicus victus à Francis Dux Andegavenſis factus eſt. Sed & regno Neapolitano duce Conſalvo, & Siculo ab Hiſpanis poſt Veſperas Siculas ſpoliati ſunt Franci, ut ſuperius narratum eſt. Mediolanenſis ducatus in Francorum pariter ditione fuit, multorum bellorum ſemen. Fuere & Exarchi Ravennæ & aliqui Principes, ſed inter alios eminet Magnus ille Dux Hetruriæ, cujus ſedes Florentiæ. Porro Hetruria, ſeu Tuſcia inter flumina Macram & Tiberim continetur, variarum frugum ferax, & fodinis marmoreis dives. Hinc Templa tota ex marmore, varii coloris, maxime Florentiæ ſpectandum illud B. Mariæ, & Magni Ducis palatium. Varias ſuſceperat adminiſtrationis formas, donec Caroli V. authoritate Mediceis ceſſit.. Sequuntur Piſa urbs Academica ad mare: Aretium, Volaterra, patria Poëtæ Perſii: Siena, Luca, &c. Portus ejus Liburnus inter celeberrimos Italiæ numeratur, eſtque magni Ducis triremium ſtatio. Attamen in ora Hetruriæ quædam extant urbes ad Hiſpanos pertinentes, quarum præcipuæ portus Herculeus, Telamona, Plumbinum cum portu longo, & è regione in inſula Orbitellum. Italiam omnem olim occupavere Reges Gothorum, & Longobardiæ, ſed hi Inſubribus tantum dominati ſunt: illi vero quidquid à Piceno ſinuque Formiano Adriaticæ, & Tyrrhenæ undæ cingunt, in ingens Ionii maris latus extrema cornua Italiæ effundentes.

2 *Sedem nomenque Imperio Neapolis dedit.*] Orientalis Italiæ pars, poſtquam ab advenis Normannis in regni formam redacta eſt, regnum Neapolitanum dici cœpit: cui cum acceſſit Sicilia trans fretum poſita, regnum univerſum duarum Siciliarum nomen accepit. Ita ut ipſa Sicilia, Sicilia trans fretum ſeu Pharum diceretur; regnum vero Neapolitanum Sicilia cis Pharum ſeu fretum nominaretur. Quod regnum tenuere Normanni, deinde Germani, poſtea Galli, tum Arragonenſes, denique Auſtriaci Hiſpani, quorum nuper excutere jugum voluit Neapolis. In illo regno plurimi tractus numerantur, quorum primus eſt Campania fœlix, vulgo dicta *Terra laboris*, ſcilicet propter ſoli ubertatem, fœliciſſimamque naturam, inde dicta à Plinio *Cereris & Bacchi certamen*. Regionis caput olim Capua, inter tres Europæ maximas urbes alias computata: hæc urbs domicilium ſuperbiæ, & luxuriæ ſedes fuit: cujus ex ruinis excitata eſt Capua nova, & cujus civium mores à priſca vix degenerant: hodie vero regionis caput, & Metropolis Neapolis eſt, prius dicta Parthenope ab una Sirenum ibi ſepulta: ſed à Cumanis conditoribus, quod nimium floreret, everſa, & ab iiſdem peſte laborantibus, Oraculi monitu inſtaurata, dictaque ideo *Neapolis*, id eſt, nova civitas.

Digitized by Google

Italiæ finibus majoribus armis nobilium virorum impetus, ac propemodum faſtus, attollitur: Equorum armorumque ſtudioſi ſunt; faciles ad ſtimulos gloriæ, & in omnis magnificentiæ cultus intenti.

[1] In alia Italiæ ora, qua influenti Adriatico primæ terræ intercedunt, urbem Veneti condidere, cum oppidis exuti, in illa vaſtitate quam Attila Italiæ fecit, ſuis ſe paludibus tegerent. In ea civitate quanquam toti nobilitati gerendæ reipublicæ jus eſt, tamen ſummum Imperium penes paucos ex ſenioribus manet, ſeverum quidem illud atque ſollicitum, ut neceſſe eſt, in tanta vicinorum potentia, civiumque deinde opibus, niſi cohibeantur, ad ambitum vitio divitiarum ſpectaturis. Sic illa diſciplina domitos animos, per aulicorum ſtudiorum venuſtatem non deducit; ac ne quidem illis voluptatibus decorique aſſuefacit, qui Patricias ſtirpes alibi tenet: ut eſt rei equeſtris, armorumque diſciplina, aptæ quoque elegantiæ, & urbanitatis, pro ſeculi more, peritia. Plus denique publice ſapere, quam privatim, edocentur, niſi quod in procurando patrimonio eximiam ſedulitatem habent. [2] Aliæ præterea urbes olim ſe compo-

vitas. Loco peramœno, placido, & molli aëre poſita eſt. Præterea principatum tenet citeriorem, ubi Falernum, & ulteriorem, ubi Beneventum, & Calabriam utramque, magnam olim Græciam, ubi Coſſentia, & Rhegium. Addo & Apuliam, ubi territoria Barrianum, Hidrantinum, Baſilicatum, & Capitanatum: denique Apruſium, ubi Canna Romanorum clade, & Annibalis victoria famoſa.

1 *In alia Italiæ ora, qua influenti Adriatico primæ terræ intercedunt, urbem Veneti condidere.*] Exigua hujus Reipublicæ primordia in longa deinde ſpatia excrevere: huic enim jam ſubjecta eſt Iſtria verſus Dalmatiam, cujus caput Pola: deinde Forum Julii, cujus caput Vedinum. Palma autem nuper condita, inter cæteras arces celebratur. In Foro Julii eſt Domus Auſtrianæ Palatinatus Goricienſis. Sequitur Marchia Tarviſana, ab urbe Tarviſio ſplendida, & lauta: attamen caput eſt Venetiæ, in ipſo mari, quod ab Adria dictum eſt Adriaticum, palis ligneis ſuperſtructa: Emporium haud dubie toto orbe celeberrimum. Splendet urbs magnificis ædibus. Aliæ urbes Patavium ſeu Ticinum, urbs Academica. Verona, Vicentiæ, &c. ultima ditio eſt inter Marchiam Tarviſanam, & Mediolanenſem Ducatum, ubi Brixia, Bergomum, &c. Incurſiones Attilæ, cauſæ ædificandæ in illo ſeceſſu maritimo, & paludibus civitatis extitere.

2 *Aliæ præterea urbes olim ſe compoſuerant per varia Italiæ littora in Reipublicæ auſpicium.*] Præter Venetam Rempublicam floret adhuc Genuenſis, Helvetios & Rhætios ut ſileam. Ad mare Liguſticum ſita eſt inter Provinciam Galliæ,

compoſuerant per varia Italiæ littora in Reipublicæ auſpicium, quas fortunæ vis erepta claritate Imperii, quod per externa maria quæſierant, in Regum Principumque clientelam coëgit. Jam in iis mixti animi, ſemperque pendentes ſunt, inter glorioſæ libertatis cupiditatem, cujus adhuc imaginem vident, & Principum, ad quorum patrocinium confugere, neceſſariam ſimul gravemque potentiam.

[1] Inſubres autem, corporibus animiſque ſpeciem ac genium Galliæ Italiæque miſcuerunt, vultu membriſque penè compoſitis ad Gallorum venuſtatem, quam deinde Italicis dotibus implent. Sed & utrinque ut virtutes, ita vitia exceperunt. [2] Cæteræ in Italia regiones Principes ſuos habent, modicis plerumque imperiis, ideoque majori callididitate,

Galliæ, atque Hetruriam montana regio, & ſaxoſa, cujus olim incolæ dicti Ligures: ſed tota regio nomen hodiernum cepit ab urbe primariâ Genua cognomento *ſuperba*, propter civium elegantiam, & magnificentiam ædificiorum: quippe domus nulla eſt quæ regem hoſpitio non poſſit excipere. Formam habet Reipub. cui ſummus Dux præeſt identidem eligendus: Eſtque ſub clientela Regis Hiſpaniæ, ex quo Andreas Aveias à Rege Franciſco defecit: huic ſubjectus eſt principatus Monaco quondam portus Meneciæ; ſubjecta quoque inſula Corſica.

1 *Inſubres autem, corporibus animiſque ſpeciem ac genium Galliæ Italiæque miſcuerunt.*] Scilicet antiquæ Galliæ Ciſalpinæ reliquiæ ſunt. *Inſubres ſunt*, inquit Strabo l. 6. *qui metropolim Mediolanum habuere.* Ipſe eſt Ducatus Mediolanenſis, ampliſſimus, nec non totius ut ajunt, Europæ primus, qui cum jure ſucceſſionis ad Regem Galliæ nomine Valentinæ cujusdam Duci Aurelianenſi nuptæ pertineat; tamen hodie tenetur ab Hiſpanis, quemadmodum & Neapolitanum regnum, & ipſum pariter Gallicæ ditionis propter Renati ſenioris donationem: de quibus, deque iſto jure conſulendi ſunt Annales. Caput eſt Mediolanum. Trans Padum ſequuntur Cremona, Aſſinum ſeu Papia Gallorum clade, & Franciſci Regis captivitate infamis. Deinde Novaria, Comum patria Pliniorum, Laus Pompeia, Alexandria, &c. quæ olim pariter ut & Ticinum ad Inſubres pertinebant ut Straboni placet, erantque vici eorum.

2 *Cæteræ in Italia regiones Principes ſuos habent.*] Præter ſupra dictos etiam eminet Dux Mantuanus, cui præcipua civitas Mantua, Virgilii patria, in palude poſita, quam fluvius Mincius alluit: hodie ſedes eſt ac domicilium familiæ Gonzaguarum. Hinc pendet Marchionatus Montis Ferrati, cujus caput Caſala, ſita ad Padum cum arce munitiſſima, quam irrito conatu ſæpe petiere Hiſpani, & hanc non ita pridem Galli ab obſidione liberarunt. Pedemontana ditio Ducis eſt Sabaudiæ, quam tenuere olim Taurini, unde caput eſt Auguſta Taurinorum. Et ipſa ad Padum cum arce munita. Sequuntur Verſella, Alba, Suſa, Salucium caput Marchionatus, quam Rex Galliæ cum agro Seguſino commutavit. Villa Franca ad mare triremium Ducis ſtatio eſt. Superſunt Dux Parmæ, & Placentia, Farneſiorum

ditate, ut ſunt in ingenti pelago ſcaphæ, adgubernandis: cumque in anguſtis Provinciis niſi per immenſa vectigalia ſufficere opes non poſſint majeſtati dominantis, ſalubri conſuetudine illæ gentes aſſueſcunt & opes invenire, & pro Imperio repoſcentibus non negare.

Nihil autem eſt tam arduum ſedulitati humanæ, ad quod Italici acuminis Præſtantia non tollatur. Ab ultima etiam ſorte vulgi non paucos quotidie in nomen atque opes felix induſtria producit. Nullum curarum genus quod divitias promittat, aut, ſi opus eſt, humilitatis ſpecimen aſpernantur: longi quoque laboris ſpeique patientes. Quorum alterum faſtus Hiſpaniæ, alterum ſubita atque præceps vis Gallorum non toleret. Altæ, & ad Rerumpublicarum gubernationem validæ mentes, ad omnem fortunam idoneę, frugi homines, intentique ad futura.

Latine ſcribere inter illos haud pauci, non utique loqui norunt. Linguam quoque, qua vulgo utuntur, quanquam nihil eſt aliud quam cum corrupta Latinitate barbarorum mixtura verborum, quantum poſſunt, ab originis ſuæ veſtigiis loquendo ſcribendoque avertunt; adeo ut in fauces revocent verba, qua aſperitas ſoni, vocumque contractio (quæ vix totæ ad aures perveniunt) nihil Latinæ cognationis videatur habere. Quo more Hiſpania jam & ipſam ſuam linguam infecit, ita demergens ſimplicitatem vocum, ut confuſa, & ſummo pectore coacta aſperitas deleat multarum literarum ſuavitatem. [1] Tamen amœnitas ſtudiorum in Italia

neſiorum ex familia: Dux Mutinæ, & Regiæ. Comes Mirandulanus. Omnes hi in Lombardia.

1 *Amœnitas ſtudiorum in Italia non exigua.*] Cultores artium Liberalium hactenus fuerunt Itali, & viros literarum amantes ut olim ſic & impræſentiarum mentur, fovent, alunt, exornant, & omnia Mæcenatum officia ipſis exhibent. Hinc tot per Italiam Academiæ, Romana, Mediolanenſis, Bononienſis, Patavina, Neapolitana, Appienſis, Peruſina, Salernitana, Piſana, Ferrarienſis, Senenſis, Florentina, Veneta, Bergomenſis, Mutinenſis, Taurinenſis. Nam Parmenſis, Placentina, Anconitana, & Maceratenſis, à priſco ſplendore deſciſcentes magna ex parte interierunt. ex iis Academiis ingens doctorum hominum ſummaque eruditione præſtantium ſeges emerſit, qui vix priſcis diſciplinarum optimarum talibus quidquam conceſſere.

in Italia non exigua, & maxime eæ partes ad quas vivax Naturæ lepiditas invitat. Teſtis gentilitii carminis pulchra, & ad vicinorum invidiam gravis ubertas, quæ nomina Poëtarum, tot amorum ignibus ad ſupplicii celebritatem fictis ardentia, ſacravit. Nec enim intereſt, ſua, an antiquorum lingua locuti ſint, cum ſit ejuſdem virtutis impetus, qui tenerum & opulentum ingenium in popularem, quique in veterem facundiam, laxat. Nam & Græci quæ intelligeret populus ſcribebant; & Romani Græcos mimos, & Atticę eloquentię efficax robur, ad ſui vulgi aures accommodaverunt. Jam quid de Italicis hiſtorię ſcriptoribus dicam? iſtis quidem ſincera prudentia victuris, illis autem tantum nimia eloquentia & partium favore peccantibus? Sed & ſapientia cœleſtis, & humanę prudentię diſciplina, cęteraque omnia quę in Muſarum tutela ſunt, nunquam parum illius populi ingeniis debuerunt. Ad extremum non alibi ſanctiorum virtutum exempla, pejorumve facinorum, quam in Italicis animis cernas, &, [1] quod quidam de Attica dicebat, nullibi vel atrocior cicuta eſt, vel ſuavius apes exuctis digeſtiſque floribus cellas implent.

CAPUT VII.

Hiſpanorum genius, mores.

ULtimum [2] Europæ clauſtrum eſt, in immenſum Oceanum Libyamque tendentibus, Hiſpania; quæ olim à ſitu

1 *Quod quidam de Attica dicebat, nullibi vel atrocior cicuta eſt, vel ſuavius apes, &c.*] Ita Tullius in quæſt. Tuſcul. hinc proverbium *Attica fides*, pro mutabili, ac levi. Nam ex quo Socrates iniqua damnatus ſententia cicutam hauſit, ex illo Attica æternam perfidiæ labem indigenis ſuis inuſſit.

2 *Ultimum Europæ clauſtrum eſt, in immenſum Oceanum Libyamque tendentibus.*] Nempe alluit Hiſpaniæ duo latera Oceanus: Aquilonare Cantabricus, Occidentale Atlanticus: tertium quod ad Meridiem, ubi fretum Herculeum, mare pulſat Ibericum, quod & Balearicum. Verſus Orientem Pyrenæos habet montes, perpetuis jugis ab Oceano, ubi Flaviobriga, hodie Fontarabia, tendentes ad mare mediterraneum, duobus inſignes promontoriis, uno quod Olarſo cognominatum, in Oceanum projecto: altero quondam à Veneris templo, nunc vero ab S. Cruce denominato, in mediterraneum. Hiſpaniæ longitudo milliariorum Hiſpanicorum c c. latitudo cxl. Ajunt in jugo ſummo

Digitized by Google

mo Pyrenæorum poſitum quempiam utrumque mare poſſe videre, ita ut jure peninſula appellari poſſit Hiſpania: circuitum DC. mill. ſtatuunt & amplius. Strabo, Ptolemæus, & alii hanc corio bubulo protenſo comparant; cujus partes ad collum pertinentes in adhærentem ipſi Galliam porriguntur. Subeſt Hiſpania medio quarti, totique quinto, parti etiam ſexti climatis, ubi optima cœli temperies, non enim, ut ait Plin. in Paneg. Trajani, velut Africa auſtrinis torretur caloribus, neque ut Gallia ventis aſſiduis agitatur, ſed inter utramque media, hyeme, & æſtate temperato ſole perfruitur. Hinc magna cœli ſalubritas per Hiſpaniam, teſte Juſtino, æqualiſque aëris ſpiritus nullâ paludum gravi nebula inficitur. Huc accedunt marinæ undique aſſidui flatus, quibus omnem provinciam penetrantibus eventilato terreſtri ſpiritu præcipua omnibus ſanitas redditur: tametſi frigidiores ſint partes Boreales. Qua montibus perpetuis in auſtrum declinat, tota fœlix, quippe quæ magnis fluviis Beti, Anate ſeu Guadiana, Tago alluitur. Metalla etiam precioſa procreat, fruges optimas progenerat; ſalinas in puteis habet, armenta paſcit: equos alit generoſiſſimos, quos *Aſturcones* ab Aſturia vocant. Porro Hiſpania olim Heſperia ultima dicta eſt ad diſcrimen Italiæ quæ reſpectu Græcorum & ipſa Heſperia ſeu Occidentalis eſt, ab ſydere Heſpero dicta. Quæ cum alias ſub quinque regibus eſſet Caſtellæ, Arragoniæ, Portugalliæ, Granatæ, & Navarræ, ſolus imperium in eam exercet Philippus quartus, tametſi ab ea nuper anno ſcilicet 1640. una reſecta fuerit Portugallia à tam vaſto imperio, ſed adhuc ſub Marte judice lis eſt. De his quinque ditionibus dicturo Navarra occurrit, utpote Galliæ proxima; nam ad radices Pyrenæi ſita eſt, ubi alias fuere Vaſcones. Caput regni Pompeiopolis. Duplex eſt, altera verſus Hiſpaniam longe major, altera minor, quam Galliæ Rex tenet. Superiorem alias invaſit Ferdinandus dictus Catholicus pulſo Rege legitimo Joanne Albreto, cujus neptis Joanna Albreta, filia Henrici Antonio Borbonio Duci Vindocinenſi nupſit: fuit is Henrici magni pater. Arragonia ſequitur, cui Cathalonia, & Valentia cum inſulis Balearibus ſubjacent. Arragoniæ caput Cæſar-Auguſta ad Iberum. Cathalonia, quaſi Gothalania, à Gothis, & Alanis, qui hanc oram invaſerant. Urbes principes ſunt Barcino ad mare, Tortoſa ad Iberum: Tarracona portu nobilis, & olim Tarraconenſis Hiſpaniæ caput: & in media regione Monſſerratus, ubi fanum Deiparæ ſacrum cum cœnobio tota Europa celeberrimo. Eó ſpectat Comitatus Ruſcinonis Galliam inter & Cataloniam, ubi Perpinianum; nuper firmata pace Ruſcino in ditionem Gallorum ceſſit, ibique Rex Lud. XIV. ſupremum Senatum inſtituit. Valentia metropolim habet cognominem, numeratque intra pomœrium ædium duodecim millia, totidemq; extra pomœrium. Tritum eſt apud Hiſpanos, Barcino dives, Cæſarauguſta ſatura, Valentia formoſa; fruitur enim clementiſſimo cœlo. Ibi olim & Saguntus fide erga Romanos, & ærumnis inclyta. Majorca, & Minorca olim dictæ Baleares inſulæ ἀπὸ τȣ͂ βάλλειν, quod eſſent fundibularii peritiſſimi. Juxta aliæ duæ Yvica, & Formentera. Quatuor inſulæ è regione Valentiæ. Tertium eſt regnum, Caſtilia, ſub quo alia undecim. 1. Biſcaia, dicta olim Cantabria, quæ poſtrema domita eſt à Romanis. Inter aſpera montium poſita eſt, & vino caret, niſi eo, quod ex pomis exprimitur; eſt tamen metallis dives. Urbs primaria Bellumvadum, portu nobilis, à Britannis, Belgis, & Gallis propter commercium celebrato. Ad Biſcaiam pertinet Bibuſcoa, ubi Placentia. 2. Aſturia, unde Aſturcones equi. Metropolis Ovietum. 3. Galecia, auri ſic ferax, ut ruſtici quondam glebas aureas frequentiſſime exſcinderent aratro. Caput gentis Compoſtella. 4. Legio, cum urbe cognomine, quæ primaria eſt. 5. Caſtella vetus altiſſimis montium jugis à nova diſcreta. Caput Burgi.

Sequi-

Digitized by Google

à ſitu Heſperia, mox ab oppido Hiſpalia appellata, tandem in hodiernum nomen conceſſit: Ingens tellus, quippe Galliam Afris committens, &, ſi Pyrenæi paterentur, Inſula, antiqua ubertate inſignis, hodie per vaſtas ſolitudines fidem tot hiſtoriarum corrumpens. Nudum in pluribus locis ſolum & ſterilibus arenis incultum, egens aquæ, non herbarum, non meſſium decore ſpectabile. Sed qua repentibus venis frugum aut vinetorum alimenta ſuggeruntur, mirum eſt quantum natura indulgeat. Illic ubertas eximia, & penè reliquæ plagæ ſterilitatem penſatura. Monſtrum putes quod alicubi arva auctum centies ſemen agricolæ reſtituunt. Frequentia oppida non ſunt: ſed nec in iis commeatus, quo hoſpites, Gallico, Britannove, aut Italico ſaltem more, excipi poſſint. Incolæ autem in priſcos habitus, geniumque majorum, ut maxime durant. [1] Robuſtum hominum genus, laboriſque illius patiens, non quo arva coli

Sequitur Vallis-oletum; Salamanca, Academia; Placentia: Ibi & olim Numantia fuit à Scipione Africano deſtructa. 6. Caſtella nova, ſive regnum Toletanum, à Toleto Metropoli ad fluvium Tagum, ubi centrum & umbilicus Hiſpaniæ. Non procul eſt Madritum, Regum domicilium, & quinto abhinc milliari ſtupenda B. Laurentii moles, ac monaſterium Eſcuriale, Philippi ſecundi opus. Eſt & Complutum Academia. 7. Eſtremadura, cujus caput Emerita Auguſta. 8. Andaluſia, rerum omnium ubertate adeo luxurians, ut Elyſiis campis vix diſparem putes. Metropolis Hiſpalis ad Betim amnem, emporium celeberrimum; unde ſolvunt naves in Americam profecturæ. Ad ortum eſt Corduba utriuſque Senecæ, & Lucani patria. Hanc provinciam Gaditanum fretum ab Africa dirimit. At Granatanſe regnum ultimum in Hiſpania Saraceni tenuere, unde penitus ejecti ſunt Ferdinando & Iſabella Regibus, quibus ideo Catholicorum nomen ab Alexandro ſexto Pontifice maximo conceſſum eſt. Regni caput Granata, quæ in modum mali Granati dehiſcens, tam multis, & condenſatis domibus, quam acinis malum punicum, referta eſt. Marſia contigua eſt, quæ à primaria urbe appellatur, Carthaginemque novam habet à Pœnis conditam. Supereſt Luſitania duo regna continens, inter ſeptemdecim minora, & quinque præcipua numeratur. alterum eſt Portugallia à portu Gallorum cognominata, ubi præter Uliſſiponem nobiliſſimum emporium, celebrantur Conimbria, ad fluvium Mundam, Academia: Bracara verſus Galeciam, Miranda, Bragantia, &c. Alterum regnum huic ſubjectum eſt Alguardia, cujus caput Pharus, poſtea Tavila, Sylvis, &c.

1 *Robuſtum hominum genus laboriſque illius patiens, non quo arva coli ſolent, aut artificia procurari, ſed qui maxime eſt ad bella idoneus.*] In caſtris ſcilicet famis, ſitis, laborum omnium patientiſſimi ſunt: ſed in acie, conflictuque major illis ars, quam ferocitas: his enim duriora, & bene compacta membra ſunt, color

coli ſolent, aut artificia procurari, ſed qui maxime eſt ad bella idoneus, ut eſt ferme pervigilium, inedia, ſitis, & omnino ad militarem diſciplinam obſequium. Nam in ſuſceptas ſpes pertinax animus, præcipuè virtutis partem credit, malis & periculis non laſſari. [1] Hinc ad Romanas olim partes obſtinata Saguntus, excidio ſuo & mutuæ cædis fortitudine clara. [2] Tum pro famæ magnitudine parva Numantia, tot Romanorum primo, ad extremum ſui victrix. [3] Luſitania quoque repentinis viribus, & cogi ſolvique facilibus, Viriatum ſuum ſuccingens; [4] & omnis Hiſpania, ad Sertorii diſciplinam fide & moribus commoda, ipſumque

color ſubobſcurus, quippe quibus natura ſicca eſt, & calida. Levi corpore, levibusque armis induti hoſtem facile ſequuntur, facileque, cum eſt opus, fuga ſaluti conſulunt; ſed & in ſuſceptas ſpes pertinax animus.

1 *Hinc ad Romanas olim partes obſtinata Saguntus.*] Hanc enim cum Annibal contra jus fœderis obſidione premeret, maluerunt Saguntini, ſe ſuaque omnia igne conſumere, quam aut fœderati populi amicitiam deſerere, aut vivi in hoſtis poteſtatem pervenire, inquit Livius belli Punici lib. 1.

2 *Tum pro famæ magnitudine parva Numantia, tot Romanorum primo, ad extremum ſui victrix.*] Circiter viginti annis bellum cum Populo Rom. geſſit: & à Romanis obſeſſa per annos 14. cum haberet tantum hominum quatuor millia, non ſolum ſuſtinuit, ſed etiam quadraginta millia vicit. Tandem tamen à Scipione poſteriore poſt longam, & arctiſſimam obſidionem deleta. Cum enim fame laborarent, nec eis daretur juſti certaminis copia, omnia ſua, & ſeipſos igni immiſerunt. Florus lib. 2. unde Scipio Numantinus cognominatus eſt.

3 *Luſitania quoque repentinis viribus, & cogi ſolvique facilibus, Viriatum ſuum ſuccingens.*] Viriatus Luſitanus primum in Hiſpania è paſtore Venator, è Venatore latro, mox juſti exercitus dux factus univerſam Luſitaniam occupavit: M. Ventidium prætorem fuſo ejus exercitu cepit. Poſt Cn. Plancius prætor nihilo fœlicius rem cum eo geſſit, tantumque terrorem hoſtibus is intulit, ut adverſus eum conſulari opus eſſet duce, & exercitu. Denique à proditoribus conſilio Cæpionis interemptus eſt, & ab exercitu multum imploratus, tumulatusque nobiliſſime. Ita Liv. & Florus.

4 *Et omnis Hiſpania ad Sertorii diſciplinam fide, & moribus commoda, ipſumque cum Pompeio Metellum fatigans.*] Per hunc enim traditur Hiſpanos diſciplinam rei militaris Romanam didiciſſe, ac fortiores deinde fuiſſe: nam præter rei militaris artem, abſtinentiſſimus etiam voluptatum, & tam religioſus eſt habitus, ut Cervam ſecum in expeditionibus haberet ſequentem, quam Dianæ numen dicebat eſſe, ex eaque reſponſa accipere, reſque gerendas, ut alii plures ſoliti ſunt, auſpicari. Quare Dux Luſitanorum delectus parvis copiis multas urbes ſubegit, & quatuor Romanorum duces contra ſe miſſos variis cladibus afflixit: Cottam navali prælio ſuperavit: Phidam Hiſpaniæ prætorem cum duobus millibus Romanorum interfecit: Domitium proconſulem attrivit: Trajanum à Metello miſſum cum toto exercitu delevit: denique Pompeio fortiter reſiſtens à Perperna

Digitized by Google

que cum Pompeio Metellum fatigans. [1] Adhuc Barbaros, & in rudia variaque imperia diſſectos, ſuæ fortitudinis admonere laceſſentes hinc Pœni, inde Romani; quorum ambitum Hiſpania luebat velut in præmium alienæ victoriæ conceſſa.

Domitis expulſiſque Carthaginis copiis, libido & aviditas Romanorum, libertatis quoque cupiditas, quam Hiſpani demum ut amiſſa eſt cognoverunt, crudam gentem, & barbaram, ita inconciliavit victoribus, ut nunquam in totum pacata, penè omnibus faſtis Italica arma laſſaret. [2] Ipſe quoque Auguſtus, bellum cum Cantabris, non ut leve & quotidiani momenti, ſuis Legatis mandare ſuſtinuit. Viſum

ſocio belli, & ejuſdem factionis per proditionem in cœna interfectus eſt. Ita Plutarch.

1 *Adhuc barbaros, & in rudia, variaque imperia diſſectos, ſuæ fortitudinis admonere laceſſentes hinc Pœni, inde Romani.*] Carthaginenſes cum in Hiſpaniam trajeciſſent duce Annibale, eamque pene totam ſibi mancipaſſent: eo Cneius, & Publius Scipiones miſſi pene totam Pœnis eripuerant. Punica arma aſſiduis conflictibus laſſantes magno ſane Hiſpanæ gentis incommodo, urbiumque exitio: ſed inſidiis Punicæ fraudis oppreſſi rurſus amiſerunt, magnis quidem illis præliis cum Punicas opes cecidiſſent; ſed Punicæ inſidiæ alterum caſtra metantem, alterum, cum evaſiſſet in turrim, cinctum facibus oppreſſerunt. Igitur in ultionem patris ac patrui miſſus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa nomen decreverant, bellatricem illam viris, armiſque nobilem Hiſpaniam illam, ſeminarium hoſtilis exercitus, illam Annibalis eruditricem (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus in Herculis columnas, & Oceanum recuperavit & cætera, quæ proſequitur Florus lib. 2. cap. 6. ut & alii omnes Romanæ hiſtoriæ ſcriptores. Porro tam ſtrenui bello fuere, ut Italica arma pugnando laſſarint, non deſiſtentes ne diebus quidem, quos Romani faſtos appellabant cum ſacris tum juri dicundo conſtitutos.

2 *Ipſe quoque Auguſtus bellum cum Cantabris, &c.*]

Tanta molis erat tam duram vincere gentem,

ut hanc Auguſtus non per legatos, ut cæteras, ſed per ſe oppugnaret, & non ſine gravi labore expugnaret. Erant enim Cantabri omnium Hiſpanorum ferociſſimi, nullamque ſine armis vitam eſſe exiſtimabant. Unde Sil. Ital. 2.

Cantaber ante omnes hyemiſque, æſtuſque, famiſque
Invictus.

Et mox,

Nec vitam ſine Marte pati: quippe omnis in armis
Lucis cauſa ſita eſt: damnatum vivere paci.

Horat. 2. Carminum,

Cantabrum indoctum juga ferre noſtra.

Idem lib. 4. Od. xiv. ad Auguſtum,

Te Cantaber non ante domabilis.

Tametſi poſtea ab eodem Auguſto domitus eſt, ut idem Poëta Venuſinus lib. 3. Od. xiv.

Herculis ritu modo dictus, ô plebs,
Morte venalem petiiſſe laurum
Cæſar, Hiſpana repetit Penates
Victor ab ora.

1 Tam:

ſum illi par ſuæ felicitati periculum, præſenſque depugnavit. Necdum Hiſpani tot bellis, tantoque ſuo & hoſtium ſanguine, de exteris Imperiis cogitabant, duntaxat adniſi non ſervire. [1] Tandem jugo aſſuefactos Gothi, Vandalique, de Romano exemerunt imperio: tunc quidem ſibi ipſis,

1 *Tandem jugo aſſuefactos Gothi, Vandalique de Romano exemerunt imperio.*] Honorio imperante, cum Romanum imperium ſua quaſi mole collaberetur, à variis gentibus ubique terrarum occupatum eſt. Hiſpaniam invaſerunt Vandali, à quibus nominata Andaluſia. Hos ejecere Gothi, totamque per annos circiter trecentos tenuere, religionique Chriſtianæ tandem initiati ſunt. Verum Vitiſca Rex improbiſſimus, cum in turpiſſima ſcelera deflexiſſet, & populis ſuis iter ad vitium aperuiſſet, infenſo Hiſpanis numine, Rodericus regno ſuccedens proſtratus ac interemptus eſt à Saracenis, quos ex Africa Julianus quidam Comes filiæ probrum ulturus in regni perniciem evocarat. Hi totam Hiſpaniam in partes diſtraxere, Gothorum reliquiis aut ejectis, aut in Galeciæ, Aſturiæ, & Cantabriæ montana compulſis; neque Hiſpaniam ſolum Saraceni corripiunt, verum in Gallias etiam inundavere ab Odone Aquitaniæ evocati: ſed partim cæſi, partim repulſi in Hiſpaniam ſeſe recepere. Simul his Pelagius Comitis Cantabri filius ad ſpem libertatis populos erexit, ingentique Saracenorum ſtrage edita Aſturiæ Rex ſalutatus eſt. Hic unicam ſuam Alphonſo junxit, qui Galeciæ regno initium fecit, cui adjecit Aſturias: mox & Legionis regnum recuperavit, Caſtellumque adverſus Saracenorum incurſiones in regni finibus condidit. Huic legatos præfecit, quos Caſtellæ Comites appellavit. Circa annum 800. Vaſco quidam, bello aſper, ex Pyrenæis jugis in Navarræ plana deſcendit, regnumque condidit, quod poſteri amplificaverunt, imprimis Sanctius Garcia, qui Pompeiopolin cepit. Itaque duo Reges Hiſpaniæ, ambo Chriſtiani, rem ſactam adverſus Saracenos tuebantur, & augebant. Sed Sanctius major, Rex Navarræ è Garciæ poſteris anno circiter milleſimo Caſtellæ Comitatum beneficio uxoris adeptus; Caſtiliæ Regis titulum Navarræ prætulit. Nec multo poſt Ferdinandus Magnus Caſtiliæ Rex Legionenſe regnum paterno adjunxit propter uxorem hæreditarium. Iſte proximus fato tribus filiis regna diſtribuit, quorum alter Arragoniæ, alter Caſtiliæ, tertius Navarræ Rex ſalutatus eſt. Quæ tria regna cum ex uno ſubito evaſiſſent, circa annum milleſimum centeſimum Henricus quidam ex Gallia, cum Regi Caſtiliæ ſedulam contra Saracenos operam navaſſet, filiam ejus Tereſiam, & dotis nomine Luſitaniæ Comitatum in præmium virtutis accepit. Succeſſor ejus Alphonſus plurima Saracenorum oppida expugnavit: nam inter pugnandum oblata Chriſti crucifixi effigies animum ejus mirum quantum erexit. Atque inde Luſitanici regni origo deducta. Hæc quatuor regna ad multos annos in Hiſpania perdurarunt, Saracenorum reliquiis in Bœtica, & regno Granatenſi ſubſidentibus, quos demum Ferdinandus, & Iſabella Arragoniæ, & Caſtiliæ Reges, Hiſpania penitus una cum Judæis, adverſus quos Inquiſitio inſtituta, tandem abegerunt. Quocirca permotus Pontifex maximus Ferdinando Catholici Regis cognomen indidit. Is Navarra adverſus Albretum dolo occupata, extincto abſque liberis Caſtellano, cujus ſororem duxerat, ipſius regnum ſuo adjecit. Neapolitanum in Italia regnum non ſine inſignis perfidiæ nota ſibi per Conſalvum vindicavit. Tandem filiam unicam genuit tot regnorum hæredem, quam Philippus Maximiliani Auſtriaci Imperatoris, &

 Belgii

ipſis, ſed quoniam in Hiſpaniæ corpus tranſierunt, *& Hiſpaniæ* quoque vincentes. Supervenit deinde ex Mauritania atrox fulmen, non ipſam modo Hiſpaniam corripiens, ſed uno impetu in Galliam tranſiens, Saracenorum viribus in immenſum effuſis. Exacti è Gallia & viciniore Hiſpania illi Mauri, ultra Bætim & Iberum conſederunt. Reliquæ Hiſpaniæ partes in diverſa & plerumque æmula imperia abiere: donec in primum coalituræ Hiſpaniæ pignus, Iſabella, quæ fratri in regnum Caſtiliæ ſucceſſerat, Ferdinando Arragonio nupſit, & magnitudine dotis, Arragoniam ſemper liberiorem quam ſub juſto Rege provinciam in meriti jura coërcuit: Mox ambo communibus armis domitos Mauros, penè octo jam ſeculis Hiſpaniæ incubantes, ſuæ Africæ reddidere. Sub eorundem auſpiciis Americam aperuit ille Columbus, ad Occaſum poſitæ Indiæ penè author: & ut proſperis undique fatis res Hiſpana emicaret, huic etiam Belgium, aſcito in communionem generis & imperii Philippo Auſtriaco, acceſſit. Eodem tempore pulſa ex Apulia arma Gallorum, Neapolim Ferdinando conceſſere. Mox novis & creſcentibus rebus, reverentiam, & quandam maturitatem, addidit Carolus V. Imperii titulo *auctus*, ſtrenueque Mediolanum ſibi aſſerens. [1] Reſtabat ex omni Hiſ-

Belgii totius ex conjuge Principis filius duxit uxorem. Quæ Philippus regna omnia ſive paterna, ſive materna ſperare potuit, non conſequi ante parentem & ſocerum extinctos. Hujus vero Philippi filius Carolus aliquando loco Maximiliani avi paterni Imperator eſt electus, & Ferdinando avo materno ex Hiſpaniis, & regno Neapolitano ſucceſſit. His omnibus acceſſit Mediolanenſis Ducatus, & aliquot ante annis America, quam Chriſtophorus Columbus Genuenſis detexerat, anno ſcilicet milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, & poſt eum Americus Veſputius, qui nomen terræ impoſuit. Philippus II. Caroli filius, extincto in Africa Sebaſtiano Luſitaniæ Rege, ſeu jure ſeu injuria, Luſitaniæ regnum invaſit: Sic Hiſpania tota uni Regi obediit. Verum contra *Philippum* IV. bellum gerente Ludovico XIII. *Rege Franciæ*, *præter alia multa in Belgio ab Hiſpanis amiſſa, poſt* expugnationem Atrebatenſem electo in Regem Luſitaniæ Brigantino duce. Dumque illinc ab Hiſpano Luſitania deficit, hinc Catalonia Franciæ Regi ſe dabat, qui paulo ante mortem Perpinianum in Ruſcinone cepit armis, cum plurimis Belgii, & Mediolanenſis agri arcibus: ſed tandem pace Hiſpanos inter & Gallos compoſita anno 1660. reddita eſt cum Mediolanenſibus oppidis, & aliquot aliis locis in Belgio Catalonia.

1 *Reſtabat ex omni Hiſpania nomine & affectu*

Hiſpania, nomine & affectu Luſitania diſpar, Orientis commercio gravis, ad quem per immenſa, & infida Africæ littora magno auſu navigans, victo etiam & per ſparſas colo-

& affectu Luſitania diſpar.] Luſitania ab Henrico Comite Limburgio uſque ad Philippum II. variis ab Hiſpanorum more legibus gubernata, non mirum ſi genium alium ſortita eſt, & aliis eſt imbuta moribus. Hunc Lotharingiæ Ducem, Luſitanorum Regum progenitorem faſti commemorant. Is Laribus in Hiſpaniam tranſlatis, Thereſiam, Alphonſi ſexti Caſtellæ, Legionisque Regis filiam duxit, accepta in dotem ea Galæciæ, Luſitaniæque parte, quæ nunc Portugallia eſt, quam ſuamet ipſe virtute ex Saracenorum & Maurorum manibus vindicarat. Huic ſucceſſit Alphonſus, qui Portugalliæ ſe Ducem appellari volens, Regis titulum ab exercitu accepit ann. milleſimo centeſimo trigeſimo nono, victoriam conſequutus in agro Orichienſi contra quinque Saracenorum, & Maurorum Reges, quinque Scutorum inſignia facti monimentum poſteris relinquens. Succeſſere Sanctius, Alphonſus II. Sanctius II. Alphonſus III. Dionyſius, qui primus Algarbiorum Regis titulum uſurpare cœpit, Alphonſus IV. Petrus, Ferdinandus, Joannes, Eduardus, Aphonſus V. cognomine Africanus, Joannes II. Emanuel, Joannes III. Sebaſtianus in Africa interfectus, Henricus primo Cardinalis, & Antonius; quo pulſo, quod nothus diceretur, Philippus II. Hiſpaniarum Rex ut proximus hæres regnum occupavit Emanuelis per Iſabellam primogenitam nepos. Anno tamen 1640. ab Hiſpano Rege deficiens Portugallia Ducem Bragantiæ quaſi rectum ſucceſſorem in regem ſibi præfecit. Uliſſipo Regni metropolis, Emporium totius orbis opulentiſſimum eſt propter aurum, aut peregrinas merces quæ ex India, Africa, & America advehuntur. Situs ad Tagi fere oſtium, qui ad aliquot milliaria in Oceanum Occidentalem influit. Vallata urbs montibus, & colliculis, Ædificia non ignobilia, ubi tapetes, & aulæa Gallicam & Italicam ſuperantia ſupellectilem. In media urbe cœnobium Benedictinum cum templo, in quo ſunt Mauſolæa Regum Luſitanorum. Veſtitus Magnatum ut civium ſimplex & ſine faſtu; pullus veſtium color. Mulis non equis utuntur, etiam trahendis curribus, in quibus habent funes pro loris. Rex pro rudimentis adoleſcentiæ mulum conſcendens in tauros luctatur, aut contra Nigritas, qui in hac ora plurimi ſerviunt, fundâ lapides torquet. Sunt Luſitani humaniſſimi, etiam erga advenas, maximè Gallos. Et incedentes per urbem roſaria geſtant religionis oſtentatores. Atque hæc à Gallo, qui Uliſſiponem ex Anglia navigaverat, per litteras jam jam accepi. Sunt etiam omnium Hiſpanorum fortiſſimi, adverſus quos, etſi longe minori numero, tamen pro aris & focis decertant. Sunt præterea veloces, agiles, corpore tam mobiles ac leves, ut facile hoſtem inſequantur, ac fugiant; ſunt prompti, & laborum patientiſſimi: de ſe magnifice ſentiunt: in re nautica periti, ac navigationibus ad remotiſſimas regiones celeberrimi, mercatorum commercio ditiſſimi, inter pericula maris intrepidi maxime, ſi vera ſunt quæ à Fernando Mendes Pinto deſcribuntur. Luſitaniæ ſubjecta eſt Algarbia, quæ ab Arabibus nomen accepit, & ſignificat arvum felix & uber. Ana fluvio ab Andaluſia, & Eſtremadura diſcernitur. Comitatus initio fuit, datus ab Alphonſo X. Legionis rege in dotem Alphonſo III. Portugalliæ Regi, cum filiam ipſius Beatricem, quam ex pellice genuerat, uxorem duceret. Natus ex eo conjugio Dionyſius, qui primus Algarbiorum Regis titulum uſurpavit.

colonias occupato imperabat. Sed hanc quoque provinciam in ſuæ Hiſpaniæ corpus reſtituit Sebaſtiani Regis caſus, quo amiſſo Luſitani in Philippi II. Hiſpani poteſtatem conceſſere.

Tam ingentibus incrementis non mutati in Hiſpanis quidem mores, ſed magis aliquanto excuſati. Quippe eorum rebus adhuc humilibus dignus tamen hodierna magnitudine tumor fuit, in quem ſuæ Naturæ ſponte nati ſunt. Et hic illis vitiorum ac virtutum cauſa eſt. [1] Graves enim animi, & cum pondere quodam elati, non ſubito impetu effunduntur in diverſa: nec vincere magis ſciunt, quam victoria uti. Ita ad omnia pericula pervicaces, ne tempore quidem & tædio vincuntur; factamque natura & arte conſtantiam vix de illis locis amoveris quos ſemel inſederit. Sed verba, quibus ſe ſuoſque attollunt, ingrata audientibus, fabuliſque ſcribentium traducta, vultus quoque *cum hoc* grandi ſermone conſpirans, & convictus, niſi *ſervientibus* & domitis animis gravis, ſeveræ majeſtati penè quoddam odium addit. Unuſquiſque in acie, ac maxime phalange, quam ſingulari diſcrimine, melior. Servatas parcimonia opes, & ad temperantiam inſtitutis corporibus ſæpe negatas, in veſtitu conſumere amant, & ſic ad oſtentationem proferre; immenſa ſui fiducia, ſed apud timidos aut patientes

1. *Graves enim animi, & cum pondere quodam elati, non ſubito impetu effunduntur in diverſa.*] Nunc ad Hiſpanorum mores revertendum eſt, qui & ipſi robuſti ſunt, & laborum in caſtris, inediæque patientiſſimi, cruſtula panis & allio ſæpe contenti. Eſt enim ad bella natus, & in ſuſceptas ſpes nimium quantum pertinax Hiſpanus. Recondita illi mens eſt, & ad conſilia idonea: utque eſt Gallus in factis aquila, ita eſt Hiſpanus in conſiliis cochlea: verborum pompa efferendi ſe, & magnifice ſe circunſpiciendi apud illos populos ſolemne eſt, ita ut in ultima paupertate, ne ſupercilium quidem, & gravitatem ſuam ponant; omnes ſe nobiles reputant, magnificos titulos ambiunt, ipſique artifices, ac *proletarii* accincto ad latus enſe in foro, in vicis, ac triviis deambulant, & confabulantes de ſummis negotiis, ad regnum, aut Principes, Magnateſque pertinentibus agunt. Imo in ſua lingua, quæ à Latina degeneravit, quemadmodum Italica, & Francica, quandam pronuntiationis gravitatem affectant, demum nullam putant nationem paribus naturæ ac fortunæ dotibus exornari. Et velut Luſitani religionem ſuam plurimum ſignificant, & oſtentant.

1 Modi-

tes majore. Illis frugalitas eximia, non tantum in ſuæ Hiſpaniæ æſtu (ubi corpora nimio Sole marcentia cibum pati non videntur) ſed ubicunque ſuorum nummorum periculo edunt. [1] Modicus panis, nec precioſa herbarum condimenta, aſſuetis tam rigidæ virtuti plerumque ſufficiunt. In alieno autem ſumptu haud facile alii ad menſarum hilaritatem meliores. Nulla tunc ſeries opulenti convivii, quam non totam oculis manuque percenſeant. In ultima paupertate ſupercilium non omittunt. Sutori & egeno, cum jam fata inſtarent, aderat filius in paternam ſortem natus. Is cum rogaſſet, ecquid ſibi deceſſurus præceptorum relinqueret, jam defecta voce pater, Ut, inquit, memineris in majeſtatem aſſurgere familia tua dignam. Miraculo nobis fuit ex Hiſpania mulier, vix centonibus ſatis tecta, tribuſque qui comitabantur liberis precarium ſpiritum triſti mendicitate producens. Forte in Gallorum cœtum inciderat: Et ex his ſtatim unus ſpectaculo motus, Ego, inquit, ô mulier, hoc te onere ex parte levabo: majorem ex tuis liberis (& is forte ad decennium pervenerat) mihi trade: hunc levibus, ſuæque ætati paribus ad ſerviendum officiis aſſuefaciam: ubi adoleverit, meo ſumptu curaque artificii genere quod maxime probaverit imbuetur. Ad hæc mulier; Nec Deus hoc ſiverit, inquit, ô mi homo, quanquam pauperem me vides, ut in tantam humilitatem filium damnem: qui aut

1 *Modicus panis, nec precioſa herbarum condimenta.*] Allium & Cæpe herbæ olentes ſunt inter eorum delicias, à quibus alii abhorrent, quiſque ſuos patitur mores. Lepide Horatius allium deteſtatur, quod apud Mecœnatem ederat, cujus æſtu torquebatur:

Parentis olim ſi quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius.
O dura meſſorum ilia!
Quid hoc veneni ſævit in præcordiis?
Num viperinus hic cruor
Incoctus herbis me feſellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata eſt ducem,
Ignota tauris illigaturum juga,
Perunxit hoc Jaſonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam ſyderum inſedit vapor
Siticuloſæ Appuliæ:
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarſit æſtuoſius.
At, ſi quid unquam tale concupiveris,
Jocoſe Mæcenas, precor
Manum puella ſuavio opponat tuo,
Extrema & in ſponda cubet.

aut tu, aut ego, ſciamus, in quæ fata ſit genitus? aut quam claris virtutibus ſubſidium patriæ paraturus? Satius illi, ſi ita fata tulerint, inedia extingui, quam ad ſervitutem (ſub externo præcipue domino) egregiis hominibus indignam accedere.

Fallunt tamen Hiſpani tantorum ſpirituum ſpecie, quales naturæ ſponte, & ſæpe incogitantes, effundunt. Nam plerique illorum parca modicaque ſorte contenti, ne ſpem quidem ad majora faſtigia, & ſupercilio ſuo digna, videntur attollere. Hinc videas ad arcium præſidia modico ſtipendio collocatos, velut in patriis laribus, inter impares tam ambitioſis verbis curas, ad ſenectutem pervenire. Quod utique minus pati Gallorum animi poſſint, ad nova ſubinde omnia erecti; & Italica ſedulitas, ſemper illam quæ ventura eſt fortunam obſervans.

In Hiſpania, ſtudia literarum eo cultu non nitent, quem hæc ætas nudis & ſqualentibus Muſis repoſuit, cum periiſſe videretur ille eruditionis ſpiritus qui omnem ſcientiarum partem debet implere. Non enim Latinæ eloquentiæ ſtudium ibi viget, non venuſtas poëtices, non hiſtoriæ, priſcorumque rituum utilis & robuſta lepiditas. Veterem ac penè Barbaram in quærendis ſcientiis rationem obtinent: [1] Philoſophiæ incumbunt, Theologiam amant, non ſpernunt Legum & Canonum peritiam. Sed illas ſcientias Græca Latinaque eruditione mitigari indignantur: putantque hoc modo fucum addi, quo virilium literarum lineamenta elangueant. Vir nuper non ignobilis in literis famę, cum ab iis, quibus obſequium addixerat, juſſus eſſet in Hiſpa-

1 *Philoſophiæ incumbunt, Theologiam amant.*] Studia litterarum apud eos etſi excolantur, non tamen eo cultu nitent, quo in Gallia: nam à Latina, & Græca lingua averſi ſunt: habent tamen Gymnaſia non pauca, & Academias percelebres, maxime Salmanticenſem, & Complutenſem, ut Conimbricenſem taceam, quæ in Luſitania à Joanne II. Portugalliæ Rege, & Eboracenſem, quæ ab Henrico Cardinale inſtituta eſt. Excelluere his ſcientiis inter Hiſpanos Averroës, & Avicenna, Arriaga, Toletus, Suares, Mendoza, &c. Salmanticenſes, Complucenſesque ut ſileam & plurimos Dominicanos celebres, inter quos ille Granatenſis non ineditus loco ſedet.

1 In

Hiſpania divinarum rerum ſcientias profiteri, ſtatim hac politioris doctrinę velut infamia eviluit, admotiſque precibus ſupplex, à ſuæ libertatis dominis impetravit alias ſedes, & ſuæ humanitatis patientes. Præcipua ad Germaniæ morem ibi eruditionis ſpecies, prolixis voluminibus pauca complecti; ſed & illa plerumque ex aliis auctoribus ſupervacuo labore decerpta. Et hoc quidem Academiarum malum eſt. In cæteris urbibus non adeo frequens eſt ſcientiarum commercium (niſi quod [1] in ſuæ regionis dignitatem libros patrio ſermone conſcriptos amant haberi;) Prorſus ut in militaris nominis ambitum videantur hanc formam ſeverioris in Muſas negligentiæ quæſiviſſe.

Reconditæ illis mentes, & ad lenta conſilia idoneę: Hinc longos cuniculos agere, & veluti obſeſſis inaſpectos. Arma & pacem ex ſuis temporibus ſapientiſſime æſtimare. Opibus animos ſubigere, ab hac invicta arte de fortiſſimis gentibus triumphare. Maxime autem ſolemne eſt, ad parandam reverentiam, nomine cœlitum uti, ſpecieque ſacrorum ſubducere ambitum oculis vulgi. Numini ſuas cupiditates imputant, &, veluti pro illo depugnantes, ſolertiſſime ſibi vincunt. Illa veluti pręfatione, in omnium rerum cœpta, tanquam in ſcenam & tragœdiam, intrant. Ferdinandus, & Iſabella, hunc jam patrium morem nepotibus tradiderunt. Quippe in hoſtibus ſuis inveniebant publici odii cauſam, adeo ut ſemper in bellis credi vellent divinę iracundię miniſtrare. Cum externarum gentium Principibus acturi, non ex Optimatibus Ducibuſve Oratorem legebant, ſed ab alicujus monaſterii ſolitudine extractum. Ita pręter reciſos legationis ſumptus, fidem quoque ejuſmodi feciales & reverentiam negocio faciebant. Equidem digniſſimum laude putem, quod Hiſpani in magna hominum penuria,

1 *In ſuæ regionis dignitatem libros patrio ſermone conſcriptos amant haberi.*] Qua in re Anglos, Italos, & Gallos ſuperant. Extant plurima ejuſmodi volumina, quæ ſub commentitiis Heroum narrationibus, magnitudinem Hiſpanicam celebrant: vixque alii olim peritiores in his excogitandis extitere.

penuria, vaſtum tamen & diſſipatum imperium ſuorum civium coloniis aut pręſidiis tenent, ſuique ærarii famam opulentiæ Indicæ nomine & ingentibus præterea verbis cauta & induſtria fraude ſuſtentant. Cæterum in Hiſpanica gente pompa verborum, geſtuumque, ideo minus ingrata eſt, quod non aſcititia aut extorta, ſed veluti ex Naturæ præcepto intumeſcit, cujus omnis impetus, etiam in vitia declinans, neſcio quo genio decet. Sed nec indignos putes illa ſpecie animi in cothurnos aſſurgentis. Sordes ſaltem palam odere, cultuique corporis amant munditie & patritii ritus veſtibus indulgere: arma, etiam deficiente penu, tanquam præcipuum in viro ornamentum, & ſervant, & geſtitant. Nihil in illis ineptum (niſi ſi quid jactatio expreſſerit) in colloquiis cæteræque vitæ uſu: callidis aptiſque ad omnia ingeniis, nec ſe ipſa eodem fuco ignorantibus, quem facere aliis verborum pompa volunt. [1] Sermonum & amicitiarum exordia per ſpeciem mitiſſimæ humanitatis adornant. Hos tu quoque illis initiis optime poteris eadem tranquillitate adoriri; ſuccedentes autem ad faſtum, mutua majeſtate excipere. [2] Si vero te Gnathonem anguſtior fortuna voluerit eſſe, timido ſilentio plauſuque ſatia animos in ſuam aut patriæ magnitudinem diffuſos. At tunc quoque,

1 *Sermonum & amicitiarum exordia per ſpeciem mitiſſimæ humanitatis adornant.*] Nuſquam Hiſpani niſi in tertia perſona loquuntur, injuriam putantes ſi quis eos in ſecunda perſona affatus fuerit. Dictitant ſcilicet inter loquendum, ſi placet humanitati veſtræ (veſtra mercede.) Quod ipſum exemplo liceat confirmare. Non ita pridem Gallus quidam pergebat ad hoſpitium legati. Ad veſtibulum ſtabant ſatellites & ipſi Hiſpani: quorum unum Gallus ita alloquitur: Tu dicito mihi utrum Dominus Legatus adſit domi. In hunc Hiſpanus mox intortis intuens oculis: Tu vero quis es qui me tam impudenter alloqueris: Scias enim volo, quod ipſe tu es tu, quodque nullus alius eſt. Tu, præter quam tu.

2 *Si vero te Gnathonem anguſtior fortuna voluerit eſſe.*] Id eſt, paraſitum. Nullam habet fabulam Plautus, nullo luſit Terentius ſocco niſi in medium adducto Gnathone ſeu paraſito, quem Plautus inducit in Aſinaria ſub nomine Curculionis; ſub appellatione Saturionis in Perſa: apud Terentium in Phormione ſub eodem hoc nomine, in Eunucho ſub perſona Gnathonis; unde omnes Paraſiti Gnathones κατ' ἐξοχὴν appellati. Inducit & hunc præterea Plautus in Bacchidibus, & Sticho, quaſi ſuo ſale non ſit conditus ille mimus, in quo paraſitus deſit.

quoque, niſi quod jam admordeas, tuum eſſe ne duxeris; memineriſque, ut te promiſſis onerant ſupra fidem ingentibus, largiorem etiam quam præſtare unquam poſſis operam, mendacium aſtruente fiducia, polliceri.

CAPUT VIII.

Hungari, Poloni, Moſci, Gentes reliquæ ad Septentrionem poſitæ.

PAnnoniam [1] jam nutantibus Romani Imperii rebus Longobardi inſedere, Hunnique, qui transfuſo in provinciam nomine Hungariam appellaverunt. Hinc pro diverſis regnantium viribus ſæpe mutata limitum ſedes eſt, nunc illos in viciniam proferente, nunc in arctius cogente fortuna. Savo, Tibiſcoque fluminibus rigatur. Iſter jam plurimis fontibus auctus interfluit, capacique apud Taurunum alveo excipit Savum. Regio à Polonia atque Germania ad Dacas & Mœſiam excurrit; qua Illyricum & Dalmatiam ſpectat, Alpium molibus tecta eſt. [2] Omni proventu felix ſolum. Uberrimas ſegetes alit, paſcuorum ingentium fidem exteris gentibus facit, venalibus per Orbem armentis. Paulo minus centum millibus boum in ſingulos annos Germaniȩ tranſmittit, illincque in vicinas Germaniæ terras. Partem quoque Italiæ iiſdem cibis alit. Vinum generoſiſſimum eſt, nec multum illi diſpar, quod in Hiſpania gignitur. Cœlum quoque ad valetudinem commodum, niſi quod ſub Autumno intemperies mutantis in horas aëris morbos

1 *Pannoniam jam nutantibus Romani Imperii rebus Longobardi inſedere, Hunnique.*] Nomen ab Hunnis populis ex Scythia, Attila duce, profectis habet Hungaria, quam Savus amnis, quo à Croatia ſive Liburnia atque Servia diſcernitur, ad meridiem terminat, ad Boream vero Carpathiis jugis eam à Polonia dirimentibus, ad Occaſum vero Auſtriâ, Moraviâ, Stiriâ; ad Ortum denique Transſylvaniâ, quæ olim Dacia fuit, definitur. Sextum inter & ſeptimum clima media eſt; hanc Danubius ita ſecat, ut quæ Aquilonem reſpicit, ſuperior: quæ Notum ſpectat, inferior appelletur.

2 *Omni proventu felix ſolum. Uberrimas ſegetes alit.*] Frugibus ac metallis feraciſſima eſt, & vinum gignit generoſiſſimum Danubii tractus Taurunum uſque: Olea tamen aut rara aut nulla.

morbos creat; maxime hoſpitibus ſævos. Noctes ſcilicet multo frigore horrent, ingens æſtus ſuccedit, media luce campos corporaque adurens. Sub veſperam gelidus aër iterum incautos aſtringit. Varii generis preciique metalla in viſceribus tellus habet, aurumque interdum cum arena fluvii volvunt, feraciſſimi piſcium, quos ibi nimia copia viles facit.

[1] Indolem gentis ideo magis arduum ſcire, quod hoc ſeculo horribili clade perculſa eſt, ſuiſque moribus vix relicta; hinc urgentibus barbaris, potitiſque magna parte provinciæ; hinc milite ex omnibus Europæ populis ad auxilium lecto, moraque, & multitudine, aliquid ſuorum morum ſenſim in illam regionem transfundente. Dixerim, bello & aſſiduis malis factum, ut vulgus quod in agris habitat, excuſſa ruſticitatis ſimplicitate, in ſævitiam plerumque abierit. Nullo diſcrimine, in ſuos, atque hoſtis milites, inſidias ſtruunt. Si quibus ſub noctem aberrare contigerit, adſunt ſtatim ad prædam, & ingratiſſimo ſcelere ſuos milites, ſibi opem per omnia diſcrimina ferentes, non aliter à ſe quam nudos, & in ultimæ mendicitatis imaginem amittunt.

Nobilibus, ut par eſt, mens erectior, meliorque frons, & ani-

1 *Indolem gentis ideo magis arduum ſcire, quod hoc ſeculo horribili clade perculſa eſt.*] Hæc ſexaginta præfecturis duas tertias partes Turcarum Imperator tyrannicè obtinet. Poſſonium harum caput eſt urbium, quæ ditionis Imperatoriæ ſunt. Comora arx munitiſſima in extremo maxime omnium inſulæ poſita eſt, ubi quatuor Iſtri coëunt cornua, & omnium remotiſſima urbium, quæ Imperio Germanico ſubjacent. Javarinum arx eſt, quæ unica furori Mahumetano ſubſtrahi potuit. Sequitur Strigonia, tum Buda, ambæ venuſtiſſimæ; Verum nunc ſub Turcica gementes tyrannide. Hæc enim urbs, Hungariæ quondam caput, & Regum ſedes ab anno 1526. ad Imperium Sultani Solimanni communi omnium luctu acceſſit. In declivi collis ſita partem mœnium habet in jugo munitiſſimam; radicem vero Danubii fluctibus obfirmatam: ſubjectæ valles omni amœnitate luxuriant: Aëris autem ea eſt clementia, quæ quadrageſimum ſeptimum latitudinis, longitudinis vero quadrageſimum ſecundum decet; & quotquot ibi ſuperſunt rudera, ſuperbarum molium reliquiæ, ac veſtigia ſunt. Hæc urbs Serviæ & Hungariæ Turcicæ proregis domicilium eſt. A Buda uſque Taurunum jucundiſſime ſtrata ſunt itinera. Porro vix ulla eſt toto orbe pluribus proſciſſa religionibus provincia, cum antiquiſſimas ſectas trucem in modum ibi ſævientes foveat.

1 Inſi-

Digitized by Google

& animus ad magnificentiam factus, membra, inceſſuſque compoſiti ad venuſtam majeſtatem. Togis & tunicis utuntur, ad morem Orientis, purpureis maxime, aut quæ cœruleum colorem acceperunt. Et hic veſtitus egregie viros decet, brevi ut plurimum acinace ad togatum latus appenſo. Callidis & ingentibus conſiliis valent, parique audacia: prȩſertim ſi brevi duntaxat & furtivo impetu opus. Ingentes Proceribus opes ſunt; magna quoque, licet in regno, libertatis veſtigia. Unicuique pro opibus multitudo clientium; & illis in patronos ingens fides. Non alia ingentior nobilibus cura, quam ne quid de iis prȩrogativis decedat, quas tam à multis ætatibus intemeratas habent. Et ideo major armorum pertinacia contra Turcas, qui in unam ſervitutem omnis claritudinis ſanguiniſque familias premit. Abſque hoc, inclinatio animorum in illis timeretur, aliunde potius Reges quam ex Germania petituris. Quippe Hungaros Germanoſque vulgare viciniæ malum, ſuperba æmulatio, inter ſe committit. Probra utrimque in domeſticis colloquiis ſæva, alterniſque vitia curioſe aut explorant, aut fingunt.

Hungari equorum ſtudioſi, quos optimos habent; veſtes quoque, & arma, ad delicias pompamque exigunt: equis malunt quam pedibus prælium inire, timerique cum ambitu quærunt. Italica ingenia arteſque ſequuti, ne quidem ab eorum vitiis creduntur abhorrere, & vindictæ facinora peragere dicuntur iiſdem artibus, parique livore. Ad amicitiam facillimos putes: Sed hæc verane ſit aut tuta, nulli melius æſtimabunt, quam ii ipſi qui illam inibunt; ſerio reputantes num amari meruerint, an vero illa gens utilitatem captura, ſimulatione benevolentiæ, fraudem paret.

[1] Inſignis eſt apud illos magiſtratus quem Palatinum dicunt:

1 *Inſignis eſt apud illos magiſtratus quem Palatinum dicunt.*] Hungaria regi quidem ſubjecta eſt, ſed qui ſuffragiis deſignatus juxta leges in diætis promulgatas regnum adminiſtrat; nimirum undecim magiſtratuum auxilio. Sublimior in tres alios magiſtratus dividitur, quorum primus gubernat regnum regis nomine, ſcilicet Palatinus regni, qui proximus à rege eſt, & Regis ipſius

ſi quando

cunt: Is nihil ex ſe decernere, ſed obſtare Regi poteſt quicquam publicum ſancienti: cui poſtquam ſuo ſuffragio interceſſit, infirmum eſt quod deinde ſtatuitur. Et hunc plurimi colunt, tanquam vindicem libertatis, oppoſitumque Regibus, ut olim Tribunatus Romanis Conſulibus poteſtatis modum fecit. Hinc ſcias, magnos gentis animos, nimiumque tumentes, dura aut ſoluta imperia pati non poſſe: niſi (quod in provinciis illic cernas quas Turcæ invaſere) ad reverentiam dominorum, acri metu cogantur, & premente ſpem omnem libertatis.

[1] Illyrici, Dalmatæque, quos Iſtros Sclavoſque appellamus, ad Hadriatici maris littora incolunt; illinc qua introrſus terram ſpectant, in Pannoniæ fines perveniunt. Imma-

ſi quando accuſatur, judex ordinarius, ſuffragiisque & ipſe eligitur. Nunc Hungariæ ſceptrum ab Imperatoris familia non recedit, qui turmas auxiliares contra Turcas reliquo regno imminentes nunc primum miſit impenſis populi ſuſtentandas.

1 *Illyrici, Dalmatæque, quos Iſtros Sclavoſque appellamus, ad Adriatici maris littora incolunt.*] Iſtria Italiæ regio proprie eſt, poſt flexum Adriatici ſinus Illyrico contermina. Incolæ Iſtri dicuntur, quos fama eſt à Colchis originem duxiſſe, miſſis ab Æta Rege non paucis, qui perſequerentur Argonautas, qui ſive metu Regis, ſive longæ navigationis tædio juxta Aquileiam conſederunt, nomenque ab Iſtro amne ſunt ſortiti. Ptolemæus Illyricos ab Iſtris diſtinguit; & Illyricum ab Iſtria ad Macedoniæ uſque confinia ſecundum maris littora producit, mediterranea ejus ad Pannones, & Mœſiam ſuperiorem expandit. Multo ampliorem hanc regionem deſcribunt Pomp. Mela, & Dionyſius Alexandrinus; totam enim maris Adriatici oram ad Ceraunios uſque montes Illyricis aſcribit, & ultra Danubium habitare docet. Virgil. I. Æneid.

Antenor potuit mediis elapſus Achivis
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi,
Unde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva ſonanti, &c.

Florus de Illyriis ſcribens primo bello Punico ait, hos populationibus non eſſe contentos; ſed licentiæ ſcelus addidiſſe: Legatos populi Rom. jure agentes non gladio, ſed ut victimas ſecuri percuſſiſſe: præfectos navium igne combuſſiſſe. Idque quò indignius foret muliere imperante, quam ille Teutam vocatam aſſerit. Porro Sclavoniam eandem eſſe cum Illyrico Geographi docent. Ptolemæus ait, Dalmatiam & Liburniam Illyrico contineri. In Dalmatia eſt Epidaurus, quæ nunc Raguſa eſt, Reſpublica Mahumetano Imperatori tributaria: cui confinis eſt Albania, olim Epyrus, magnorum ducum patria, Pyrrhi, Alexandri, & nuper Georgii Caſtriotæ, Scanderbeq cognominati, qui totam hanc maritimam oram imperio Turcico eripuit.

1 *Hun-*

Digitized by Google

Immanium montium dorſo ea regio horret, perpetua hyeme in cacuminibus rigente: quæ in valles demittuntur, mitiora ſunt, viciſque & arcibus frequentia. Gens alieni juris eſt; diverſiſque dominis jamdiu aſſueta, in eorum plurimum mores, ac veluti indolem, abit. Pars Principibus Auſtriæ ſubeſt; Veneti non pauca ad mare obtinent: reliqua Turcarum Imperio acceſſere: hinc Germanici habitus atque mores, Italici etiam, ac denique barbari, pro dominorum genio diſpenſati. Penè invia regio eſt, niſi quod in portubus naves interdum excipit, quæ à Venetis in Orientem ſolvunt, aut illuc in Adriaticum remeantes: cætera peregrinos non invitant. Inde lectis militibus fortitudinis & audaciæ fama eſt, in Turcarum præcipue caſtris: paucique præter illos Conſtantinopoli in prætorianas cohortes leguntur.

[1] Hungariæ à Septentrione Polonia eſt, inde ad Oceanum

1 *Hungariæ à Septentrione Polonia eſt.*] Polonia quondam Sarmatiæ portio, regio eſt in planiciem exporrecta, nec non frequentibus conſita ſylvis, quæ agriculturæ quidem facultatem adimunt: ſed quæ emolumento non mediocri incolis eſſe ſolent, cum & multa ferina, & ingentis pretii pellibus, & tanta mellis copia dives ſit, illis ut recondendis vix ſit locus. Quid dicam opima paſcua, quibus pinguiſſima armenta, gregesque aluntur? Quid aquatilium frequentiam tantam ut illa gratis & largiantur, & accipiant? porro indigenæ veterem feritatem nunc demum exuerunt. Poloniæ caput Cracovia, deinde Varſaria: adjunctæ ſunt provinciæ Volinia, Samogithia, Podolia, &c. Imo & magnus Lithuaniæ ducatus, ubi Wilna, bellorum inter Polonos, & Moſcos origo. De Livonia, ubi Riga, diſceptatur etiam Polonos inter & Suecos. Poloniæ confines ſunt Ruſſia magna, Suecia, atque Germania: hoc quidem ad Occaſum, iſtud ad Aquilonem, primum ad Ortum: nam quod ad Pannoniam huic auſtralis eſt. Quod ſpectat ad religionem, Polonia idolorum cultu abdicato ſub Miſnelao primo, omnis hactenus erroris expers fuerat. Boëmi Uladiſlao regnum obtulerant, quod ille cum ſibi, tum popularibus ſuis cavens, religioſiſſime recuſavit. Poſtea tamen tantum fidei fecere naufragium, ut non pauci dogmata Arrii, Ebionisque poſtliminio revocarint. Libertatis amor, & innatum pondus impetuſque ad novitates quid non poteſt? Templa magnifica exciſa tholis ſolo æquantur, ad fœda ſacramenta plebs adigitur, in ſacerdotes, & optimos cives ferinum in morem ſævitur. Tot mala Alberti Brandeburgenſis defectio ſecuta eſt. Is ex equitum Teutonicorum magiſtro in Pruſſia factus toparcha Anabaptiſtas, Oſiandrique ſectatores ad ſe tanquam ad aram confugientes excepit. Livonia haud ita multo poſt motibus iiſdem exarſit. Additi Duitæ, Tritectæ, Trinitarii, Arriani, Pauli Samoſateni diſcipuli, & alii innumeri. Hæ ſpinæ tunc in Lithuania, & Samo-

num procedens, Ruſſiæque contermina. Tot ſpatiis *diffuſa* regio penè nullibi in montes aſſurgit: & à planitie factum nomen, quam Scythico verbo *Pole* appellant. Campi in immenſum patent, quos nix altiſſima hyeme obruit: hac diſcuſſa ſegetes creſcunt, non in indigenarum tantum uſus, ſed & mari delatæ, per multa Baltici littoris ſpacia, ſterilibus fundis anniſve opem ferunt. Sævæ hyemes terram fluminaque advinciunt, quia violentia Aquilonis, *nullis montibus* repercuſſa, liberum ut in pelago cœlum rapit: accedit Septentrionis vicinia, & ibi emoriens Solis vis, præſertim cum receſſit ad brumam. Natura ſubſidium admovit profundiſſimas ſylvas, quæ & in ignem datæ frigus expellant, & in ſuis præterea umbris animalia alant, quorum pelles fulciendis veſtibus precioſiſſimæ habentur. Hac duplici ope utuntur in hyemem. Alio quoque commodo ſuis ſylvis obnoxii. Quippe alicubi immenſa examina apum fervent. Agreſtia illa ſunt, nec cujuſquam cura aut paſtum aut tecta accipiunt. Vacuis quercuum ramis, aut truncis inhærent; ibi cereas domos extruunt & optimo melle implent. Hinc ingens faciliſque in regionem proventus. Ceram mercatores devehunt; ipſi melle conficiunt potum, quem in deliciis habent. Flumina, paludeſque, plus juſto quaſdam provincias obruunt, adeo ut æſtate vix poſſint adiri. concretis per hyemem undis curricula habent, quæ lubrica glacies facile evolvit: ita per regionem feruntur: & hoc eſt commercii tempus quo externi ad eos *commeant*, ceramque & pelles mercantur, ac ſi quid præterea ſub tam rigido cœlo in precium naſcitur. Plerumque lapides extruendis domibus deſunt. Lignis ad parietes utuntur, ſtramentoque operiunt, præterquam in celebribus oppidis, arcibuſque Optimatum, quantum illa regio ferre poteſt excultis. Polonis ut plurimum dura vita, cœlo aſpero, nec populi

& Samogithia pullulantes, nondum ſatis excuſſo idololatriæ, legisque Mahumetanæ jugo, jam jam enaſcentes religionis Chriſtianæ flores ſuffocarunt. Hinc exorta diſſimilitudo in moribus.

Digitized by Google

populi moribus factis ad noſtri ſeculi venuſtatem, & hinc aliquando ſæviora ingenia. Diverſoria peregrinos excipiunt, longe à noſtrarum terrarum ratione. Deducuntur in ſedem quæ inanis, & plerumque perfoſſis ad accipiendum lumen parietibus, ventis quoque & hyemi patet, nulli quibus decumbant lecti, non erecta ad epulas menſa, longo ac multiplici clavo paries fixus eſt. Illic hoſpites ſarcinas quas habent in ordinem appendunt. Multo deinde ſtramento ſternitur ſolum; & hoc in illis diverſoriis pro thoro eſt. Itaque per illam regionem proceſſuri, ad iter ita ſe comparant, quaſi domum circumducant. cibos, & cætera in alimentum ferunt, lectulos in rhedis collocant, ut nudis illis tectis, excepti ſua ſupellectile, & famem & frigora arceant. Gens eſt ad ferociam, & licentiam nata, quam vocant libertatem, adeo ut infandæ barbariei legem, multis ſeculis ibi ſolemnem, vix nunc demum omiſerint. Ea ſcilicet caverant, ut, qui hominem peremiſſet, ſolveretur metu judiciorum, ſi in jacentis cadaver projeciſſet pauculos nummos, quorum numerus eadem lege deſtinabatur. Nec tam vile feciſſent humanæ vitæ precium, niſi ſui genii impetu pro levi facinore haberent humanum cruorem prodigere. Ipſum nomen non tantum ſervitutis, ſed & juſti ac legitimi regni oderunt. Rex ad patrias leges vi & armis adigitur. Nobilitas triſtibus prærogativis ſe ipſa donavit, quibus poſſit ſibi invicem & impune nocere, quippe Principi non ſatis juris eſt, ut quod peccaverint ipſe vindicet. Maxime ſibi credunt: nec major libido eſt libertatis in moribus vitaque incivili, quam in religionum & cœleſtium rerum ſenſu; de quibus, ut placet, ſine metu, & ſentire volunt, & loqui: ſcilicet immani fiducia ſui, quibus ſapere alieno ductu pudet. Hinc in diverſa hodie ſciſſæ mentes, errorumque omnium lues, quicunque antiqua ſecula polluerunt. Quiſque in ſuæ familiæ laudem intentus eſt: præſertim ſi in exteros incidit, & expertes ſuarum fortunarum. Sævire quam decipere promptiores, & ipſi magis fraudibus quam vi patent.

[1] Ultra Poloniam Ruſſia jacet, quam obtinet Moſcovitarum Princeps. Nomen Imperio ab urbe Moſco eſt: quam illius Ruſſiæ caput multitudo incolarum, & habitatio Regum fecit. Ab Oceano ad Caſpium mare immenſo tractu patet. [2] Diverſis lateribus Polonis Suediſque confinis eſt. In aliis ejus limitibus Tartari hærent. Longo frigore, & penetrabili, damnata eſt. Vix profecto jam vere redditur terra, quam nives oppreſſerant. Inde æſtas graviſſime incumbit, & quaſi redimeret moras quas longa hyems fecit, ſubito æſtu percoquit fructus, non tamen ad noſtrarum arborum felicitatem. Penè ſupra fidem eſt ibi quoque pepones matureſcere, quibus apud nos non flagrantes modo ſoles quæruntur, ſed & ſæpe repetiti. Crebæ ſylvæ campos attol-

1 *Ultra Poloniam Ruſſia jacet.*] Ab amne Moſca & urbe regia cognomine Ruſſia magna Moſcovia dicta eſt. Hæc Oceano Boreali, ab Auſtro autem Tartariæ Precopenſi, atque Circaſſiis, & mari Caſpio: ad ortum Tartaria magna: demum verſus Occaſum terris Poloniæ, Sueciæ, Norvegiæ ſceptro ſubjectis clauditur, & pluſquam ad mille ducenta milliaria ab Auſtro ad Boream porrigitur. Terra parum ferax eſt, cum propter continuum montium dorſum, quos inter Riphæi, & Hyperborei, qui à Caſpio mari procurrunt uſque ad Oceanum, maximè celebrantur, tum propter inclementiam aëris, & creberrimas ſylvas, quibus inhorreſcit. Eam porro multi amnes, iique immenſi irrigant, quorum præcipui Viſula, Tineſcia. Olbias in Oceanum, Duina in Ægæum mare, Duna in Balticum, Boryſthenes in Pontum Euxinum, Tanais in paludes Mæotidas, Volga in mare Caſpium influunt. Is ab Occaſu ad Ortum currens Moſcoviam bifariam dividit: Attamen ex quo ad Aſanam, quondam metropolim regni pervenit, à Septentrione ad meridiem aquas ſuas volvit, eaſque in mare Caſpium per multa oſtia præcipitat. Ad imperium non hæreditatis jure, verum ſuffragiis Carus, ſive Kneſius evehitur. Is maxima opum damna paſſus eſt, ex quo Sueci Aras ad ſinum Finnicum inceſſerunt. Nunc pro Lithuania bellum eſt cum Polonis. Jam quod ad religionem, quotquot nobilitas à vulgo ſecernit, hi Romano Pontifici obediunt, vulgus Patriarchæ Byzantino ſubjacet. Ceteræ provinciæ Sileſiæ, Moraviæ, Hungariæ, quia conterminæ ſunt, vicinorum erroribus laborant. Antiſtites, qui Chriſtianæ Reipublicæ quaſi nervi ſunt, non aureis gradibus ad ſolium evehuntur, neque ex aula ad aram, ſed ex Eremo virtutis ſcientiarumque domicilio ad hunc ſupremum gradum aſſurgunt: Attamen iſtos facit perfidioſos, rudes, ac ſuſpicioſos captivitas, quæ patriis terminis eos includit: Sed mulierum longe major, ut quæ domi retentæ ſunt. Hæ virorum in ſe benevolentiam ex verberum numero æſtimant.

2 *Diverſis lateribus Polonis Suediſque confinis eſt.*] Ita ſcilicet confinis eſt, ut Laponia, quæ in extrema Suecorum peninſula poſita eſt ad Suevos partim, partim ad Danos, partim etiam ad Moſcos pertineat: unde fit, ut alii appellentur Lapones Sueci, alii Lapones Dani; Moſcovitæ Lapones cæteri nuncupentur.

1 *Ger-*

attollunt; in iis precioſæ pellibus feræ; ceræ etiam copia, atque mellis, & hinc præcipuum in illis regionibus mercaturæ commercium. Multi incolæ ſunt, neque tamen pro terrarum amplitudine, quas poſſident.

Servituti gens nata, ad omne libertatis veſtigium ferox eſt; placida ſi premetur. Neque abnuunt jugum. Ultro fatentur Principi ſe ſervire, illi in ſuas opes, in corpora, vitamque jus eſſe. Sordidioris reverentiæ humilitas Turcis non eſt in ſuorum Ottomanorum ſceptrum. Cæteras quoque gentes ex ſuo genio æſtimant. Hoſpites, ſive forte, ſive conſilio in Moſcoviam advectos, in idem jugum damnant, & ſervire ſuo Principi volunt: ſi quos furtim abeuntes retraxerunt, ut fugitivos plectunt. Magnatibus, licet ipſi ſerviunt, in minores ſuus faſtus eſt: & vulgus horum maxime ſupercilium timet.

Fertur populus adeo literarum rudis eſſe, ut pauci inter illos vulgatiſſimas preces memoria teneant quibus Numen propitiamus. Bello quam ocio aptiores: & plerumque in armis ſunt: ſive quo Tartarorum impetum frangant, ſive alio limite Polonos laceſſunt, aut repellunt: Iſta quoque ætate civilibus odiis inter ſe certaverunt. Acies illis ex equitibus tota: pedite ideo vix utuntur, quod omnium bellorum momenta in celeritate conſtituunt: magno impetu vel impreſſionem adorti vel fugam. Sed ubi pavere inceperunt, ad deſperationem quoque vertuntur. Adeo ut ex prælio fugientes, ſi aſſequitur hoſtis, nihil auſi repugnare, ita ſe victoribus dedant, ut nec mortem deprecentur. Caſtigandis furtis remiſſi ſunt: tamen prædones ultimo ſupplicio ulciſcuntur. Gens eſt cauta, nectendiſque fraudibus apta: Neque ignorant ideo mercatoribus ſe ſuſpectos: quos ut placabiliores habeant, interdum in mutuis commerciis aliam patriam ſibi fingunt. Perpotandi ſtudium acre eſt, & præter patrios potus ne quidem advecta vina deſunt.

Uxoribus longa captivitas, quas domi ſerio continent, dignas quoque majoribus malis: adeo ſervilibus ſupra fi-

Digitized by Google

dem ingeniis demiſſas eſſe ajunt. Virorum in ſe benevolentiam ex verberum numero æſtimant: nunquam melius ſuo judicio habitæ quam cum in ſæva ingenia inciderunt. Quidam è Germania in Moſcoviam migraverat, vir è plebe, & ſi nomen in tantilla re placet, Iordanes dicebatur. Hæſit ergo in illa regione, & cum ſibi eæ ſedes placerent, inde etiam duxit uxorem. Hanc cum charam haberet, omnibuſque officiis mutuam gratiam affectaret, illa dejectis luminibus mœſta, crebro in ſingultibus & cæteris mœrentis animi indiciis erat. Viro denique ſciſcitanti mœſtitiæ cauſam; ſe enim nullis quod ſciret amicitiæ muneribus defuiſſe; Quid tu, inquit mulier, tam egregie fingis amorem? Num putas latere me quam tibi vilis ſim? ſimulque largos gemitus cœpit effundere. Ille attonitus, in amplexus mœrentem recepit, rogare perſeverans, nunquid eam offendiſſet; peccaviſſe ſe forſitan, ſed culpam emendatione deleturum. Ad hæc illa, Ubi autem ſunt verbera, inquit, quibus te amare docuiſti? hoc certe potiſſimum pacto, maritorum in uxores apud nos benevolentia & cura ſancitur. Hoc à Jordane audito, primum ſtupor continuit riſum; mox utroque vaneſcente, è re ſua eſſe putavit, ut uxorem eo modo haberet, quem ipſa præſcripſerat; nec multo poſt arripuit cædendæ mulieris cauſam: & illa fuſtibus mitigata, tum primum bona fide amare & colere virum cœpit. Nec tenuit ille modum, ſed jam ferior quam miſera conjunx optaſſet, ad extremum grandi ictu dicitur hujus etiam crura & cervicem affixiſſe.

[1] Germania, qua Baltico alluitur mari, Cimbricæ Cherſoneſo

1 *Germania, qua Baltico alluitur mari, Cimbricæ Cherſoneſo confinis eſt.*] Hæc peninſula, quæ olim Cimbrorum fuit, hodie Dania dicitur, quæ cum ceteris inſulis adjacentibus ditioni Regis Danorum ſubjecta eſt, qui nuper ſuffragiis evehebatur ad ſolium: hoc tamen anno 1661. una conſentientibus populi & cleri votis, licet renuentibus nobilibus, ad quos Regni regimen hactenus referebatur, tandem evectus eſt. Clauſtra habet Dania ab Aquilone & Ortu mare Balticum & ſinum Bothnicum, ad Occaſum Oceani fluctibus alluitur. Ab Auſtro vero Holſtino Comitatu & Holſatia clauditur. Jutiam hodie hanc Danorum Regis ditionem, urbem vero totius regni caput Hafniam, vulgo Coppenhagen

Digitized by Google

ſoneſo confinis eſt, parvoque maris diſcrimine cæteras inſulas videt, quæ idem Cimbrorum regnum faciunt, hodie Daniam appellamus.[1] inde brevis in Suediam trajectûs eſt: cui ad Boream Norvegia adjacet. Et hæ quidem regiones ſunt, ex quibus tantæ gentes numero ſuo, victoriiſque celebratæ, quodam turbinis æſtu toti olim Europæ infuſæ ſunt. Inde Cimbri, Teutoneſque, inde Gothi Vandalique prorupere; per quos Italia, Libya, Hiſpania, cum Galliæ parte afflicta eſt. Recentioribus ſeculis quæ inde Coloniæ emi-

penhagem nuncupant: hanc portus celeberrimus, optima paſcua, & ingens copia piſcium commendant. Juttii Septentrionales licet procero ſint corpore, facieque ad elegantiam compóſita, frigidi tamen, ſuſpicioſi, cauti, & in rebus agendis providi, & admodum ſagaces ſunt, & ut ad lites jurgiaque propendent, ſic ad pericula impigre ac temere ſe præcipitant: verum Literarum in primis amantes ſunt, & ad juſtitiam proni. Quod religionem ſpectat; icto Regem inter & Saxonum Ducem fœdere, Lutheri dogmatibus aditus patuit: quamquam ex magno Antiſtitum numero in Dania, Norvegia, Iſlandia, Suecia, Gothia, ne unus quidem ſeu promiſſis ingentibus, ſeu minis aut pœnis frangi potuerit, & à fide Catholica vel lato ungue diſcedere.

1 *Inde brevis in Suediam trajectus eſt.*] Suecia Finlandiæ Ducatum, Gothiam cum Bothnia, Laponumque partem, Scriefiniam, cum parte Coreliæ, Alaudiſque Inſulis ſuo ambitu comprehendit; magiſque in longitudinem & latitudinem exporrecta, quam tota cum Galliis, Italia: Quippe Ducatus undecim, Comitatus duodecim, Diœceſes ſeptem ampliſſimæ in ea numerantur. Porro Holnia, ſive Stockolma, quæ totius Sueciæ umbilicus eſt, & in paludibus, quemadmodum Venetiæ, poſita, totius regni caput eſt, quod Norvegia ad Occaſum, Laponia ad Boream, Moſcovia & Livónia ad Ortum, Baltico mari, & Cherſoneſo Cimbrica, ad Auſtrum definitur. Melle, auro, & ære aliiſque metallis, maxime ad Saliburgium dives eſt, atque ob frequentiam paludum piſcium feraciſſima: tanta vero eſt cœli clementia, ut plurimi ad centum & viginti annos totos vitam protraherent, niſi immodicis compotationibus, epuliſque obruti fatum ſuum maturarent. Laponia nullas ſegetes alit, & pro equis, hibridis quibuſdam utuntur indigenæ, proceritate mulo vix diſparibus, aſinino pilo, & cervinis cornibus: magna tamen eſt frigoris aſperitas. Suecis inſitum eſt à natura robur: nilque virtuti ſuæ intereſſe putant, equites an pedites, mari an terra dimicent. Inde quondam emerſere Vandali, Longobardi, Gothi, qui terrorem armorum ſuorum per totam latè Europam circumtulere. Guſtavus primus, quo faciliori negotio bona ſacerdotum occuparet, & Sueciæ Regno adjungeret, Sectas plurimas fovit, bibliothecas cremavit, novatorum libellos in vulgus diſperſit, fruſtra renitente Sigiſmundo Poloniæ Rege deſignato: nam Carolus ejus patruus, quo tyrannidem nullo labore invaderet, Sectarios in eum armavit; & noſtra ætate Virgo Princeps hujus regni habenas cum regeret, omni ſpe avitæ religionis reſtituendæ dejecta, generoſiſſime ipſam ſe Regno abdicavit, ingens virtutis & ſcientiarum miraculum.

emigrabant, Northmanni dicebantur, id eſt, homines à Septentrione venientes. Per hos diu occupata Britannia, in Galliis plurima ferro igneque corrupta ſunt: ſed illis poſt varia diſcrimina pax placuit, & concedentibus Gallis, Neuſtriam inſederunt, quam exinde vocavere Normanniam. Adeo nihil in Europa intactum illis fuit, & omnibus formidabiles, etiam vulgo indomiti cenſebantur. Unde tanta hodie multitudo, & velut fons gentium aruerit, incertum eſt: certe jam minus crebra in illis regionibus oppida: tantumque à mittendis coloniis abſunt, ut, cum bella ingruerint, externo milite uti conſueſcant. Crediderim barbaras gentes, cum frugales ibi olim in inculto ſolo eſſent, ignaræque vitiorum, multa ſobole increviſſe. Et quoniam infelicitas terræ numeroſo populo alimenta negabat, ſæpe dimiſiſſe juventutem novas ſedes quæſituram; cui ſe ſponte tunc omnis ætatis homines applicabant: Nunc autem inſano comeſſandi bibendique vitio obruiſſe genitalem vim, nec habitatores niſi ſuis regionibus ſufficere poſſe. Illic Germania perpotandi ſtudio ſuperatur. Mane primum excitati ſtomachum implent ingeſto calidiſſimo potu, quem ab ipſo vino igne exprimunt. Sic refectis, miſſa ad caput æſtuantis potionis caligo ſomni cupiditatem facit: brevis quies eſt, rurſuſque ſecedunt ad potum. Vinum tunc bibunt, aut ſi quibus, ut vocant, cerviſia placet. Quod inde ſpatii ad medium diem eſt, negociis datur. Tandem ad prandium conveniunt, quod utique ſæpe non dubitant continuatis ſermonibus in cœnæ tempus extrahere: hinc ut plurimum in thalamos deferuntur, contumelias nec facere prompti, nec pati. Datæ dexteræ fidem non violant. Multa Germanicæ in his linguæ ſunt, ſed in moribus plura veſtigia.

[1] Norvegiam rari incolæ tenent. Ut plurimum venatione

1 *Norvegiam rari incolæ tenent.*] Hæc ſeptentrionalis ora Danorum Regi pariter ſubjecta eſt cum Dania tota, clauſtraque habet ab Auſtro Cimbricam Cherſoneſum; ab Ortu Sueciam; ad Occaſum Oceani fluctibus alluitur, ad Boream

tione vitam tolerant: nullibi commodiores malis, aut navium tabulatis arbores creſcunt. Gens eſt rudis, & apud multos veneficiis infamis. [1] Ajunt venalem apud illos ventum eſſe, quem inde navigaturi emant, Ulyſſis Æolique fabulam vero æquante prodigio. Diræ apud illos hyemes, & plerumque incautis infeſtæ. Torpens aër, remiſſo, ac penè nullo ſenſu, occupat corpus: ne, ante quam perieris, intelligas te perire. Memorabili exemplo huic peſti is ereptus eſt, quem Numen ad regnum Britanniarum deſtinaverat, nunc unius Scotiæ Rex, Jacobus. Filiam Annam illi deſponderat Fredericus II, Cimbricæ Cherſoneſi Rex: Sed cum illa in Scotiam veheretur, non ſemel in Norvegiam ejecta eſt, vi ſortium, maliſque geniis ad Veneficæ imperium ventos cientibus, quæ aliquanto poſt facinoris pœnas luit. Sed Rex interim amore & juventa impatiens, ad conjugem deferri conſtituit: provectaque jam hyeme, illud mare glacie infame ingreſſus eſt. Cœlo & tempeſtatibus luctatum Norvegia excepit; nec multo poſt quæ eum vexerat navis, velut in aridam delata, ita circumſtante glacie immobilis hæſit. Res ad Jacobum delata eſt: ſtatimque libuit hoc inſolenti ſpectaculo frui: quippe nulla ſuæ Britanniæ littora concretas undas tenent. Sudum erat, neque portus ab hoſpitio Regis procul: Proceſſit igitur, nec ſpirantibus ventis, nec acriter, ut videbatur, inhorrente aëre: contemplatuſque pauliſper glacie ſtratum mare in thalamum

Boream continuo montium dorſo à Laponibus diſcernitur. Incolæ candido ſunt ingenio, amantes exterorum, furum autem ac prædonum impatientiſſimi. E Norvegia uſque ad Cherſoneſum Cimbricam breviſſimus tractus eſt, & inter utramque inſulæ non paucæ, in quarum una Regia eſt Hafnia, vulgo Coppenhagen.

1 *Ajunt venalem apud illos ventum eſſe, quem inde navigaturi emant, Ulyſſis Æolique fabulam vero æquante prodigio.*] Fabulam Ulyſſis in Odyſſea ita recenſet. Cum Ulyſſes è Cyclopum antro pellibus arietum involutus evaſiſſet, hinc in Æoliam navigans ab Æolo ventos in utrem coactos obtinuit præter Zephyrum. Verum cum jam Ithacæ proximus eſſet, ſocii theſaurum eſſe credentes, utrem ſolverunt: quo facto, reflantibus ventis denuo in Æoliam repulſus eſt. Qua ratione id fieri poſſit in his Borealibus partibus non conſtat, niſi aut Æoli ſint, aut homines magicis imbuti artibus.

mum rediit, nec dum aliquid de pernicie hyemis ſuſpicatus. Sed dum foco ſe admovet, ex circumſtantibus unus, in dexteram Regis manum, ut forte fit, intuens, advertit vicinum pollici digitum cæruleo & exangui livore rubentem: perituſque cœli illius, Ne tu, inquit, Rex, ad ignem acceſſeris; nocuit tibi aër, & digitum exanimavit; ſic jam affectum, pejus ignis intempeſtivo calore perdiderit; frigoris lues alio frigore pellenda eſt. Admiratus Rex primum ſe læſum negat, quippe nullo modo doloris ſenſu tentatus. Sed non diu dubitavit, quin recte moneretur. Nam ſtupebat rigens digitus, ſenſumque cum ſanguinis calore amiſerat. De remedio quærenti, referunt, certam eſſe & in promptu medicinam, cujus ſe ſalubritas, brevi quidem, ſed acerrimo dolore, inſinuet. Id pati oportere, niſi malit intercidere digitum tam noxia hyeme contactum. Allatumque eſt vas ſubito, plenum nive, non quidem ad ignem domita, ſed per ipſum triclinii teporem jam ſenſim diffluente. Illo Rex digitum inſerere ex præcepto incolarum monetur: ſubitoque ingens dolor per torpentes paulo ante articulos penè illius patientiam excuſſit. Remeantis in digitum ſenſus documentum primum fuit, quod doleret. Eo modo Rex incolumis evaſit; admonitoque tam improviſi mali facilior poſtea cautio fuit, vel certe medicina: quippe & poſt, aurem dexteram equitantis eadem peſtis aduſſit.

CAPUT IX.

Turcæ, Judæi.

TUrcarum [1] ferum genus, & ad urbium, artificiorum, ſcientiæ excidium natum, noſtris vitiis, quam ſua virtute

1 *Turcarum ferum genus, & ad urbium, artificiorum, ſcientiæ excidium natum, noſtris vitiis, quam ſua virtute felicius fuit.*] Diſſenſionibus, quæ inter Chriſtianos principes interceſſere, abuſi Turcæ rem ſuam plurimum amplificaverunt; nec unquam in Europam pedem intuliſſent, niſi Palæologi, & Catacuzeni mutuis inter ſe diffidiis continuo pugnaſſent; dum enim nunc hi, nunc illi auxiliares turmas ab eis poſtulant, proferendi imperii anſam eis offerunt: hi Græciæ deliciis permulſi trajecto quaſi ad opem ferendam Helle-

tute felicius fuit. Hæc publica Orbis lues, barbaro impetu, tum multitudine hominum, & auſtera parendi diſciplina, invaluit. [1] Primum illis à Scythia, quam Tartariam appellamus, exordium. Hinc ſive ſtipendiarii diſſidentibus Perſis ad auxilium accerſiti ſunt, ſive ultro inopes patriæ campos reliquerunt, invitati felicitate viciniæ, Ducis quem ſibi conſtituerunt auſpicium mira religione ſequuti ſunt. Huic ſe ſuaque addixere; ſive libertatem nunquam viderant, ſive ultro projecerunt. Nec in aliis gentibus conſtantior in modeſtos & legitimos Principes fides, quam illis in atrocem, cui

Helleſponto, ex Burſa Bithyniæ Adrianopolim penates tranſtulerunt ſuos, conductis Genuenſium lembis, quibus plurima deinde loca eripuere. Capta ſimiliter inſula Rhodus, plurimæque magni nominis urbes in ſuperiore Pannonia, dum Chriſtiani Reges mutuis invicem litibus diſſidebant, neque auxiliares copias mittebant ingenti numero barbarorum oppreſſis Chriſtianis. Porro is eſt Turcarum genius, ut antiqua monimenta deſtruant; ſic Conſtantinopoli columna illa hiſtoriata metallo ſuo ſpoliata eſt; ſic ædificia ſubverſa nunquam ædificant, utpote qui omnia precario poſſideant. Artes pariter negligunt quaſi omnes ad arma & prædam nati ſint: ſcientias non excolunt, ex legis ſuæ præſcripto, ne vanitatem, & ignorantiam Legiſlatoris ſui animadvertant. Noſtris etiam vitiis iſtorum immenſi progreſſus cauſam quis non tribuat, qui Hieroſolymæ expugnationem à Saladino factam extincto Balduino rege audiet? Hic Syriam & Ægyptum adjecit imperio Saracenorum.

1 *Primum illis à Scythia, quam Tartariam appellamus, exordium.*] Turcicum imperium à Turkeſtan Scythiæ, appellationem nactum eſt, unde emergentes per Caſpias portas innumeræ copiæ ſeu prædandi cauſa, ſeu colonias in fœliciorem plagam traducturi cum Saracenis, & Arabibus ſocia arma junxere ad orbis pene totius exitium occupata primum Perſide, dum contra Coſroëm Romanis opem ferunt, mox uſque ad oram maritimam Adriatici ſinus ſeſe eorum imperium longè latèque explicuit: mox totum Ægæum mare ambiens, Propontidem, & partem Ponti Euxini ad Theodoſiam urbem, (vulgo *Kaffa*) in Tartaria Precopenſi, olim Taurica Cherſoneſo ambitu ſuo complexum eſt. In mediterraneis vero à Javarino Hungariæ arce Byzantium uſque clauſtra ſua porrigit: At in Africa univerſam maritimam oram uſque ad ſinum Arabicum obtinet paucis exceptis Hiſpanicæ ditionis. In Aſia denique quam longe fines protulit ſuos, ex quo hanc oram Othomannes armis ſuis victoriiſque luſtravit. Iſte ſpecie injuriarum cum celeri equitum ala minore Tartaria excedens Cappadociæ montes adituſque inceſſit: Huic non pauci ganeones ſeu ſpe prædæ allecti, ſeu ſcelerum ſibi conſcii ſe adjunxere, ſive ſtipendiarii diſſidentibus Perſis ad auxilium accerſiti ſunt: ſive demum inopes, ſterileſque patriæ tractus deſeruere fœlicitate viciniæ tuti, ſuique ducis auſpicium cum tanta religione ſecuti ſunt, ut in aliis gentibus non conſtantior erga modeſtos ac legitimos Principes fides eſſet, quam iſtis erga atrocem, cui ſe damnaverant, tyrannidem.

 1 Per

cui ſe damnaverunt, tyrannidem : niſi quod tantæ reverentiæ impetus ſenſim creditur jam torpere, ſub Principibus illo obſequio minus dignis ; nimis quoque in populo animorum affectibus nunquam diu conſtantibus.

[1] Per hos primum correpta pars Aſiæ, quæ olim fluere deliciis dicebatur. [2] Hinc ſub Amurathe in Europam, Ligurum ope remigioque, tranſvectis, illa Græcia, illud Muſa-

rum

1 *Per hos primum correpta pars Aſiæ, quæ olim fluere deliciis dicebatur.*] Ubi non amplius cæco Marte, ſed aperto pugnatum eſt, Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Pamphiliam, Ciliciam, ac Sebaſten minoris Aſiæ provincias deliciis fluentes circa annum milleſimum trecenteſimum Othomannes occupavit Philippo Valeſio apud Gallos imperante. Anno 1328. Orchanes acceptum à patre imperium iiſdem artibus amplificans, Myſiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, Nicæam imperio ſuo adjecit, Burſam Bithyniæ regium domicilium cepit, regnante in Galliis Joanne, ipſoque cum Anglis bellum movente. Idem iter in Europam poſteris ſuis auſpicatus eſt maximo Chriſtiani orbis detrimento. Attamen mors præcox funeſto exitu cum Tartaris dimicantis conſilia intervertit.

2 *Hinc ſub Amurathe in Europam, Ligurum ope remigioque, tranſvectis, illa Græcia, illud Muſarum domicilium, conceſſit in prædam.*] Amurathes Orkanis filius peritus ſimulandi, Romanorum more, qui hac arte Galliis potiti fuerant, patiens quoque laboris, & manu perinde atque conſiliis ſtrenuus Palæologi cum Catacuzeno contentiones fovit : hiſque bello feſſis, & exhauſtis uſus Ligurum navibus conductitiis, ſuperato Helleſponto, trajecit in Thraciam, ſive Romaniam, & Callipolim compluresque alias urbes armorum vi perdomuit; Beſſos, Triballos his adjecit ; captaque Adrianopoli, cum Serviam, atque Bulgariam jam ſpe, & cogitatione devoraret, pugione confoſſus eſt. Sic Græcia Muſarum quondam domicilium, Agreſtium Barbarorumque conceſſit in prædam, qui tametſi ſub molli cœlo, vix tamen de avita feritate quidquam remiſerunt. Bajazetus Solimanno fratre cæſo A. 1389. rerum potitur, vir ad conſilia præceps, ac impiger, ingenioque perinde ſagax, ut cruoris ſitiens. Thracia ſubacta Theſſaliam, Macedoniam, Phocidem, Atticam invaſit : Miſiam ſeu Serviam, Illyricum ſive Boſniam, Triballorum ſeu Bulgarorum partem reliquam interempto eorum Rege Marco, junxit imperio. Jamque Bizantium totos octo annos oppugnarat, cum Hungarorum, Gallorumque audito adventu, obſidione relicta, ad Nicopolim congreditur, & profligatis auxiliaribus victor obſidionem proſequitur. Jamque nutabat oppugnata urbs, cum Tamerlanem Aſiam totam ferro flammiſque vaſtare fama eſt. Eo terrore permotus in Galacia, atque Bithyniæ finibus aciem explicat. Mars utrimque atrox; tandem ad Tamerlanem inclinat. Is vinctum compedibus aureis in cavea per Aſiam, quam ſceleribus ſuis afflixerat, fruſtra furentem traduxit. 1413. Mahammedes ejus filius exhauſto fratrum ſanguine rerum potitus, Valachiam, Macedoniamque totam ſubegit, ſedemque Adrianopolim ex Burſa tranſtulit. 1422. Amurates II. factus Tyrannus debellato Muſtapha patruo, Theſſalonicam antiquitate, amœnitate, copia rerum omnium nobilem excidit : Cyprum, Epyrum, Ætoliam ſubjugavit : cumque fœdera cum Georgio Deſpota Serviæ principe ſibi non mediocriter profutura intelligeret, filiam ejus in uxorem ambiit, & impetravit. Op-

portuna

Digitized by Google

rum domicilium, conceſſit in prædam. Ipſi tamen dura indole eluctati humanitatem, in majorum feritate perſeverant; prorſus ut intelligas ſub molli cœlo immania ingenia eſſe poſſe. Quandiu in Bithynia hæſerunt, aut in Thraciæ deinde littoribus, [1] æmula hinc Græcorum, hinc Trapezuntinorum imperia, per quæ vinci oportebat niſi ipſi vincerent, accendebant ſæva ingenia, & tunc quodam primarum victoriarum æſtu ferventia. Ubi pudendo nobis bello tantos hoſtes ſuſtulerunt, [2] Conſtantinopolim à Mahumete captam habuere in præcipuum regni caput; deliniti ſitu

portuna obtinendi Taurini anſa. 1451 Mahammedes II. fratris nece jam ſecurus apud Taurunum repulſam quidem patitur; verum Bulgariam, Dalmatiam, Croatiam, cum Ruſcia ſibi ſubdidit: Trapezuntium, & Mytelenem, aliaſque Archipelagi inſulas ad deditionem adegit: Eubœam, & Theodoſiam Ligurum nuper auxiliarium urbem domuit: neque ab armis abſtinuit donec Bizantium præcipuum imperii caput, ſitu urbis allectus, quæ in Europæ Aſiæque faucibus poſita eſt expugnavit 3. Kal. Jun. 1453. Regna duodecim, ducentas urbes Chriſtianæ genti abſtulit. Unus Ambeſius Rhodi dominus, & ipſe Gallus furioſis ejus conſiliis repagula objicere potuit. 1480. Bajazet II. moto cum Venetis bello Naupactum, Methonam Dyrrhachium obtinuit; vaſtataque Dalmatia, toxico extinctus eſt.

1 *Æmula hinc Græcorum, hinc Trapezuntinorum imperia, per quæ vinci oportebat niſi ipſi vincerent.*] Mahumetes II. Amurathis filius, Chriſtiana quidem matre natus, ſed religionis omnis contemptor, ac diſciplinis variis eruditus, præſertim Aſtronomiæ, tum Græcæ, Latinæ, Arabicæ, Perſicæque linguæ uſu promptus Turcicas res majorem in modum auxit: duo quippe Chriſtianorum evertit imperia, nam præter Conſtantinopolitanum, Trapezuntinum quoque cum Colchide in ſuam poteſtatem tranſtulit, Davide Comneno Uſumcaſſani ſocero, qui ibi imperabat, abducto, ac paulo poſt interempto. Quod imperium capta à Latinis Conſtantinopoli Iſaacius Comnenus ante annos circiter 250 fundaverat. Eſt autem Trapezus urbs juxta Pontum Euxinum, Sinopenſium colonia.

2 *Conſtantinopolim à Mahumete captam habuere in præcipuum regni caput.*] Mahumetes II. ut ſuperius memoratum, etiam imperium Conſtantinopolitanum obtinuit, capta Conſtantinopoli, ſedemque ſuam eò tranſtulit, totoque Oriente potitus eſt. Hæc civitas, quæ Byzantium olim dicta eſt, primi conditoris ſui Pauſaniæ Spartanorum Regis titulo ante ſe jactabat, qui poſt quæſitas apud Phœbi cortinam ſortes, urbem in loco terris cæcorum adverſo ſibi condendam audierat. Nam, Chalcedones arguebat qui multo ante urbi ſuæ ædificandæ campum minus idoneum elegerant. Multarum interjectâ ætatum intercapedine eadem urbs ab Imperatore Septimo Severo diruta; reſtituta deinde, atque aucta à Conſtantino Magno; à quo & appellationem poſtea ſortita eſt: & ex quo Romanas Aquilas eo tranſtulit, Roma nova nuncupata, uſque ad Imperii diviſionem Romani Juris fuit, tum vero ceſſit ad Græcos, donec imperante Conſtantino Palæologo ultimo, alterius Helenæ filio, anno 1453. exeunte Majo à Mahu-

Digitized by Google

ſitu urbis, quæ Europæ Aſiæque faucibus hæret, & commoditate pulcherrimi portus, tum fama Imperii, quod ibi multis ætatibus inclytum duraverat.

Quod in Oriente reliquum erat, vel à Soldano tenebatur, qui Syriam, vicinaſque regiones, Ægypto addiderat; vel ſub Perſarum jure erat, terras, quæ ab Euphrate ad Indiam late jacent, uno Imperio jungentium. Perſa palam Turcæ infeſtus, & de regni limitibus quotidiano odio belloque certabat. Utrique cum Ægyptio fœdus erat: ſed viſus Selymo Turcæ Ægyptius id cum Perſa arctius & religioſius colere: Et hæc ſtatim cauſa armorum. Nunquam tam brevi bello parta major victoria, ſpoliis, viris, terris: & quod

Mahumete ſecundo collatis totius exercitus ſignis expugnata eſt, tametſi vix ulla ſitum tota Europa munitiorem hac Regina urbium nacta ſit; In extrema Romania totiusque Europæ confinio, altero ab Aſia minore milliari, à qua Boſphoro Thracio dirempta eſt, ex adverſo Galatiæ veteris Ligurum coloniæ, in quadrageſimo tertio latitudinis gradu, longitudinis quinquageſimo ſexto poſita. Attamen regio eſt nec cœlo læta nec ſolo, & niſi qua mari propior eſt, infœcunda, frigida, & ſeminum maligne admodum patiens, ibi enim frequentius venti ſæviunt. Devexo ſeptem clivorum tam venuſtè urbs inſidet, ut non ædes ædibus obſint. Figura Pomœrii trigona eſt, & contractius latus quod à terra ſejunctum non eſt; alia duo latera fluctibus maris objecta. Ambitus eſt tredecim milliarium, civium numerus centum & ſeptena millia ſuperat, qui ſeu Chriſtianiſmo, ſeu Judaiſmo, ſeu Mahumetiſmo initiati ſunt: viæ inæquales & anguſtæ, niſi qua à Palatio Principis ad portam Adrianopolitanam tenditur. & quoniam ad liberos paterna bona minimè tranſeunt, inde fit ut nullo luxu ædificia conſpicua ſint, ſed ea quibus ſe ſuaque tueri, & ne opum ſuſpicio ad reſtim adigat, occultare poſſint. In quolibet ſeptem clivorum Moſqueum aſſurgit ad figuram & typum S. Sophiæ templi, quod Imperat. Juſtiniani opus eſt, magnifice efformatum. Cœnobium, quod idem Imperator prope ſuperbam hanc templi molem extruxerat, nunc in gynecæum & domicilium caſtitatis, in ſcortorum cellas fœdum in morem commutatum. Templi faſtigium porphyriticis fulcitur columnis, fornices Moſaico opere, pavimentum teſſellato, & omnia gemmis auroque vibrantia; Ibi lapis marmoreus, in quo lota dicuntur Chriſti pueri à matre virgine lintea, ſummo etiam apud Turcas honori hactenus habitus. At in templorum veſtibulo piſcinæ Numidicis aſſurgunt columnis, quæ teſtudinem ejuſdem artis ſuſtinent, ubi membrum, quo peccatum eſt, ablui ſolet, priuſquam Numini operentur. Sileo pluſquam regalis magnificentiæ aquæductus, columnam hiſtoriatam aureis quondam argenteiſque veſtitam bracteis, nunc à barbara & avara gente deletam. Non dico veteris Palatii molem immenſam, ubi extincti Sultani concubinæ includuntur, ut liberorum enectorum crudele fatum ſecurè lugeant. Nihil tamen portu vaſtiſſimo cum ad magnificentiam, tum ad utilitatem admirabilius, ſeu elegantiam ſpectes ſeu commercii frequentiam.

1 Omnes

& quod eſt amplius, diuturna earum rerum quæ victæ ſunt poſſeſſione, quippe duobus juſtis prælijs, unoque tumultuario, [1] omnes Soldani regiones, opes, arma in Selymum fortuna contulit. Hinc ille in Perſam gravior: Europæque ſimul imminens, noſtras opes faſtidioſe deſpicere. Sed à Syria cum Triumpho redeuntem acer morbus oppreſſit, eodem illo loco ubi quondam in parentem Bajazetem acie certaverat: velut diris patriam vindictam repoſcentibus. Sed [2] ſtatim Solymanus ipſo Patre acrior Pannoniam invaſit.

1 *Omnes Soldani regiones, opes, arma in Selymum fortuna contulit.*] Imo Selymus cumulato fratrum cæde parricidio 1512. Imperium occupavit, Caïrum ſeu Memphim in Nili clauſtro poſitam qua vi qua dolo cepit, Tomumbelum Regem Ægypti per totam urbem cum ludibrio circumvectum juxta portam civitatis ad reſtim adegit: inde Alexandriam, totamque Ægyptum invaſit; Damaſcum in Syria trophæis ſuis adjecit, Perſaſque ſuperavit, præter ea quæ ab Authore recenſentur.

2 *Statim Solymanus ipſo Patre acrior Pannoniam invaſit.*] Ann. 1520. Solymannus patris hæres filii parricidio infamis Taurum obtinuit: eique Rhodum, mox Alta, Regiam, Strigoniam & Budam adjecit: Tauriſium Perſidis caput bis domuit, Vindonianam Imperatoris ſedem cum Melita irritis conatibus oppugnavit. Ejus auſpiciis Barbaroſſa nobilis pirata Tunetum expugnavit in Africa: nec minus proſpere contra Perſas per duces ſuos pugnavit. Tandem ad Sigetum Hungariæ arcem moritur prope octogenarius imperii 47. Chriſti 1566. Verum anno eodem Selimus II. poſt devaſtatam inſulam Cyprum, & ſublatum Hiſpanis cum Goletta Tunetum ipſe omni Sardanapalo corruptior obiit an. 1574. imperii 8. poſt memorabilem ad NaupactumChriſtianorum victoriam, quæ anno 1573. accidit. At Amurathes III. die poſt defunctum patrem octavo undetrigenarius imperium iniit patris etiam in libidinibus pertinax æmulus. Is poſtquam cutem pluſquam ſatis curaſſet, nondum quinquagenarius ventre obeſo centum & duorum filiorum pater, aliquot adhuc concubinis uterum geſtantibus morte depaſtus eſt. 1595. Mahometes III. cæſis tot fratribus, ſubmerſiſque concubinis prægnantibus, filii, matriſque mortem tot ſceleribus addidit, quod & mater, & filius temporis moram, quo hic erat imperaturus ex Mathematico quæſiiſſent. 1603. Acmetus patri ſuffectus obſidione capto Strigonio, cum Rodolpho Imperatore inducias pactus eſt. Is patris cadaver plumbeo incluſum feretro ominis cauſa in aciem deferebat. An. 1618. Oſmannus quam tragico exitu florentem ætatem clauſit. Nempe iſte in porcorum hara vix impinguatus Orci pabulum factus eſt. Cum enim repulſam in Pannonia tuliſſet cæſis militum ſuorum circiter centum millibus, & de mutandis Prætorianis (Janiſſarios vocant) quorum diſſidiis tantam jacturam tribuebat, ſedeque in Ægyptum transferenda cogitaret, deficiunt ab illo milites & Muſtapham patruum è cuſtodia retractum Imperatorem denunciant: Oſmanum vero regni exutum inſignibus, miſerandoque per urbem ſpectaculo in equo ductum averſa ad caudam facie laqueo præfocant Maji 20. anni 1622. ſic evectus ad Imperium Muſtapha, anno tamen ſequente priſtinam in ſortem & in carcerem retruſus eſt: eique Amurathes ſubſtitutus Oſmani

ſit. Rapta Buda, quæ Hungariæ caput eſt, auſus quoque Viennam Auſtriæ obſidione tentare. Senſim tamen *Bizantinæ* deliciæ illorum Principum animos à noſtris *cladibus* averterunt. At nos inteſtinis interim odiis & æmulatione gentium fracti, non erubeſcimus pacis belliqne momenta ab iis expectare, in ipſos nihil ſponte audentes, contentique non laceſſi, adeo ut legatos, velut belli redemptores, & deprecatores fœderum, ad hos Bizantii Tyrannos dimittamus; quos illi, ſive ſua ſuperbia, ſive religionibus noſtris offenſi, nullo colloquio, ac vix quidem conſpectu dignos putant, rati infra ſui imperii dignitatem, ſuos quoque legatos ad mutuæ amicitiæ commercium in has oras deſtinare. Cæterum ut tot victoriarum felicitas, majeſtatem Principis Turcæ penè ſupra humani faſtigii cultus ſubvexit, ita ipſum populum, cujus manu impetuque partum Imperium, (mirum dictu) videtur afflixiſſe. Nam adhuc humilibus Ottomanorum Principum rebus, cum penè ſuam gentem, quantacunque tunc erat, *in caſtris haberent*, certe quicquid dignitatum prædarumque vellent dividere, ſpargendum in illos ipſos milites erat: nec alios præter hos Scythas

mani frater, cujus brevis quoque vita fuit, ut & ſequentis, quanquam fortunatiorem Hibrainum prædicare poſſem, & laureis augere non ſuis, ſi non Baſſam fortiſſimum Aſſicf generum ſuum oppreſſus vino ipſe immerito fune oppreſſiſſet; nempe in ea gente affectibus nunquam diu conſtantibus. Non enim adeo inops viris Turcia fuit, ut non aliquos ætas ſua aliquando tulerit. Rapta ab equitibus Militenſibus Sultani Hibraini concubina, cum filio, dum illa Meccam voto nuncupato cogitabat, Aſſicf omni bellica laude major Canæam capit, Cretæ inſulæ urbem munitiſſimam. Jamque trophæis dives redibat ad Principem, qui victorem generum ſuum quo potuit cultu gratulabundus excepit. Aliæ pellices Zelotypiæ œſtro percitæ, quod propter rivalem ſuam vindicatam ultori tantum decus impertiretur, cladem inſonti moliuntur, ſuggeruntque Principi ſpoliorum partem nullam ſibi factam eſſe. Ipſe vino immodice contra legem hauſto domitus Baſſam arceſſit, ingratum animum objectat, minas convitiis addens, quarum iſte minimè patiens par pari retulit, ſibique imprudens reſtim intexuit, quem paulo poſt meritiſſimum fatalemque temulenti Principis cervicibus induere ſui Janiſſarii. Succeſſit filius ejus Mahumetus, qui non ita felicibus initiis auſpicatus eſt: nam victoria menſis Julii anni 1655. ad Dardanellas relata quo non pervaſit? prorſus omnium opinione major cum decuplo numeroſior eſſet claſſis hoſtilis quam Veneta, nempe domeſticis delibuti deliciis, & in Venerem effuſi vero pulvere exerceri deſueſcunt.

¶ Tri-

Digitized by Google

Scythas habebant, quibus amicitia miſcerentur. Auctis nunc opibus, liberoque delectu, ex ſuis domitiſve gentibus, quos malint ad Rempublicam admovere, à præcipuis honoribus arcent veteres illas ſtirpes, illorum militum nepotes à quibus Ottomanica domus idipſum cum imperio olim accepit, ut jam ingrata eſſe poſſit. Neſcias id faſtidio factum, an conſuetudine, (quæ poſtquam invaluit, barbaris pro religione eſt) an ſecreto ad ſui regni ſecuritatem conſilio, quod ingentes præfecturæ, [1] tribunalia, dignitates, non aliis permittuntur, quam iis qui ex Chriſtianis parentibus nati ſunt. E Dalmatia potiſſimum, & Illyrico, de ſinu parentum abrepti pueri, virgineſque, in deſtinata Conſtantinopoli clauſtra ducuntur. Ibi ſacra parentum, quæ vix infantes meminerunt, in veſanas ſuperſtitiones mutant, circumciſis genitalibus, & reverentia in Mahumetem imbuti. Et hi cœtus in tam miſerabili rapina coacti, Regi Turcæ pro ſeminario ducum, principumque ſunt, quibus corporis ſui curam vireſque imperii tradat. Hinc prætera ſpadones, ad intima deſtinati obſequia, ideoque non vile aut pudendum ibi genus. Hinc Reginæ pelliceſque & ſemper tanto Regi regnaturæ poſt ſe ſubolis mater. Suas quoque amitas, & ſorores, ex illa cohorte delectis nuptum dant: ſibi patrueles, & nepotes, daturis. Adeoque eſt in precio de Turcica ſtirpe non naſci, ut ſumma in Imperio munera, quæ iſti ex Chriſtianis parentibus geniti tenent, in eorum liberos nuſquam tranſeant. Nec alia cauſa eſt, quam quod illos

1 *Tribunalia, dignitates, non aliis permittuntur, quam iis qui ex Chriſtianis parentibus nati ſunt.*] In tributariis omnibus provinciis Turca ex omnibus familiis, etſi Chriſtianis, decimum quemque rapit: Hos circumciſos, & Mahumeticis dogmatibus imbutos, in aula omni genere palæſtræ jubet exerceri, aptoſque reddi ad munera, officia, dignitates, præfecturas, & alia id genus obtinenda. Quod ſi quos ineptos adverterit (nam per cancellos, aut ſpecularia vitrea hos dum nobili hoc pulvere exercentur, jam tum diſcernit, ac ſeligit) hortorum miniſteriis deſtinat. Hi cum ſortem ſuam Principi debeant, præter quem nullum genitorem, aut dominum agnoſcunt, non mirum ſi tanta cum fide commiſſas ſibi provincias regunt, ſi ipſe Princeps ſe ſuaque illis ipſis lubentius committat quam indigenis. Adeo fœlicius eſt in hoc imperio eſſe alienigenam.

1 *Rudes*

illos in legem rituſque Turcarum ediderunt. Et hoc *illa* gens patitur, ſuo quoque judicio vilis.

Turcis enim ruſtica ac demiſſa indoles: neque digna libertate quam non curant vindicare. [1] Rudes animos ne ulla ſcientiarum humanitate mitigent, Mahumetes lege cavit, quo facilius ignari componerentur in legis veſaniam, quam præſcripſit. Gregum, armentorumque, & ſupellectilis præcipua illis cura: ædificia vix ad uſus, nedum ad cultum extruunt; ſive adhuc Scythicæ originis memores, & vitæ in plauſtris errantis, ſive quod unuſquiſque ſuum agrum precario jure poſſidet, ad Principis nutum non fundos illos tantum, ſed & provinciam mutaturus. Principem ingenerato affectu mire colunt; umbram hunc & effigiem Numinis vocant. In ea gente ſæviſſimi, fœdiuſque in Chriſtiano-

1 *Rudes animos ne ulla ſcientiarum humanitate mitigent, Mahumetes lege cavit, quo facilius ignari componerentur in legis veſaniam, quam præſcripſit.*] Mahumetes veſanus Abdalæ gentilis filius, homo infimæ ſortis, poſtquam ad maturam ætatem provectus eſt, Arabum prædis factus dives, in Mercatorem Perſidis incidit, apud quem propter ſuam in gerendis negotiis peritiam, ea gratia valuit, ut defuncto patrono, in ejus bona, viduæque conjugis nuptias irrepſerit. Quæ res impotentem ſervitii animum nimium quantum extulit, & ad movendum imperium excitavit ea maximè tempeſtate, qua in Heraclium Arabes communibus armis ardeſcebant, qua Arriani, Neſtoriani, Eutychiani, Monothelitæ Eccleſiam miſerandum in modum laniabant, qua Judæorum multitudo, potentiaque creſcebat, & Saracenorum valebat authoritas: Sed hæreſis maxime viſa eſt Mahumetanam tyrannidem accerſiſſe: hæreſeos enim multiforme monſtrum per Aſiam late graſſabatur. Mahumetes ergo nullis bonis artibus inſignis, ſed in officinis eruditus, nulla virtutis umbella conſpicuus, ſed in hara Epicureorum verſatus, verſatuſque animabus Dæmoni litandis, adſcitis ad ſocietatem perverſi conſilii duobus Judæis transfugis, totidemque hæreticis Joanne ſeu Bayra Neſtoriano, & Sergio Arriano, facinoris adminiſtris legem tulit ac promulgavit, cujus caput, atque ſumma fuit oppugnatam à Judæis, & Arrianis Chriſti deitatem tollere: quam ut ex humanis mentibus faciliori negotio deleret, cum Archangelo Gabriele, quemadmodum Numa Pompilius cum Egeria Nympha, Minos cum Jove, Rex Latinus cum Fauno, *Pharamundus* Francorum Rex *cum Marte*, addam & Socratem *cum genio ſuo* frequentia *habere* ſe colloquia commentus eſt, cujus ſplendori ſtuporem ſuum, dum comitiali morbo perculſus atterebatur, tribuendum dicebat. Poſt coactas autem ex mancipiis, prædonibus, ganeonibus, ſceleratis copias, nihil magis propagandæ legi profuturum æſtimavit, quam ſi terrorem armorum ſuorum per Arabiam, Perſidem, Europam circumferret: & imperii ſui clauſtra non aliis terminis quam Gange, & Atlantico mari definiret, totumque orbem concuteret.

2 *Huma-*

ſtianorum odium intenti, non ſunt illi qui longa majorum ſerie in Turcis ſunt, ſed qui in eorum ritus à nobis defecere: cæteris mitius ingenium perhibetur, longe tamen à moribus noſtris eſſe. Venena non alibi ingenioſius parantur: & vix credibile, quantis artibus vim nocentium rerum exprimant copulentque, nec aliter ſcilicet, quam per mirabiles aſtus, illa luc quemquam tollant: omnibus, quo hanc mortem & effugere poſſint & tradere, in pari vitio calliditatem quærentibus. Quis credat non guſtu, ſed nec tactu opus eſſe, levi aura hanc peſtem inſinuante, corruptiſque vitalibus nec lentam quidem mortem inducente? Nuper Alepenſem præfecturam emerat à gratioſis in Aula hominibus quidam ex illarum dignitatum candidatis. Urbs eſt vix bidui itinere à Cilicio mari ſummota, mercatorum frequentia Orientiſque commercio gravis, unde merces partim Euphrate, partim jumentis delatas accipit. Inde ſuis rectoribus ingentium opum cauſa, tam licenter in provinciam graſſantibus, quam profuſe illam emunt. Hoc igitur homine in præfecturam miſſo alius majoribus donis ſollicitat fidem eorundem Optimatum, jubeturque illi priori ſuccedere, qui provinciam vix dum libaverat. Is hoc nuncio celeriter amicorum fide perlato, vehementer, ut par erat, improviſa clade perculſus eſt, nec dum ulla ſcilicet præda ambitum emptæ præfecturæ repenſante. Igitur amicorum qui aderant conſilium advocat, apud illos amiſſas opes deflet, perfidiamque aulæ queritur, tam fœde venalem. Incertus conſilii erat, pareretne revocantibus Conſtantinopolim literis, an ſucceſſori armatam manum objiceret: audaciæ veniam à Bizantinis proceribus novis muneribus impetraturus; aut ſaltem publico ſuo decori, ſimulque domeſticæ rei, ſuperſtes non futurus. Inter has cogitationes furentem, anxiumque, ſeduxit fidiſſimus amicorum; monet ne quid temere audeat; ſi reſtiterit ad mandatam provinciam venienti, id Regem pro defectione habiturum. Nullum in ſua gente atrocius crimen eſſe, quam non modo vio-

Gg lantis,

lantis, ſed vel remorantis obſequium. Tutius, inquit, conſultum tibi volo. Accedenti æmulo etiam cum donis occurre: ne tua benignitas ſit ſuſpecta, apud eum querendum eſt, tuarum rerum ſpes hac intempeſtiva ſucceſſione propemodum eſſe acciſas. Tamen nihil tibi antiquius quam parere. Accipiat ſane provinciam cui deſtinatus eſt; in amicitiæ quoque pignus illa munera, quæ hoſpitali comitate protuleris: iis ſatis gratiam habiturum, ſi in Regiam redeunti literas dederit, quibus ſignificet, nihil te cunctatum, imperium, ſtatim ut juſſus es, urbem, jura, provinciam tradidiſſe. In tuis autem donis ſtrophiolum erit, inquit, quod habeo, multi operis, ſed nocentiſſima tabe perunctum. Hoc ſi quaſi artificii venuſtatem monſtraturus ad illius vultus explicas, ſic ut vel minimo halitu perfundatur, ſpondeo, nunquam in Alepenſi urbe regnabit. Utitur ſagaciſſimi viri conſilio Præſes, longaque & multiplici pompa exceptum ſucceſſorem in ædes deducit. Ibi inter *inſidioſæ liberalitatis* blandimenta evolvit fatale ſtrophiolum, auro & ſerico diſtinctum. Lætus hoſpes ſuæ mortis inſtrumentum aſpexit. Inde divertunt ad cœnam. Sed hic fraudibus agens, ſimulabat, primo ſe mane iter Bizantium verſus ingredi velle. Expreſſit itaque eadem illa nocte literas ſuorum officiorum teſtes: Neque enim tam benevolo deceſſori iſte miſer perfunctorie indulgebat: Sic exacta noctis parte ad quietem ſeceſſum eſt. Primo mane novus Præſes inſpirato per ſtrophioli auram veneno impar fuit. Jacebat in ſtrato exanimis, nec tam repentini caſus aliis cauſa patebat, quam illis qui incautum peremerant. Peracto facinore veneficus Præſes Conſtantinopolim literas deſtinat, tam illas quibus ſucceſſor ſignificat ut optime eſſet exceptus; quam alias ſucceſſoris interitum nunciaturas, orantesque tunc ſaltem imperium ſibi & provinciam prorogari. Nec id ægre impetravit, tanto ſceleri felicitatem indulgente fortuna. Et hoc ſævo & in flagitium mirabili aſtu, non plus ſtudium venenorum, miſerabili ſubtilitate excultum, ſuſpexeris,

quam

Digitized by Google

quam corruptos in ea gente mores, venundatos magiſtratibus populos, fas æquumque infra pecuniam poſitum, & cætera ultimæ tyrannidis mala. Vix ambitus, aut repetundarum actio; viles magnatibus injuriæ, ac penè indignæ vindicari, quibus vulgus affligitur, diuturnitate ſervitutis, & inſtitutione parentum, non auſum aſpernari tam dejectæ ſortis cladem.

Non aliud in Turcis magis mirer, quam quod homines immortalitatem animarum tam conſtanter aſſerentes, ut his inde vilior hæc vita ſit, ſibi eorum flagitiorum licentiam faciant, quæ etiam abſque lege natura refugiat. Tamen in egenorum ac hoſpitum opem multorum animi illic effuſi ſunt. Ad hæc [1] humanæ miſerationis opera paſſim ædes extructæ, in quas ægri aut feſſi divertant; ibique conſtitutæ privatorum teſtamentis & publico ſumptu opes. Nos etiam, quanquam canes & credunt & vocant, non arcent à tanti beneficii humanitate. Ingens in parentes reverentia: & ſi quando moleſti ſunt, plus recordatio dati ſpiritus, quam acerbitas injuriæ valet. [2] Multi cibi gens, & plus curando corpori intenta quam animo.

Omnis

1 *Humanæ miſerationis opera paßim ædes extructæ.*]Habent enim ſimulachra fictæ, & adumbratæ pietatis, erga hoſpites, & peregrinos tam liberales, ut per oppida, pagos, & xenodochia paſſim erecta ſumptibus publicis, & non raro privatis vitulina, oryſa, & pane eos ſuſtentent, in his ſublevandis non operæ ſuæ, non ſubſtantiæ parcant, tanquam deleturi culpas, & Judicis æterni mentem hoc genere pietatis propitiaturi. Nam qui in parvo ſunt ære, ii vel extruendis pontibus, vel haurien-dis, deportaudisque aquis inſudant, etſi à colendis agris, ut re viliſſima abſtineant. Neque tantum in homines hæc hoſpitalitatis officia exercent: ipſis etiam brutis, avibus, inquam, & canibus idem beneficium impertiunt, dum illis vel non ſuis aut domeſticis alimenta miniſtrant. Hinc videas juxta macellum carnium canum turbas ſtipem expectantes, quibus emptores boum, oviumque jecinora proprio ære empta projiciunt, quæ ipſe à Turca accepi.

2 *Multi cibi gens, & plus curando corpori intenta quam animo.*] Hinc jejunia illorum non abſque crapula aliquando ſunt: nam revera triginta diebus non ſolum pro more abſtemii ſunt; verum etiam à cibis abſtinent: at noctu vacui ſtomachi ruinas affatim reſarciunt. Sic enim apud illos ſacrum eſt hoc tricenarium, ut ortum Lunæ, quæ brevem annum hunc ſeu menſem emetitur, adorent ſingulis menſium exordiis, & à Lunæ curſu annos Solares numerent, creſcentiſque cornutam faciem pro inſigni præferant.

[1] Omnis autem libidinis, qua ſunt infames, minor his ipſis culpa quam fœdo Mahumeti, has cupiditates maxime innatas mortalibus, ſed Numinis pudoriſque vinculis aſtrictas, ſua lege exolventi. Ita allicere placuit militarem quidem populum, ſed ut in Oriente ad voluptates molliorem. Inde his vitiis, tanquam concuſſa remiſſione, exercentur, miſerabili virtutis inſcitia. Neque abeſt à libidine crudelitas, ſaltem in Principe tam ſuorum ſibi ſanguinem quam opes vindicante. Conſtantinopolim Rex Turca obibat, in proximos agros venatione decreta, cum ad militis fores adoleſcentulum videt impudice fractis oculis vibrantem. Accenſa deterrimi Principis libido eſt, rapique & in regiam duci jubet. At miles, qui puero aſſueverat, reverentiam amore vincente, non dubitavit pro ſcorto opponere ſuum pectus, ſtrictoque gladio irruentes miniſtros ſubmovere. Sed quid unus in multitudinem poſſet? Ipſe Princeps, ad omnem ſuorum contumaciam tam pervicacis iræ, tamen hanc amantis violentiam in crimen non duxit; illum quoque, tanquam in precium abrepti pueri, ruſtico prædio donat;

1 *Omnis autem libidinis, qua ſunt infames, minor his ipſis culpa quam fœdo Mahumeti, has cupiditates maxime innatas mortalibus, ſed Numinis pudoriſque vinculis aſtrictas, ſua lege exolventi.*] Ille ut vidit hac ſua lege non paucos poſſe ſubduci, quatenus eo lubentius huic ſuæ legi omnes ſubſcriberent, quidquid carni ad voluptatem libitum eſt eadem lege ſancivit: & ſic cupiditates maxime innatas mortalibus ſua lege exolvit, ut ſuavius alliceret populos ad voluptates in Oriente molliores: ipſa etiam mancipia in libertatem aſſerens eos, ut ſibi ac Dæmoni manciparet. Quapropter inſequentibus Dominis ad fugam ſe Veneris die (quem ideo ſacrum & feriandum putant) illicò ſe convertit, & apud Medinam diariis aliquot à Mecca, unde fugiebat, diſtantem, exul à patria aram invenit, atque ex illo Muſulmani æras ſuas, annorumque rationes computant. Judæos autem ut demulceret, qui in Arabia tum plurimi erant, & circumciſionis legem ſanxit, & à ſuilla cavit. Ut Arrianos ſibi conciliaret, Filium Dei negavit: & frænum petulanti carni remiſit, ut voluptatum amantes pene omnes mortales ſuæ legi Sacramento aſtringeret. Itaque uni Deo litandum aſſerunt; ſed hunc titulum Chriſto ſubſtrahunt: haud inficiantur ex virgine partum, ſed in crucem ſublatum negant. In Moſqueis non campanæ pulſu, ſed inſano inconditarum vocum tumultu ad ſacra ſua acceſiti in ſtratis tapetibus Numini ſupplicant; & ne impudicis aſpectibus intentus orationi animus diſtrahatur, fœminas à templis arcent, & in Davidis Pſalmis perinde atque nos Numen celebrant. A Judæis abhorrent, Chriſtianos magis amplectuntur: ſed ea quæ de gynæceis audivi pudet recenſere.

1 *Præ-*

nat; & ſtipendium jubet augeri. Neque mora, viliſſimi ſcorti amore Rex flagrare, nec tantum in deliciis habere, ſed & in ambitioſæ amicitiæ locum. Quod miles cum audiret, eum olim ſibi cariſſimum aſpicere inter tantos honores concupivit. Donis itaque ac precibus evicit à cuſtodibus qui ſtabant ad fores, ut, cum Rex in hortis veſceretur, clam & à Satellitum tergo ipſum accumbentem ſimulque adoleſcentulum intueretur. (nam & is ſolebat regiis conviviis adhiberi.) Conſtituto tempore adeſt. Jacebat Rex in tapetibus patrio more, neque procul impuriſſimum ſcortum, & nimio impudicitiæ precio jam ſuperbum. Inter hæc miles incautius forte prodire, ſic ut à puero conſpiceretur, qui veteris obſequii memor, ſtatim ad ipſum curſu defertur, amplexæque dexteræ oſculum ponit. Princeps in redeuntem inſiliens, fronte oculiſque furore ardentibus, interrogat quo vecors & infidus divertiſſet. At ille, Ad priorem, inquit, herum, Rex, quem à me ſaltem oportuit ſalutari. Haud mora, Rex æmulatione inſaniens, brevi ferro quo erat accinctus, ſui amatoris perfodit pectus. Sed ut labentem vidit, ſequutus in terram, ſuo ſinu vulnus fovit, ingemuitque morienti. Juſſus ſtatim miles mori; quaſi tanti doloris Principi cauſa: ſed ille inter tumultum elapſus, ipſo favore ſatellitum evaſit, latebris & ſuorum ſilentio tectus, donec Princeps mitigaretur. Adeo nullius amicitiæ nexus tuti ſunt à tyrannide tam atroci, nec incolumitatem ſuam tantum, ſed & voluptates, ſupra vitam ſuorum civium æſtimante.

Arma autem, jam ceſſantibus Principibus ſub quorum aſpectu ingens militum audacia erat, modicis in ea gente ſtudiis, nec ex parentum impetu, culta ſunt. [1] Prætoriani in urbe

1 *Prætoriani in urbe regia, quos Janiſſarios vocant.*] Hi ex Chriſtianis parentibus orti ad hanc militiam ſeliguntur, tum ut ſtrenuam cuſtodiendo Principi navent operam, tum ut præſidio arcium adhibeantur. Nam ex quadraginta millibus, quindecim millia tantum huic cuſtodiæ deſtinantur, qui in vices ad veſtibulum palatii, aut portis urbis excubant. Cuique annona eſt per ſingulos dies conſtituta; ſuppeditantur & panni ad veſtitum: ſimul habitant.

urbe regia, quos Janiſſarios vocant, deſueti jamdum vero pulvere exerceri, in ocio & civilibus deliciis ad turbidam ſed gnavam audaciam inſtituuntur. Hinc ſolvendæ diſciplinæ initium ſuperbis militibus, nec laborem, nec felicitatem pati idoneis. Non aliis vitiis olim everſi ſub ſua mole Romani jacuerunt. Et illud forte Imperium, jam deficientibus ventis quibus alte intumuit, ſuo pondere vitiiſque obruetur. Illi tamen qui Ægypto præſident, maxime ad Memphim collocati, veteris militiæ decus cum ingenti laude obtinent, ſcilicet ab aula ſemoti, arcendiſque prædantium manibus, qui de montium jugis erumpunt in vallem, in quotidianos labores exerciti. Sed in fugientium latronum agmen fortes, tantumque inſtare cedentibus; ſi in noſtrorum hominum robur inciderent, fortaſſe equorum celeritate qua præſtant, ad ſalutem, non prælium uterentur.

Sagittarum, quæ præcipua Turcis vis, jam neglectus ille uſus qui olim formidabilis Orbi fuit; credo, quia ſine longo ſudore, corporiſque ad laborem obſequio, ad hanc artem perveniri non poteſt; & hodie milites fracti ocio, & languenti diſciplina, tanti non emunt fortes eſſe. Breves arcus ſunt, inflectique niſi à peritis difficiles, cæterum multo majore impetu tela expellunt, quam quo machinæ noſtræ plumbeas glandes ejiciunt. Vidimus quidem (& fidem oculis noſtris tarde habuimus) chalybem tres digitos altum ab exigua ſagitta pertranſiri. nec *minoris prodigii fuit*,

tant, & decumbunt centeni per cubicula, præter eos qui conjugio ligati ſunt, ſed hi pauci. Otiantur, ambulant, colloquuntur Indicam tantum geſtantes arundinem. Levi arcu in acie utuntur, ſtipantque Principem. Duplici ſacramento fidem ſuam obligant Principi, & commilitonibus, quibus promittunt ſe obſequio fideli illi adfuturos; his, à communi eorum conſenſu nunquam receſſuros; hinc illa tanta ſocietas, & neceſſitudo, quæ conſpirantibus animis tot Principibus fatum extremum dedit: ipſique comprimis Oſmano, quem iſti perduelles præcoci morte multaverunt. His qui præeſt, Aga dicitur. Magni ambitus dignitas, & unde ingens bonos manat. Imo inter principes militiæ, & legis interpretes de primo loco lis hactenus fuit. Ortoque hac de re nuper inter utrumque ordinem jurgio, Princeps lævam inter milites, dextram apud Legiſperitos nobiliorem locum in poſterum fore ſignificavit.

I *Duas*

fuit, deſtitutum ferro telum in modicæ arboris truncum arcu impelli, & utrimque defigere. Hanc artem clariſſimo apud nos viro, cum Conſtantinopoli eſſet, tradidit Solymani vetus miles, confeſſus illam artem interire ſuorum ſocordia: vix tres eſſe in tam vaſto Imperio quibus curæ fuerit hanc majorum fortitudinem in ſe producere; cæteris laxos arcus, nec aliis quam levis armaturæ hominibus eſſe timendos.

Quod ſi Numinis beneficio, & illorum vitiis uti vellemus, quid hac tempeſtate facilius quam opimas extorquere provincias à barbara gente, ſuumque impetum, quem pro fortitudine habuit, dediſcente? Hoc gementes ſub tam feræ tyrannidis mole expectant à nobis Chriſtiani, immenſa multitudo, ſed ducibus armiſque defecti: hoc noſtri quoque ritus, & templa, quæ veſani delevere: hoc de illorum Imperio dejecta humanitas, terræque olim cultiſſimæ nunc velut informes, nec in ſui decoris honeſtatem, niſi noſtris auxiliis, rediture. Quod ſi quem moveant experta toties arma, fruſtraque exhauſtæ divitiæ, [1] dum noſtri majores à Saracenorum impetu Syriam, Palæſtinam, Ægyptum, conten-

1 *Dum noſtri majores à Saracenorum impetu Syriam, Palæſtinam, Ægyptum, contendunt vindicare.*] Conſtat Petrum Ammiani monachum primæ expeditioni in Syriam occaſionem dediſſe, cujus ſcopus fuit Hieroſolymorum civitas è Barbarorum manibus vindicanda. Tranſportati illico in Aſiam, Africamque ab extremis terrarum oris magni exercitus, & alter pene orbis ſub ſignis peragratus. Gallia, Germania, Italia, Anglia ſuis quæque ſtipendiis militabant. Viri provinciarum principes aut venditis, aut oppigneratis rebus tanti belli onus ſuſtinebant. In eam militiam aſcripti ſunt Hugo, Veromanduorum Comes, Philippi primi Francorum Regis frater, Robertus Normanniæ Dux, Guillelmi filius, Robertus Flandriæ, Raimondus Tholoſanum, Stephanus Bleſenſium, & Carnutum Comites, aliique clariſſimæ nobilitatis in tanti belli ſocietatem ultro venere. Sed ipſe imprimis Gotfredus Bullionius, Lotharingiæ ducatus hæres ab avunculo relictus, & non artis modo militaris ac imperatoriæ peritiſſimus, ſed religione etiam eximius. Huic ex omnium conſenſu delata rerum ſumma. Initus armatorum numerus, & ſexcenta peditum, equitum centum & amplius millia inventa ſunt. Tantus bellatorum concurſus Aſiam terruit. Tripartito agmine omnes Conſtantinopolim appulere: Græcorum, ipſiuſque Imperatoris, cui ſuſpectæ erant tot coëuntium Principum opes, perfidiâ ſuperatâ primus armorum circa Nicomediam Bithyniæ urbem impetus, quæ ſtatim capta eſt, & cum eâ Nicæa. Mox commiſſum prælium, in quo xx. hoſtium millia cecidere. Tum

contendunt vindicare, in Turcas etiam ingentibus ſæpe copiis moventes; cogitet, eos magis æmulatione inter ſe, quam

Heraclea portas aperit, Tarſus recepta, & quarto expeditionis anno Antiochia, Tripolis, Cæſarea, Nicopolis, Edeſſa expugnatæ, quibus adjecta Lycaonia, Cappadocia, Cilicia, Pamphilia, Syria, Meſopotamia, demum Hieroſolyma Gotfredo primo omnium in effractos muros aſcendente, quare ipſe urbis primus Rex creatus eſt; ſed ei poſt menſes tredecim aſſumpto, Balduinus frater ſubrogatur. Creſcebat concordiâ Principum res Chriſtiana; eorum deinde diſcordiis brevi dilapſa triſtem & fœdum exitum ſortitur. Mittuntur ad Regem Ludovicum VII. & Conradum tres oratores, qui afflictis & profligatis Barbarorum impetu ſuccurrerent. Collecto exercitu ipſe Rex ſe accingit: occupat tamen Germanus LXX. & amplius armatorum millibus ſubnixus. Sed incautus Græcorum proditione primum, nec non Imperatoris, deinde hoſtium fraude deceptus, mox ferro, fame, errore viarum fatigatus amiſit pene omnem exercitum, ac Nicæam ſe recepit. Ludovicus per mediterranea pergens obvios hoſtes fudit, deinde Antiochiam petens Chriſtianorum ſpes erexit pene exciſas. Pergit inde Hieroſolymam, recreatiſque copiis Damaſcum obſidet, ſed re infectâ diſceſſit, & poſt annum reditum in patriam præeunte Conrado adornavit. Tum creſcente barbarorum fiducia ex tam ſubito reditu obſeſſa à Saladino ſancta civitas, & anno undenonageſimo poſtquam à Chriſtianis capta fuerat, ſubacta eſt: Et Wido Luſinianus decimus Rex in ſervitutem abductus. Ergo ad opem cum recurrerent rapto è vivis Siciliæ Rege Guillelmo, ac Frederico Cæſare aquis fluvii ſuffocato, utroque fidei propugnatore ſtrenuo Philippus II. Francorum Rex, & Richardus II. Anglorum omiſſis diſcordiis ad colloquium congreſſi Crucem ſacræ militiæ ſymbolum pari affectu ſumpſere, hi candidam, illi purpuream. Anglus vi tempeſtatis ad inſulam Cyprum compulſus, capto Iſaacio Comneno, qui tyrannicè ibidem agebat, inſulam occupavit, relictoque præſidio ad Philippum cum Barbaris confligentem profectus eſt; mox capta Tyrus, multæque Barbarorum ſtrages factæ; ſed exortâ inter Reges diſcordiâ victoria ad has metas hæſit. Hinc reditus paratur in Galliam: inſequitur Richardus Cypri regno Widoni Luſiniano vendito: ſed à Leopoldo Auſtriæ Duce in cuſtodia aſſervatur. Aliquanto poſt tempore Innocentii III. ſummi Pontificis hortatu incitati Franci bellum ſacrum inſtaurant, quo tempore Alexius, excæcato conjectoque in carcerem Iſaacio fratre, Græcorum imperium invaſerat. Franci ergo exorati Conſtantinopolim munitiſſimam civitatem oppugnant, & expugnant, & fuga dilapſo Tyranno Iſaacium libertati reſtituunt, & filium ejus in imperium promovent: mox orta ſeditione Alexius Duca tyrannidem accipit, Imperatore veneno bis fruſtra tentato, ſed tandem ad reſtim adacto. Reverſi Franci urbem rurſus obſident, & ſecundo impetu capiunt, tyranno interim fuga emicante. Itaque Balduinus ob eximias virtutes Imperator conſpirantibus omnibus votis, imprimis Dandalo Venetorum duce ſalutatur, adunatiſque Eccleſiis Græca, & Latina vita defungitur. Succedit frater Henricus Anguianus: Huic Petrus Altiſſiodorenſis, & mox Robertus, tum Balduinus II. Demum proditione Græcorum imperium ad Michaëlem Palæologum delatum eſt. Denique S. Ludovicus relicta Blanchæ matri regni moderatione ſacrum bellum ex voto aggreditur, & Cyprum appellens, ducto ſecum Henrico Luſignano in Ægyptum per oſtium Nili ingreditur, obvii funduntur hoſtes, Damieta capitur, caſtra hoſtium diripiuntur: ſed tum lue graſ-

ſante

quam hoſtibus illis victos. Ut omiſerim Principes Græcos, ſemper infeſtos militibus ab Occidente venientibus; quoties ipſi inutilibus odiis noſtros impetus in nos converſi conſumpſimus? Non oportet recentibus exemplis noſtri ſeculi pudorem onerare, ac ne quidem curioſe recenſere veteres clades. Satis erunt ad doloris & cautionis argumentum, Gallorum Anglorumque in ejuſmodi bellis funeſta diſſidia. Richardus II. Rex Angliæ, cui ex leonis corde cognomen eſt, in Syriam exercitum duxerat, ultuſque injurias quas Cyprii intulerant, ad ultimos metus Soldanum adegerat, jam Hieroſolyma tradere & ſic cum Chriſtianis paciſci cogitantem: Cum ecce Gallorum Rex Philippus, quem Auguſtum appellarunt, reverſus & ipſe à Syria, & Richardo infeſtus, cum exercitu in Normanniam movet, (hæc tunc Anglici juris erat) & oppida adortus, quædam vi capit, alia metu aut factione ſubigit. Sic Richardum, tum publicis Orbis rebus intentum, ad rerum ſuarum tutelam in Europam revocavit, & tunc Saraceni Gallorum manibus Chriſtiano exercitui erepti ſunt: qui poſtea Anglis quoque beneficium debuerunt. Quippe vix ſeculum inde effluxerat, cum Philippus, cui cognomen Valeſio, Francorum Rex, omni regni ſui mole ad hæc bella tranſmarinæ [t] pietatis converſus eſt. Aderant in auxilium Navarræ Rex, Arragoniæ, atque Bohemiæ; multique præterea mortales, quos regni magnitudo, ſanctitaſque belli coëgerat. Jam in anchoris claſſis ſtabat, quæ quadraginta armatorum millia veheret. Trium annorum commeatus addebantur. Exercitus terra iturus trecentorum millium erat. Sed tam gravem apparatum, tantamque ſpem mundi, intervertit Eduardus III. Angliæ Rex, tunc primum Franciæ ſceptrum, tanquam matris Iſabellæ hæreditatem, aggreſſus vindicare. Sic in noſtra viſcera acti ſumus; & à nobis ſuperati, triumphos

ſante per copias, tum matris morte revocatus Galliam repetit. Hoc poſtea bellum Philippus filius perſequutus ad Orientem ſe contulerat; ſed auxilium oportunum Græcis contra Turcas cum dediſſet, pedem reflexit.

phos Saracenis Turciſque conceſſimus. Triſtiſſimi quidem hi caſus; ſed illorum ingens ſolatium, nobis adhuc vires eſſe eruendo illi barbarorum Imperio; ac ne quidem conjurationem noſtrorum Principum in hoc quæri: plures ex illis eſſe, qui ſoli huic victoriæ ſufficere poſſint. Non innumero exercitu opus eſt, nec velis immenſum mare tegentibus. Vir inſignis judicii animique, & jam longiſſimo uſu rerum Turcicarum peritus, ſuo Regi ſpondere non dubitat, ſi ſibi claſſis detur, triginta millium exercitu impoſito, in biennium ſtipendia, in annum commeatus, ſe eo tempore Peloponneſum, Eubœam, magnamque Achaiæ oram, in illius ditionem redacturum. Ni fecerit, idem exercitus, qui ſibi committetur, decepti Regis exigat pœnas; vindicetque atrociſſima morte temeritatem irritæ ſponſionis. Eandem ſpem victoriæ, pene nec tanto ſumptu, auſus maximo Regi ante aliquot annos dare eximius belli dux, opibuſque & ſanguine dignus, cui tanta expeditio crederetur. Sed mors illius conſilia occupavit, incertum an veneno maturata. Utrique cauſa ſperandi, ex noſtrorum militum robore, bellique diſciplina, tum ex Chriſtianorum numero, atque votis, noſtra arma illuc ad ſe vocantium; denique ex languentibus Turcis, qui fortitudinis famam non alio jure obtinent, quam ob majorum ſuorum nondum expirantem memoriam. Sed ajebant iſti Duces, in ipſius hoſtis ſinum jaciendam hanc facem; non tutandis limitibus ſtandum, in quibus ſummum victoriæ præmium *eſt, hoſtem* à patria ſubmovere, mox ſævius rediturum: victis autem, & ſua, & patriæ captivitas imminet. Ideoque volebant non in Pannonia nos hærere, ſed ingenti procurſu in media Græcia, Thraciave, caſtra metiri. Hanc in bellis inferendis rationem plerique veterum inivere. Sic in Italia Hannibal vincebat Carthagini: Sic Romanis in Africa Scipio: ſic denique ipſi Turcæ, quas gentes nunc obtinent, armis in earum provincias prolatis domuerunt; Neque Galliam Franci, neque Normanni majorem Britanniam,

lento

Digitized by Google

lento bello remotoque velut à limine ſalutaverunt. In ipſas Provincias irrupere, etiam ante victoriam pene occupata mercede victoriæ.

Quid quod multa, quæ jam ſunt ad hæc bella adjumenta, noſtris majoribus defuerunt? Hoſtem ad extrema Orientis quærebant, tunc primo victoriarum æſtu ferventem, quem hodie in ipſo Pannoniæ ſinu, & in adverſo Italiæ littore ſtatim invenias, ſciaſque, plena, & mox receſſura fortuna ſeneſcere, vel ideo quod non augeſcit. Patrum quoque noſtrorum erroribus edocti, ea ipſa, quæ in illis expeditionibus peccaverunt, habebimus in melioris diſciplinæ cautionem.

[1] Nunc etiam urget hoſtis, ut penè in hoc tantum deliberare liceat, perdere malimus, an vinci. [2] Juvenis Achmetus, qui hodie tyrannide potitur, ad bellum reſpexit, & Tranſylvaniæ imminet. Sive laſſus ſuo ocio animum ad hanc expeditionem adjecit, ſive apud ſuos reverentiam paraturus, ingens inde rerum noſtrarum diſcrimen eſt, cum languens apud illos militia his ſtimulis exſuſcitari poſſit,

1 *Nunc etiam urget hoſtis, ut pene in hoc tantum deliberare liceat, perdere malimus, an vinci.*] Tanta eſt Turcarum ambitio, ut totum orbem Chriſtianum ſpe & cogitatione devorent; facerentque utique niſi repagula hinc ab Imperatore Romanorum, inde à Venetis objicerentur. Imo noſtra ætate fervet adhuc utrimque bellum: cauſa enim duplex; rapta ab Equitibus Melitenſibus Sultana cum filio dum illa voti cauſa exolvendi Meccam navigiò petit: & Transſylvaniæ principatus ejus tyrannidi ſubductus. ſed à Venetis multæ jam partæ victoriæ, naveſque innumeræ aut raptæ, aut ſubmerſæ; capta tamen per dolum Candiæ pars hinc, & inde Varadinum arx inter Transſylvaniam & Hungariam munitiſſima; at nuper à Montecucullio, & Chimin Janos Transſylvaniæ Principe recepta Gomorra, cæſique aut capti Turcæ quamplurimi, ut & in variis quotidie occurſibus. Sed adhuc in incerto eſt, & ex manu Dei, deinde Chriſtianorum Principum pendet tanti fortuna belli, in quo de orbis totius, cui Sultanus jam dudum inhiat, imperio agitur. Betleem Gabor auxiliares turmas Turcarum impetraturus tributariam fecerat Transſylvaniam, adeo ut Sultano jus confirmandi, aut potius conſtituendi Principia tribueret, ſemen tot hodiernorum bellorum.

2 *Juvenis Achmetus, qui hodie tyrannide potitur, ad bellum reſpexit.*] Is quanquam quotidiano concubinatu emollitus cœpit tamen inuſtam ſuo nomini labem utcunque deleturus avitas palmas proſequi, & clauſtra imperii verſus Transſylvaniam, & Hungariam dilatare, ſed capto Strigonio inducias cum Rodolpho Imperatore pactus eſt, ut ſupra.

1 *Ajunt*

ſit, & Princeps, hactenus inter voluptates ſegnis, ſolicitari victoriarum guſtu, atque inde acrius in noſtram perniciem ardere. [1] Ajunt Carolum, qui ultimus Ducum Burgundici nominis fuit, primam partem egiſſe juventutis, non expertem modo armorum, ſed & maxime quietis ſtudioſam, mox Gallia flagrante eo bello cui publici boni titulus fuit, adeo in contrarios motus verſum, ut exinde nullum vitæ tempus habuerit quo à militaribus conſiliis vacaret. Abſit, in eoſdem impetus hic Achmetus conſurgat. Sed quis in tanto periculo non præſtabilius credat arma movere, dum illi nondum veternum excuſſerunt, quam expectare ut uſu & victoriis graves à media (quod abſit) Italia atque Germania, nobis ad unam ſervitutem ferale ſignum tollant? Quod ſi Achmetum ſua luxuries revocabit ad ocium, non à nobis extruſum, non in ſuis penatibus arma noſtra audientem, certe hanc pene turpem pudendamque ſalutem fortunæ debebimus, non virtuti.

[2] A Turcis ad Judæos abire hic liceat: vel ideo quod poſt

1 *Ajunt Carolum, qui ultimus Ducum Burgundici nominis fuit, &c.*] Ipſe eſt, qui Terribilis, vel Audax propter audacia conſilia, & ardua bella ſuſcepta cognominatus tandem omnium arma in ſe convertit: nam Lotharingiæ Dux tam indomiti Principis animum reveritus, à Gallis & Anglis ſuppetias petierat, Helvetios ſocios belli habebat. Sed dum Carolus Nanceium Lotharingiæ caput obſidet, certamine commiſſo improviſo ictu necatur.

2 *A Turcis ad Judæos abire hic liceat.*] Mirum eſt, quantis nugis ſuperſtitionem ſuam foveant Judæi: Nam fabulas Talmudi ut taceam, unam, quam ut veriſſimam plurimum jactant, commemoro. Dum per Orientem Alexander Macedo armorum ſuorum terrorem circumferret, perveniſſetque ad illam plagam, quam inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium Georgiani, & Hircani obtinent; ad Caſpiorum jugorum in coronam coëuntium conſpectum defixo Hebræi olim captivi facti à Rege Perſarum, & intra hæc Caucaſiorum montium ſepta incluſi occurrere inde egrediundi licentiam efflagitantes. Ille & cauſam, & Prophetæ vaticinium edoctus quo Judæos à captivitate non redituros præcinerat, Deum Iſraëlitarum oravit, ut coëuntibus arctius montium molibus locum & facultatem ex his clauſtris emergendi omnino Judæis tolleret. Votum moram nullam patitur; acceſſere ad ſe invicem prærupta latera montium ut immeabilis locus eſſet. Cui opinioni late per orbem diſperſa Judæa natio ſic adhæret, ut ſi quis hoc argumento religionem illorum antiquare ſatagat, quod nunc ſine ara, ſine ſacerdotio, ſine ſede, ſine lege, ſine Rege vaga ſit, non alio clypeo Judæi hæc tela retundant, nec aliud reclament quam intra Caſpiorum montium ſepta legem, ſacerdotiumque, & regnum

poſt Turcas illis ſumus. A Judæo percunctati, de quibus melius ſentiret, Chriſtianis, an Turcis, fuit quo frontem hominis miraremur. In nos enim, inter quos erat, vix auſus inclementer dicere, tamen ſenſum non preſſit: &, Certe, inquit, Turcæ ſaltem genitalia circumcidunt. Gens eſt vagis erroribus diſſipata, nullius provinciæ potens: acris cogendis opibus, ad omnem mercaturam ſtrenua, & per fœnoris flagitium dives: Ubicunque ſit, ſervit: & jam domitos animos, quondam ad libertatem tam acres, huic ſorti aſſuefecit. Mores paſſim miſcuerunt, & ſuæ indoli, cui cum pervicacia adhærent, addunt regionis ſpiritum in qua naſcuntur. Pertinax illis ſuperſtitionis ingenium, & vix in noſtram pietatem, quantumcunque ſimulent, ſincere mutabile. Eorum corpora olere non ſine argumento vulgatum eſt. Fœda quippe in ipſorum domibus, veſtibuſque incuria eſt, & neſcio quid inſolens exhalat. In ſummis divitiis non augent corporis cultum, ſive noſtram invidiam reveriti, ſive inter ſe amantes paritatem. Magnum ſervitutis argumentum eſt, quod nec arma nec fundos poſſidere conceſſum ſit. Recte vires adimuntur hoſtili populo, & nos pejus, ſi polleret, mulctaturo.

Jam vero enumeratis populis, & veluti ad cenſuram vocatis, quorum animos moreſque cognoſcere iis prodeſt qui in publica luce interque homines victuri ſunt, ad varia ingeniorum genera & affectus veniendum eſt; qui ut unam aliquam nationem veluti ſuo jure non poſſident, ita per omnes gentes vagi, multiſque ubique hominibus inſidentes, virtutibus vitiiſque aut ſemina aut alimenta ſuppeditant.

CAPUT

regnum hactenus viguiſſe, nec dum ex Judæa ſceptrum excidiſſe. Quaſi vero alibi quam in Judæa de cauſa capitis (quod regium eſt) judicare licuiſſet.

I Singu-

CAPUT X.

Præter patriæ indolem, dari cuique mortalium ſuos affectus, atque ingenium. Præcipua inveſtigari poſſe, non ſcribi omnia. De ingeniis ad ſubitos jocos aut ſententias valentibus. De aliis, qui ſpontanea eloquentia diffunduntur. De hominibus tardioris lentioriſque prudentiæ. Perfectos demum eſſe, qui inter hæc duo genera ſunt poſiti. Utrum ſint præſtantiores animi, qui literis idonei, an qui adminiſtrandis rebus publicis. Delicata ingenia aſſiduo aut diuturno minus apta, quam tarda & depreſſa.

VEluti ſub iis ſideribus, quæ multo frigore, humentive aëre, ſolent candidos cæſioſque populos educare, nonnulli haud ſecus quam in vicinia Solis fuſco vultu inumbrantur: in iis autem plagis, quæ nimio Sole flagrantes plerumque ſpiſſiori ſanguine ſubjectas gentes tingunt, quorundam hominum candor à patria ferrugine recedit: Ita in humanis populis quædam aſperæ mentes rigent: aliæ de patria barbarie nihil habent: craſſæ aliquæ in tenui cœlo mentes, tenueſque in opaco. Nec ulla eſt regio, tam proſperis, aut malignis illuſtrata ſideribus, quæ non omnium vitiorum examen, ſimulque virtutum, in ſuis alumnis exceperit. Quippe [1] ſingulis mortalibus præter patriæ ſuæ indolem adhuc proprium aliquid Natura conceſſit: prorſuſque

1 *Singulis mortalibus præter patriæ ſuæ indolem adhuc proprium aliquid Natura conceßit, &c.*] Scilicet

Quiſque ſuos patimur mores.

Stoicus ἀπαθὴς nullos affectus admittat, nos τὰ πάθη ſeu affectiones & ſentimus, & probamus maxime, cum ſint quaſi adminicula ad præclaras actiones; quod enim ventus navigio, id in nobis affectus, in quorum temperie animi noſtri tranquillitas conſiſtit; nimirum his ferimur ad ea, quæ numen præcipit, & quæ recta ratio dictat: ſin ratio conteritur, tales affectus non ad virtutem ducunt, ſed ad vitia, ut vere morbi ſint animi. Quod minime fit in homine prudenti qui affectu non vacat, ſed affectui imperat: eoque Stoicorum definitioni, quâ πάθος dicitur ὁρμὴ πλεονάζουσα, impetus immodicus, ac redundans, minime ſubſcribimus. Vide Senecam de Tranquillitate animi. Porro ex Ariſtotele 2. Rhetoricorum, ἔστι δὲ τὰ πάθη δι' ὅσα μεταβάλλοντες διαφέ-

Digitized by Google

ſuſque ingenti miraculo, per tot ſecula, & nomina populorum, unicuique hominum ſua lineamenta invenit, quæ tam frontis quam animi habitum, à reliquorum corporum, mentiumque ſimilitudine diſtinguerent. [1] Hinc illius mirabilem ludum, tot hominum affectibus animiſque variatum, haud quis facilius cogitando aſſequetur, quam pictor ſuis tabulis omnium corporum ſpe ies atque formas incluſerit. Licet tamen, tanquam eminentes in condendis ſilvis arbores, præcipua ingeniorum & affectuum genera intueri, quibus homines agi ſolent, ac propemodum componi; ſimulque à cæteris inſigni diſcrimine ſeparari.

Neque ſuperflua cogitatio erit eo modo percenſentis diverſiſſimas hominum claſſes: in quibus ſe unuſquiſque inveniet, &, qualis eſſe velit, aut timeat, tanquam ex ſequeſtra & aliena imagine, deprehendet. Ac præterea cum nullius

διαφέροντες πρὸς τὰς κρίσεις οἷς ἕπεται λύπη, καὶ ἡδονή. *Sunt affectus ea per quæ immutati differunt in judicando, quos ſequitur moleſtia, & voluptas.* Animus quidem certe affectibus mutatur, cum videamus nobis aliud dictare mentem affectionum fluctibus æſtuantem, aliud jam ſedatam. Hinc Parmeno apud Terentium in Eunucho Act. 2. ſc. 1. *Quid hoc morbi eſt? Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe.* Et M. Antonius apud Cic. 2. de Orat. Plura enim homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut præſcripto, aut juris norma aliqua. Atque hinc cauſa liquet, cur quandiu affectus durat, homines præcipiti curſu ad ſcelus ferantur, at eo omiſſo rem juſto pondere æſtiment. Hinc Menander apud Stobæum,

Οὐδεὶς ξύνοιδεν ἐξαμαρτάνων, πόσον
Ἁμαρτάνει. τὸ μέγεθος ὕστερον δ᾽ ὁρᾷ.
Quantum ſuum ſit crimen, haud quiſquam videt
Dum peccat. Iſtud re peracta conſpicit.

Cujus rei exemplum Tacitus ponit in Nerone, cum matrem interemiſſet. *Sed à Cæſare*, inquit, *perfecto demum ſcelere, magnitudo ejus intellecta eſt.* Jure igitur ad Nicomach. lib. 2. Act. *affectuum pediſſequas eſſe moleſtiam, & voluptatem.*

1 *Hinc illius mirabilem ludum, tot hominum affectibus animiſque variatum.*] Exultavit in hoc ludo natura, quæ non alia re magis quam varietate conciliat: nuſquam enim ingenioſiorem eſſe decuit, quam cum ipſa ingenia ſuis lineamentis diſcerneret. Ut cœli facies nocturnis celatam ſideribus eam pulchritudinis pompam exhibet, in qua tamen ſi vulgares flammæ ipſa multitudine obrutæ deliteſcunt, emicant illuſtriores quædam faces, quæ oculos lucis ſuæ ſplendore feriunt. Idem in hortis evenit, ubi innumeros inter flores eriguut ſe quidam altiori culmo, & fragrantiorem odorem exhalant. Ita prorſus in admirabili illa ingeniorum varietate, licet præcipua quædam intueri, quæ à cæteris inſigni diſcrimine facile diſtinguuntur.

1 *Igitur*

nullius ingenii ſpecies, tam lubrico, aut vicino veſtigio in vitia propendeat, quæ non facile prudentiæ habenis intra rectum flecti poſſit; nihil quoque tam cognatum virtutibus, quod non pravitas utentium corrumpat; juvabit affectus, impetuſque mortalium, ſuis bonis maliſque ſtipatos contemplari, & quatenus aut noceant, aut proſint, veſtigare, ne deinde aliquos immodice laudemus, vel ſupra fas & æquum averſemur.

[1] Igitur mortalium ingenia recenſenti, ſtatim occurrunt extemporaneæ ſubtilitatis homines: Illi ſcilicet, qui, quoties loqui placet, ſubita ac plerumque feſtiva oratione per ſuſceptum argumentum decurrent. Hi ſi juſto pondere, ut ſolet, deſtituuntur, nec ſtudio eloquentes, nec ſapientes conſilio, ſed tum demum cum loquuntur, roganturque Philoſophi, aut Oratores facti, poſſint uno precio cum mercibus æſtimari, quæ per ſe inanes ipſo fuco artificii imponunt. Eorum duo genera invenias. Quidam in privatis, & conſciis ſermonibus regnant, brevi nitidoque acumine, & ſemper veluti in aliorum ineptiam intento. [2] Alii propius ad eloquentiæ dignitatem perveniunt, quandocumque placuerit,

1 *Igitur mortalium ingenia recenſenti, ſtatim occurrunt extemporaneæ ſubtilitatis homines, &c.*] Prodit ſe in quibuſdam memoriæ virtus; & phantaſiæ acrior vis ad ſuſcipiendas imagines rerum: hos judicii maturitas, illos celeritas intelligendi commendat: his altum, illis penetrabile ingenium eſt.

Non omnia poſſumus omnes.

Abundat aliquis ingenio, ſed abeſt maturitas judicii: judicio pollet, at memoriam difficilem ſortitus eſt. Dicam paucis: Melancholici ingenio pollent. Ita Cicero 1. Tuſcul. Ariſtoteles quidem ait, omnes ingenioſos melancholicos eſſe, ut ego me tardiorem eſſe non moleſtè feram. Idem Cic. 1. de Divinat. Ariſtoteles, eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid in animis præſagiens, atque divinum. Pituita ſtupidos facit, & tardiuſculos, teſte eodem Ariſtotele, diſciplinæque apprehendendæ parum idoneos. Sanguinei prompto, ac celeri ſunt ingenio, ſed parum conſtanti, & maturo: demum Bilioſis plerumque ingenium eſt & promptum & maturum propter igneam & ſiccam qualitatem.

2 *Alii propius ad eloquentiæ dignitatem perveniunt.*] Naturalis quædam eſt eloquentia, quæ arte perficitur. Dictitabat Antonius diſertos quidem ſe cognoſcere nonnullos, eloquentem neminem. Quod eum ſtatuebat diſertum, qui poſſet acute ſatis, atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam opinione dicere: Eloquentem vero, qui mirabilius, & magnificentius augere poſſet atque ornare, quæ vellet: omneſque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo, ac memo-

tuerit, ſtatim torrente ingenii, publice, aut inter ſuos dicturi, rerum omnium, quas viderint legerintve, oportuna ſubeunte memoria. Utrorumque pompas ac faciles impetus mirantur, non modo imperiti, ſed & interdum qui meliori eruditione imbuuntur, dum ab ejuſmodi ingeniis multos jocos atque ſententias vident facile ac veluti temere effundi, quas ipſi non niſi anxio & ſevero labore poſſent exprimere.

Nam quid illis hominibus (ut ab illis ſcilicet ordiamur) quorum brevis vivaxque procacitas eminet, magis putes ad induſtriæ ſimulque lepôris imaginem factum? Quid elegantius quam ad omne argumentum ſententiolam habere? quid urbanius, quam omnium dicta, factaque excipere improviſis ſalibus, vel prudentia, quæ, facilis, & nata ſub manu, ipſa celeritate placet? [1] Huic venuſtati ſi accedit corporis gratia, vel hominis dignitas, & præter hæc non immodica ſed ſecura audacia, regnabit ubique illa jocatio, his etiam non ingrata quos laceſſet, & veram exactamque ſapientiam, in egregiis, ſed tardis hominibus, ſuo ſtrepitu obruet. Sed hæc loquendi felicitas frequenter ſuis morbis infeſta eſt. Tolle illos de privato conſortio, & à ſubitis fractiſque ſententiis, id eſt, à velitatione prudentiæ, deduc in

memoria contineret. Sed & ingenii celeres quidam motus eſſe debent, ad excogitandum acuti, ad explicandum, ornandumque uberes, & ad memoriam firmi atque diuturni. Quid de ipſis, quæ cum homine naſcuntur, linguæ ſolutio, vocis ſonus, latera, vires, conformatio quædam & figura totius oris & corporis? Hinc Alabandenſis Apollonius cum mercede doceret, non tamen patiebatur eos, quos judicabat non poſſe Oratores evadere, operam apud ſe perdere; dimittebatque, & ad quamcunque artem putabat aptum, ad eam impellere, atque hortari ſolebat. Idem fere memoratur de Iſocrate, qui cum videret Ephorum ineptum eſſe cauſis forenſibus agendis, ſuaſit ut hiſtoriam ſcriberet. Hinc Horatius,

Tu nihil invita facies, dicesve Minerva.

1 *Huic venuſtati ſi accedit corporis gratia, & hominis dignitas.*] Rarus Orator qui cum Pandorâ docto Minervæ fictus pollice, & ad eloquentiæ majeſtatem eruditus, omnes ſimul animi corporiſque dotes comprehendit, qui pulcherrimum ingenium in corpore pulchro geſſerit; qui vocem habuerit, quam moderari, flectere, concitare poſſit: qui manum eruditam, ac pene vocalem, quæ ſola loquatur; denique corporis habitum elegantem, & gravem, ſimillimum magnæ mentis ſimulachrum, ex quo ſe totam oculis tanquam feneſtris prodat.

Digitized by Google

in certamen prolixæ orationis: tum ſterilitatem egenarum mentium, nec ſufficientium ad veram longamque ſapientiam, haud dubie contemnes. Quod ſi & illa, quæ in iis miraris, dicta conciſa, & veluti brevi fulgure micantia, ſcriberentur, ut non abrepto & intercepto animo ſimul incidant atque effugiant, ſed ad maturam judicii ſeveritatem exigi poſſint; quam ſæpe inania aut inepta viderentur, quæ nunc inani præjudicio, & lepôre celeritatis fallunt? In iis igitur hominibus, non altum & perenne ingenii flumen, ſed Naturæ impetus aliquis, quæ ut exiguas aquas, ſi in ſublimi natæ ſunt, & iniqua tellure opprimuntur, quo anguſtior eſt exitus, eo majori niſu in altum propellit, ita ſcintillas ſapientiæ ſtatim niſi excipiantur expiraturas, magis vivo & ſonoro ſtrepitu laxat de cuſtodia parvarum mentium & in hanc tantum abortivam ſapientiam felicium.

Alii autem quibus ita in prolixam eloquentiam fuſa ubertas eſt, ut per inexhauſtum ſpiritum verba utique & ſententiæ ſufficiant, clari quidem apud populum eſſe ſolent, ſi inter publicos cœtus in foro templiſve audiantur. Grati quoque in privato uſu vitæ, ſi tam poſſint tacere quam loqui. Sed cum omnia animalia id, quo potiſſimum valent, arcano impetu ſentiant, & eo uti ament, tum iſti maxime ſua eloquentia delectati, qua una inſignes ſunt, haud facile modum tenent, quamcunque rem dicendi libido rapuerit; ut mirari jure poſſis, in tanta imprudentia tam commode dici poſſe. Solutis deinde colloquiis, quæ importune produxere, cum illos, quos loquendo fatigaverunt, lætæ & porrectæ frontis vident, non cogitant ab intempeſtivæ orationis faſtidio dimiſſos gaudere; ſed ut perfuſos magnifica voluptate, eo omine ſinunt abire, ut, ſi in ſe rurſus inciderint, de eodem cibo guſtent. Amplæ hæ mentes, & ſponte naturæ per omnium penè rerum ſeriem patentes: non tamen exactæ neque tinctæ, aut imbutæ, ſed ſingula præcipiti curſu libantes. Et ut Echo neque poſtremas quas acceperit voces tenere, neque quidquam ulterius ingenio loqui poteſt:

Digitized by Google

poteſt: Ita iſti omnium rerum ſcientiarumque primas ſpecies ſibi à capaci Natura ſubjectas, faciliime, ac penè nec cogitantes, admittunt; aliquid autem amplius atque exactius in earundem rerum ſtudiis aut facere aut velle vix poſſunt. Ingens quidem argumentum eſſe crediderim, non judicio animi, ſed impetu & veluti fortuna, tantam rerum copiam, ac indigeſtam venuſtatem ab iis produci: quod omnino, de quacunque re ſermonem inſtituerint, illa pari ubertate huic verborum & ſententiarum pompæ ſufficiet. Ut vero aliquid memoria in ipſo orationis curſu ſubjecerit, ad hoc illico divertunt, inde quoque in aliam, ut forte inciderit, partem: tandemque per diverſa capita diffuſi, non ſæpe originis meminerunt, unde univerſus ſermo defluxerit.

Ergo iſti vagis animis, nec in certam rem definitis, non ſummam modo illam, ſed & vulgarem inter mortales prudentiam, plerumque non vident. Quidam ſui ipſius immodici laudatores, alii nec amicos, nec ſe ipſos iis officiis juvantes, in quibus ſedulus labor, unique negotio inhærens, aptandus eſt; leves plerique, & ut paſſim provolantibus rebus varii, ita nec à ſententiis, quas videntur imbuiſſe, in alias tranſire difficiles. Tamen, ut maximam ſpeciem habent cultæ indolis, & per omnes ſcientias adornatæ, plerumque ad rem & famam promoventes debita uni ſapientiæ bona occupant. Maxime, ſi, ut vim ſuam intelligunt, ita & vitia non ignorent, habilique velut fuco ſe tegant, ne cui, ſaltem è vulgo, ſit aditus ad nævorum ſuorum contemplationem. Id autem potiſſimum aſſequentur, ſi in loquendo ſibi imperent, neque ſinant evagari ſubditas cupiditates, &, quoniam ut aptiſſimo ad omnia condimento, ita eloquentia omnia auribus conciliantur, varios ſermones cum variis callido deflexu inſtituant, ſemperque ejus generis quo audientibus poſſint imponere: nimirum apud militares viros, aut ignaros vetuſtatis, de divinis rebus agant, de ritibus antiquorum, de populorum gentiumque origine; &

ſi quid eſt præterea in ſcientiis curioſa venuſtate ſpectabile: cum iis quos lychni umbræque Scholarum rudiores ad civilis gubernationis diſciplinas faciunt, de populorum & Imperiorum fatis, de Principum genio, diſputent; neminem denique in ſua arte laceſſant. Neque enim ingratum, in ſociandis interdum ſermonibus ad res iis qui audiunt alienas, aut ignotas, divertere, præſertim cum & nova nos delectent, & de iis quæ neſcimus quædam nos altior opinio, & reverentiæ plena, ſubeat. Minus periculi iſtis oratoribus erit, ubi cum humili & anguſto animorum genere agent, cui omnia quæ audaci lætaque facundia effunduntur, tanquam ſacræ & per Oracula editæ voces, placent. Igitur has ubique partes ſuſcipiant, quas ex audientium ſorte ad ſuam famam eſſe crediderint. Quod quidem ideo facilius poterunt, quia adeo diffuſa ingenia per cunctas ſcientias atque artes erudiri ita poſſunt, Natura præeunte, & modico forte uſu, ut de rebus omnibus non inepte loquantur, cum tamen ſingula magis non ignorent quam teneant.

Scribere autem ejuſmodi Oratori tam arduum erit, & plerumque ad famam exitiabile, quam facile & venuſtum eſt loqui. Raro enim illi ſpontaneæ eloquentiæ additur vis judicii, quæ ſtylum perenni gratia ad poſteritatem deducat. Quippe promptus, & penè turbulentus animus, ubi in ocio, quod ſcribentibus datur, ſe ipſum recognoſcit, ipſa rerum quæ occurrunt multitudine oneratus, & confuſus, divitiis ſuis premitur: nec ſcribere quæ invenit omnia, nec quæ potiora ſunt eligere poteſt.

Denique tam diverſa eſt à loquendo ſcribendi ratio, tamque alii nervi, ut, qui robuſta facundia aſſueverat quacumque liberet decurrere, jam in ipſa ſcriptione evanidos moliatur, & veluti in ſomniis, ictus. Cæci tamen, ſuaque & aliorum adulatione corrupti, nonnunquam gloriam eloquentia quæſitam ſcribendi cupiditate deſtruunt. Multo magis è re ſua facturi, ſi longam ſpem ſuarum ſcriptionum facere Orbi poſſint, nunquam autem editis libris in famæ periculum venire. His

Digitized by Google

His cautionibus, ille vivax & per omnia diſſipatus animus ſubducet imbecillitatem ſuam oculis populi, & in ſpeciem ſapientiæ aſſurget, ſive ſe regere ipſum poſſit (quod utique frequenter non videas) ſive ſaltem conſilii patiens ſuadentibus amicis acquieſcat: ut qui prima vini caligine domiti adhuc ſciunt nec ſe ſapere, nec monitis familiarium pervicaci ſua fiducia obſiſtunt.

Ex adverſo ejuſmodi hominum, eſt aliud genus prima fronte tam à ſpecie ſuæ virtutis alienum, quam iſti eloquentes à vitiorum in quæ nati ſunt imagine recedunt. Hi igitur, cum ſubito loquendum eſt, tardam ægriuſve ſequentem orationem habent, hærentque ſæpiſſime blandimentis laceſſiti, vel jocis, quæ ſubiti & expediti ingenii homines in quotidianis colloquiis tanquam levia tela contorquent. Neque autem ſola verba ægre expediunt: ſed ſicubi etiam dicenda ſententia, quærunt quid ſentiant, neque ſtatim inveniunt. Verum advocato animo, & in ſeſe ad meditandum reducto, in rerum & negotiorum vim idonea ſubtilitate penetrant, verba quibus utantur apta concipiunt. Vis in illis recondita, utileſque & veræ, non fucatæ, & ex ſcholis umbratiles ſententiæ, & ſi eruditio ipſis acceſſit, uſuſque ſcribendi, plerumque digniſſimæ quas poſteris ipſi tradant. In hoc vero iis fortuna male conſuluit, quod anguſtis retuſiſque animis ipſa primorum motuum verborumque ſpecie ſimillimi, iniquiſſimo præjudicio ſæpe jacent, temnunturque. Ideoque ignota magnitudo ingenii non utique habet ſemper propitiam virorum principum manum, qua ad dignas ſua induſtria curas & honores tollatur. Veluti precioſiſſimarum mercium decor, ſi ſine titulo intra viles faſciarum nodos latet, non adducit emptores. Iis igitur hominibus utilitatis pleniſſima ratio eſt, viam facere, qua ad ſui animi interiora adeatur, nebulaſque amoliri quas in ſuo limine natura ſtipaverat. Hoc porro aſſequentur, vel ſcribendo (nam quid eſt aliud tabulam animi proponere?) vel aſſiduo uſu excitando lentioris ingenii acumen, ut quantum

Digitized by Google

eſt tantum eſſe ſciatur, aut denique quam poſſunt intima longaque familiaritate cum illis optimatibus ſe miſcentes, qui ut multo uſu agnoſcere robuſtæ mentis vires, ita agnitas poſſunt provehere.

Inter hæc nimii ponderis & levitatis mala, poſita indoles, & ad humanæ dignitatis faſtigium pervenit; huic modica ineſt, & tantum cum opus eſt, eloquentia, &, ſi tempus ſtudiumve accedat, venuſtior in familiari uſu vitæ, prompta & nitida, non hærens & turbata oratio, vis judicii non multum involuta, & quanquam acris ſubito, tamen poſt moram & conſilium validior. Hic eſt demum idoneus virtutibus homo ad privatam ſapientiam & publicam factus, aut ſi vitiis fœcundum animum tradet, non quotidianæ nequitiæ velut moles, in quamcunque partem incubuerit, perniciosiſſimo caſu omnia affligens.

Ampla autem ingenia ab opacis mentibus velut hac nota Natura diſtinxit, quod hæc dignitatem ſuam agnoſcant, peragantque omnia liberalius, verecundis quidem, ſed erectis ſpiritibus, ſemperque diffuſum aliquid, & vividæ majeſtatis contemplantibus: Retuſæ vero mentes in anguſtas cogitationes atque conſilia ipſæ ſe damnent, nunquam auſæ à timida humilitate excedere; In parvis interim, & menſuram ſui animi non ſuperantibus, ad ultimam diligentiam exactæ ſunt; cum ſcilicet aſtus quidam illis ingeniis accommodatus ſit, non altus ille aut nobilis, ſed ut in exiguis & invalidis animantibus videmus, per diffidentiam ſuis rebus ſemper intentus.

Sunt quidem ex literatorum numero, qui ſive diſciplinis ſuis faventes, ſive eruditionis utilitate (quam eximiam eſſe quis unquam niſi ex barbaris ignoravit?) decepti, negant aliquod ingenium in magnis numerandum, niſi quod poſſit literas capere; aut ullum ad juſtum decorem perveniſſe, quod non illis ornatum ſit. In hunc modum homines publicis virtutibus claros, natoſque regendis populis, ſi ad literarum ſubtilitatem inepti ſint, à veræ humanitatis &

magni-

Digitized by Google

magnitudinis claſſe excludunt, peſſimo prorſus ſuffragio ac errore, aut ſi mavis inſania; quandoquidem è contrario verius dicas, neminem eſſe civilibus rebus parem, niſi in ipſis naturæ divitiis conceptum; multos autem in umbra ſcholarum etiam ad laudem pervenire, inanes, & ſuperflui acuminis viros; quippe quorum indoles, intra metam neſcio cujus ſcientiæ damnata, caligat ad utilis illius prudentiæ lumen, cui omnium literarum diſciplina donanda eſt. Niſi forte non verius ſapientia illum amabit, qui augurati in populis motum, & tempeſtivis remediis occupare poterit, quam in Lunæ, Soliſque defectibus doctum, Aſtrorumque errores, & redeuntes in circulum anni vices perpetua contemplatione numerantem. Illi ipſi, qui adeo importunis laudibus Muſas attollunt, non hunc tantum politum aut eruditum vocant, qui omnes ſcientiarum partes pari felicitate impleverit, ſed ſatis eſt in aliqua modo regnare. Ut ſi Orator egregius ad argumenta ſe ipſam torquentis Philoſophiæ ineptus ſit, aut ſi non natus ad Eloquentiam Philoſophus, ſi Hiſtoriæ aut Poëſios rudis, non hunc ideo à ſcientiæ,aut præſtantis indolis titulis velint arceri. Quam igitur laudem pars diſciplinarum aliqua ferre poteſt, cur ab iſta ſcientia audent detrahere, quæ eſt in regenda ſocietate hominum poſita, cæteriſque omnibus, quæcunque in humanis rebus ſunt, antecellit? An ſapientiam Græce tantum, aut Latine, ac non potius arcano impetu & omnium linguarum ſermonumque conſcio, ſuis alumnis loqui exiſtimes? Parum eſt præſtanti ingenio naſci, ſi nihil eſt aliud quam aptum ingenium ad Academicæ eruditionis induſtriam eſſe ſortitum. Illi primi, quos habemus eruditionis Principes, non in Scholis ſudaverunt; & erant tamen propitio cœlo nati. Condere civium mores, patriam conſiliis firmare, in ritus peregrinos intueri, quæque inde placebant in ſuos invehere: deprehendere cœli motus, ne anni ſpatia ad ſtatos & neceſſarios gentium uſus laterent: hoc tunc ſcientia erat; hoc nunc noſtri literati ſcilicet imitari arbitrantur.

Digitized by Google

trantur. Quippe illi antiqui dum interiore cura rudes populos ſtudent manſuetudini cæteriſque conciliare virtutibus, ſtatim facta eſt civili Philoſophiæ origo: dum mutua contentione provecti hoc vel illud populo perſuadent, primæ eloquentiæ nata vis. Denique hiſtoriarum monumenta illorum veterum prudentiam, atque aſtus, narrant hodiernis literatis, tanquam ſucceſſoribus, ſi & ipſi molem negotiorum ferre poſſunt; ſin autem animo non ſunt ad res civiles idoneo, tanquam cuſtodibus & ædituis antiquæ virtutis. nam hiſtoriam ad ſolam contemplationem legere, inanis & otioſa voluptas eſt, quæ abſque fructu tranſit: imitari autem laudatos olim viros, vera & publica eruditio cenſenda eſt.

Equidem non negaverim, illud demum abſolutum eſſe ingenium, quod ad rempublicam ſimulque ſcientias factum ſit. Tunc quippe mutuo auxilio hæ dotes ſe in cœlum ipſæ attollunt. Regit enim literas, ne ineptiant, aut ſordeſcant, ſublimis & ad ſui ſeculi morem formata calliditas; quam invicem literæ armant, ne expertis tantum rebus, ſuique temporis notitia nitatur, ſed peritia quoque & laboribus antiquitatis.

Si quis tamen, ut interdum fit, publicæ luci & juvandæ patriæ idoneus non eadem felicitate à Muſis amabitur, nihilominus celſioris ordinis & elegantiæ cenſendus eſt, quam qui duntaxat argutias umbratilis ludi, & quæ cætera in Scholis edocentur, capere poteſt, inepto ad civiles diſciplinas animo, quæ potiſſimum uſu conſtant. Adeo ut non per jocum magis quam ex Philoſophiæ præcepto Favorinus ſcientiam Adriani metitus ſit ex magnitudine poteſtatis. [1] Adrianus Imperator famam ſcientiæ quærebat, & forte

1 *Adrianus Imperator famam ſcientiæ quærebat, & forte in Favorinum Philoſophum inciderat, &c.*] Iſte philoſophus Arelate oriundus, Dionis auditor, præterea Eunuchus, & Adriano Principi infenſus fuit. Ideo tria de ſe mira narrare ſolebat, ſe Gallum græciſſare, Eunuchum mœchum putari, & inimicum Imperatori vivere. Ob quam cauſam ſtatua ejus disjecta Athenis, ubi vivebat. Hunc Herodes Atticus patrem ſolebat appellare, hæresque librorum ab eo factus

& forte in Favorinum Philoſophum inciderat, qui ab eo laceſſitus argumentis, parcius, & ut victus, agebat, quo Princeps impunè exultaret. Objurgantibus amicis, quod tam facile ceſſiſſet, Male, inquit, admonetis: Nam cur non doctiſſimum putem, qui habet viginti legiones? Hæc non ſine argumento Philoſophus: cum, ex arte tot legionibus moderari, ſit altioris ſcientiæ, quam quicquid exercito, & per contemplationem ſublato acumine, in ſcholis deprehendas.

Cæterum ut omnium rerum, tum ingeniorum maxime pulchritudinem, ſæpe ſui fiducia pervertit. Multi enim ſuæ imbecillitatis conſcii, id conantur à laboribus impetrare, quod Natura negaverat, & aſſiduo cultu animum ita mitigant, atque formant, ut deinde ſupra illos emineant qui ad magna feliciter nati erant, ſed ſuarum mentium robur inconſulte ſpectantes, laboribus, tanquam ſupervacuis, abſtinuerunt. Ingens quoque inter hos ipſos diſcrimen eſt, qui diligentiæ ſtimulis exerciti perficiendo ingenio incumbunt. Nam nonnulli, quamcunque rem ſibi ad labores propoſuerunt, in ejus duntaxat apicibus ſummiſque faſtigiis occupantur, ad minora, ac interdum neceſſaria, ne cogitationem demittere quidem poſſunt. Alios adverſus error habet, qui veluti ac ſi quid à tergo ſuſpectum aut inexploratum relinquant, adeo exigua quæque ſcrutantur, adeo quicquid didicerint ſcire volunt, ut nec progredi in deſtinata ſtudia multum poſſint, nec ad veram & liberalem hujus rei quam tam ſuperſtitioſe ambiunt cognitionem pertingere.

Sed nec omnibus præterea ingeniis vis eadem ad laborum patientiam, & diuturnitatem, conceſſa eſt. Nam quo ſubtilior eſt animus, & in acumen magis factus, eo quidem ſibi facilius in impeditas res viam facit, ſed & citius aut magnitudine laboris aut longitudine hebeſcit. Quippe ejuſ-

eo factus eſt Philoſtratus, Gellius hujus meminit. Ælianus vero de varia hiſtoria dicit hunc quandoque in diſputatione quadam Adriano ceſſiſſe; admirantibusque proximis, nonne cedam, inquit, ei qui viginti legiones habet?

ejuſmodi mentium cuſtodiam habent non opaca corpora, ſed aptata accipiendo cœlorum hauſtui, meantibuſque ſanguinis & capitis ſpiritibus laxata, qui ut aciem ſubtilius expromunt, ita ſua tenuitate vaneſcentes, ſolo ocio & ludo reparantur. Ejuſmodi vero hominum non modo ipſe labor, ſed & precioſum ocium ideo erit, quia egeſtis mentibus novum robur ſufficit, ac plerumque ſolutum, & huc illuc errantem animum altis ſeriiſque cogitationibus implebit. Veluti pinguium camporum felicitas, dum ceſſat à cultu, interdum in plantas ſua ſponte luxuriat, nulla hortorum venuſtate deteriores. Ita Coſmus Medicæus, idoneus prudentiæ author, ſenſit, ille conditor florentis hodie in Hetruria dominatus. Placide, & veluti incurioſo ocio, in altam lucem acquieverat, cum unus forte ex amicis ſupervenit adhuc inter ſomnum vigiliamque marcenti: &, Ubi, inquit, ille Coſmus, cui tanquam Argo Rempublicam credimus? de die ne quidem oculis utitur. ego quidem rebus meis jam in foro operam, jam domi meæ dedi. Ad hæc Coſmus, An autem putas, inquit, meam diligentiam anteveniſſe, cujus quies operoſior atque utilior tuis laboribus eſſe ſolet?

Quidam tamen exempti ſunt huic fato, quod eximios à diuturnis laboribus arcet. Pauci illi, & tanquam chariſſima munera, rebuſpublicis à Natura donati, qui ſcilicet altum & penetrabile ingenium in prolixam ſedulitatem demittant, non aſſiduæ moli impares, non diverſo negociorum vultu confuſi, adeo ut nati ad imbecillitatis humanæ ſubſidium rerumque communium tutelam videantur.

CAPUT

CAPUT XI.

De fortibus animis: Temerariis, Timidis, Superbis, Sordidis; Languidis & Reconditis, Hilaribus, & Exertis. De inconſtantibus ingeniis, omnia acriter, ſed non diu, volentibus.

IMpavidæ ad pericula mentes, ſuique ſecuræ, ita in hominum ſocietate eminent, ut in campis, coroniſve, toti, ac tumuli, cæteris partibus per intervalla ſuperſtantes. Eſt autem illa indoles inter boni malique confinia pari diſcrimine conſtituta; nihil ex ſe iis quos inſedit miniſtrans, præter impetum, quo inſignes ſint, ſive probis eſſe placeat, ſive ad flagitia divertant. Nam utrimque temeritate, & fortitudine, cognatis quidem, ſed diſſimillimis affectibus, ſollicitantur illi homines in virtutis & vitii partes.[1] Temeritas penè eadem ſpecie atque vultu cum fortitudine eſt; adeoque ſæpe fallit, ut ipſi, qui magnorum hominum cenſores ſe faciunt (quod iniquiſſimum putes) plerumque ex ſolo eventu eam æſtiment. Quot ex viliſſimo militum ſanguine, quia ſuperfuerunt contemptis periculis, ad ſcientiæ bellicæ famam, eique deſtinatum faſtigium, creverunt? Alii vecordiæ accuſati, quod in eodem conſilio, & iiſdem periculis, occubuerunt.[2] Tiberius Gracchus, dum amore populi, proprioque ambitu, ferendis legibus incumbit, Opti-

1 *Temeritas pene eadem ſpecie atque vultu cum fortitudine eſt.*] Omnis virtus in confinio duorum extremorum poſiſita, id eſt, inter duo vitia, quorum alterum peccat per exceſſum, alterum vero per defectum, ſæpe pro virtute fallens. Nam fortitudo media eſt inter puſillanimitatem, & temeritatem, ſicut liberalitas inter prodigalitatem & avaritiam. Virtus enim, ſecundum Ariſtotelem 3. Eth. definitur habitus electivus in mediocritate conſiſtens.

2 *Tiberius Gracchus, dum amore populi, proprioque ambitu, ferendis legibus incumbit, Optimatum conjuratione ſublatus eſt. Eodem fato Cajus fr.*] Fuit eorum pater Gracchus Sempronius ille, qui in Hiſpaniam proconſul miſſus Celtiberos in deditionem accepit: Cornelia vero mater ex Scipionum familia, inſigni pudicitia, & eruditione mulier. Tiberius & Gracchus tales parentes nacti, generoſiſſimæ indolis, & eruditionis, nec eloquentiæ admirabilis cum eſſent, popularem gratiam nimium aucupati ſunt & Optimatibus relictis ad plebem ſe contulerunt, leges Agrarias perpetuos ſeditionum fomites in lucem reduxerunt,

Optimatum conjuratione ſublatus eſt. Eodem fato Cajus frater opprimitur. Ergo illi (inquiunt) inconſultæ temeritatis viri. [1] C. Cæſar popularitate, & largitione vulgo acceptus, ad ſummum potentiæ pervenit. Illum ideo dixerint fortis ſapientiæ virum. [2] Agis Rex in Ephoros contentione provectus, Lacedæmone viliſſimo laqueo extinguitur. [3] Cleomenes audet cæde Ephororum regiam dignitatem ſancire; caſu an virtute, rem utriuſque exiſtimes verti? Sed hoc maxime. [4] Alexander, compoſita jam Aſia, exercitus partem continendæ Europæ deſtinat; aliam, ne qui motus in Aſia exiſterent, apud ſe perſeverare jubet. Ignari milites quo rex conſilio ſuas copias divideret, una face, & publica accenduntur ad tumultum. Aſpernati Imperium, non Alexandri conſpectu, non voce terrentur. At ille, ſive conſilio, ſive iracundia ferox, è Regia ſede in furentes proſiluit, & eos, qui loquenti pervicaciſſimi obſtrepuerant, ad ſupplicium ipſe rapit, eadem majeſtate in plectendis iis tutus, qua in mulcendis vix fuerat. Ex conſternatione militum ponentium minas, hoc conſilium in virtutis famam ivit. Galba autem Imperator, dum compeſcere

duxerunt, nec prius quieverunt, quam ſenatum in ſuam necem armarent. Tiberius prior occiſus eſt in concione à Publio Naſica; Cajus autem biennio poſt, cum montem Capitolinum occupaſſet, juſſu Opimii Conſulis eſt interfectus. De his Juvenalis,

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes.

1 *Cajus Cæſar popularitate, & largitione vulgo acceptus, ad ſummum potentiæ pervenit.*] Secus accidit Cæſari, ipſe tamen popularis fuit non minus quam ambo Gracchi, & liberaliſſimus prædicatur maxime poſt triumphos: populoque ab omni tyrannide averſo, ſed amantiſſimo ſuæ libertatis placiturus coronam ſibi à M. Antonio impoſitam in Lupercalibus, ſtatim è capite detraxit; nec mora plauſibus populi Cæſar exceptus eſt, ut teſtatur Cic. Philipp. 2.

2 *Agis Rex in Ephoros contentione provectus, Lacedæmone viliſſimo laqueo extinguitur.*] Iſte Lacedæmoniorum Rex, qui tot bella adverſus Athenienſes fœliciter confecerat, Græcas civitates libertati reſtituerat, ab Ephoris (hi magiſtratus erant populares) quod juxta Lycurgi legem bona vellet eſſe communia, in carcere laqueo extinctus eſt. Ita Plutarchus.

3 *Cleomenes audet cæde Ephororum regiam dignitatem ſancire.*] Iſte eſt Cleomenes, qui Lacedæmoniorum Rex cum eſſet, ab Antigone victus eſt & indigne habitus.

4 *Alexander, compoſita jam Aſia, exercitus partem continendæ Europæ deſtinat, &c.*] Hoc fuſe habet Q. Curtius libro decimo, capite ſecundo. Exitum fatalem Galbæ habet pariter Suetonius in Galba.

1 *Cum*

peſcere milites ſtudet, haud paulo remiſſius, ut videbatur; quam ſub Alexandro agentes, in medio foro confectus eſt. Fortitudinem, an temeritatem appellaveris? Adeo vicina, & penè confuſa ratio, hanc virtutem vitio miſcet: aut ut verius dixeris, interdum cogitur fortitudo ad eadem conſilia in quæ temeritatem furor impellit, tumque ægre à vitii ſuſpicione expiatur, niſi vel felici ſucceſſu ſibi reverentiam favoremque conciliet, vel ille, qui ad hanc ineundorum periculorum neceſſitatem adigitur, longæ prudentiæ ſanctitate meruerit, ut extrema remedia, & temeritatem imitantia, credatur non temere, ſed ex præſcripto judicii, uſurpaſſe.

Igitur hunc affectum, cum non ſatis ſibi cavet, ſevera atque atrox ſui fiducia corrumpit: faſtidioſo velut nutu cuncta deſpiciens, ſuperbiæ quoque malis infeſtus eſt: In jactationem ferme proclivis; nec placere, aut odia ſaltem effugere, ſatis curans; per inſanos impetus præceps, donec indulgentiam fortunæ, & temeritatis felicitatem conſumpſerit. [1] Cum vero tenere modum poteſt, tunc in virtutem clariſſimam evadit, & magnitudinem animi in hoc tantum attollit, ut ſalutis vitæque diſcrimina leviora exiſtimet quam deſerti officii infamiam, vel proditæ per ignaviam pietatis. Quod ſi quis præterea illam vim intrepidæ mentis manſuetudine adornet, & iracundiam poſſit arcere, (quæ plurimum ejuſmodi ingeniorum robur ſtipat) tum vero eximii in omnem partem conſortii erit, & in ipſa formidabilis pace, id quidem ab indole habebit, ne abſque cujuſdam horroris reverentia cum eo quiſquam agat, à moderatione autem ſua ut etiam diligatur.

Eſt aliud adulterinæ audaciæ, ſed tutioris genus, & in quo

1 *Cum vero tenere modum poteſt, tunc in virtutem clariſſimam evadit.*] Virtus ex Ariſtotele 3. Ethic. eſt mediocritas duorum vitiorum, alterius per exceſſum peccantis, alterius per defectum: in medio conſiſtit virtus, nec aberrat tortuoſitate ulla ad dextram, vel ad ſiniſtram. Ovidius,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

1 *At*

quo graſſari infimæ humilitatis ſpiritus poſſint, cum aliquid non noſtro ſed alieno periculo audemus. Huic propemodum nihil cum ea quam deſcribimus indole, præter appellationem, convenire exiſtimem. tamen haud raro immeritis hominibus ad gloriam & præconia ſufficit. Nec alii eam propitiam magis habent, quam Præfecti militiæ, & qui medicinam profitentur; hi militum, illi ægrorum periculo inclyti. Et vero quotuſquiſque non Principum tantum, ſed ex Tribunorum aut Centurionum numero, gloriam ſuorum ſanguine non quæſivit? Triſti quidem militum fato, quorum laudes unus intercipit, excuſabili tamen conſilio mortalium; cum publice interſit incolumes duces eſſe, quorum ſapientia ſæpius hoſtem quam armatorum impetus evertit, militeſque in hanc ſortem ſcribantur, ut emptas ſtipendio animas, ubi utile erit, Reipublicæ reddant. [1] At Medicos non Pater Æſculapii Apollo, non ſatis cum Apolline Muſæ excuſent. Illos dico, qui ad opes & famam præcipites, non officii ſanctitate aut ſociæ mortalitatis generiſque affectu, ſatis ægris placantur; ſed eos veluti deſtinatas ſuæ gloriæ victimas habent, ſecuro ſcelere ideoque & frequenti. Inexperta & ſuſpecta remedia illorum quos curant periculo uſurpant, non contenti ſuæ artis documentis,

non

1 *At Medicos non Pater Æſculapii Apollo, non ſatis cum Apolline Muſæ excuſent.*] Familiare eſt ſcilicet Medicis ſuam plurimum jactare artem, ſuam ventitare ſcientiam, Galenum & Hippocratem proferre in medium, cum maxime morborum cauſas, & apta ignorent remedia. Dictus eſt Apollo, ut & filius ejus Æſculapius, inveniſſe Medicinam, unde ἀπὸ τοῦ ἀπολλεῖν nomen derivant, quod ἀπολλάττῃ, id eſt, ægrotationibus homines liberet, atque hunc ideo divinitatem ferunt adeptum eſſe. Ita Plato in Cratylo, dum notationem nominis perquirit. Hinc à Romanis inſtituti ludi Apollinares, ut morbos & peſtem Apollo longe à civibus arceret. Certe ſol calorem & virtutem ſanandi herbis impertit, ex *quibus* amuleta optima exprimuntur. *Æſculapius filius* Apollinis putatus eſt, ex Coronide Nympha, & medicinæ amplificator. Æſculapius, ait Pauſanias in Achaicis, nihil aliud eſt quam aër, cujus filia fuit Hygeia, id eſt, bona valetudo. Eſt ſiquidem aëris temperies non homini ſolum, ſed cunctis etiam animantibus celeberrima. Jure optimo igitur antiqui Apollinem Æſculapii patrem eſſe finxerunt, cujus munus eſt temperiem aëri, ut & herbis ſuccos influere. Apollo frater quoque, & præſes Muſarum creditus eſt.

1 *Inſi-*

non præcepto antiquorum, ſed vetuſtatis accuſatores, & ſi illis crederetur novæ arti ſuum nomen daturi. Si hoc modo temeritatem fortuna adjuverit, & remedium ab illis, in mortem, aut in valetudinem (nam & utrum ſit ipſi neſciunt) propinatum, vel forte, vel concedente jam morbo, vel ipſo robore ægrotantis profuerit, ſtatim fama velut certæ ac propemodum divinæ ſcientiæ in vulgus emanabit. Et hanc unius ſanitatem ſua pernicie plurimi luent; his Medicis jam audacius, & cum pereuntium plauſu, peccantibus. Sed triſtis iſtius audaciæ non ab illa indole origo eſt, quæ erectos homines, & ſive temerarios, ſive fortes, ad acrem & interdum turbulentum impetum agit: quippe audacia aut fortitudo eſt, in ſuo periculo non terreri; in alieno timere, humanitas.

Ex adverſo ſecuri atque intrepidi animi, ingenium timiditatis conſiſtit: quæ ut nonnunquam ad probitatem facta eſt, ita ſæpe in vitia deflectit. Si enim in ignavos affectus omnino tranſierit, qualemcunque ſecuritatem amans, tunc inepta virtutibus, nec privatis aut publicis utilis rebus, in vitium, illudque fœdiſſimum, degenerat. Quos autem hæc imbecillitas fregerit, ſcire, niſi cum pericula inſtant, idcirco eſt arduum, quia ſibi conſcii turpiſſimi metus, diligenter illius indicia tegunt, etiam adornatis ad audaciam verbis, & diſcrimina quodammodo laceſſentes, cum utique illa abſunt. Cæterum injurias, contumeliam, cladem, quam timere tam pati idonei; ad omnem ſpeciem minantis fortunæ horreſcere; neque hæc mala, quæ tantopere metuunt, forti conſtantique ſtudio, ſed dejecto ac ignobili, declinare; virtutem ſingulorum atque vim, ne quidem tentatam, expertamve, ſupra ſuam timide ducere; cunctoſque & odiſſe, & invita ingrataque apud ſe veneratione mirari. Cum impune autem licet, effuſi in crudelitatem: ſive quo audaciam ſimulent, ſive fœda & anguſta natura in vindictam imminente: denique futurum timorem occupantes, ſubrutis quos metuere in poſterum poſſent. Benigni tamen vultus

Digitized by Google

vultus ſunt, & ab innata ferocia diſſidentes: Ut *Syrtibus* areniſque ſimiles eſſe credideris, quæ brevibus ac placidis undis tectæ, tamen ventorum impatientes in immenſum ſubſidere ſolent, & haurire calcantes.

Sed maxime, ubi Principis animus huic ingenitæ formidini damnatus eſt, ſervis aut civibus ſuſpecta eſſe debet illa animi mollities, placere quidem quærens, ſed nec ſibi, nec aliis, vel tuta vel felix. Nam, velut in vindictam contemptæ Majeſtatis, penè videas triſtiſſime hos perire, qui captivo timentis domini ingenio audent illudere: Et ipſe licet, ingenito pavore perculſus, quos veretur ſuſpiciat, licet indigno permulceat cultu, eoſdem tamen odit, interdumque velut ab effractis ergaſtulis totus erumpit, tam ſubito & inconſulto turbine quam ſe fœde illis ante permiſerat. Servos autem aut cives illa timendi indole eſſe imbutos, interdum magno momento eſt ad ſecuram regnantis majeſtatem. Tunc vero neque illi nimis ſolute habendi ſunt, ne ſe timeri putent, neque etiam crudis aut importunis imperiis laceſſendi, omninove ſpernendi, quia etiam de pavidiſſimis hominibus acris multitudo cogi poteſt; ubi tumultuantibus univerſis quiſque non ſua ſed ſociorum fiducia omnia audet.

Si quis autem ſic in timiditatem natus eſt, ut fortitudinem tamen accerſere conſilio ac prudentia poſſit, eaque, cum opus eſt, ſuos metus temperare, is non modo à vilitate recedit, ſed & ingentem laudem habet, quod *imbecillem* affectum, & ſæpe noxium, in virtutem coëgerit. [1] *Inſigne* pavoris exemplum, cui hæ robuſtæ virtutes acceſſerant, fuit

1 *Inſigne pavoris exemplum, cui hæ robuſtæ virtutes acceſſerant, fuit Patrum noſtrorum memoria vir egregius, &c.*] Scena totius rei hæc eſt: Pridie quam funeſtum illud certamen iniretur, coacto à Rege Franciſco concilio Ludovicus Dars Dux de Trimolia, qui ſenio tardus, & pedum dolore, eo lecticâ devectus fuerat, author regi fuit obſidionem eſſe procraſtinandam, tandiu donec auxilia adveniſſent: diſſentiebat Gouferius annitente Sammarſalo, urgendoſque hoſtes jam fatigatos aſſerebat, ſeniori tarditatem objiciens, qui ſimilis vaticinanti præmonuit totius belli exitum, toti Galliæ nimis fatalem, nam in ea obſidione Ticini Gallia ſuo Rege orbata eſt, dum commiſſo prælio captus

Digitized by Google

fuit Patrum noſtrorum memoria vir egregius bello, & cui multum arma Gallica debuerunt. Strenuus manu, ſummuſque conſiliis; tamen in ipſo pugnarum articulo, cum in conſpectu hoſtes eſſent, plenus obverſantis periculi imagine, adeo ſolvebatur, ut etiam ſecreto indigeret, quo ſeſe ſubſidentibus alimenti reliquiis, ſimulque pavore, exoneraret. Collectis deinde ſpiritibus, ea erat producendi milites ars, tantus ardor dimicantis, ut dubitares Ducis partes, an militis enixius obiret. Ad extremum etiam vitæ, clara illius, ſed miſerabilis virtus, oſtendit non ſemper à fortitudine triſtem illum pavorem divertere. Quippe ferale certamen ad Ticinum, quod Franciſco Rege capto penè ſpem Italiæ Gallis eripuit, iſtius quoque ducis ſanguine funeſtum eſt. Pridie cladis rex advocato conſilio, ipſe quidem pugnæ avidus, tamen ſuos ſententiam dicere juſſit. Iſte ſenex magnopere ſuadebat ut auxilia expectarentur quæ accita, & jam protinus adventare conſtabat: neu in diſcrimen, præſertim non neceſſario tempore, in alieno quoque ſolo, res ſaluſque Gallorum conjicerentur. Non de gloria modo Regis, ſed incolumitate agi. Aderat in eodem conſilio acer juvenis, ſed turbulento impetu pugnam incipere quam in ea perſeverare magis idoneus. Is nihil præſtabilius ajebat, quam ut armis victoriam (nam nec de ea ambigendum) quam primum occuparent. Nimium honorem hoſtibus habi-

captus eſt Franciſcus, & in Hiſpaniam traductus, reliqua lege apud Hiſtoriographum Gallicum Du Haillan. Non abſimilem Fabium Cunctatorem ſimili occaſione paucis ante annis Gallia habuerat, priſtinis periculis non ſatis cauta. Nam Ludovico XII. Rege Ferdinandus Apulia, Calabriaque non contentus, regnum Neapolitanum, totamque Italiam jam ſpe, & cupiditate invaſerat. Conſalvus ejus hortatu ferebat undique occaſiones belli, Dux remotâ invidiâ, prudentia ſingulari, & patientia incredibili, præmiſſis quibuſdam velitationibus. ac pugnæ præludiis, in quibus Bayardus notiſſimæ virtutis Eques Delphinas præcelluit, tandem ad Criniolam pugna temere commiſſa, cum dolo Hiſpanorum Ludovicus Armeniacus Nemoroſi Dux cecidiſſet, capto Aubignio, Alegrio feroci, & rapido in conſiliis, linguaque immodico, fuga ſibi (ut antea Dux Nemoroſi fecerat vaticinatus) conſulente, ut eſt metus pudore potentior, Galli profligati; inde capta deditione Neapoli, vix Cajeta ſervata toto regno pulſi ſunt, fruſtra miſſo poſtea à Rege exercitu: ſic recuperatum iterum regnum iterum amiſſum eſt. Hæc fere ex Floro Francico.

habituros, ſi à tanto Rege, & tam alacri exercitu timerentur. Ipſo Regis nomine jam paventes turbine Gallici equitatus proculcari ſatis poſſe. Adjecit in hunc Ducem, nihil mirum, ſi & ſenex, & pavidus, cunctari juberet, cui animus ſolitis terroribus quateretur, jam etiam ſibi per illa quærentibus viam. Non tulit ille vir immodici joci procacitatem: &, Ego vero, inquit, quandoquidem Rex pugnare decrevit, cras non obſcura morte in illius oculis defungar: tu vero temeritatis & audaciæ oblitus, hoc certamen, quod verbis jam accendis, turpi fuga deſtitues. Hoc triſte vaticinium uterque implevit. Quippe juvenem terror ab acie abſtulit; & alter quem promiſerat ſanguinem in conſpectu Regis præclaris vulneribus effudit.

Hæc igitur cauta, ac modeſta timiditas, non modo prudentiæ jungi poteſt, ſed & illius interdum magna pars eſt, utilitatis quoque pleniſſima, cum in eos incidit, quorum nimiam, nec in modum coërcitam, audaciam Reſpublica luere poſſet. Qui vero ſuum ingenium ad formidinem factum hac juſta & ſalubri arte regere poſſunt, ii plerumque mitiſſima humanitate adornantur; blanda ſimplicique pietate verecundi, neminem lædere gratuitis injuriis ſuſtinent: etiam in viliſſimis hominibus, aut ultima egeſtate damnatis, ipſam animorum & mortalitatis communionem venerantur. Sed & magis ſibi quam aliis hoc inſito pavore moleſti ſunt. Nam & tacitis ſecum ipſi conſiliis laborant, ægrum animum, & non ſponte terroribus raptum, virilibus præceptis componere: palam autem, neque decorum arbitrantur hos timores fateri, neque ex inquietæ formidinis impulſibus quicquam amant, ſive ſuum, ſive ab amicis commiſſum, miniſtrare.

Aliud ab audacia, aut timiditate eſt, ſed veluti in illorum fatorum confinio, ſuperbum animum, ſordibuſve dejectum, nanciſci. Superbia peſſimi ingenii fomes, funeſtis ac multiplicibus vitiis in diverſa prorumpit, odii, amoriſque, & ſuper omnia invidiæ ſuppliciis obnoxia. Nec alii magis

magis anxii aut perpetui motus ſunt, quam hominum non tam quærentium laudem, quam hanc ſibi deberi credentium. Et contemni ſe facile ſuſpicantur, & hanc aliorum, ut putant, contumaciam, in ſe acerbiſſimis curis vindicant. Jam ſua vitia neſciunt, jam virtutes aliorum. Ita captis, pietas, fides, & quidquid in hominibus ſacrum, infra famam honorumque cupiditatem jacet. Quantumque ſucceſſerit, nihil illis in quietem eſt, ſed in novas ſpes, pejuſque animos diducturas. Sed atrocius ſupplicium non eſt, quam cum ſuperbia hominem pavidi ac muliebris animi ſubit. Tunc pudore ſcilicet atque metu cohibetur inſana cupiditas, interimque, per tumorem anxium ſeque celantem, à ſeipſa exigit pœnas. Cæterum hæc indoles amicitiis inepta, & ubique ingrata eſt, niſi cum fortaſſe Superbiam craſſæ aut territæ vulgi mentes pro erecti animi magnitudine venerantur.

Vile autem & ſordidæ humilitatis ingenium, ut nihil magni curat, ita nec aliquid ducit indignum quo ſuis cupiditatibus obſequatur. Cudit autem ocii inertiam, atque languorem, & veternum voluptatum, vel opibus inhiat, triſtiſſimo ardore, & tam partis quam quærendis non utente. His ut plurimum moribus ferri ſolent abjectæ illæ mentes. Si ad tempus ſublimibus excitantur conſiliis, videnturque rationi annuiſſe, ſtatim naturali torpore ſuis ſordibus redditi jacent. In hanc indolem moreſque dejecti, non ad imperandum nati ſunt; ac ne quidem commodos ad obſequia credideris, cum illis cæterorum virtus inviſa ſit, quam non amant, capiuntve, quærantque libertatis licentiam, qua inter ſordidos & anguſtos affectus nullo objurgante marceſcant.

Sed vitiis ſæpiſſime favemus, & in virtutum nomen, quæ proximæ illis ſunt, adoptamus. Ita temeritas interdum pro fortitudine colitur, & ſuperbiam erectæ viriliſque indolis titulis admiſcemus, tranſitque hoc fœdæ humilitatis ingenium in humanitatis colores, & veluti rectæ Philoſo-

Digitized by Google

phiæ ſimplicitatem. Nulla tamen ingenia pejore *judicio* ſolemus æſtimare, quam exerta, & ſemper aliquid velut temere agentia. His enim, tanquam à modeſtia abeuntibus, ut plurimum levitatis infamia adhæret: è contrario autem languentibus, & reconditis mentibus, ſapientiæ quædam imago populum conciliat, utrinque non modice, ſed nec ſine argumento, peccantem. Aperta igitur, & vigore perpetuo excitata ingenia, non arcanis odiis, non fraudibus ſatis idonea, ac ne quidem ut plurimum ea procacitate cæteriſque vitiis, quorum imaginem referunt, infeſta ſunt. Quippe in illis magis ſubitus loquendi aut innoxie laſciviendi impetus viget, quam in vitium proviſa conſilia. Ocium parum ferunt: ſive magnis occupentur, ſive levia placeant, ſerio ſemper intenti. Ita ſordes, quæ ſegnibus animis per torpentes cogitationes ſubrepunt, illa ſedulitas ſolet effugere; jocos ne in amicum quidem tenentes; ſed plus in illis extemporaneam voluptatem quam ullius injuriam amant. Nam inire amicitiam faciles, nec ſolvere; illiuſque dulcedinis impetu non ducuntur, quæ pleroſque in rerum aut hominum novo uſu vel conſortio, tanquam inuſitato guſtu, blandiſſime percellit. Rei cui incubuerint, ſi non exactam manum ſummeque felicem attulerint, *ſaltem* ex ſuo genio neſcio quid quod placeat transfundunt; maxime quia, quod agunt, non anxio labore perficitur, ſed ipſa facilitatis gratia eminet; velut ſpontaneo *naturæ* ingenio in ſuum decorem productum. Si quid *in litteris quoque* tentaverint, nimii ſudoris opinione legentes non offendunt; qui in laboris partem penè videntur cum illis authoribus venire, quos conſtat non ſine unguium vulnere, & pervigilii malo invitas ſententias, aut verba, coëgiſſe.

His ingeniis nullo fuco obductis, ſemperque quid agant (niſi multum interſit celari) ingenua confeſſione prodentibus, ex adverſo conſtituta eſt indoles, arcano pondere, velut prudentia, ſuos ſenſus & animi libidinem tegens.

Et his

Et his hominibus haud pauci nomen virtutis, ac induſtriæ, nihil ultra exploratis ingeniis, concedunt; quoniam ingens modeſtiæ imago eſt, parce, nec aliter quam ex præſcripto verecundiæ, loqui, ad omne vitii nomen ſupercilium ducere, nemini, ſaltem palam & profeſſo odio, contumeliam aut facere aut referre. Quid denique propius ad ampli ingenii ſpecimen, quam videri recondito nec ceſſante commercio cum ſapientia loqui? Ita enim dixeris factos, qui in iſtam quam deſcribimus lenitatem, & ſolitaria conſilia, producuntur. Sed hæc lenta graviſque tranquillitas ingentes latebras habet, quibus etiam vitia excipiat, quorum ne nomina quidem ipſi publice audiant abſque pudoris horroriſque indicio. (teneras enim frontes, & ſuis animis diſſimiles, habent) Illud tacitum, intraque ſe detruſum cogitationum examen; non poteſt continuis ſtudiis in virtutis aut induſtriæ laborioſam imaginem intueri. Nam cum omnium hominum impetus à labore in jucunditatem voluptatis declinat, tum vero præcipue iſtorum, quippe mollioris naturæ, & ad muliebrem lenitatem accedentium. Hinc omnium voluptatum ac vitiorum genera illorum animis ſubjicit hæc frequens & ocioſa ſolitudo, cui fœdiſſimæ contemplationi ideo ſecurius acquieſcunt, quod ſic impune liceat ſibi unis conſciis eſſe, palam autem non multum operoſa pietate, ſed ad cæterorum credulitatem idonea, virtutem adornare. Sed neque hos ſemper in ſapientiæ, ac ne quidem in vitiorum imaginem eſſe defixos exiſtimes. plerumque tardi animi ideo hærent, quoniam minus apte quod loquantur inveniunt. Ipſo interim vultu, & neſcio quo ſilentio, ſeu ſi mavis pondere, (quo ut graviſſimi hominum ita pecudum inſulſiſſimæ nutant) integritatis laude & induſtriæ cenſentur.

Eſt aliud ingeniorum genus, penè cæterorum omnium diſcrimina, mira quidem, ſed illaudabili varietate complectens, tamen in primis egregium, ſi quàm illi impetum tam frænum natura addidiſſet. Illud eſt hominum, ut qui-

Digitized by Google

que affectus impulerint, ad extrema ruentium. [1]Si pietas ſerio illis placet, & numinis cultus, quaſi nulla hilaritas intercedere tam ſanctis officiis poſſit, fronte dejecta, & ad omnem remiſſionem iraſcente, ſupercilium induunt non duraturæ ſanctitatis. Alienæ etiam vitæ ſuperbi cenſores, cæterorum probitatem ex ſua extemporanea ſeveritate metiuntur. Tunc priorum amicitiarum delicias ſolent abjicere; etiamque innocentem jucunditatem non ferunt, quæ in ſapientium vita ad oblivionem vel patientiam laborum ſolet interſeri. Mox nimia intentione fractum animi robur, ubi odiſſe incipit hanc ipſam cui inconſulte incubuit pietatem, non per gradus & reciprocantis æſtus vices, ſed in contrarium acto torrente, repetit quem omiſerat luxum. Tunc vero tam immodice in voluptates ſolvi, quam eas inepte refugerant: tunc etiam ipſum nomen ſeveritatis odiſſe, jociſque, & omni libertate cultoribus ſubhorridæ illius pietatis, quam modo reliquerunt, illudere. Dum hæc agunt, ecce tibi, revocata pietas adeſt, triſtique pœnitentia laſciviam rurſus expellit, donec etiam illius pœnitentiæ inceperit pœnitere. Nec in Numinis tantum cultu frequens illa, atque immodica mutatio; ubique pari impetu errant. A ſummi amoris conſuetudine eos in extrema odii velut aliquis turbo agit. Nunc aſſiduus labor placet; ſtatimque ſine nervis ſegnities. Jam mite literarum ſtudium, jam amorum exultans cupiditas: & quæcunque præterea in contrarios motus mortalium mentes agunt. Loquendi etiam tacendique ſtudium non ſatis adgubernant: Si incitantur fervore dicendi,

1 *Si pietas ſerio illis placet, & numinis cultus, quaſi nulla hilaritas intercedere tam ſanctis officiis poſſit, fronte dejecta, &c.*] Hanc devotionem minime liberam refutat æterna veritas, nam hilarem datorem diligit Deus, non ſubtriſtem, niſi triſtitia illa fuerit ad pœnitentiam. Eſt enim devotio, ex D. Thoma, liber, promptus ac fervens in Deum affectus, & ea quæ ad Deum pertinent. Fundamentum eſt Charitas. Hinc Paulus Apoſtolus ſuperabundat gaudio in omni tribulatione, & ipſe gaudendum, & juxta cum Chriſto exultandum, iterum, atque iterum præcipit: Non igitur contractum ſupercilium, non caperata frons, non ſubtriſtis oculus, non rictus oris placet: ſed ſimplex oculus, frons hilaris & explicata, totius vultus amœna ſuavitas.

1 *Sed*

dicendi, quemcunque cœtum iniverint, ſermonem univerſis præripiunt, ſolique audiuntur: Mox hilaritate deſtituti, quæ in verborum luxuriem diffuderat mentem, ægro ſilentio contabeſcunt; ſecumque velut ad internum colloquium collecti, ita lumina defigunt, ut vix præſentes agnoſcere, aut rogati audire videantur; Pari utrobique flagitio in humani conſortii venuſtatem, in quo & commode loqui & tantum per ſpatia tacere conceditur.

Illis autem hominibus tanti erroris cauſa eſt, quædam interna ſuavitas cui ſe totos permittunt. Hac auſpice, quid fugiant aut ſequantur, conſtituunt. Et is motus in quamcunque rem iſtos agat, etiam curis aut labore pleniſſimam, eam primum blandiſſima ſpecie fictam animo offert: quem mox dulci amœnaque violentia victum rapit, & omnia credere ſibi cogit. Ubi autem ille fucus evanuit, & hæc mutabilis ac fugitiva dulcedo ſe in aliam partem vertit, hanc etiam iſti ſequuntur. Sunt enim non tantum laboris impatientes, ſed & ipſius voluptatis, ſtatim ac lenocinium iſtud abeſt blandientis intra pectus cupiditatis. Eſt autem hæc læſi, nec ſe regentis, judicii nota: Indoles facta virtutibus, ſed tantum ad virtutum initia: non ad fidem, non ad amicitiam fortis, ſui diſſimilitudine prorſus ingrata. Nec ſibi imperare, nec negare quicquam poteſt. Triſtiſſimum autem fatum eſt, & populis grave, ſi, quos natura in hanc infelicitatem ediderit, iidem extra metus, & propemodum verecundiæ leges, ad imperandi faſtigium producti ſint.

CAPUT XII.

De animis Amori obnoxiis. Hos affectus ſingulorum temperari, & interdum mutari, à fortuna, & vel ſplendida vel obſcura vitæ conditione.

SEd [1] in recenſendis mortalium affectibus, præter fas ac humanitatem eſſet Amoris obliviſci, qui in omnium

animis,

1 *Sed in recenſendis mortalium affectibus, præter fas ac humanitatem eſſet Amoris obliviſci.*] Amor eſt, quo alicui optima optamus, & eorum authores eſſe volumus, non noſtri, ſed ipſius gratia. Φιλεῖν τὸ βέλεσθαί τινι, ἃ οἴεται ἀγαθὰ

 ἐκείνε

animis, niſi prorſus barbaris, regnans, tamen quoſdam vehementius ſuis curis imbuit, ſibique propius addicit. Eſt autem

ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὐτοῦ, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων. *Amare eſt velle alicui, quæ putat bona, illius cauſa, ſed non propter ſe, & paratum eſſe ad ea pro viribus efficienda.* Ita Ariſtotel. At Cicero l. 2. de Finibus: *Quid autem eſt amare, ex quo nomen amicitiæ ductum eſt, niſi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamſi ad ſe nihil redeat.* Differunt igitur *amare*, & *amicum eſſe*: nam φιλία *amicitia* in redamando conſiſtit, non vero φίλησις *amor*; nam fertur etiam in res inanimatas. Hinc Tullius 2. de Invent. *Amicitia eſt voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius cauſa quem diligit, cum ejus pari voluntate. Amici autem ſunt qui amant, & redamantur: qui una gaudent rebus bonis, & ſimul dolent moleſtis.* Hinc Horat. ad Mecœnatem,

Cur me querelis exanimas tuis.

Negat deinde ſe ei ſuperſtitem eſſe velle. Qui eadem uſi fortuna ſimul vixere diu. Terent. Adelph. act. 3. ſc. 4.

—— Una à pueris parvulis
Sumus educati, una ſemper militiæ, & domi
Fuimus, paupertatem una pertulimus gravem.

Qui ſunt iiſdem amici, iiſdem inimici. Hinc Gregorius cognomento Theologus Epiſt. XVII. ad Euſebium Cæſarienſem ita ſcribit: *Gaudeo quidem me honore abs te affici. At contumeliam à tua pietate illatam eſſe Chariſſimo fratri Baſilio, atque etiamnum inferri, moleſte fero; quippe quem vitæ, & ſtudiorum ſocium, & maximè ſublimis philoſophiæ ab initio elegi, ac nunc habeo.* Mox ſubjungit: *Tu vero dum eum contemnis, me autem honoras, perinde mihi facere videris, ac ſi viri alicujus caput unâ quis manu demulceret; alterâ autem feriret maxillam: vel ſi convellat fundamenta domus; at in parietibus pingat, parteſque exteriores exornet. Cæterum ſi vis amari, ama; & ſcito quod* κοινὰ τὰ φίλων. Amantur liberales, humani, fortes, juſti: ſic amabat Alexander Magnus ἀιδοίμους ἄνδρας, viros egregios, eoſque beneficiis ſuis ornabat. Amantur, quæ rara ſunt, ſic gemmæ, uniones, &c. & qui ſunt jucundæ & comis indolis, aut ſocietatis ſuaviſſimæ. Decori, & mundi; ſic φιλογελίαν Xenophontis Ælianus commendat. Immemores acceptæ injuriæ. Circa vitam aliorum inquirendam minime ſtudioſi, & noſtrûm admiratores. Amantur qui moribus ſtudiis, ætate, genere, vultu ſimiles ſunt, & ubique συμβουλεύουσι, ſimilis enim ſimili gaudet, & pares cum paribus communi proverbio facile congregantur, propter affectuum ſimilitudinem & ſympathiam. Hinc Theocritus Idyll. IX.

Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
Ἴρηκες δ᾽ ἴρηξι.
Formica formicæ, cicadaque grata cicadæ,
Accipitri Accipiter.

Et Ovid. lib. 2. de Ponto, Eleg. V.

Scilicet ingenio aliqua eſt concordia junctis,
Et ſervat ſtudii fœdera quiſque ſui:
Ruſticus Agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.

Nec obſtat illud Heſiodi, figulus figulo invidet, mendicus mendico. Eſt enim duplex ſimilitudo, ut *placet Plutarcho* in ſympoſiacis, altera μάχιμος pugnax, ut *in gallis* gallinaceis, & hæc reperitur in amantibus, Poëtis, & Sophis; altera ἥμερος manſueta, quæ eſt in agricolis & ſimilibus. Audi Ariſtotelem; Amamus, *inquit*, ſimiles, & eadem profitentes ſi non incommodent nobis, neque ex eodem ſit vita; ex eo enim eveniret illud, Et figulus figulo, γίνεται γὰρ οὕτω, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ. Imo cenſet ſimilitudinem ſtudiorum gignere amorem mutuum: ſed odium eſſe ex lucro ab altero impedito. Unde Cicero in Bruto teſtatur ſe non invidiſſe

autem blanda & irrequieta cupiditas, iis ipſis placendi, qui nobis ſive forte, ſive ſua virtute, ſive noſtro denique errore placuerunt. Et is quidem, velut inſidiis, ita irrepit, ut nos ante ſentiamus amare, quam inſtituamus de amando conſilium. Neque arduum in ipſis initiis eſſet excutere tantum pondus; niſi ſenſim neque ſine ſuavitate incumbens ita eos ipſos ſuis lenociniis caperet, quos affligit, præſertim inexpertos, ut putent inhumanum facinus fore, ſibique omnino incommodum, ſi influentis mali dulcedinem auſint à ſe ſevero imperio arcere. Hoc autem affectu, ſi inſtitutio recta acceſſerit, nihil in mortalibus magis eximium. Namque & omnibus virtutibus quandam ex ſe venuſtatem concilians, interdum ipſa vitia excuſat. Male nihilominus ſeveri homines Amorem averſantur, eumque fœda & enervi imagine ſibi fingunt: quo nihil in humanis rebus ſyncerius; modo in juſtis limitibus, & à virtute factis, ardens, non etiam ſuo incendio quæ vetantur corripiat. Neque in adoleſcentibus tantum, aut maturæ ætatis hominibus, blanda illa cupiditas concitatur: ſed & pueros in innoxiis ſolicitat annis, ut intelligas hunc ignem dignis pectoribus penè non tam accedere quam innaſci. Et quoniam minus ſe regere, curiſque, etiam ſupervacuis, moderari pueri & adoleſcentes poſſunt; ideo magis anxia in ipſis hæc ſolicitudo ſolet incumbere. Indeque illis animus ad eximia conſurgit, & ſuam ætatem ſupergreſſa; tanquam ipſis hoc experimento probaturis, an digni ſint qui jam ament. Adoleſcentulus quidam in Scholis agebat, multa cura monitiſque magiſtrorum in pares ſuæ ætati diſciplinas ſolicitatus. Sed ingratæ litteræ

diſſe Hortenſio, nihil eum ſtudiis ſuis attuliſſe incommodi, ſed potius laboris ſocium fuiſſe. Hi demum ſunt amici veri, qui abſentes & præſentes, in adverſa ut in proſpera fortuna poſitos fovent, fit enim plerumque in inconſtantibus & falſis amicis illud Ovidianum,

Cum fueris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Amantur & hi in quibus fiducia eſt, & quibus vitia deteguntur, & qui non ſunt formidabiles. Theodoricus timet timeri, non ille qui ait, oderint dum metuant. Verum natura amicitiæ in eo magis conſiſtit, ut ames, quam ut ameris. Ad amorem affectuoſum proclives ſunt Melancholici, pueri, ſenes, mulieres, principes viri, & ſtudioſi.

litteræ erant ludi ociique libertatem amanti: cum ecce ad idem oppidum forte matrona nobilis, cum duabus ex ſe natis virginibus, divertit; & quoniam neceſſitudo inter utramque familiam erat, ſtatim iſte in diverſorium mulieris, ad ſalutationis officium, deducitur. Nec mora, cum alteram ex puellis intentius mirari, mox inhærere ſermonibus, ad extremum eodem ipſo die efflictim amare. Tum primum rudis & ſolutus animus ad curas adactus eſt. Itaque poſtero die repetit ignoti vulneris conſcium locum, & ægritudinem ſuam diu protracto colloquio ita pavit, ut deinde pejus doleret. Nam ut tertius dies illuxit, Matrona cum omni comitatu profecta penè vivum adoleſcentulum non reliquit, cui, ne aliquod ſolatium haberet, premendum quoque erat tanti incendii malum, ne vel parentis ſupercilium cogeret, vel inter æquales traduceretur. Diu intra ſe collecto conſilio, nihil utilius vidit, quam ut ſtudiis literarum totus incumberet: ita quippe parentem conciliari ſibi poſſe, qui non tantæ in ſtudiis diligentiæ ſuum ludum negaturus videbatur. Ab hoc igitur, in recte collocati temporis præmium, veniam exorare ſtatuerat, viſendi celebrem in proximo urbem. Ea erat in qua puella habitabat. Hæc non perfunctorie agitantem, maxime præceptores, æqualeſque, mirari; ſubindeque requirere, quæ illa animi mutatio, quis ſubitus ad literas ardor, paulo ante ipſum ſcientiæ nomen faſtidioſe damnantis. Quippe adhuc quieſcentibus cæteris in ſtudia ſurgebat, nec aliter quam ſæpius juſſus ſecedebat ad ludum. Amoris impetus, cui hæc diligentia dabatur, ita ſenſum laborum mitigabat, ita Muſas adornabat, ut nec cogitans puer illarum dulcedine caperetur. Mox, ut ſolet, in ejuſmodi præcipue annis, cum conceptum de puella judicium, & quicquid ille ignis inſanienti ſubjecerat, longiore abſentia jam torperet, hæſit acris ſciendi cupiditas; & ipſe liberalibus ſtimulis ſerviens adeo in hæc Muſarum ſtudia ſubvectus eſt, ut deinde litteræ huic etiam non pauca debuerint.

Cæte-

Cæterum pertinax Amor, nec qua reliqui motus facilitate ſanabilis, niſi in cunabulis pereat, vix aliter ſubmoveri quam tempore poteſt; dum laſſus ſcilicet expiret. Cum enim in curſu eſt, ſemper habet quo ſui imperii atque jugi faſtidium tollat. Nam ſi amanti per ægritudinem, malorumque perpetuam faciem, aliquo modo ſucceſſerit, omnino ſibi crudelis videbitur ſi illam amœnitatem à ſe velit abigere. Sin vero fortuna ſeverior aut ſpem in longum produxerit, aut hanc quoque ſuſtulerit, tunc etiam dolor placet, & ſibi ipſi miſerabilis animus ſuam cladem inter ſuſpiria recognoſcens, liqueſcit in delicatæ triſtitiæ voluptate. Sed maxime tectus ignis duraturo ſpiritu viget, ſive furto inter duos jurato ipſa ſecreti & conjurationis dulcedo placet, ſive ne mutuus quidem amor ſit, ipſo duntaxat ſupplicii ſui conſcio qui ſentit ſe ardere. Nec exiſtimes, in diſpari tantum ſexu hunc affectum convenire. [1] Nam & Alcibiadem Socrates amavit, nec Lycurgus in turpem inſtituit diſciplinam ne quis juvenum ſuo amatore vacaret. Pudicitia Naturæ ad juſtos & egregios amores ducentis ſæpe hæc diſcrimina non videt, multoſque ex probiſſimis cernas, ipſa juvenum cura, id eſt, ſi rectam rationem ponimus, amore macerari. [2] Et hic amor, eſt quidam benevolentiæ nexus, quem amicitiam, ſed ardentem, appellaverit: tum morum in iis quos amamus formandorum ſtudium; perpetua denique vota pro eorum gloria ac ſalute, etiam quidquid egerint ne non ſuccedat timor: & ſemper, quantumcunque fortuna indul-

1 *Nam & Alcibiadem Socrates amavit.*] Laudavit celebravitque quædam amantium paria antiquitas, Piladem, & Oreſtem: Achillem, & Patroclum: Herculem; & Philoctetem: Theſeum, & Pyrithoum; Æneam & Achatem: Niſum, & Eurialum: Caſtorem & Pollucem, quorum alter immortalitatem cum fratre diviſit; Damonem & Pythiam, de quibus ita loquitur Cicero lib. 3. Offic. *Damon & Pythias Pythagoræi hoc animo inter ſe fuerunt, ut cum eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaviſſet; & is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſa poſtulaviſſet, vas factus ſit alter ſiſtendi ejus, ut ſi ille non reverti ſſet, moriendum eſſet ipſi: qui cum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit ut ſe ad amicitiam tertium aſcriberent.* Denique Epheſtionem Alexander impenſe coluit.

2 *Sed*

indulſerit, viſa illorum virtutibus eſſe iniqua. Acris illa eſt, neque minus irrequieta cupiditas, quam quæ venuſtatem alterius ſexus in licentiores uſus conciliat. [1] Sed nec putes eximiæ caſtitatis exempla inter diſparis ſexus amantes durare non poſſe. Licet res periculi plenior eos ipſos ſæpiſſime fallat, qui paulatim ſe invitis, vel neſciis, aliter amant quam aut velint aut credant.

Eſt autem hominis animus, quem ad *amandum natura* produxerit, præcipue mitis, ipſoque *oris habitu modeſtiam* & ſimpliciſſimæ virtutis ſpeciem gerens, clementibus magniſque ſpiritibus factus: neque vindictam contemnere, neque iram ſupplicibus donare difficilis; cum quid ipſe peccavit, in pœnitentiam pronus; humanitatis officia amans, impatiens ocii, & omnium quæ in ſegnitiem ſolvunt: modo non, tanti muneris oblitus quod à Natura accepit, ſuæ indolis felicitatem laſciviæ malis, & veluti veterno, corruperit.

Vanum eſſet totum Naturæ ingenium in mentium humanarum multiplici ſorte ludentis perſequi velle. Quæ hic tamen poſuimus, præcipuorum fontium inſtar ſunt, unde mox rivuli in vitia & virtutes ſecantur: ut ex eorum notitia intelligas qui homines regi poſſint, qui ad amicitias & conſuetudinem vitæ apti, denique qui timendi, aut infra curarum gravitatem ſua inertia, vel etiam levitate, ponendi ſint. Quippe probitas, atque nequitia, veræ aut fucatæ ſapientiæ indoles, liberalis etiam & anguſta, & quicquid in rebus publicis privatiſque potiſſimum eminet, per horum affectuum fortunam generi humano dividitur. Ex hac autem contem-

1 *Sed nec putes eximiæ caſtitatis exempla inter diſparis ſexus amantes durare non poſſe.*] Sic Alexander conjugem & filiam Darii intactas reliquit; quod exemplum ſecutos eſſe Scipionem Africanum, Carolum octavum Francorum Regem, Bayardum fortiſſimum equitem annales memorant. Quid ſi ſponſos refero qui illibatos thalamos vel inter aulæ delicias ſervaverunt. Nam Pulcheria & Marcianus in imperio, Eduardus de Editta in regno, Henricus & Cunegunda, Julianus & Baſiliſſa, Eleazarus & Delphina, alios ut taceam virginitatem in conjugio coluerunt. Simile exemplum refert Gregor. Turon. Juvenis & puellæ apud Arumnos.

1 *Athe-*

contemplatione animorum, juſta quædam virtutibus & vitiis merces accedit: Niſi enim curioſe in hæc Naturæ penetralia ſpectemus, ſæpe ſe turbulentum ingenium pro forti atque læto oſtentabit: tardus animus, aut inanis, debitum maturæ gravitati aut eloquentiæ ſuæ precium inveniet: viciſſimque jacebit incognita virtus, quam ſæpe prima fronte quædam vitiorum opinio, aut imago, infra juſti decoris faſtigium premit.

Sed ingenium, ut plurimum multo receſſu abditum, non utique poteſt ſine longæ prudentiæ ſedulitate deprehendi. Ideoque qui ex primis indiciis de hominum moribus ac indole judicare non verentur, ipſi ſe in longiſſimos errores plerunque impediunt. Certe ut in gladiatoria arte nihil periculi plenius, quam ſi cum homine, cui torvi oculi exerrant, dimicandum ſit: (quia quo ictum deſtinet, deflexis, ut videtur, in contrariam partem luminibus, vix conjici poteſt:) Ita cum illis acturus, qui ſuum ingenium, vel arte, vel corporis beneficio prorſus diſſimulant, debet longa ſeveraque diſceptatione à ſe ipſe quid de illis ſentiendum ſit exigere; ne, ſi eos iniquo ſuffragio, aut inconſulte propitio, æſtimet, etiam omnium primus ſuæ ſententiæ pœnas luat. Frontis præcipue imago ſæpe inexpertos decepit.

Quam multos truci vultu, ipſoque ſupercilio timendos, humanitatem credas abigere, quos ſi propius adire contigerit, jam ex prima colloquii lenitate placatus humaniſſimos eſſe non dubites? Alios ipſo corporis motu, menſuraque ſuſpenſi veſtigii, ſe in ſuperbiam componere putabis, qui ad illam tumoris ſpeciem, vel natura, vel innocenti conſuetudine facti, mite ac facile ingenium in omnes humanitatis leges ſub hac larva inſtituunt? Neque in contrarium deſunt, in quibus, præter corpus in ſimulachrum virtutis effictum, nihil quod ames invenias; Nunc quietæ lenitatis ſpecimen, quam vultu exhibent, triſtiſſima iracundia corrumpunt; nunc vividis oculis impar ingenium ſubeſt: denique, velut inſidiis, interdum vitia collocantur ſub-

Digitized by Google

ſub earum virtutum levi bractea à quibus potiſſimum *divertunt*.

Hæc autem tam immenſa ac perplexa animorum cognitio non poteſt præceptis definiri, neque aliter quæri, quam ejuſmodi hominis longo uſu, qui tam ſua prudentia, quam erroribus in iſta arte promoverit.

Illud vero cavendum eſt, ne ex una virtute, vitiove, de indole atque animo univerſe ſententiam feras. *Multi enim* adeo felici ad diſciplinarum aliquam *ingenio nati ſunt, ut*, quandiu in illa verſantur, nulla prudentiæ atque induſtriæ ſigna deſint: In cæteris autem rebus inepti inſulſique, ne bonæ quidem mentis veſtigia unquam prodant. Aliis ſuus duntaxat nævus ita additur, ut in reliqua vita ſapientiſſimi, in una tamen parte aut ſtudio videantur delirare. Nec ex ipſa quidem conſortii, & convictus ſuavitate aut elegantia, de ingenio, aut ſapientia judicandum. Sæpe enim in quotidianæ vitæ conſuetudine minus offendunt anguſtæ indolis homines, quam quos magnitudo Naturæ lætioris laxavit: Dum hi ſcilicet ſibi diffiſi timide cuſtodiam ſui agunt, vel æterno ſtudio hos publicos mores (nempe ad majora non idonei) conſectantur: illi autem capaciori ingenio aut hæc vulgaria minus curant, aut admittunt etiam vitia non raro virtutem ſtipantia.

Sed nec ſatis eſt hos Naturæ impetus veſtigare, animos mortalium in diverſa deſtinantis. Adhuc aliquid *ultra* eſt quo ingenia perficiantur, aut mutentur: *nimirum ſors vivendi*, ſqualorve, vel dignitas, in quam *caſu aut virtute* unuſquiſque pervenit. Quot enim ad ingenium rectum ac mite geniti, vitio nimiæ felicitatis ipſi ſuam indolem affixerunt? Quot mentium læta ſublimitas, &, ſi fortuna ſineret, in exemplum omnis virtutis ſuffectura, ubi pertinaci egeſtate, aut fortunæ iniquitate premitur, ſuæ præſtantiæ oblita etiam in contrarios affectus degenerat? [1] Athenion tamdiu

1 *Athenion tandiu mores ad publicum probitatis exemplum componens, &c.*] Nam ipſe ille eſt Athenienſis imperator, cujus tanta fuit bello Mithridatico crudelitas, de quo Rhod. libro 22. capite 11.

1 *Abdo-*

tamdiu mores ad publicum probitatis exemplum componens, quandiu in Academiarum ſpaciis inter famam & centones pro virtute dicebat, nactus tyrannidem ſtatim cùm viliori pallio etiam Philoſophiam excuſſit. [1] Abdolominus quotidianum victum ex hortuli cultu quærere ſuis manibus aſſuetus, cum deſtinaretur ad Sidoniorum Regnum, optavit, ut, qua modeſtia inopiam tulerat, ea ſceptrum pati poſſet. Nunc igitur & hos quoque videamus affectus, qui ex conditione fortunarum, & genere vitæ, hominibus accedunt, & nonnunquam enecant mores, quos ſimplicitas Naturæ nullis obruta cladibus, aut illecebris corrupta tradiderat.

CAPUT XIII.

Diverſos affectus eſſe, Tyrannorum, & legitimorum Principum: Rurſus Regum qui ſucceſſionis jure, & eorum qui ſuffragiis ad regnum perveniunt. De Procerum, qui apud Principes gratioſi ſunt, ingenio.

POpuli [2] qui in neminem jus regnandi contulerunt, licet ab omni nomine ſervitutis abhorreant, tamen ſynceram

1 *Abdolominus quotidianum victum ex hortuli cultu quærere ſuis manibus aſſuetus, &c.*] Hortulanus erat quidam longa cognatione regiæ ſtirpi annexus, quem Alexander Magnus capta Sidone Regem ſalutari fecit. Cæterum multis ejus inopiam, & ſordes criminantibus ad Alexandrum perductus; *Haud*, inquit Macedo, *viri indoles famæ generis repugnat, videndum eſt quo animo inopiam tuleris.* Tum ille, *Utinam Alexander ſic regnum ferre poſſim: hæ manus ſatis ad victum fuere: nihil habenti nihil defuit.* Eo ſermone Alexander delectatus ex Perſica præda ei dona dedit, Regionemque vicinam ejus ditioni ſubjecit. Sabellic. lib. 4. Enneade 5. Q. Curtius libri 4. initio.

2 *Populi qui in neminem jus regnandi contulerunt, &c.*] In Democratiam ſæpe populorum vota converſa ſunt, ſed minime duraturam. Adeo populi amantes ſunt libertatis. Πολυκοιρανίαν Xenophon hoc multitudinis regimen, & popularem dominatum appellavit. Æſchines in Oratione contra Cteſiphontem ait: *Optime noſtis Athenienſes tria eſſe rerumpublicarum genera, unius imperium, paucorum poteſtatem, & populi libertatem.* At unius quidem, & paucorum dominatus reguntur pro eorum arbitrio qui præſunt: At liberæ civitates exceptis reguntur legibus. Addunt Policratiæ ſtudioſi hanc eſſe centoculum illum Argum, qui ab uno Deo Mercurio circunveniri potuit. Quod juventus in ſpem erecta ad magna audenda ſtimuletur, non Rex qui nullum ſupra ſe munus pro factis illuſtribus ſperat, nullam pro flagitiis pœnam timet. Eſt vero maxima peccandi illecebra impunitas. Tandem quod in diſpenſandis

Digitized by Google

ram libertatem non habent. Magiſtratibus enim opus eſt, quibus ipſi ſe tradant, vim publicam, quam toti genti ineſſe gloriantur, in pauciſſimis hominibus adoraturi. Adeo illic etiam, ubi omnes regnare exiſtimes, magna pars ſervit; arcana rerum lege ita nexus & ſeriem univerſi diſpenſante, ut, ad divinitatis imaginem, unius capitis nervis multa membra temperentur. [1] Paulo illuſtrius in Optimatum imperio elucet hæc dominandi vis, utique paucos amans; maxime autem in regno, ubi omnia unus poteſt. [2] Illa autem potentiæ magnitudo, cui Numen arcana vi mortales ſubeſſe

penſandis dignitatibus, atque provinciis impetu ſæpius quam electione Reges ducuntur. Et hanc ſtatus Politici formam adhuc pertinaciter ſervant Helvetii, in quam olim Athenienſes atque Romani juraverant. Ariſtot. 8. Eth. cap. 10. *populi potentia prava non eſt*, inquit. Solon autem dicere ſolebat eum Principem ſibi maxime glorioſum videri, qui Democratiam ex Monarchia faceret. Ita Stobæus Serm. 46. Idem Serm. 41. oſtendit Democratiam eſſe neceſſariam. De populi & paucorum dominatu Plutarchus. De his qui popularem civitatem primi inſtituerunt, Polydorus Virg. cap. 22. Demum hoc libertatis nomen quot bella non excitavit, quot incendia non miſcuit, quot principibus viris fatum non attulit. Satis fuit Bruto & Caſſio libertatis nomen prætexere, hunc belli civilis titulum oſtentare, ut totam juventutem Romanam pellicerent. Nec minus pugnæ Pharſalicæ quam Philippenſis libertas una, caput fuit.

1 *Paulo illuſtrius in Optimatum imperio elucet hæc dominandi vis.*] Altera reipub. forma, cui favent alii, duas potiſſimum formas continet: Nam ſi pauci regnent, iique publico omnia bono metiantur, ἀριστοκρατία dicitur, ſive Optimatum imperium: ſin ad propriam omnia dirigant utilitatem ὀλιγαρχία vocatur ſive dominatus paucorum. Polyb. lib. 6. Cui ἀριστοκρατία eſt ἥτις ἂν κατ' ἐκλογὴν ὑπὸ τῶν δικαιοτάτων, καὶ φρονιμωτάτων ἀνδρῶν βραβεύηται, id eſt, *juſtiſſimi, prudentiſſimique viri per electionem ſumma rerum potiuntur*. Ὀλιγαρχίαν vero Plato vocari ait ὁπόταν τῶν νόμων μὴ φροντίσωσι, *quando nulla eſt legum cura*. Conſule Ariſtot. Pol. lib. VI. cap. V. & VI. Et V. Politic. c. VI. & VII. Videri poſſit nonnullis hujuſmodi ſtatus minus periculoſus quam vel δημοκρατία, quia plebs plane eſt imperita: vel μοναρχία, quia unus homo multis eſt obnoxius erroribus. Aſpaſ. Eth. l. 8. c. 1. *populi potentia tranſgreſſio*, ait, *pejor eſt tyrannide, & paucorum potentia*. Hinc Lycurgus cuidam poſtulanti, ut in civitate pro Ariſtocratia, Democratiam conſtitueret, *Tu fac*, inquit, *primus domi tuæ Democratiam inſtituas*. Compendio docuit eam reip. ſpeciem non eſſe utilem civitati quam nemo vellet in ſua familia. Itaque potior eſt *Ariſtocratia*, & optimatum dominatus. vide Epigrammata Mori Angli.

2 *Illa autem potentiæ magnitudo, cui Numen arcana vi mortales ſubeſſe imperavit, &c.*] Tertia forma dominatus dicitur ab Ariſt. μοναρχία, à Polybio vero βασιλεία, maxime inquit, ſi minime invito populo imperetur; nam ſi invito, erit τυραννίς, etſi tyrannus in partem bonam ab Euripide, aliiſque nonnunquam ſumatur: Ariſtophanes in nubibus Jovem ipſum vocat θεῶν τύραννον. Et Plato in ἐρασταῖς: & Sophocles

ſubeſſe imperavit, non in illorum gratiam qui ad hoc faſtigium legerentur, inſtituta eſt, ſed in eorum qui parerent. Itaque vel Regum libidine ad voluptatem & ambitum ſuæ dignitatis utilitatem corrumpente, vel ignoratione populi ſua commoda non ſemper capientis, Regium nomen ſæpe invidia afflictum, ſæpe in variis regionibus ingenti clade everſum eſt, ac deinde reſtitutum. [1] Reſpublicæ, quotquot olim viguerunt, primum Reges habuere; quibus expulſis, & per

cles tragœdiam inſcribit Oedipum tyrannum: atque è Romanis ſcriptoribus Maro VII. Æneidos, ubi Latinus ita Æneam tyrannum nominat, cui benigne omnia cum filia ſua offert. Horatius l. 3. od. 7. Lamus vocatur *late tyrannus*: ſic è contra μοναρχεῖν ſumitur à Luciano pro *tyrannidem exercere*. At Suetonius Monarchiam appellat totius orbis arbitrium. hactenus de nomine. Porro qui ſanus magis liberam eſſe plebem cenſeat ſub magiſtratu, cum plures dominentur qui venale ſuffragium habeant, maxime ſi in parvo ære ſint? Quot factionum caput eſt ambitus? Invidia quam ſæpe ignavis faces detulit? Audi Darium apud Herodotum, ὅτι κάλλιστον ἡ μοναρχία. Unum corpus unius regendum animo: ubi enim multitudo, ibi confuſio. Segnius expediunt commiſſa negotia plures. Hoc uno fræno communia populis vitia coërcentur. Quot civiles tumultus reſpublica Romana, licet optimis vallata legibus, excitavit? Quoties dictus unus Dictator motus excidium urbi minitantes compeſcuit? Num Lacedæmonii præter Ephoros ſuos uni quoque Regi ſe mancipaverunt? Num Athenienſis reſp. præter Amphictyones ſuos uni Sopho; & Veneta præter Senatores uni Duci, cui ſumma rerum commiſſa eſt, ultro ſe ſubjicit? Imperium naturale ab uno eſſe conſtat: natura autem prudentiſſima artifex: & quæcunque noſtro in orbe ſuſpiciuntur, ſingularia ſunt, & ab ab uno opifice, ſupremoque Rege gubernata. Sol unus mundi oculus luci præeſt: gemini ſi appareant, metuendum: habent & grues quem ſequuntur. Uni Regi apes ſubjacent, quo incolumi cæteris bene eſt. Ergo divinæ, & naturali legi obſiſtunt quotquot Monarchiam à ſapientiſſimo Numine inſtitutam averſantur.

1 *Reſpublicæ, quotquot olim viguerunt, primum Reges habuere, quibus expulſis, &c.*] Num vero Athenienſes, Lacedæmonios, deinde Romanos intelligit? alias gentes ut ſileam, quæ excuſſo Regum jugo, ſui juris eſſe voluerunt. Inde nomen factum Ariſtogitoni, & Harmodio; inde Roma tota conciliata Junio Bruto. Tria porro imperii hæc genera apud ipſos Romanos alternis ætatibus videre eſt, Monarchiam ſub ſeptem Regibus; Ariſtocratiam ſub Conſulibus, aut Decemviris, & Senatu ante tribunitiam poteſtatem: Democratiam, cum tribunis plebis poteſtas conceſſa eſt. Quod ſi Græcos conſideres, πολιτείαν uſurpaverunt expulſis Regibus Athenienſes, Ariſtocratiam Lacedæmonii, Monarchiam Macedones. Apud Perſas interfectis Magis Democratiam laudabat Oſtanes: Ariſtocratiam commendabat Megabyzus: Monarchiam anteferebat Darius. Hodie πολιτείᾳ utuntur Helvetii, Ἀριστοκρατείᾳ Veneti, Μοναρχίᾳ Hiſpani, & Galli. Interim ut præclare Alcibiades, & Auguſtus dixere, boni eſt civis præſentem ſtatum tueri, cumque mutatum nolle. Nam etſi alius fortaſſe melior; melius tamen non optimâ uti formâ Principatus, quam receptam immutare. Cujus ratio eſt,

& per veræ libertatis imperitiam devotis, ſucceſſit aut cæcæ popularitatis imperium, aut permiſſa proceribus potentia, id eſt, multiplex pro unico quod expulerant regnum. Ac ut membra, quæ violentia de naturali ſede dimovit, non niſi per violentiam in articulos ſuos redeunt, ita provinciæ, quæ hoc modo ab optimo genere gubernationis diverterant, prius errorem multis cladibus expiarunt, quam antiquæ, & à ſe projectæ, rectitudini redderentur. Quippe [1] in illis Rebuſpublicis cives multo ambitu provecti, ſive armis ſuum nomen inclytum fecerant, ſive plebis errore nimis amplis aut diuturnis magiſtratibus aſſueverant, ſæpe occupatæ Reipublicæ vires ad ſe traxere, Regeſque ſe dixere. Sed neceſſaria, in novis omniumque odio flagrantibus rebus, atrocitate terribiles, ſcelere quæſitum imperium adeo fœdaverunt, ut pejus plerique populi de Regibus inde ſentirent, nomenque Tyranni, quod olim inſigne regnantibus, in publicam infamiam odiumque concederet.

Cæterum in eos affectus inſpecturus, quos Regibus fortuna ſui faſtigii ſuſpirat, non ſub uno velut fato omnium Regum purpuram cogere debet. Diverſæ ad idem faſtigium viæ non unam omnibus mentem injiciunt: ſeque longe aliis conſiliis regere ſolent, qui novas habenas in rudem adhuc ejuſmodi imperii populum moliuntur, quam qui jam aſſuefactis gentibus, tuto, & per ipſarum vota regnant. [2] Rurſus alius ſenſus eſt hominis ſceptrum per ſuffragia adepti

quod ut plantis, ſic legibus, ad figendas radices longo opus eſt tempore: planeque ut plantarum, ſi crebrò transferas, ſic legum, ſi crebrò mutes, vis, atque robur deperit.

1 *In illis Rebuſpublicis cives multo ambitu provecti, ſæpe occupatæ Reipub. vires ad ſe traxere, Regeſque ſe dixere.*] Piſiſtratus Hippocratis filius eloquentia ſua Athenienſes ita delinivit, ut hi libertate, qua nihil charius habebant, ſe ſponte exuerent, illiuſque facundiam ſanctitati Solonis anteferrent.

Utque Milo, ſub quo cruciata eſt Piſa Tyranno,
Caſus in aquarum ac præcipiteris aquas.

Plures alii in officinis Raviſii Textoris recenſentur. Porro ſtatuas in foro memoriæ Ariſtogiton & Harmodius, ab Athenienſibus poſitas, quod tyrannide Piſiſtrati patriam liberaſſent, inquit Suidas.

2 *Rurſus alius ſenſus eſt hominis ſceptrum per ſuffragia adepti.*] In plurimis Septentrionalibus oris per ſuffragia ad regnum hactenus Reges ſunt evecti: maxime in Po-

epti (ut in Pannonibus, Sarmatiſque fit, & ipſo nomine Romani Imperii) alius paternas atque avitas opes tenentis cum hæreditate imperandi. Nova regna, nec conſtantia populorum nec adhuc vetuſtate inolita, Principes ſuſpicionibus aſſidue perurunt. Adulari illi ultimæ ſorti, timere magnates, maxime cum timeri ſe putant: reputare aſſidue, nondum conſtitutas res ſub ipſo fortunæ motu poſſe quam condi tam facile everti. Neque modo his cogitationibus inquietari quos ad purpuram occupatæ tyrannidis nefas provexit, ſed & quibus inſuetæ regio nomini, atque imperio,

in Polonia, Dania, Ruſſia, Hungaria, &c. ubi quæri poteſt, an ſatius ſit electione an ſucceſſione ad ſolium promoveri? ſi primum; populo gratias quiſque Regum habebit, memorque ſe ab eo ſubvectum, moderatius utetur credita poteſtate. Cum deinde in infantem, in puerum, in imbecillis animi hominem ſummam rerum fatorum ludibrium transfert, quid hac luctuoſa ſucceſſione acerbius? non expectat civium improbitas donec ille Rex adoleverit; ſed dum ſimplex, & inutilis ætas deſpicitur, eæ clades publicæ eveniunt, quas deinde vix multorum fœlicitas annorum ſarciverit. Tunc utique omnes regnant, populum omnes ſpoliant. Quod ſi gubernatori navis utcunque præſtanti filium rudem in ſucceſſionem non ſufficimus, ne quos ille ſervavit, iſte evertat; nec Philoſophiæ ſcholam proximus extincto præceptori, ſed ſapientiâ ſimillimus excipit, cur regnandi unam hanc artem præceptorum pleniſſimam, & ex cujus erratis omnium pernicies pendet, pueris tradimus, qui ſi hæreditatis jure habent, ut regnent, nobis jure eodem ut pereamus relictum eſt. His adde quod regna & urbes non regum cauſa conditæ ſunt; ſed civium conſervandorum gratia. Attamen in civilibus imperiis, quæ opulentiâ viribusque conſiſtere, quæ populo quietem præſtare, & contumaciam frangere impiorum armatis legibus debent, multa ſunt quæ ſucceſſionis utilitatem concilient, quorum præcipuum forte eſt ambitus Optimatum exarmandus, ne in regni ſpem audeant ipſum Regem violare. Nam quid tunc facturos Optimates exiſtimas nunc quoque vix Regum patientes? Jam hæc illis accederet ſui fiducia, poſſe ſe quoque regno potiri, jam deſpectus in Regem, qui & ex illorum ordine fuiſſet, nec majores liberos relicturus. Aſt ubi fortuna regnandi ſtirpe in una conſenuit, Regum præteritorum reverentia adeo vivit in poſteris, ut vel cunæ puerorum in purpuram natorum tacita confeſſione ſortis noſtræ nos tangant; nec iis parere indignemur, quos, priusquam lucem ſubeant, ſcimus naſci ut imperent. Nec dubium grandius quiddam inſinuari illis ingeniis, quæ ad regnandum à puero inſtituuntur, ſive natura hoc facit, ſive diſciplinæ rectitudo, aut potius Deûm cura. Certe enim conſuetudine honorum qui ipſis habentur obſtupeſcit ſuperbiæ geſtus ac veluti acies, aliturque imperandi fortis illa ſecuritas, quæ ut contemni vix poteſt, ita nec in odium, quia plerumque accedit comis animus, & cum Optimatibus familiaritas nullâ præteritæ humilitatis verecundiâ erubeſcens. Altiora deinde aſſueſcunt cogitare, regnoque tanquam liberorum ſuorum patrimonio, cum fide incumbere. Qui vero ſuffragiis in hunc verticem rerum humanarum attollitur, nondum

rio, gentes bono jure traduntur. [1] Acrior tamen in Tyrannos hic pavor; quod ſive Rempublicam oppreſſerint, vindices libertatis Optimates timeant, (quos antea ſibi pares ægre ſervire non dubitant) ſive in regnum invaſerint, iis expulſis quibus illud debebatur, populum in veteres dominos pronum, aſſiduæ cogitationis moleſtia ſibi fingant. Itaque nec amicis ſatis fidi ſunt, quod, ad notitiam conſiliorum admoti, ſciant quoque, à quo latere ſua tyrannis peti poſſit, & lædi; & fidem in nemine expectant, quam ipſi violarint. Palam tamen, & ex compoſito, [2] ſub ornata benevolentiæ materia, integritatis famam, amoriſque in Rem-

dum primæ immemor ſortis eſt, in quam recidere ſui hæredes poſſunt. Itaque à publicorum munerum ſedulitate propiore cura ſubducitur, ut filio, vel proximo cognatorum eos conciliet, quorum eſt regnum dare; aut familiam ſuam tot opibus expleat, ne deinde ullus ignoret fuiſſe ex ea qui regnarit: Nec ipſi ſolum ſuæ familiæ amplificandæ cauſa Remp. exhaurient, verum etiam ut Optimatum gratiam pro ſuis ineant; his opibus ex publico onerabunt. Plura habes in Argenide libro I. cap. xv.

1 *Acrior tamen in Tyrannus hic pavor.*] Sit hic inſtar omnium Dionyſius Syracuſarum tyrannus, quippe quem decumbentem, edentem, ambulantem, metus ſequebatur tantum, ut ſi quando tonſore egebat, ſolis ſe crederet filiabus nondum ſatis adultis, quæ nucum putaminibus aduſtis non pilos patris ſui radebant, ſed magis urebant: jamque grandiores factæ ad id officii in poſterum non admittebantur. Is populum è ſpecula alloquebatur, ſi neceſſitas poſtulabat, abſtinebatque pene omnium colloquio, denique non die vel nocte ſatis tutus ſibi videbatur, ita ut Damocles unus ex aſſentatoribus tyranni, teſtibus Cicerone & Horatio, cum aliquando hunc beatum ac fœlicem prædicaret, Dionyſius hujus fictæ fœlicitatis periculum facere Damoclem voluit. Ita regio cultu fulgentem juſſit hunc accumbere in purpura, regiiſque cibis refici; attamen enſem filo tenuiſſimo ſupra ejus caput juſſit appendi: quæ res inquietum inter voluptates, & Siculas delicias animum Gnathonis faciebat, ita ut priorem ſortem ſuam præſenti anteponeret, ſimul intelligens quam aſſiduis pavoribus Regum animi inter purpuram & ambroſiam percellebantur.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium, Cytharæque cantus
Somnum reducent.

2 *Sub ornata benevolentiæ materia integritatis famam, amoriſque in Rempubl. ambiunt.*] Non aliter Regem vel tyrannum Machiavellus ille *Thuſcus* informat, quippe qui omnia propter ſuum magis quam populi commodum præſtare debeat, talem Religionem colat, inquit, cui ſubditorum maxima pars favebit; leges nullas habeat, niſi quæ imperium ſuum aſſerent: Cædibus non parcat, ſi modo has ſibi utiles putaverit; utatur religionibus tanquam veſtibus, habeat tamen ſimulachra adumbratæ virtutis atque pietatis & cætera quæ Epicureum magis vel atheum Principem effingunt, quam pium, juſtum, fortem, Chriſtianum.

1 Quod

Rempublicam ambiunt. In egenos liberalitatis effuſæ. Ultores vitiorum quorum ipſi exemplum fecerant; legum denique optimarum, onerumque publicorum, ad civitatum ornamenta, vel authores, vel vindices. Ita præſentem invidiam, & apud poſteros infamiam, amolituri. Hoc modo tyrannus ut plurimum ſortis ſuæ, non ingenii, vitio peccat, aut neceſſitate probus eſt. Illius animus, immodice auſterus; & blandus intuitus, erectus ad omnia, præſertim quæ formidat; ſynceræ voluptatis ignarus, cujus ſpe diducitur; vano decore atroces moleſtias permulcens, velut fuco; & ipſe ſibi imponens. At juſtus Rex, ſeu comitiis, ſeu ſorte naſcendi, admotus imperio, ipſa majeſtatis conſcientia elatus, minus in ignobiles metus, aut ſceleſta remedia, demitti conſuevit: etiamſi turbulentum forte tempus, & populi nanciſcitur inſaniam, cæteraque quæ Tyrannus ſemper timet. Et hi quidem qui ſuffragio debent fortunam Principatus in ſua familia non hæſuram, adhuc aliquo modo privati, nempe qua eos poſterorum cura tangit, publica commoda non videntur tam vera totaque diligentia procurare, quam qui ſuum jam à majoribus regnum etiam nepotibus adornant. Itaque illas curas, quæ populo debentur, privatis ſuorum affectibus impendunt excuſabili pietate, modo partita mens ſe utrinque reſpiciat, ita cognationis memor, ne obliviſcatur & Regni. [1] Quod ſi aliquem forte ex ſuis ſpe votiſque in ſucceſſionem regni deſtinant, tunc precio & adulatione emenda ſuffragia, tunc omittenda vis, & veluti ſupercilium majeſtatis. Ita ſerviet per occultam ſollicitudinem animus, iis ipſis à quibus publicæ venerationis cultum accipiet. In has ſuæ familiæ curas ſæpe periit abſumpta eorum ſedulitas, qui publicis antea virtutibus imperare meruerant: Nonnunquam & in pejora rapti ſuos mores

1 *Quod ſi aliquem forte ex ſuis ſpe votiſque in ſucceſſionem regni deſtinant, tunc precio & adulatione emenda ſuffragia.*] Cujus rei exemplum Carolus IV. ſupra edidit, dum ille filio imperium volens aſſerere ſuffragia Septemvirûm emit, cumque ſolvendo non eſſet, provincias totas his in pignus reliquit, ita ut in plures partes diſcerptum ſit nunc imperium.

mores corruperunt, veteris odii aut æmulationis memoriam exercentes: cum ſcilicet quos iniquos ante experti ſint, quorum prona ad regnum ſuffragia non habuerint, ex animo minus delent; novaque potentia, & ſeipſam nondum capiens, in ultionem intumeſcit.

Quod ſi nulla ex his ægritudine laborant, illos tamen ut plurimum ſolicitat magna ac memorabilia audiendi cupiditas; ut per ingentes illas res ſibi ſuiſque temporibus apud poſteros nobilitatem dent. Tam hi autem impetus incommodi publicis rebus, quam utiles eſſe poſſunt. Nam ut in pomis bacciſque, coacta, & præter aſſueti temporis legem maturitas, inſolentia quidem rei jucunda eſt; cæterum ipſæ arbores, medicamine, aut admoto æſtu præcipientes maturitatis tempus, hoc edito ſpectaculo marceſcunt: ita publicis rebus, & præſertim gravioribus, quidam ordo dictus eſt, quem qui pervertunt, ſalutem provinciarum videntur enecare. Nihilominus Reges, qui per *comitia id nomen* adepti ſunt, dum æterni nominis *ambitione* flagrant; aut temere externam militiam, aut intra patriæ viſcera novas res eſſe molitos omni ætati conſpexeris; ex ſua audacia, & periculis ſuorum, famam comparaturos, forte etiam æſtimantes. [1] Pauci cum Polonorum Rege, Stephano Battorio, quid agant, non ex ſe, ſed ex ſalute patriæ metiuntur. Extat ſententia illius, efficax ad tanti animi imaginem; Efficiam vero, dicebat, ut intelligat Orbis quam præſtet Rex ſuæ virtutis merito in tantum faſtigium à vol*entibus* provectus, iis Regibus, quos invitis populis jus *ſucceſſionis* obtrudit.

Reges autem, in quos veriſſime hoc ſummæ majeſtatis nomen

1 *Pauci cum Polonorum Rege, Stephaco Battorio, quid agant, non ex ſe, ſed ex ſalute patriæ metiuntur.*] Longe ſecus ac ille Machiavellus ſcilicet iſte cenſebat, quippe qui omnia non in ſe, ſed in commodum ſubditorum populorum referret. Neque immerito propter ſingulares ſuas virtutes ex Principatu Transſylvaniæ, in quem ſua virtus eum evexerat, in regnum Poloniæ, ut in locum Henrici Franciæ Regis ſuccederet, aſſumptus eſt; etenim Religioſi principis ſpecimen poſteris ſuis reliquit.

1 Pri-

nomen cadit, perpetuam potentiam quam à parentibus acceperunt in ſtirpem tranſmiſſuri, jam non ſuffragiis populorum obnoxii à quibus olim omnia habuere, longe alio genio videntur ad regnandum inſtituti. Sed hanc mentem illorum, ſe ipſam uni Numini debentem, explorare fortaſſis ſacrilegæ ſapientiæ eſſet, neque fas nobis deprehendere illos motus, quos ad gubernationem Orbis, & mutationem rerum, ac præcipua humani generis fata, illis divina vis ingenerat. Quærant licet curioſi, an ſit utilius Reges à puero in ſceptra venire, & huic magnitudini aſſueſcere, tanquam ſimul ſecum natæ, quam ſub paterno cognatove imperio adoleſcere, tantæ demum fortunæ hæreditatem adituros: Num pacati, nec quidquam detrectantis populi obſequium, frangat mollitie Regum animos tam ſecura poteſtate luxuriantes: an potius ille amor civibus Regem, veluti patremfamilias chariſſimorum domeſticorum officiis conciliet: Denique ſi averſis civium animis bello occupatus fuerit legitimus dominatus, utrum poſt victoriam Princeps odio contemptuque graſſaturus videatur; an vero experta pericula, nec aliter quam gravius reditura, eum ad alternam placendi ſolitudinem deductura ſint: Utrinque argumenta exemplaque non deerunt, quæ (per viciſſitudines mortalium rerum) quamquam ſub iiſdem ſæpe cauſis non eoſdem tamen exitus ſortita ſunt.

Sed fruſtra eſt hæc Numinis conſilia explorare. Sit à curioſis cogitationibus intactum Regum culmen, ac, ut arcana in ſacris vetuſtatis, non niſi ad adorationem ſuſpiciatur. Nam optare bonos Principes pietas eſt, damnare etiam nocentes religio. Ac cum præterea non tam ipſi ſe regant, quam ducentibus fatis permittant, (quæ per illorum effectus Imperiorum inclinationes & incrementa conſtituunt) omnis ars atque prudentia inſpicientium in eorum genium, & de illo conjicientium, ſæpiſſime fallit.

* Primus ab hoc ſummo faſtigio gradus eſt Optimatum,

 tam

tam horum in quos diviſis Regni curis Principes acquieſcunt, quam eorum qui ſumma dulcique amicitia eorundem Principum animis inhærent. Per utroſque, veluti oſtia fluminum ad ingens pelagus pertinentia, vota civium ſpeſque feruntur. At ipſi diverſis rationibus ad magna producti, ne iiſdem quidem ſtudiis nituntur. Illis igitur qui flore ætatis, vel generis ſorte, aut vivendi diſcendique comitate, ſe eximie Principibus commendarunt, inſtitutus ad placendum animus eſſe ſolet; quem ſcilicet propriis affectibus negatum, domini ingenio comparant. Mirum quidem, artiſque pleniſſimum hoc genus ſervitutis, vilem demiſſumque animum interdum adumbrans, nunc procax liberumque ingenium. [1] Interdum voluptatem conſectari, jocis ludiſque incumbere, fœcundiſſimi laboris inſtar eſt. Etiam ſupercilio in dominos uti, & penè regnare (modica tamen nec longa contumacia) Principes haud raro accendit, quam amare volentes tam amari. Quippe Proceres in tam altum lubricumque producti, ſi Dominum *mollis* animi eſſe cognoverint, nec earundem voluptatum conſuetudinem ferentis, parce ſuos aſpectus, jocoſque, aut quicquid in ipſis illi placet, indulgent; ita diſpenſante prudentia, ut amor ſæpe,

* *Primus ab hoc ſummo faſtigio gradus eſt Optimatum, tam horum in quos diviſis Regni curis principes acquieſcunt, &c.*] Utile eſt Reges habeant viros, in quos non ſolum partiantur onus ſuum, verum etiam tota plebis ex tributis, & vectigalibus invidia recidat, inquit Machiavellus: ſed caveant ne omnimoda & diuturna ſit eorum potentia, ne rebus imperii tanquam ſuis abutantur, tum in iis quæ ærarium ſpectant, unde magna ſæpe regni incommoda naſcuntur, dum præfecti publicam gazam tanquam ſuam diſpenſant, profundunt, exhauriunt; tum in præfecturarum adminiſtratione, quæ ſi diuturna fuerit, jam non uni Principi ſubjectum erit imperium. In quo Hiſpanicam juvat æmulari cautionem atque prudentiam. Ita Barclaius paſſim ſentit in Argenide, maxime cap. IV. & VI. lib. III. ubi cauſas, effectus, remedia defectionis afferuntur.

1 *Interdum voluptatem conſectari, jocis, ludiſque incumbere, &c.*] Infœlix ſane Aulicorum conditio, qui Principum tenentur ſervire moribus, ut eorum in familiaritate perſiſtant, Græculos imitati, de quibus Juvenalis Satyr. 3.

Natio comœda eſt. Rides? majore cachinno
Concutitur: flet, ſi lacbrimas aſpexit amici,
Nec dolet. Igniculum brumæ ſi tempore poſcunt,
Accipit Endromidem. Si dixerit, æſtuo; ſudat.

1 Quod

ſæpe, & per intervalla, incitatus, nec faſtidium ſui faciat, nec torpore aut oblivione deleatur. [1] Quod ſi Princeps facilis quidem ſit in diverſos affectus amicoſque tranſire, ſed quocunque ſe applicet, ut brevi, ita cæca & vehementi amicitia incumbat; qui ab eo amantur, memores inundari ſe altiſſimo æſtu, ſed in ſuum Oceanum ſtata mutatione redituro, quam avidiſſimis pectoribus de illa felicitate bibunt. Neque enim laſſare hunc amorem flagitatis muneribus timent, qui etiam, niſi tempeſtiva celeritate excipitur, ut vina ætatem non ferentia, inutili veterno conſeneſcit.

Longe alia ratio cum Principibus ineunda, qui amoris torrente non perditi; illi ſuavitati, qua ad amandum impelluntur, conſilium quoque addunt. Nam hæc vera, &, ſi mereris, perpetua benevolentia, ut nunquam omnia, ita ſemper aliquid poterit; nec tam ſpolianda illa arbor, quam carpenda cum delectu, ſcilicet in proventum reditura. Igitur ejuſmodi Dominis gratioſi Optimates dare ſe totos ſolent, nec unquam in amando majeſtatem dediſcentes mitigare obſequio; jus libertatis in loquendo, aut monendo, verecunde uſurpare; ſæpius meminiſſe hos eſſe Principes, quam ſe amicos. Iis autem ut eſt prima & aſſidua cura, locum quem propitiis gratiis obtinuerunt ſemper inſiſtere; ita proxima ſolicitudo, opes interim cumulare, præfecturas, aut perennes inire magiſtratus: Ut, ſi à tanto apice excidant, ſaltem felix priſtinæ potentiæ monimentum ad reliquæ vitæ ſecuritatem duret. Qui vero vel ſuorum immemores, vel fortunæ confiſi, illas opes, & tam ſplendidæ amicitiæ quæſtum nihil parcente luxu aut incuria conſumunt, digniſſimos putes qui intempeſtivum tandem ludum, in egena ſenectute, inutili pœnitentia damnent.

Eſt

1 *Quod ſi Princeps facilis ſit in diverſos affectus, amicoſque transire, &c.*] Liceat Regibus charos in paucis habere, nam & Alexander ille Magnus habuit: ſed hi ſint Epheſtiones, & digni qui amentur à Regibus, quos ſcilicet virtus, artes ingenuæ, comis animus & liberalis, aliæque dotes ſupra cæteros extulerint. De gratioſis agitur libro primo, capite 5. Argenidis: de eximiis indole, virtute, ſcientia viris, ibidem capite decimo.

1 *Adhuc*

Eſt & cautio Proceribus illis ingens, & quæ ſæpe negligentes pervertit; non ſe Domino anteferre, in rebus utique quibus ipſe excellere aut credit, aut contendit. Subtilitatis gloriam amat, eloquentiæ, fortitudinis, venaticæ artis, militaris peritiæ: Non vereatur concedere etiam qui ſentit ſe victorem: ne Princeps in æmulationem exardeat, quæ amicitiam extinguere ſolet, & præterea pervicacibus odiis fœde ſævire. Sæpe enim non leni modeſtaque ambitione, ac nec pro materia, occupatus Principum animus, ejuſmodi gloriæ cupiditatibus incumbit, doletque à palma excidere. Nec eſt aliud, quo certius ſibi dominorum animos purpurati iſti parent, quam ſi eos mirari aſſimulent; ſed cum arte, & quæ fidem inveniat. Non enim iiſdem adulationibus omnes patent. Ut quiſque Principum aut ſibi maxime virtutis eſt conſcius, aut vana credulitate elatus, potiſſimum iis blandimentis decipi amat, aut poteſt; tot omnium votis ad placendum laudandumque coëuntibus, expugnantibuſque verecundiam de ſe magna credendi. Nec minor ars extorquendæ benevolentiæ, eſt amoris ſimulatio, quadam Venere inſinuante officioſam gratiam, & pares affectus repoſcente. [1] Adhuc vivit, adhuc tantæ fortunæ præmiis incumbit, qui incipientem domini charitatem ejuſmodi caſu feliciſſime fovit. Princeps cum equo in itinere prolapſus, afflicto latere, febriculæ horrore tentabatur: ipſe triſti perculſoque, ut videbatur, vultu tota nocte inſomnis aſtitit. Sive ars, ſive pietas fuit, ita domini animum permulſit, ut nemo deinde gratioſior haberetur.

Nec dixeris ejuſmodi felicitatis arbitrium (qua tot veluti rivalibus ſummas illas amicitias ambientibus, pauci quidam

1 *Adhuc vivit, adhuc tantæ fortunæ præmiis incumbit, &c.*] Quamvis Henricus III. duos habuerit charos in ultimis Joyeuſæ ducem, & Nogaretum de Valetta, hic tamen ſuis officiis erga Regem, ejus animum ſic ſibi devinxit, ut Ducem Eſpernonium Rex creaverit, donis plurimis auxerit, & uſque ad cæterorum invidiam in eum profuſus fuerit. Potuit etiam ille fovere hanc Regis ſui benevolentiam, adeo ut in aula Henrico acceptior eſſet nemo.

1 *Fu-*

dam ſuis votis potiuntur) uni Fortunæ credi. Nam ut illa ſua ſponte non paucos Principibus conciliat, ita multi artificio & calliditate deſtituti de tanto faſtigio ſolent excidere: Ut quidem fortunæ interdum eſt, ad hæc culmina quos placet ſubvehere: plerumque autem prudentiæ, in ea felicitate poſitos poſſe ſervare. Ideo autem [1] formidoloſior res eſt hoc gradu prolabi, quia ad tantæ amicitiæ ſacramentum admiſſi, vix poſſint ab eo veſtigio niſi in odium, aut

1 *Formidoloſior res eſt hoc gradu prolabi.*] Nec enim levis eſt induſtria in fovendis Regum amicitiis, quod ætas noſtra ſæpe vidit. Lapſus autem & gravior eſt, quo gradus ſublimior:

Quo magis eſt abies procera, evertitur Euris,
Culmina, non valles, fulmina torta petunt.
Quo major civis, major ſolet eſſe ruina,
Magnaque livorem gloria ſæpe parit.

Et,

—— Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

At Horatius Ode decima libri ſecundi carminum,

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Exempla ſunt Beliſſarii, Marchionis Ancoritani, Comitis Eſſexii, & Sommerſeti, & magni illius Ducis Hiſpani infra omnem ſortem in mortem dejecti. Ipſe eſt Alvarus Luna apud Caſtellæ Regem gratioſus in paucis; in quo mirare quæſo inſtabilis fortunæ ludibrium. hic ab humili fortuna ad ſummum honoris gradum pervenerat quidem Regi ſuo gratioſus in ultimis; ſed cum tandem dedit in præceps ambitio. Nihil ei ad regnum deerat præter nomen: tamen bona ejus omnia occupata; & ipſe majeſtatis damnatus ex aula ad ſupplicium ductus eſt, & ad locum necis mulâ vectus. Erat medio in foro theatrum, in quo crux alta, & geminæ faces, tapete ſubſtrato. Luna conſcendens locum crucem veneratus, annulum ſignatorium, & galerum amanuenſi puero dedit. Proximæ fœlicitatis cum præſenti ſorte comparatio inimicis etiam lachrymas excutiebat. Erat uncus ferreus ſublimi ligno confixus: Rogat carnificem, ecquem in uſum paratus eſſet? Ille, ut ſejunctum à trunco caput infigatur. Subdit Alvarus, poſt mortem facito de corpore quod lubet: Viro forti mors turpis eſſe non poteſt, nec immatura; ſimul diloricatis tunicis intrepidè caput ſecuri ſubjecit anno 1453. Nonis Julii. Sic vitam clauſit ille ipſe qui triginta annis ita in aula dominatus erat, ut nihil magnum ſeu parvum ageretur eo inconſulto; adeo ut nec Joannes III. Caſtellæ Rex veſtem mutaret eo non conſcio. Truncus in theatro relictus pelvi juxta poſitâ ad colligendam ſtipem qua ſepeliretur homo paulo ante Regibus pene par. Sic res humanæ volvuntur. Alvarus vatem multo ante conſuluerat, & audierat Cadahalſum exitio fore. Eſt oppidum in Hiſpania ſic appellatum, quod ſemper vitavit Luna: ſed theatrum quod eadem voce ſignificatur, vitare non potuit: manet irrevocabile fatum. Ex Joan. Mariana l.22. Rerum Hiſpanicarum cap. 13. Poſſet talibus exemplis theatrum impleri, & ſcena adornari: ſed de his pluſquam ſatis.

1 Hi

aut certe faſtidium, recidere. Non tam quippe aboleri amor ſolet, quam contrariis affectibus marceſcere.

[1] Hi vero Optimates, per quos Princeps præcipua momenta Reipublicæ procurat, quibus externas res atque civiles credens, in arcanis conſiliis potiſſimum fidem habet, dignitatis ſuæ nervos longe ſolent in alios concentus temperare: ſcilicet ad ſe ſic trahere, ac propemodum ſuas facere, altas illas, & ſalutis omnium curas, ut non tam Republica egeant, quam ſuis officiis deinde Reſpublica. Hoc autem aſſequuntur, aſſiduo in hæc negotia ſtudio, cæterorumque, ac nonnunquam ipſorum Principum, ingeniis ab intima illarum rerum cognitione quam maxime poſſunt excluſis. Nam tunc quidem tutiſſime omnia poſſunt, cum Principes ſuarum rerum ignoratione & credulitate in ipſos laborant. Sed ignari ſuæ famæ veras voces non ſæpius quam ipſi Reges exaudiunt. Non peculatus, non ſuperbiæ invidiam, non cætera facinora, ſi quorum infamia graves ſunt, licet publica indignatione jactata, ante de ſuis penetralibus emanaſſe cognoſcunt, quam ipſo pondere obruti, ſimul ſe eſſe inviſos, & caſtigari intelligant. Vultus ipſis ut plurimum ad gravitatem compoſiti; non promiſcui acceſſus, brevia alloquia, tædiique aut majeſtatis ſpecie vibrantia. Inter hos pauci, nec negotiis confuſos, nec marcentes ſuperbia

1 *Hi vero Optimates, per quos Princeps præcipua momenta Reip. procurat.*] Quantum Regi, & regno obfuerit ad alterius nutum imperium adminiſtrare, priſca, noviſſima ſecula atque adeo præſens ætas ſatis probarunt. Nam Carolus Martellus, & Hugo magnus, in quorum manu ſumma rerum fuerat, Regnum occuparunt Gallicum, quo tempore Michaël Curopalates in Oriente imperium invadebat. Adeo nimia potentia, & tota adminiſtrandi regni authoritas ſtimulat animos, & ad ſumma audenda excitat. Hi tales regnum ita permiſcent, ut ad elucidandas res ſoli videantur idonei; unde fit ut à rerum adminiſtratione arceri vix poſſint. Verum fœlix regnum illud fuerit, in quo Rex ad imperandum natus ſolus poterit cum ſapientum conſilio regni habenas moderari, non vero more cæcorum alieno ambulare ductu: & hæc peſſima eſt quoque regnorum neceſſitas, quæ & populos in contemptum Regis adducit; & optimates, imo & Principes ad defectionem non raro impellit. Sunt qui hanc vocem Eteoclis apud Euripid. nonnunquam uſurpant, à Cicerone lib. 3. Off. ita tranſlatam:

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt. Aliis rebus pietatem colas.

1 Neque

perbia vultus ſervant: digni hi quidem laude; ſed nec cæteri accuſandi, qui mores ex dignitate inſtituunt, & fortunæ ſuæ accedunt. Quippe neceſſaria quoque interdum eſt ſublimis hæc majeſtas, & de populi commercio excedens, in illis utique hominibus per quos Reges præcipua ſuæ poteſtatis momenta exequuntur: cum maxime hæc aditus loquendique ambitioſa difficultas reverentiam conciliet, quo freno cohibentur vulgi animi, aut timere aſſueti aut ſpernere. Sed & illa ſtrictæ frontis aſperitas, ſive faſtus eſt, ſive juſtæ potentiæ indicium, indulgeri facillime illis poteſt, qui in tot curarum præmium hoc honoris potiſſimum ac reverentiæ ſpecimen habent. Etiam perpetua negotiorum ſerie & faſtidio attriti, non utique poſſunt eoſdem ſemper vultus, nil mutata aut afflicta ſerenitate, obtinere.

Quid ſi illa potentia, ſimulque juvandi ac fallendi ſolertia, in impias mentes inciderit, ac, dum ſe ſuaque reſpiciunt, publicæ interim ſalutis oblitas? tunc, licet in ſuis flagitiis virtutem ſolertiſſime adumbrent, tanquam rei domeſticæ negligentes, & unum Principem, remque communem, videantur reſpicere: interim autem negocia eo flectant, unde potiſſimum ſuæ dignitati incrementum aut incolumitas allucebit. Si impeditis Principis rebus plurimum poſſunt: dum eas omni diligentia videntur exſolvere, novis nodis colligabunt, & veluti ſuperfuſa caligine imbuent. Quod ſi in placida utcunque Republica ſecurius regnant, tunc etiam neceſſario oderint motus, ſinentque ſui temporis pacem in occulta malorum ſemina adoleſcere, & nepotes fortaſſe perditura. Quæ denique Reges ſuffragiis ad ſceptrum vocatos, hos quoque Optimates, cupiditates torquent: ſubita utrinque potentia, nec ut plurimum in ſobolem tranſitura.

Quis eos igitur non miretur, qui in hac immenſa potentia tam facile tantoque præmio, ſi vellent, peccaturi, tenere veſtigium tamen poſſunt, rectæque virtutis meminiſſe? quales in generis humani ſubſidium aliquot omni ævo

ad

Digitized by Google

ad hanc orcheſtram ſubvehuntur, in ſe rigidi, candidaque & innocente gloria omnem ambitum reipublicæ donantes. Sed nec ejuſmodi viros illa probitas ab invidia præſtare tutos ſolet. Nam ab ipſo dignitatum lubrico (cui duntaxat pauci ſatis fortes inſiſtunt) vitioque ſociorum, ſæpe eorum virtus infeſta eſt: [1] Neque maledicorum licentia amat ab illis culminibus abire in quam poteſt meritiſſimo ſæpe indicio, nunquam autem ſine ſuſpicione, graſſari.

Fructus porro tam ambitioſæ dignitatis eximius: quod tuti, & extra teli jactum poſiti cæterorum in ſe invidiam contemplantur, iis quoque ad ſe colendum coactis, quos ſciunt non aliter quam à maligno pectore, & æmulationem celante, imaginem benevolentiæ extorquere. Nam hæc admirationi conjuncta invidia, & in ſolam felicitatem exerta, neſcio quo ſenſu ambitioſæ voluptatis ſolet hos ipſos quos petit permulcere: Quippe eos magnitudinis ſuæ admonens, & humilitatis cæterorum.

Eſt & eorum alia, ſed multo præſtantior, in gerenda Republica prærogativa, poſſe magnis & virilibus ingeniis, quæ rei familiaris anguſtia aut aliæ difficultates premunt, propitiam manum dare, & veluti adeſſe naturæ imploranti. Quod ut illis facere eſt decorum, ita nec impune poſſunt omittere, ſcilicet vel tacita indignatione bonorum caſtigati, vel aſſidua exprobrantis virtutis imagine apud ſe hanc culpam luentes: Cum enim hoc ipſo attolli meruerint, quod aut ſint, aut credantur, primæ illius & prudentis induſtriæ viri; quid morantur ſuam ſortem agnoſcere, & ingenii ſimilitudine junctos cognata charitate complecti? Nec ignorant qui ii ſint, aut unde petendi. Nam ut omnium animalium oculi, niſi cæcitate damnati ſint, ſui generis conſortes

1 *Neque maledicorum licentia amat ab illis culminibus abire.*] Hi tales premuntur non ſolum dente aliquorum maledico; verum etiam quaſi ſcopus eſſe ſolent, in quem omnium tela collimantur: etenim quandiu ſuperſtites ſunt, apud omnes ſunt in odio; at ſtatim atque fatis conceſſerint, jam in eos vulgi furor debacchatur, ſparſis etiamnum ubique libellis quibus tyrannis eorum carpitur, mores abhorrentur, vita damnatur, manes devoventur.

1 Eſt

ſortes & vident & agnoſcunt; ita animi caligine exuti, in ingentis judicii felicitatem diffuſi, ſuæ ſublimitatis ſocios non dubia contemplatione deprehendunt. At nec dicant ſe multitudine hujuſmodi ingeniorum premi. Iis omnibus neque ſe, neque rempublicam ſufficere poſſe. Bene conſultum generi humano, ſi tanta præſtantium animorum meſſis eſſet, ut, diſtributis inter illos rerumpublicarum negotiis, ſupereſſent adhuc vacui aliquot ſuperfluo & inutili munere à Numine Orbi donati. Multo parcius cum felicitate hominum actum; rarumque in omni ætate ac populo fuit altum ingenii acumen, purum, aptumque omni vitæ cuicunque incubuerit, excultum diſciplinis, exerta fortique verecundia natum omnia nec quid nimis audere. Illas mentes cum Optimates vocant in publicæ felicitatis partem, ſeipſos quidem primum, quaſi illius genii participes, commendant, tum Reipublicæ nervos addunt, nunquam pulchrius quam à ſapientibus gubernatæ. Sane ut artium, quæcunque eminent, famam, multitudo artificum, & imperitia ſæpe afflixit, pleriſque ad ea quæ promittunt rudibus, ſed vanum modo nomen quo commendentur quærentibus: Ita ſapientiæ gloriam, atque ſcientiæ, haud raro indigni homines, nec quid minus quam cum Muſis aut prudentia loquuti, corruperunt. Sed incumbit ſummis hominibus fictæ & adulteratæ virtuti illudere: veram autem induſtriam, imperitorum prejudicio non obrutam, à juſtiſſimis premiis non arcere.

CAPUT XIV.

De ſtudiis Aulicorum. De diverſis generibus & affectibus egenorum; itemque divitum.

PRęter hęc duo genera Optimatum, jam propitia fortuna felicium, ingens eſt in Regiis multitudo, novi atque patricii, omnis cenſus ętatiſque homines, illic opes, famam, amicitias, quęrentes. Et hę quidem Principum domus, licet ad ſpeciem publicę hilaritatis luxuſque compo-

ſitę, nunc choreis exultantes, nunc ad mutationem *ludi* venatico ſudore confuſę: plenę honoribus, omni veſtimentorum pompa & epularum ſpectabiles: ſingulis, qui in iis agunt, magnificentię ſpecie adornatis, & plerunque ſuam ſortem ſupergreſſa luxurie: Tamen diligentius intuenti videbuntur nundinarum inſtar eſſe, ubi homines laborioſiſſimum negotiationis genus exerceant. Quot artibus quotque moleſtiis conſtet hęc vita, quot curas ſimulatio miſerrimę frontis obducat, ne ii quidem ſatis dixerint, qui diu ſuos ambitus illis malis luerunt. Neque ullus in hoc freto portum meretur, niſi qui adeo intelligat ſibi curam laboremque aſſiduum eſſe debere, ut hęc ipſa, quę in ejuſmodi vita (ut ſolet) molli jucunditate blandiuntur, in ſeveros uſus flectat, & ſemper in illis deliciis inveniat induſtrię curarumque materiam. Nam ut acerrimus quiſque labor ſępe ad oblectationis dulcedinem manſueſcit; (ut cum immodica venatio, aut ſtudia plus juſto pervigilia, acrem animum, nec habenas ſcientem, delectant) ita ludus etiam omnis poteſt ſeveriori intentione temperari, ut divertat in juſti laboris gravitatem. Igitur illa remiſſio atque ocia, quibus aularum luxus vibrat, non tenent eorum prudentiam, qui minus egeſtatem ambitumve expleverunt, ne, inter hęc fugitivę felicitatis ſimulachra, obliviſcantur ſe felices nondum eſſe, omittantque fortunam, quę ut plurimum non ſe tradit, niſi in mercedem impigrę fortiſque diligentię.

Quęris itaque, quo vultu aut quo more illas Seirenes excipiant, ne vel auditę noceant, vel ſi ab iis ruſtice contemnantur, hos proſcribant tanquam intempeſtive Philoſophos? Non opus eſt truci vultu, barbariſque pręceptis. Si ejus conditionis ſunt, ętatis, habitus, ut per has pompas & lepiditatis nomina felicius credant emergere, tunc arte hanc magnificentię ſpeciem adgubernant, quęruntque comitatis publicam famam, ad illum quoque luxum ſuam larvam inflectunt qui potiſſimum Principi placet. Sed nec egeſtis patrimoniis longę ſpei miſerias emere debent, nec fran-

frangere animum lenocinio tam lubrici motus, & voluptates imitantis: qui inter hæc aſſidue monendus eſt, ſe venationi, non prædæ incumbere. Cæteri autem qui ad hanc deliciarum ſpeciem non eadem fortuna invitantur, (ſeu corpore, ſeu moribus, aut generis ſorte, ad eam incommodis) illo errore ſe capi non ſinunt, qui ſæpe incautis perſuaſit, non poſſe fortes eſſe, aut in aulæ cultoribus numerari, niſi qui emineant per audaciæ titulos, vel omnem ocioſæ voluptatis luxuriem. Sciunt, alios & ſecuriores aditus illic ad opes honoreſque per ingenioſam virtutem aperiri. Quippe conſciis hominibus ſuæ ſortis, ac indolis, eique abſque fuco aut ſuperbia obſequentibus, multo certiorem apud Principes reverentiam eſſe, quam ambitioſe effingentibus mores, quos ſuo cenſui corporive fortuna negaverit. Hanc igitur moderationem illi prudentes tenent, ut, qui ad iſtas illecebras, velut ad aliquam artem, coacti ſunt, his utantur, non fruantur: quos vero fortuna tam luxurioſo ſumptui non damnavit, has ſi placet ad ſobriam voluptatem delibent, ſed veluti in requiem curarum graviorum, magiſque ut ſpectent, quam ut ipſi impleant ſcenam: his denique quibus jam facta res, ſive ſua ſedulitate, ſive majorum, fas eſt conſectari pares illas ſuo faſtigio voluptates.

Neque mirum ſi hi ad magna ſint inepti, quos velut aliquo carmine attonuerit ignava & ſe unam contemplans luxuries; cum non alii magis vitæ, quam quæ in Regiis ducitur, neceſſaria eſſe ſoleat, vigil quædam, nihilque omittens ſedulitas. Nam ut plantas arboreſque exigua ſemina concipiunt, & modico ſaltu ingentes fluvios emetimur in fontibus; ita ſæpe ad felicitatis incrementum in Aulis ſufficiunt parva initia, & quæ oculos facillime lateant ludo aut ocio intentos. Metellam jam imperantis Syllæ matrimonio conjunxit, quod theatrum pertranſiens, & ad ſedentis humerum leviter manu nixa, addiderit, velle ſe cum tanto viro in felicitatis partem venire. Adhuc jacenti Mario primos animos addidit fortuita Scipionis oratio, illum ad mi-

litaris ſcientiæ faſtigium, velut aliquo vaticinio, deſtinantis. Scivit enim audientium animos illo præjudicio ſibi paratos acerrima diligentia ſervare, naſcentiſque illinc famæ magnitudinem implere. Adeo ſæpe levi, ſubitoque ſuſurro, admonemur commodi venti, qui, ſi audiamus, navem impellat ad vota ſupra ſpem ac pene invidiam ſublimia: Illos juvit viro illuſtri occurriſſe per ſoluta & incurioſa gaudia diffuſo, & ad primam quæ obvia fuerit amicitiam aperto: hos aut ſententiam aut jocum tempori inveniſſe: *indicium* fortitudinis vel induſtriæ temere elapſum, aut laudatio fortuita, nec juvare credentis ſæpe grandis auxilii vicem obtinuit.

Eſt igitur in dignis hominibus qui Regiam propitiis fatis colant, non præceps animus, non impatiens lentæ ac multiplicis ſpei, ſed compoſitus, ſemperque in Fortunam intuens, ne incurioſos effugiat, ſi quid *illa etiam perplexe* annuerit. Sed nec expectant in ocio, donec *ultro illa felicitatis* ſemina occurrant. Magnis *artibus juvant* fortunæ favere volentis induſtriam: *quarum fortaſſe* præcipuam dicas, quamplurimos *amicitia* complecti, aliquem autem mutuo cultu demereri ex iis quos Princeps ad gratiam primæ familiaritatis admoverit. Nam & illa ſuccreſcendi ratio apertiori invidiæ eſt ſubducta, & ſæpiſſime regni opes minus Regis quam ſuorum amicorum beneficium fiunt. Sed ſit ille cui ſe addicunt ejuſmodi qui clientes publicis commodis poſſit attollere. Privatas enim opes neque volent purpurati effundere; nec, ſi velint, tanti ex *illis* rivulis æſtus exudent, quanti ex ipſorum Principum mari.

Ex his illum, quem ſibi propitiaverint, nolint fatigare frequenti aut inutili voto, ne jam ei graves ſint vel ipſo conſpectu, quaſi novam ſubinde per preces moleſtiam allaturi; aut temere, & in exiguis rebus favore conſumpto multum ipſi debeant (utpote ad preces innuenti) parumque fortunæ. In fabulis quoque videmus illius prudentiæ expreſſam imaginem. Neptunus Theſeo filio tria optare indulſerat: ſan-

xeratque

xeratque ſumma religione deorum in iis compotem voti fore. At ille bis experta jam numinis fide, cum reſtaret ultimum munus, adeo non prodegit certum nec rediturum beneficium, ut inter Plutonis vincula, cæſoque Pirithoo, non invocaret Patrem ad promiſſæ opis officium, timeretque (quaſi aliquid ulterius morte eſſet) tanto pretio ſalutem redimere.

[1] Eſt & alius in Regiis labor multa utilitate ſpectabilis; verſatilem animum in diverſa componere; & motus affectuſque, quicunque juvabunt, ſaltem in ſpeciem, induere poſſe: quod vix tamen commode ullus unquam perfecerit, abſque ſedula auſteraque diligentia, aut ſummo in ſuas cupiditates imperio. Ea arte multis hominibus parta res, atque decus; ſive in liberis civitatibus, in quibus una virtute aut vitio tot dominis non placebis; ſive in Principum familiis, ubi non modo ſimulatio ad eorum ſtudia flectenda eſt, ſed etiam ambiendi qui gratia apud illos excellunt; quos ſæpe varios ingenio diverſis obſequiis mitigabis.

Hæc & ſimilia anxiæ diligentiæ ſtudia ſunt illorum quos ſpes & præcepta rectæ prudentiæ tenent in aulis: cæterum eadem aut illic non videt, aut pejore quam cæcitatis malo juventus inconſulta aſpernatur, & ſæpe parentum indigna laboribus, à quorum opulenta modeſtia luxurioſo & mox egeno ambitu divertit. Illis pulchrum ipſum Regiæ nomen, & in proceribus numerari; credo, maxime quia hæc prima libertas eſt à Scholis aut magiſtrorum ſupercilio exeuntium; neque deſunt, qui hos novitios ad inexperta vitia

1 *Eſt & alius in Regiis labor, multa utilitate ſpectabilis, verſatilem animum in diverſa componere.*] Certe Aulicos oportet eſſe Proteos, qui quamlibet pro occaſione figuram induant, ſciantque ſervire Principum moribus & Gnathones Plautianos, ac Terentianos æmulari. Quibus denique longe melius convenit illud poëtæ Satyrici,

Natio comœda eſt. Rides? majore cachinno
Concutitur, &c. Ut ſupra.

Quod tamen vix præſtare quis poterit niſi in aulæ tropicis educatus, & verſatili aulæ animo informatus? Imo etiamſi in plures formas quam Chamæleon ſeſe nonnulli converterint, adeo nihil proficiunt, ut illud Septimii Severi jure poſſint uſurpare, *cuncta fui, ſed nihil prodeſt.*

vitia propellant. Quod ſi illos perfunctorio Principis nutu, aut verborum comitate, beari contigerit, tunc vero ſolutis ſuperbo gaudio articulis penè labare: qui adfuerint, quos tantæ gratiæ teſtes habuerint, vix ſe tenentibus oculis perluſtrare. Sed maxime laſciviæ ludorumque famam amant, quaſi in nobilitatis, & quidem jam virilis, indicium. Nec pro ſua ſe fortuna, ſed ex magnatum ſumptu, regunt. Ita curſum ſupra ſe euntium æmulati, nec veſtigiis *tantis pares*, exhauſto ſpiritu deficiunt. Hinc interim alieni acerbitas æris, & indigni queſtus in Principes ab his ipſis qui peccarunt: quaſi ſuorum omnium ingeniis ſapientiam poſſint infundere, debeatve ſacrum ærarium, & per hoc Reſpublica, tantæ libidinantium inſaniæ pœnas dare. Sunt non in Regiis modo, ſed in omni genere vitæ, diverſa quam divitum tam egenorum ingenia; Egenos autem putem, non modo quos inopia ad veſtium ciborumque miſerabiles curas adegerit, ſed quibuſcunque opes deſunt ad illam quam inſtiterint vitam, & à cujus claritate, niſi pudenda confeſſione paupertatis, non poſſint recedere. Igitur ex inopibus aliqui apertis doloribus gemunt, & queri de iniquitate ſuæ ſortis, quam excuſare aut tegere eam, malunt. Ita magno calamitatis ſolatio, palam poſſint fortunam objurgare, fugiuntque majus inopia malum, ſimulare divitias. Etiam aſſueſcere incommodis ſuis poſſunt, profeſſiſque laboribus remedium quærere in ægritudinem quam non tegunt. Et hi quidem ſunt, vel humilitate parentum ita facti, ne ad egeſtatem erubeſcere jure poſſint; Vel (quod vitiis penè annumerem) iniquitate fortunæ velut verbere domiti, nec ſpirare altius auſi; Vel denique pulchro rerum humanarum contemptu, nequaquam eam ſortem indignati, in quam à fatis collocantur; & magna regere idonei, & in parvis non dejecti.

[1] Eſt aliud egentium genus contumaci Spartanaque patientia

1 *Eſt aliud egentium genus contumaci, Spartanaque patientia.*] Spontaneam patientiam appellat Spartanam, cum propter ſeveram erga pueros Spartanorum diſci-

tientia ictus fortunæ ferentium. Hi anxios animos, curiſque divulſos, læti vultus imagine obducunt; viſi quoque ſibi felices, ſi hoc aliis videantur. Ita ad ſuarum miſeriarum ſilentium obſtinati, verecundiæ pœnas luunt, de publica ſoliciti fama, nec de domeſticorum voce ſecuri, quibus hæc privata vulnera magis patent, & interdum ferenda ſunt. Qui ex illis inopibus in vicino opem vident, & certa (quod interdum ad obſeſſarum urbium pertinaciam ſat eſt) auxilia, ubi aliquamdiu paupertatem ficta hilaritate contexerint, non modo non inſimulandi ſuperbiæ, ſed ingentis virtutis conſcii, dignique ſunt in quorum auxilium felicitas feſtinet. Hi vero qui in ſua paupertate, perpetui ſupplicii imaginem quidem vident, vix aliqua expectatione fortunæ ſpem ſaltem ſubvehente, poſſunt tamen in hunc modum ſuas opes diſpenſare, ut inter domeſtica mala ſemper ad hanc publicam divitiarum larvam ſufficiant, miſeratione prorſus digni, illum ambitum, quem tot anguſtiis emunt, certe abſque invidia habent. Sunt denique quos, tanquam in extemporaneis torrentibus aquæ, ita opes per hanc inanem & ſuis rebus imparem magnificentiam tandem in totum defecturæ prætereunt. Ingens illorum animis ſupplicium ſubeſt, & amentia ſua dignum, neque eſt alius majoris piaculi furor, quam nolle de certo exitio declinare

diſciplinam, tum propter cruenta ad aram Dianæ ſacrificia, nam pueri virgis cædebantur tamdiu, donec ara ſanguine ſpargeretur; unde Horatius,

Me nec patiens Lacedæmon.

Sunt autem qui eodem animo paupertatem tolerent, ita ut putes eos beatos ac fœlices, ſeu paupertatem diſſimulent, ſeu eam cum Horatio jactent, qui paterno contentus erat ſalino. unde & idem eadem mente luxum ſui ſæculi ita carpit,

—— Non ita Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque norma.
Privatus illis cenſus erat brevis,
Commune magnum, nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant; oppida publico
Sumptu jubentes, & deorum
Templa novo decorare ſaxo.

Ode decima quinta, & decima ſexta libri ſecundi, & aliæ paſſim fuſe paupertatem commendant, divitias damnant, quamvis hac ætate Horatii, non ſecus ac noſtrâ admodum pauci qui in ſeculo vivunt, oblatas recuſarent opes. Sed hæc ſæpiſſime arrogantia eſt ſane Iberica quæ repetat illud Plauti, *Odi ego aurum, multa multis ſuaſit perperam.*

Digitized by Google

clinare matura confeſſione tuarum fortunarum, quas dum ſumptu non diu ſuffecturo vis à populo ſummas credi, in perpetuum ſic affligis, ne vel poſſint in mediocribus deinde conſiſtere. Hic magnatum juvenumque præcipue error eſt, in paternas ſuccedentium opes, acerbis adhuc ingeniis, & neſcientibus frugalitatem, vel ſupra rem fortunamque majorum ex profuſis divitiis quærentium famam.

Iis animus longa tabe inquietus, & ſæpe ab ea *quam præfert* magnitudine excidens; quippe vix ulla humilitas, ac nonnunquam fraudis genus, in quod non ſe ſecreto dimiſerint, ſi inde intercipi nummi poſſint, quos poſtea publice per turbinem inconſultæ temeritatis profundant. Neque quidquam periculoſius, quam aliquid publicum illis ingeniis credere, omni precio redimentibus inopiæ moram, quam anxia, ſed pœnitentiam abnuente, ſui erroris notitia ſemper expectant.

[1] Nec pauciora ſunt in opulentorum *ſorte quam* egenorum

1 *Nec pauciora ſunt in opulentorum ſorte quam egenorum diſcrimina.*] At quos divitiæ producunt, ut à verbis Lucilii exordiar, fere abhorrent ab iis quæ lædere poſſint exiſtimationem: debent autem hoc educationi honeſtæ, unde Xenophon libro de Rep. Athenienſium: Ἐν τοῖς βελτίστοις ἔνι ἀκολασία τε ὀλιγίστη, καὶ ἀδικία, ἀκρίβεια δὲ πλείστη εἰς τὰ χρηστά, &c. id eſt, *In optimatibus & divitibus minimum eſt intemperantiæ, ac injuſtitiæ, ſtudium vero accuratiſſimum rerum honeſtarum: in plebe vero eſt plurimum & inſcitiæ, & confuſionis, & improbitatis; ſiquidem paupertas eos magis adducit ad turpia: ac plerique propter pecuniarum penuriam non potuere liberaliter educari, beneque inſtitui.* Interim & divitias magna vitia conſequuntur; adeo quædam (ut Eucherius ad Valerianum ait) ſocietas pene eſt etiam nominis duabus his rebus, vitiis, & divitiis. Quæ vitia autem divitias ſequantur, paucis docet Plutus ipſe apud Lucianum in Timone, ubi ſic loquitur: Ἐπειδάν τις τυχών, &c. hoc eſt, *Poſtquam aliquis qui me primo eſt adeptus, adapertis foribus receperit, clam una mecum ingrediuntur faſtus, vecordia, jactantia, mollicies, contumelia, dolus, & alia id genus innumera.* Sunt enim ſæpe divites ὑβρισταί, contumelioſi; elegans ideo decretum inferorum contra divites, qui in vita contumelioſe tractarint tenuis ſortis homines in Νεκυομαντείᾳ apud Lucianum, ubi hanc eorum pœnam fore ait, ut animæ illorum in terras remiſſæ quinque & viginti annorum myriadas in aſinis ſint; uno que mortuo, in alium, atque alium commigrent, oneraque ferant à pauperibus agitati. Deinde ſunt ὑπερήφανοι, hoc eſt, ſuperbi, unde Salvian. lib. 8. *Tacetur ſuperbia, & tumor; hoc peculiare divitum regnum eſt.* Sunt præterea ἀλαζόνες καὶ σόλοικοι, id eſt, Sabaconis illius inſtar, qui cum pauper eſſet, ditiſſimus videri affectabat: ſecundum Suidam, & Heſychium arrogantes, multaque in moribus peccantes. Sunt & luxurioſi, unde

rum diſcrimina. Quidam ſcilicet in cumulatas à majoribus opes naſcuntur. Senſim alios divitiæ attollunt, docentque paulatim eſſe felices. Horum utrique nec ſe mirari ſolent, nec immodice exultare, ſcilicet per ipſam conſuetudinem penè fracto quotidianæ lætitiæ ſenſu, quæ & nunquam nimia eſt, ubi per gradus expirat & aſſurgit. Sunt denique qui repente prodigentis felicitatis munere inundantur, uno curriculo viam in cœlum è terra emetiti. Et hi, inaſſueta dulcedine ſui quoque obliti, deducuntur in ſuperbum ſortis illius de qua exiere contemptum.

Nuper fuit ut ejuſmodi animum adhuc recentibus bonis ebrium liceret contueri, & viſa res quæ referatur digna; quoniam ex unius pictura plurimorum imagines poſſunt effingi.

Adoleſcentes duos earundem ſcholarum commercium non vulgari neceſſitudine conjunxerat. Nomen huic Mellæ, illi vero Cœpioni, in cujus patria hæ ſcholæ, amoriſque exordium. Exactis temporibus quæ in ejuſmodi ætate litteris dantur, receſſit in patriam Mella, arctis primum fœderibus in æternitatem amicitiæ cum Cœpione compoſitis. Nec virilia deinde ſtudia hunc adoleſcentiæ animum mutaverant. Crebris litteris, invicemque arcana prodentibus, veteris amicitiæ conſuetudinem alebant. Interim Cœpionem

unde Juven. Sat. VI.

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſecula luxu
Divitiæ molles.

Sunt jactabundi, & ſe dignos judicant imperio. Inſolentes ſunt etiam, maxime vero hi quibus recentes ſunt pecuniæ, quod ſuaviſſima de Mella, & Cœpione narratiuncula declarat Jo. Barclaius, videlicet fortunæ ſubitæ ita inebriant homines, ut non ſint, qui prius fuere. Denique majoribus ſemper inhiant opibus:

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.

Ejuſmodi moribus præditi ſunt potentes, fortunati, nobiles: nam qui nobiles naſcuntur, hi vel nobiles ſunt antiquis divitiis, cujuſmodi innumeros hodie videre eſt, qui nec ipſi memorabile quidquam præſtiterint, nec laudare parentes valeant: vel nati ſunt majoribus, qui egregium ſibi nomen pepererint. Sunt autem nobiles, utcunque modo nobilitatem ſibi comparaverint, honoripetæ, ut Apuleji voce utar: cujus rei ratio eſt, quod iis quiſque bonis, quibus ornatus eſt, ſtudet addere. Putant enim ſibi honores propter virtutem majorum deberi. Ciceronem filium quæ res Conſulem fecit, niſi pater? ait Seneca lib. VI. de Beneficiis cap. 30.

nem inopinata hæreditas in altiorem extulit ſortem. Et Mella in Cœpionis patriam quibuſdam negotiis vocatus eſt. Quem ut Cœpio adventaſſe audivit, non tam amicitiæ memor, ſed teſtem felicitatis habiturus, haud mora viſere properavit. Mellæ ſincerus amor erat, nec paribus machinis expugnatus à fortuna. Fit igitur bona fide obvius Cœpioni, amplexumque ſalvere multum jubet, & cætera quæ poſt longi temporis abſentiam primo impetu amici meminerunt. At Cœpio tardos oculos graviter *adgubernans*, arguta quoque voce, tanquam diducere timeret compoſiti oris formam, penè occœpit modulari. Invitatus in triclinium ſuccedere, ad quod, ut in modicæ fortunæ domibus ſolet, utcunque anguſti gradus ducebant, Quid tu, inquit, Mella, in carcerem me an thalamum rapis? Offenderat Mellam tam contumax majeſtas Cœpionis, *ſed* ne ex adverſo quoque peccaret, ſe in conducto *habitare reſpondit*: Limen, gradus, triclinia, advenis tam *toleranda locari*, quam utenda. In cubiculum *pervenerant*, cum Cœpio in lectum negligenter procubuit, frontemque permulcens, iterum incommodos ædium gradus ruſtica urbanitate deriſit: elicuitque indignationem Mellæ, quam tamen (veluti Cœpioni annueret) alio riſu texit. At ille ubi cubiculi cultum circumactis oculis, tanquam perfunctoria gravitate, luſtravit, convertit ad ipſum Mellam vultus, viſiſque ocreis, Equum vero, inquit, habes, an potius equos? Iis quidem eſt precium qui à vobis advehuntur, nec aliis pernicius fugam cervorum in nemoribus meis premo. *Abnuente Mella* ſibi patrios equos eſſe; quippe avectos quidem à ſe, ſed neſcio qua tabe ſub inaſſueto cœlo interiiſſe: Cur igitur, refert, ocreas geris? Mella contemptim, has ſibi in hyemem eſſe quæſitas. Hic Cœpio; Rheda autem, quam ſub primo liminis tecto vidi, ſcis cujus ſit? Cum ſuam Mella aſſereret, At tibi (ait Cœpio) negabas equos eſſe. Patrios negavi mihi eſſe, inquit Mella. Sed me putas tantæ urbis compita peditem poſſe obire? Germanicis ad rhedam equis

quis utor. Bigæ ne, ſubjicit Cœpio, an quadrigæ rhedam hanc trahunt? Jam faſtidium indignationi acceſſerat. Sed voluit Mella in totum huic ſcenæ ſufficere. Itaque placide, ſe bigis vehi, dixit. nam quadrigas illis beatis, qualis erat Cœpio, relinquere. Dic autem, inquit Cœpio, Regi tuo ſæpe ades? quis agri tibi modus? num habes tui juris oppidanos? Ad hæc Mella penè profeſſo riſu, nihil aliud quam ſe majorum fortunas ita regere ne aut illis dedecori, aut exitio poſteris vivat. Iterum qui annui cenſus eſſent importuna ſedulitate rogatus, dixit hos ſibi, & interdum amicis, ſufficere. Hinc ſe divitias potiſſimum metiri. Sed cum obrui tot quæſtionibus tæderet, tandem onus reſpondendi in cupidiſſimum Cœpionem rejecit, cœpitque rogare quot domeſticis ad familiaria obſequia uteretur, tum de equorum numero, & quam eſſet in aula gratioſus. Nec ille de ſe moderatior, quam in alios prudens. Sed præcipue de ſtudiis aulæ egit. Procerum multos ineptiſſimum genus eſſe: Hos ſe non multum operoſa calliditate tenere: alios ſuæ fortitudinis gloria capi; jam bis enim deſcendiſſe in arenam: alios gratia qua apud Principem valerent adductos, quicquid in eis eſt in amicitiæ precium polliceri. Stupebat attonitus Mella, tantæ dementiæ verba niſi à furioſo poſſe effundi. Tædio igitur in admirationem, & voluptatem, verſo, inſtare acrius cœpit, & ſponte ruentem, per inſanas quæſtiones præcipitare. Forte modica quies erat, utroque poſt tot deliramenta in ſilentium compoſito, cum Cœpio, tanquam acri ſubeunte memoria, exclamat: At quam putas ingens eſſe ferarum deſiderium canibus meis? Nam hos vetui in ſylvam me abſente produci. Accipitres quidem jam opportune ceſſant, abeuntibus hac anni tempeſtate, & in ſucceſſionem renaſcentibus pennis. Nec interpoſita mora. Sed jam flectit in veſperum dies, inquit; Papæ! me jam diu Principi adeſſe oportuit; habeo objurgatorem deſidiæ, quod in hoc lucis protraxerim abſentiam meam. His dictis velut altiori amplexu in procumbentem Mellam

Digitized by Google

incubuit, invitatumque domum, faſtu ad blanditiem *accom*modato, rogavit, fidiſſimæ amicitiæ & favere cupienti, ſaltem ſi quid opus haberet, poſtulando ne deeſſet. Expertorum beneficio; nihil pollicitationibus ſuis integrius eſſe. Hic fuit colloquii finis, quod attonitus Mella, impenſe ſubitas divitias devovit, ſi cogerent ad hunc modum inſanire.

Huic vitio immodicæ jactationis videntur obnoxii, *non* ii tantum quorum ſapientiam ſubitis muneribus for*tuna ob*ruit, ſed & qui militares diſciplinas in præcipuam partem gloriæ ponunt. Rudes enim ut plurimum animi, & vel in caſtris eruditi, vel inter hos qui caſtrenſibus vitiis ipſam pacem imbuunt, nihil credunt præſtantius quam timeri; fidem autem facere de ſe quoque dicentes, inſulſe arbitrantur. Inde jactationis audacia, tumorque verborum, quaſi omnium gratiam & crudelitatem à ferro ſuo *impetraturus*. [1] Hinc Pyrgopolinices, hinc Thraſo, *inſtituti in veterum* ſcenis, in documentum ferociæ, *plus tormento* verborum, quam inter vera belli diſcrimina vibrantes. Sed in ſenibus præcipue, & quidem ducibus, *ſecurius*, & majori venia, hic procedit; factis illis ad gloriam animis, ſed nonnunquam inconſulta vanitate errantibus.

CAPUT XV.

De Magiſtratibus. De cauſſarum Patronis.

AB [2] Aularum Principumque faſtigio ſtatim prima eſt Magiſtratuum dignitas, quibus fortunæ litigantium ſunt

1 *Hinc Pyrgopolinices, hinc Thraſo.*] Milites ſunt feroces in Comœdiis Plauti & Terentii, ſcilicet in milite glorioſo, & Eunucho.

2 *Ab Aularum Principumque faſtigio ſtatim prima eſt Magiſtratuum dignitas.*] Eorum ſcilicet, qui, ut de Vatinio dicebat Tullius, ſtrumam, hoc eſt, turpia ſua facta [illegible] veſtiri & occultari putant. Arbitrantur enim eorum nonnulli, ut egregie obſervavit Tullius pro Quinctio, ſine injuria potentiam levem, atque inopem eſſe. Neque hi homines illos quibus antiſtant, damno ſolum mactant; ſed bonis quoque plane exuunt, ut merito veteri verbo piſcium vitam vivere dicantur. Scite hanc rem expreſſit M. Varro apud Nonium:

Qui poti', plus urget, piſces ut ſæpe minutos

Magnu'

ſunt commiſſæ, ſontiumque ultio, & quæ munera jam in judiciis numerus candidatorum, & quærendæ pecuniæ cauſa, in varia nomina exegit. Hi plerumque, vel nihil diſſimulata emptione, in hos gradus aſcendunt; vel, ubi hæc mercatura de publico arcetur, privata, & ſæpe rigidiore cum Proceribus pactione, illic quoque, quei Rempublicam vendant, inveniunt. Tanto, & ſæpe immodico ſumptu provectos, palam eſt ambitionis ſtudiis, aut ſpe prædæ attineri. Nam duntaxat Reipublicæ velle prodeſſe cara illa & patrimonium deſtruente ſollicitudine, non iſtius ſeculi virtus eſt, & [1] nec forte, poſt Curios aut Fabricios, quærenda. Sed quoniam nulla jam virtus gratis & ob ſuam pulchritudinem colitur, ſed unaquæque ſuis præmiis conciliatur hominibus, ideo hæc bonorum opumve in Magiſtratibus libido facile ferri poteſt, modo contenti publico & veluti permiſſo more peccandi, ſinceris deinde animis in munus quod emerint incumbant.

Cæte-

Magnus' comeſt, ut aves enecat accipiter.

Sane ſolis in legibus impotentiores contra potentes præſidium, ac fiduciam omnem repoſitam habent; ut his id vere ſint leges, eſſe ſane debeant, quod palumbi laurus, cornici verbenaca ſupina, aquilæ callitrichus, turdo myrtus, aut alaudæ gramen: quæ animantibus hiſce eſſe amuletum quoddam ex Zoroaſtre mago libro quinto decimo ſcribit Caſſianus Baſſus. Quid quod nec in ipſis legibus impotentiores ſat præſidii reperiunt? Quippe nec has reverentur potentes, ſua ſuorumque potentia ſubnixi. Itaque & Anacharſis leges aranearum retibus comparabat; in quæ ſi minores inciderint muſcæ, retinent: majores vero ea perrumpunt: ſunt non pecuniæ magis quam honoris cupidi, amantes τίμιοι ſive Domini ſalutari. In gravitate ita colunt virtutem, ut magis ſectentur dignitatem, ideoque gradibus aureis ad hos aſcenditur magiſtratus, qui cum virtuti tribui debeant, hodie funeſto legum abuſu venales fiunt. Nam duntaxat Reip. velle prodeſſe cara illa, & patrimonium deſtruente ſollicitudine, non iſtius ſeculi virtus eſt.

1 *Nec forte, poſt Curios aut Fabricios quærenda.*] De his ita Horatius libri 1. ode 12.

Gratus inſigni referam camœna
Fabriciumque;
Hunc & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit, & Camillum
Sæva paupertas, & avitus apto
Cum lare fundus.

Curius iſte cum magnis muneribus à Samnitibus donaretur, reſpondit malle ſe auro utentibus imperare quam aurum poſſidere. Idem præſtitit Fabricius, qui & Cornelium Rufinum avaritiæ cauſa è ſenatu ejecit. De quo Virgil. Æneid. lib. 6.

Parvoque potentem Fabricium.

Et Cic. Officior. lib. 3.

1 Jam

Cæterum ut ab illo quod ineunt jugo, moderari *ſubje-ctis* gentibus poſſunt, &, ſi placet, illudere: Ita niſi maturis ingeniis, & quæ non pro ſolo tribunali ſapere poſſint, cupiditates caſtigent, & ipſi quidem ludibria aut convitia effugiunt. Sed hæc tecta, & maxime in abſentes ingeſta. Palam enim adulantium verbis ſolicitantur in ſuperbiam, ſuique inanem fiduciam; tot litigantium turbis, multo cultu, ſed non diu duraturo, illos propitiantibus: cum nemo in diſcrimen fortunarum vocatus, ſupplicare Judicibus dubitet, & vel torvos aſperoſque mulcere, vel dulcedini ambitionis apertos, multa laude, & venerationis geſtu, tanquam cibo aliquo ſatiare. [1] Jam olim illam artem Roma monſtravit, cum reos, ſordentibus togis, neglectuque comarum viliores, Judicum pedibus reverentia metuſque affunderet. Sed ejuſmodi ſupplicum cœtus, in quemcunque deinde exitum dimittantur, ubi primum extra judicantium conſpectum poſſunt conſiſtere, hanc timidam placendi larvam ponunt; & quas adhibuere blanditias, interdum nec modico riſu inter ſuos recenſent, etiamque illorum quibus adhibebantur credulitatem. Judices enim ſuccedentium clientum agminibus ſemper pleni, ſe haud raro ex eorum adulatione metiri non dubitant; omneſque revera ſuo faſtigio concedere arbitrantur, qui ſibi compoſita humilitate eorum animos parant. Illos judices dico, quorum ambitio noſtri ſeculi moribus & callidioris vitæ peritia deſtituta eſt; ſive nihil viderint præter Scholam, Curiamque, illic nugari aſſueti, hic habere cultores & decipi; ſive anguſtis aut inanibus animis ad facilitatem facti ſint, ut pro ſe dicenti-
bus

1 *Jam olim illam artem Roma monſtravit, cum reos, ſordentibus togis, &c.*] Rei ut judices ad miſericordiam commoverent, ſordes, & illuviem affectabant, barbam, & capillos ſubmittebant, ponebant annulos, reliquumque corporis ornatum, induebantur veſte ſordibus obſoleta, caput pulvere ſpargebant. Cicero antequam iret in exilium, humili veſte indutus, ſquallore, & ſordibus oppletus. Cicero pro P. Sextio, *atque hic tot & talium civium ſquallor, hic luctus, hæ ſordes ſuſceptæ ſunt propter unum me.* Poſita ſcilicet nivea veſte nobiles rei per dies judicii ſordidam togam ſumebant, ut miſerabiliores eſſent. unde ultima Verrina, *aſpicite, aſpicite, judices, ſquallorem, ſordeſque ſociorum.*

1 Multis

bus avide credant. Sed tunc maxime populari riſu jactantur, ſi, tanquam ſuæ ſortis puderet, in militares animos ad ſermones erumpant, ſi in corporis cultu aularum adumbrent delicias, cæteraſque voluptates conſectentur, togarum & tribunalium majeſtati non conceſſas; Quæ nonnunquam vitia inexpertam adhuc fallunt (nam & ſæpe ad has dignitates ſubvehitur) juventutem.

Sed nihil publicæ utilitati magis infeſtum, quam cum Magiſtratus, Judiceſque, obliti nominis Deæ illius, cujus titulis, & veluti vicaria fide, jus dicunt, ex magnitudine munerum aut litigantium gratia, affectum componentes, ipſis legibus imponere non verentur. Nec facile dixerim, utra pernicies Rempublicam pejus infeſtet, cum amicis, aut cum pecuniæ indulgent. Quippe illa facilitas nihil familiaribus negandi, Judicis animum impietati aperit, per hos flagitiorum gradus ita aſſuefactum, ut excuſatis ſpecie amicitiæ ſceleribus, poſtea ubicunque odium aut ſpes impulerit, peccare non dubitet, id tandem pro ſe auſus, quod amicis primum indulſit.

Quod ſi acriter divitiis incumbunt, ſi quærunt de populi malis opes, tunc omnino Reipublicæ corpus ſub illis medicis plus remedio quam vulneribus laborat. Pauci tamen aperto facinore audent vel ſuæ cupiditati, vel amicorum ſervire. Sed eſt lentior peſtis, aut ſi mavis modeſta crudelitas, & jam ipſa conſuetudine excuſata, longis ſcilicet nodis impedire productas in forum ſuum cauſas, & infinito, ac veluti religioſo ordine, ad exitum ſero producere. His artibus regnum ſuum producunt in miſeros; & vaſtandos uberius miniſtris ſuis tradunt; patronoſque, & jam magnam illam gentem, quæ clientum miſeriis ſaginatur, perenni paſtu implent. Quis ferat & quorundam malas artes? Judicia, quæ ipſi vendere palam timent, ſub aliis ſectoribus proſtituunt: Miniſtros ſuæ domi, à memoria, à ſcriptionibus habent: qui digerere, qui ſervare relata ita in ſcriptis diſceptantium argumenta & inſtrumenta litium ſolent.

Digitized by Google

lent. Hos autem ad tam ambitioſam ſervitutem non ante admittunt, quam ingenti, & per licitationem creſcente pecunia, ſervire meruerint. O ludibrio habitas fortunas miſerorum, qui ſe tribunalibus credunt! Miniſtraturos judicibus non operam ſuam locare, ſed & magni emere, in familiam & ad ſervilia officia illic admitti, quid eſt aliud quam veniam ſcelerum comparare, ut furtivis inde prædis graſſentur in ſupplices, venditiſque ſuffragiis, & libellis vel celatis, vel obtruſis, ipſi domino, aut æquitati auſint imponere? [1] Multis tamen Magiſtratuum candidæ mentes, potiorque tam avaris artibus ſanctitas & juſti honores, merceſque quam leges conſtituunt. Graves illi, & intra fortunæ ſuæ magnitudinem modeſte compoſiti; neque hos magis adulatio implorantium opem, quam juſtitiæ & famæ pietas laudibus implet. Si vero hos Magiſtratuum cœtus, non ex ſingulorum moribus, ſed ex totius collegii gravitate æſtimes, mirum quantam ſui reverentiam ſtatim infundant; [2] ut in eorum conſpectum admiſſus, omnino ſentias, Cyneæ verbis dignos, qui in Romanorum Senatu quot convenerant Patres tot ſe Regibus circumſideri dixit. Sed hæc tamen tanta majeſtas longe gratiori ſpectaculo hos mulcebit, qui forenſi negocio vacui, nihil ex judiciis aut ſperabunt aut metuent, ac veluti in portu conſederint, mare procellis æſtuoſum, hoſque Neptunos omnem fluctum ſuo nutu temperantes, intuebuntur. Carthagine Romaque in fœdus compoſitis, Regi Numidarum Maſiniſſæ, qui & ipſe Romanam

1 *Multis tamen Magiſtratuum candidæ mentes.*] Severitatem & integritatem Areopagitarum ætas hæc noſtra non ignoravit, qui miſſa Oratorum eloquentia, calcatiſque muneribus, denique ad omnem mercedem cæci pro æquitate cauſæ reum damnant, aut abſolvunt. Denique hos Deos cùm inceſſus, geſtuſque gravitate, tùm vitæ ſanctitate nemo non putet, quemadmodum iſti Galli, qui Roma expugnata ejuſmodi purpuratos ſenatores, inſtar tot Numinum primum venerati ſunt.

2 *Ut in eorum conſpectum admiſſus omnino ſentias Cyneæ verbis dignos.*] Iſte miſſus à Pyrrho ad Romanos legatus de pace, una die omnium Senatorum nomina edidicit; quorum conſeſſum totidem Regum ſibi viſum fuiſſe Pyrrho retulit. Iſte Demoſthenis auditor dicitur plures urbes Pyrrho ſubegiſſe ſuâ facundiâ, quam ipſum Pyrrhum ſuis armis. De eo Plut. in Pyrrho, & Cicero Tuſc. Q. 1.

1 Niſi

manam amicitiam colebat, cum Pœnis diſſidium fuit. Jam in caſtris utrinque exercitus erat, dictus etiam certamini dies, cum Scipio minor, forte ad alia negotia in Africam miſſus, pervenit ad caſtra Maſiniſſæ, tantique prælii ſpectaculum cepit. Tuta illi res, quocunque ſe fortuna inclinaſſet, Romani nominis majeſtate. Succeſſit ergo in tumulum, viditque certantes: & impune licuit tot mortalium periculis frui. Et viſa res tam ambitioſæ voluptatis, ut negaret hanc ante ſe contigiſſe, [1] niſi Jovi ab Ida, Neptunoque è Samothracia, extra aleam Græcorum & Trojanorum bella cernentibus. Idem in fori Judicumque ſpectaculum convenire non dubites, quo ſcilicet vix quicquam jucundius, ſi non in diſcrimen adductus ſis, ut nec preces admovere neceſſe ſit, nec timere. Nam & excultis (ut multi ſunt) Judicum animis potes interdum jucundiſſima familiaritate miſceri, aut horum in variis litibus ſenſus ſaltem, neque ineloquentem eruditionem percipere, ac de ipſis judicantibus ferre ſententiam. Aut ſi gratum eſt in tumultu fori eſſe, ipſe diſcurſantium fremitus, vultuſque diverſi, hi exanimati metu, ſpe alii exultantes, ita animum oculoſque abripient, ut te utiliſſimam humanæ dementiæ ſcenam intueri exiſtimes. Ac [2] præcipue Patronorum calliditas (ubi elo-

1 *Niſi Jovi ab Ida, Neptunoque è Samothracia, extra aleam Græcorum & Trojanorum bella cernentibus.*] Sic Homerus Deos ipſos ad terrores, ad pericula, ad vulnera in ſua Iliade paſſim obnoxios inducit.

2 *Præcipue patronorum calliditas, ubi eloquentia eſt in pretio, oſtentatione ſcientiæ & verborum pompa vibrans.*] Græci, Romanique oratores, ad Reip. perniciem abuſi eloquentia, multa mala peperere. Ideo ab Areopago veluti ſacra amandata eſt hæc ars, ipſeque Patronus affectus movere vetabatur: quippe æſtimabant hi Judices, nihil eſſe tam tyrannicum quam armillata oratione faſcinare, & populi mentes, Judicum religionem, Senatus gravitatem convertere. Et vero ſurgit ad dicendum orator, unus inter innumeros, ſublimis inter Reges, & Principes, ſine ſatellitio tyrannidem tamen exercet in omnes, dum arte tanta vocem habitumque corporis ad orationem attemperat, ut duriſſimas quaſque mentes, qua velit, inflectat; lachrymaſque & ſuſpiria pro nutu eliciat: tot infligat vulnera, quot oculorum jactus; tot tela intorqueat, quot vocis conatus; toties palmam metat, quoties manum movet, nec plura verba loquatur, quam victorias. Hinc Athenæ *κακοτεχνίαν* fallendi artem eloquentiam: Sophiſtas vero *γόητας*, hoc eſt, præſtigiatores infami convitio appellarunt; quaſi mendacia vaniſſimæ orationis obducta fuco inge-

eloquentia eſt in pretio) oſtentatione ſcientiæ & *verborum* pompa vibrans ſufficit ad lepidam nec omnino ocioſam voluptatem; qua perfuſus, tamen ſecuris ſuſpiriis ad aliena mala interdum ingemiſces.

[1] Quippe animus & ſors ipſa Patronorum (ut genus humanum etiam ſua auxilia in perniciem detorquet) longe à prima tam officioſæ pietatis inſtitutione divertit. [2] Cauſas apud Judices orare, & vel nocentes accuſare, vel *adeſſe ſordidatis*, olim magnificum & liberale munus fuit, etiam *hominum* quibus ſummam rem in caſtris aut Senatu Reſpublica credebat. Non ſæpius in acie Pompeius, quam ſub Judicibus, ſtetit; Primique Cæſares, cum jam omnia poſſent, tam reis interdum advocatione malebant, quam ſummæ authoritatis ſuffragio, adeſſe. Merces autem, præter gloriam, magnificæ rei adeo nulla erat, ut afflicta deinde illius nobilitatis rectitudine, & Oratoribus *jam operam nec* occulte locantibus, leges primum rogarentur, *quæ tam periculoſam mercaturam* infamia notatam *arcerent*; *mox* publico vitio hos quoque obices provenente, *ſaltem modum* conſti-

ingerant auribus, & argumentis aggrediantur à veritate aliena.

1 *Quippe animus, & ſors ipſa Patronorum (ut genus humanum etiam ſua auxilia in perniciem detorquet) longe à prima tam officioſa pietatis inſtitutione divertit.*] In Argenide cap. XVI. libri tertii quanta in regnum incommoda ex frequenti Judicum, Patronorum, Rabularum numero, & longa litium prolongatione reſultent; quibus remediis tanto morbo ſuccurratur Iburranes tot malorum impatiens ſubtili ſermone Meleandrum docet. Etenim Judicum mora, & Advocatorum numerus ingens, ſcriptorumque, & lictorum iniquitas populares exhauriunt; ſiquidem conſuetudine videndi miſeros & faciendi, omnem humanitatis ſenſum exuunt. Remedium erit, ſi lites à ſola Patronorum fide non pendeant, nec ultra ſemeſtre differantur.

2 *Cauſas apud Judices orare, & vel nocentes accuſare, vel adeſſe ſordidatis olim magnificum & liberale munus fuit.*] Forum olim Romanum palæſtra & gymnaſium fuit, ubi juvenes Patricii è Scholarum umbrâ ad lucem erumpentes nobiliori pulvere exercebantur. Julius Cæſar pene adoleſcens ibi ſuæ eloquentiæ rudimenta poſuit: ibi M. Antonius ex ephebis emergens ſolertiam perorandi omnibus probavit ſuam: ibi Cælius filius ineunte ætatis vere Pollam Atratini patrem accuſavit; & ipſe viciſſim ab Atratino adoleſcente accuſatus eſt. Quid dicam Pompeios, Craſſos, Catones, Hortenſios, Marcellos, Brutos, & principes omnium Tullios, alioſque non paucos, qui facundia ſua forum illuſtrarunt. Tantum ingenua hæc exercitatio ad ingenuos ſolos pertinebat. His autem præter gloriam nulla erat merces.

1 In-

conſtituerent, certamque pro mercenaria eloquentia penſionem. Jam inſaniente Orbe, & in immenſum litibus auctis, gens illa quæſtuoſa, etiamque populoſiſſima, vix ferendo agendoque clientibus ſufficit, ſuas exuvias ad certamen tradentibus.

Patronis cauſarum, ut ubique unus ſpiritus, ad opes famamque properandi, ita pro conditione regionum ſunt varia ſtudia atque gradus, per quos deſtinata perficiant. Leges ut plurimum, non nudo & candido genio perceptas, quo ducebantur qui illas condiderunt, ſed deflexas per innumeros anxioſque calliditatis articulos, in præcipuæ ſcientiæ partem habent. In iis aliquid invenire, quo eludi ſimplicitas poſſit bono jure utentium, glorioſiſſimum putatur. Apud pleroſque populos illa jura obtinent, quæ Romani ſibi olim condiderunt, & civilia appellamus. Et quoniam eæ leges, à peritis olim auctoribus ſancitæ, robuſtam & variam eruditionem habent, ideo earum ſtudium non ſolum diffundere ingenia ſolet, per ardua ac moleſta juris factique argumenta, ſed & pulchra antiquarum rerum ſcientia imbuit, quæ ad humanæ vitæ culturam precioſa eſt, in foro ſaltem ad oſtentationem valitura. [1] In illis autem gentibus, apud quas non ex Romana ſapientia, ſed ex municipali, & nonnunquam barbaro gentium ſcito, jura deſcripta ſunt, vix aliquid humanitatis ingrata Cauſidicorum ars habet, &, niſi promitteret quæſtum, iis quoque inviſa, qui ſtudioſiſſime eam colunt. Ibi enim Patroni cauſarum ingenia non exercent per Romanæ Græcæque ſapientiæ aut facundiæ venuſtatem, ſed inhærentes aliquot vocibus, conceptaſ-

1 *In illis autem gentibus, apud quas non ex Romana ſapientia, &c.*] Juſtinianus Imperator leges Romanas maximè utiles in Codicem redegit, aut curavit redigi, unde totius pene Europæ Patroni formam petunt litigandi, quemadmodum olim Romani à Græcis Athenienſibus ſuas leges mutuati ſunt propter Solonis reverentiam, quibus cum tabulas duas ad cives Romanos maxime pertinentes addidiſſent, has appellavere leges duodecim tabularum, quas ut ſanctas ſic habuerunt, ut ne lato quidem ungue ab eis diſcederent: Attamen in partibus Borealibus non par eſt forma litigandi, quæ miſeros hodie clientes adeo cruciat, ut bonorum omnium jacturam ſæpe patiantur.

ceptaſque rudibus verbis leges, nunc in cantionem, *nunc* in dolum, contemplati, vix unquam puriori ſcientia animos mitigant aut attollunt. [1] Anglia, quæ Muſas, & ſtudia literarum, ſuperbiſſimis Academiarum tectis excepit, quæ opulenta hereditate hæc ſcientiarum domicilia, velut in æternitatem eruditionis, ditavit, legum ſuarum ſtudioſos, patronoſque cauſarum, ideo non poteſt Latinæ eloquentiæ aut Philoſophiæ humanitate adornare, quia *in iis legibus* nullſum Romani juris ineſt aut peritę antiquitatis *veſtigium*. Gallico ſermone conceptæ ſunt, priſco illo, & quem in antiquiſſimis auctoribus aut negligimus aut ridemus. Si quid ſcriptum eſt verbis in hodiernos uſus durantibus, hoc ipſum impoſito duntaxat accentu, & pronunciandi errore, ſuum fecerunt. In hanc artem inſtitutis raro majoris ſcientiæ cura eſt, & ut plurimum nec Latini ſermonis elementa perdiſcunt. Satis ad advocationis rudimentum *putatur*, priſcos illos codices legere poſſe, & loquendo *corrumpere*. *Ita* initiati adoleſcentes in collegiis *ejuſmodi argutiarum* agunt, multoque tempore, *provectiorum colloquiis*, & uſu, edocentur: nam nec modico *ætatis* diſpendio tam laborioſa ars, & tot diffuſa ingeniis, conſtat. Non in ea regione certior ad divitias via eſt. Quippe Anglia ab externis quieta terroribus, ſeipſam contentionibus fori, haud multum impari cladi, permiſit: At cum præterea eximii magiſtratus in præmium illius ſcientiæ deſtinentur, nil mirum eſt ingenuos adoleſcentes ejus ſtudio capi; adeo ut nulla ſit patriciorum gens, quæ non cognationis jure à quo in *litibus* ſublevetur inveniat. Ejuſmodi Advocatis, veſtis eſt in ſpecimen ſuæ artis, ad pedes pertinens, toto margine, quantum in conſpectum prodit, gentilis cuniculi pelle ſuffulta. Hanc & domi ſubſidium, & ornamentum publice habent; nec

1 *Anglia, quæ Muſas, & ſtudia litterarum ſuperbiſſimis Academiarum tectis excepit.*] De Angliæ Academiis ſupra dictum eſt. Jam quod ad leges, & formam litigationis, eaſdem cum Gallicis eſſe puta, quippe quod Normannis & Gallis Angliam invadentibus has ſecum leges attulerint Gallico idiomate ſed veteri ſcriptas.

Digitized by Google

nec dubitant in publicum ocreati procedere, etiam calcaribus verberantem pulſantibus togam.

Gallia aliis virtutibus, vitiiſque, ſuarum cauſarum oratores inſtituit. In Academiis nomine Juriſprudentiæ aliquandiu degunt. Illic quidam literis propitio genio incumbunt. Alios putes in veternum, aut immodeſtiam natos. Utriſque (proh tempora!) inde abeuntibus idem honos, eorundem titulorum promiſcua merces. Qui enim inutili laſcivia aut torpore luſere, nihil minus modicæ pecuniæ ope ad munus advocationis perveniunt; emptis ſcilicet Juriſperitorum ſuffragiis, quibus, de diſcipulorum eruditione teſtantibus, Magiſtratus & Judices credunt. Jam olim ita tradito more, ut is honor ejuſmodi teſtimoniis haberetur, nondum eruditorum & quidem jura docentium animis ad facilem & promiſcuam mercaturam proſtantibus. Et hi immerita dignitate ſublati, in ignobilibus deinde coloniis agunt, & inter parem animorum cæcitatem, obſcuro tribunali ad miſeram clientum advocationem ſufficiunt; vel ſi inter divitias nati ſunt, paternis opibus ſtatim excepti, proh nefas! & in Magiſtratum quoque excreſcunt. Qui vero lætum ingenium Juriſprudentia primum, mox eloquentia perfecere, ii ſua virtute totum ordinem Patronorum in ampliſſimam laudem attollunt. Vix in aliis hominibus tam ſincera humanitatis ſtudia, tanta cura aut tam felix literarum; adeo ut ſimplicitatem Muſarum (quas auſteri, rudeſve Philoſophi, penè ruſticas extra hominum conſortium tenent) erudiiſſe videantur ad civilis vitæ aſtus, & deductas de ſuorum montium ſecretis, veræ luci aptaviſſe. Quidam tamen ex illis nimiæ eloquentiæ ſtudio peccant, & juventutis ſtimulis, aut gloriæ ferventes, à commiſſo patrocinio deflectunt. Judicum quippe & auditorum auribus ad voluptatem ſervire adeo curant, ut, ex omni numero, neminem minus juvent quam clientem: [1] &, quod Poëta

1 *Et quod Poëta olim riſit, dicturi de capellis, aucent ab Hannibalicis furoribus exordiri, &c.*] Martialis libro VI. Epigrammate 19. in Poſthumum hujuſmodi ora-

Poëta olim riſit, dicturi de capellis, ament ab Hannibalicis ordiri furoribus, luctumque Cannarum, & rubentem Romano ſanguine Aufidum memorare. Alii exercitis per fallendi conſuetudinem animis regnant, venalemque in quodvis patrocinium fidem, malo innocentiæ exercent. Ita obruere veritatis indicia, ita magna ſpecie inanes induere umbras, & plus juris in foro, ſuo ingenio quam legibus facere. Documentum tam publici mali; Nullæ lites, nulla in judicium vocata flagitia, quæ non Patronum inveniant; modo ſit advocationi pretium, cui tanquam omnis patriæ charitatem vincenti obſequium nunquam deeſt.

Caput XVI.

De divinarum ſcientiarum peritis: deque Præfectis Religionum.

Eludant [1]ut volent majeſtatem Scientię, per contemptum atque jocos, quidam barbaris aut incultis ingeniis horrentes,

di oratores ita perſtringit, ad quod Auctor alludebat:

Non de vi, neque cæde, nec veneno;
Sed lis eſt mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc judex ſibi poſtulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Mutioſque
Magna voce ſonas, manuque tota.
Jam dic, Poſthume, de tribus capellis.

1 *Eludant ut volent majeſtatem Scientiæ per contemptum atque jocos.*] Audio illos dicentes, ſcientiæ appetitu primum hominem in peccatum lapſum eſſe, hodieque hærere ſerpentinum quid in ea, ſiquidem ex ipſo Apoſtolo illa ingrediens tumorem inducit: Sapiente vero teſte lectionem multam afflictionem eſſe carnis: & in multa ſapientia multam eſſe indignationem: & qui auget ſcientiam, augere & dolorem: noſque Apoſtolum voluiſſe admonitos ne per inanem Philoſophiam decipiamur: quin & ipſa experientia notum eſſe, doctos viros non raro extitiſſe hæreſeon inventores, & eruditiſſima ſecula in Atheiſmum prona fuiſſe: contemplationem denique ſecundarum cauſarum auctoritati primæ cauſæ derogare: Unde & Licinius Tyrannus litteras peſtem publicam appellabat. Ut igitur oblatrantium hominum has opiniones explodam, velim advertas primum ſcientiam illam, quæ primi hominis lapſum peperit, non fuiſſe puram illam, primigeniamque ſcientiam, cujus lumine quæcunque ſunt in naturæ majeſtate recondita, nullo negotio reſerabat: ſed ſuperbam illam boni & mali ſcientiam, per quam primi illi parentes ſe fore Deos putaverunt: neque ſcientiam illam veram inflare, quæ ex litteris humanioribus colligitur; ſed eam animos ad humanitatem natos delectare, qui cum multo plura quam quæ aſſecuti ſunt, deeſſe ſibi intelligant, ad nova ſemper aſpirantes multa ſe latere non inficiantur, neque proinde inani faſtu inflantur, aut tument. Eſt enim animus

ſentes, & hunc demum virilem animum & nobilitate dignum exiſtiment, qui Muſas omnes, ut viles ineptaſque, reſu-

mus ſcientiæ non minus quam oculus noſter rerum avidus, ac ſitiens, & inſtar ſpeculi omnium rerum capax. Quod ſi tanta eſt amplitudo captus humani, manifeſtum eſt, nullum eſſe periculum in ſcientiarum aut artium liberalium cumulo, utut diffuſus fuerit, ne aut tumorem inducat, aut exceſſum rerum. Quanquam cancellos quoſdam eſſe fateor, quibus ſcientia circumſepitur, atque eos tres maxime: Primus eſt, ne ita fœlicitas collocetur in ſcientia, ut interim mortalitatis ſubrepat oblivio. 2. ne ſic utare ſcientia, ut anxietatem pariat, non vero animi tranquillitatem; quanquam à ſcientia quid poteſt proficiſci non jucundum. 3. ne quis putet ſe poſſe per naturæ contemplationem divina myſteria aſſequi, ſi quis enim ex rerum ſenſibilium intuitu tantum luminis ſperet conſequi, quantum ad revelandam Dei abſconditi naturam ſufficit, næ iſte decipitur per inanem Philoſophiam; ſiquidem contemplatio creaturæ, quantum ad creaturam paret ſcientiam; quantum ad Deum, admirationem; quæ eſt quaſi abſtruſa ſcientia. Unde quidam Platonicus humanos ſenſus ſolem referre docet, qui quidem revelat terreſtrem globum; cœleſtem vero, & ſtellas obſignat: ſic enim ſenſus reſerant naturalia, divina occludunt. Atque hinc evenit nonnullos è doctiorum cœtu in hæreſim lapſos eſſe, dum cereis ſenſuum alis ſubnixi ad divina evolare contenderent. Porro ſi leves guſtus ſcientiæ movent, nonnunquam candidatos ipſos in atheiſmum; ſed tamen pleniores hauſtus ad religionem adducunt. Dum enim ſecundæ cauſæ tanquam ſenſibus proximæ humanæ menti ſeſe ingerunt, menſque ipſa in illis hæret, atque immoratur, fit nonnunquam ut primæ cauſæ ſubrepat oblivio. Si quis vero ulterius pergat, cauſarumque dependentium ſeriem, concatenationem, atque opera providentiæ divinæ intueatur, tunc ſecundum Poëtarum Mythologiam facile ſibi perſuadebis ſummum naturalis catenæ annulum pedi ſoli Jovis appendi. At enim emolliunt animos ſtudia illa litteraria, & militari pulveri colligendo ineptos efficiunt: varietate lectionum corrumpuntur ingenia, enervantur otio, diſciplinæ civilis relaxatio inducitur: unde Cato Cenſorius cum juventus Rom. ad Carneadem Philoſophum qui venerat Romam legatus, dulcedine, atque majeſtate ejus eloquentiæ capta undique conflueret, frequenti Senatu auctor fuit, ut expeditis negotiis primo quoque tempore dimitterent hominem, ne civium animos faſcinaret, & nec opinantibus, morum, conſuetudinumque patriarum mutationem induceret. Verum criminationes iſtas quis non explodat, cum videat, eoſdem homines, eademque tempora & rerum bellicarum laude, & optimarum artium gloria floruiſſe. Sed ex immenſa illa tot virorum illuſtrium turba prodeant Alexander ille magnus orbis domitor, & Julius Cæſar Imperatorum decus, quorum utrumque non ardor ille Martialis ab amore liberalium artium unquam abduxit: ita ut iſte non ſæpius gladium quam Homerum ſuum tractaret, hic tam frequenter calamum quam pilum torqueret; aut ſi requiras potius litteratos viros, qui in claros Imperatores evaſerunt, quam Imperatores qui Muſas amaverunt, præſto ſunt Epaminondas Thebanus, & Xenophon Athenienſis; quorum ille Spartanorum opes primus fregit, hic ad everſionem Monarchiæ Perſarum primus viam ſtravit. Porro ſub eruditis principibus ſecula fuiſſe maxime fœlicia, Nervæ, Trajani, Adriani, Antonini Pii, Lucii Commodi, Marii, Juſtini Philoſophi, Magni Theodoſii, & aliorum Imper. regna perhibent. Iſtud vero armorum, litte-

Digitized by Google

refugerit; certe nihilominus ſub ictu literarum per *omnia* penè regnantium haud raro res eorum ſunt, & in *judiciis* (quæ utique ex præſcripto ſcientiæ regi debent) tremere ſolent, ſuæ audaciæ & ſtirpis obliti. Sed & alia præterea, majorque vis, eruditionem toti generi mortalium præfecit: Religionum ſcilicet & Sacrorum procuratio, quæ excultis inter ſtudia literarum ingeniis creditur, & pleriſque hominum animis vere imperat; cæteros, neceſſaria *ſimulatione* impietatem tegentes, non minus in obſequium ſui *tenet*. Nec tam ulla demiſſa, ſeu paupertatis, ſeu ignobilitatis fortuna eſt, quæ arcere hominem à celebritate famæ poſſit, qui ſupra probitatis aut nequitiæ vulgus ſemet religionis ſpecie atque argumento extulerit. Et ne uſu, aut effectu, hanc literatorum potentiam carere exiſtimes; quam facile inermium hominum, & inter ſolos valentium *libros*, nomina percenſebis, qui hoc ſeculo ſub anguſtis compoſiti tectis, & de religione certantes, hos ipſos *ſcilicet ſuperbos* Muſarum contemptores inter *ſe commiſerunt*; Principibus, populiſque velut ſignum ferentes ad exitiabilis belli cladem, quæ necdum conſumptis acerbitatis ſeminibus (ut videtur) noſtris malis in totum contenta eſt?

Nulla igitur utilior animorum inſpectio, quam eorum qui in hac Orbis tam multiplici tempeſtate ad religionum clavum

rarumque quaſi conjugium clarius adhuc in temporibus quam in perſonis eluceſcit, quanto nimirum ſeculum homine grandius eſt: ipſa quippe eademque tempora apud Ægyptios, Aſſyrios, Perſas, Græcos, Romanoſque, quæ propter bellicam virtutem plurimum celebrantur, etiam re litteraria non mediocriter nobilitata ſunt, ſic & ut auctores graviſſimi, & clariſſimi Duces eodem ſeculo floruerint. Vix exemplum aliquod adduci poſſit Reip. infeliciter adminiſtratæ, ad clavum ſedentibus viris eruditis; unde Plato Divinus tum demum beatas fore Reſp. aſſerebat, ſi aut Philoſophi regerent aut Reges philoſopharentur. Adeo certum eſt magis corrigi animos litterarum cultu quam corrumpi. Quod Licinius peſtem reip. litteras appellabat; ſcilicet iſte Tyrannus nullis egregiis artibus præterquam bellica inſignis, propter ſuam incredibilem inſcitiam, quæ indignum imperio hominem faciebat, humaniori litteraturæ, omnique ſcientiæ infeſtus fuit. Denique, *Nulla*, inquit Livius, *Reſpublica uſquam nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam ſero avaritia, luxuriaque immigrarint, nec ubi tantus paupertati, ac parſimoniæ honos fuerit, quantus cum ea litterarum Reſp. Romæ floruit.*

1 *Qui-*

clavum ſedent. Et hos optime in varias claſſes diſtinxeris. [1] Quidam, veluti duces, novis ſacris initium faciunt, ſive veram ſapientiam habent, ſive ambitioſo errore præcipites. Ita ille qui ab Ægypto Judæos remeantes acceptis à cœlo legibus compoſuit. Ita poſtea Sanctus ille terrarum ac ſiderum Auctor, qui hominibus ſponte annumeratus, noſtro generi ſua morte ad vitam iter ſanxit. Et (quoniam non hic tantum probitatem, ſed & fortunam, qualis in humanis rebus ludit, deſcribimus) proh nefas! ita ille qui Arabas primum & Syros, poſtea quicquid ab India ad Helleſpontum jacet, & nunc inde omnes terras ad citerioris Pannoniæ fines, ſuo ſcelere amplexus, Libyam quoque penè quanto ambitu circumfuſa maria extendit, ſacrilega ſuperſtitione corrupit. Et hos quidem, quos vera & cœleſtia auſpicia ad eam legum ferendarum majeſtatem deducunt, nobis haud licet niſi ad fidem aut adorationem ſuſpicere. Cæteris, qui nomine cœleſtium in re tanta abuti non verentur populiſque imponere, eum animum eſſe neceſſe eſt, qui nec ipſis ſuis legibus, nec omnino de divinis quidquam credat, non virtutibus parcat, non flagitia, niſi ad ſpeciem forte, refugiat; Id quidem potiſſimum curans, ut ſibi venerationem conciliet, legeſque quas condit ad libidinem vel ſuperſtitionem ſuæ gentis inflectat. Neque (ut in aliis ſceleribus interdum fit) qui ſic peccant, decipi ipſi poſſunt, & vel ſuæ ſententiæ, vel rerum amore quæ in quæſtione verſantur, cæcari, ſed ſuæ improbitatis conſcii, ſe impios, & peſtes mortalium non ignorant; maxime cum, ad perſuadendam populo inſolentiam tam ſeriæ novitatis, ſit ſubtilis

1 *Quidam, veluti duces, novis ſacris initium faciunt.*] Tres enumerat Legiſlatores, & Duces ſacrorum, quorum primus fuit Moyſes cornutus, de quo Juſtinus, *Et ipſe leges digito Dei ſcriptas in populum Hebræum promulgavit.* Secundus fuit æterna ſupremi Patris ſapientia Chriſtus Deus, & homo, legis reformator, vatum oraculis præſignatus, qui cum ſe vadem pro ſceleſta gente obtuliſſet Patri, chirographum damnationis noſtræ ſecum affixit cruci. Tertius ſeductor hominum fuit Mahumetes, qui ſuis nugis & fabulis totum pene orbem ſuæ legi mancipavit. Sed de iſto ſacrilego fuſe actum eſt capite nono.

tilis ingenii exerta procacitas: [1] Sed & mentiri multa *oporteat*; Viſum ſcilicet, vel auditum ſibi Numen, communicata cum illo conſilia, & quæ cætera peſtiferi nugatores *laborant* aſtruere. Sed hæc non omnium ſæculorum labes eſt: pauci enim, neque ſemper cum ſucceſſu, ad tanti flagitii audaciam provecti ſunt. [2] Eſt aliud hominum genus, longeque frequentius, profitentium non abire à *patriis* ſacris, neque aliquid novi afferre; ſed tantum errores, *humano* vitio, & præter auctorum mentem, in Religionem *illapſos*, purioribus documentis velle exſcindere. Et his quidem magnifica ſpecies probitatis, ingeniorum reverentia, (nam qui tantam rem niſi induſtrii ſubtileſque audeant?) denique ipſa novandi, & à cæteris diſſentiendi cupiditas, penè ſemper ſequacium hominum turbam invenit. [3] Ejuſmodi interpretum lites Ottomanorum gentem multo *acerbius* diverſitate ſuperſtitionis, quam æmulatione imperii, in Perſas incenderunt. Sed quid intereſt quo *potiſſimum* modo pereant illi populi, qui, quamcunque elegerint *ſuæ* legis ſemitam,

indignò ſane, qui cum prioribus conferatur. Nihil loquor de libro nuper edito de tribus impoſtoribus, digno æternis tenebris.

1 *Sed & mentiri multa oporteat; Viſum ſcilicet, vel auditum ſibi Numen.*] Hac arte eadem Rex Latinus, Romulus, Numa Pompilius, Pharamundus, & alii, de quibus ſuperius, in gratiam populorum irrepſerunt, qua eſt uſus impoſtor iſte, qui Archangeli Gabrielis colloquium ſibi familiare eſſe jactitabat, cujus ſplendori tribuebat illos comitialis morbi repentinos lapſus.

2 *Eſt aliud hominum genus, longeque frequentius, profitentium non abire à patriis ſacris, &c.*] Sic innatus eſt impetus mortalium in novitates, ut videas ſacras etiam leges temporum diuturnitate quaſi ſeneſcentes in novas ſectas abire. Nam & apud Judæos fuere Sadducæi, qui reſurrectionem mortuorum negabant, Eſſeni, Phariſæi, Nazareni; ſed maxime rejecti Samaritani: In Eccleſia pene innumeri, & quod magis mirere.

3 *Ejuſmodi interpretum lites Ottomanorum gentem multo acerbius diverſitate ſuperſtitionis, quam æmulatione imperii, in Perſas incenderunt.*] Quo tempore totus orbis novarum religionum inventis quatiebatur, non ipſa Perſis, non Africa immunis fuit; in Perſide ſolitarius quidam nomine Tekel, nova dogmata diſſeminat, ſicque Iſmaëli ad ſolium viam ſternit: in Africa ſolitarius alter nomine Amethier, ſolitudine ſua egreſſus docet, quantum Hali, & Homar in interpretatione Alcorani aberraſſent, ſe vero germanos inveniſſe ſenſus. Is verborum vehementia Africanos ita permulſit, ut brevi ad ſolium pervenerit: ſed quid intereſt quo potiſſimum modo pereant illi populi, qui quamcunque elegerint ſuæ legis ſemitam, errabunt?

3 Sele-

mitam, errabunt? Nos ipſos in lucem, quæ hominibus una eſt, miſſos, quis non maxime indignetur his eruditorum diſcordiis tam funeſta pernicie poſſe rapi? Quippe [1] ſedecim ſecula, quibus noſtræ Religiones viguerunt, plus centum ingenia peperere, novandi ſtudio, & noſtris deinde malis inſignia; quorum quidem exitus ut nunquam excuſem, (quippe nimiæ pertinaciæ vitio à juſto & qualem exorſi videbantur modeſtia aberrantes) [2] ita primos impetus odiſſe non utique ſemper licet. Nam & opes, & veternus, otiique ſecuritas, ſæpe ſolutam apud noſtrorum aliquot diſciplinam impotenti ſuperbia & aliis pleriſque vitiis obruerunt: & inde tam indignatio peritorum excanduit, quam ſpecie pietatis diſſimulata inquietorum hominum ſuperbia exarſit. Quidam enim juſtis doloribus victi detonuerunt. Alii ſeculi vitia tacito ambitu amavere: quippe occaſionem ſuis queſtibus & ſucceſſioni præbitura. Utriſque idem initium eſſe ſolet. Parce primum neque multa exagitant, votis quoque & exhortatione optimorum provecti: nec tam videntur iraſci quam monere, & gemitibus dolorem profiteri. Sed ubi ad factionis magnitudinem proceſſerunt,

1 *Sedecim ſecula, quibus noſtræ Religiones viguerunt, plus centum ingenia peperere, novandi ſtudio, & noſtris deinde malis inſignia.*] Vix plures Duces ex equo Trojano emerſere. Primo ſeculo incepit Eccleſia juxta divinum Chriſti oraculum, hæreſibus variis perturbari; quarum duces ac principes fuere Simon Magus Simoniacorum pater, deinde Menander, Ebion, Cherinthus, & alii, qui primum ſeculum infeſtarunt. Sequente ſeculo extitere Marcion, & Valentinus. Tertio, Hermogenes, Gnoſtici, Celſus & Montanus, Novatus & Novatianus, Paulus Samoſatenus. Quarto, Arius, Manes, Donatiſtæ. Quinto, Jovinianus, Manichæi, Pelagiani, Eutyches, Dioſcorus, Neſtorius, Semipelagiani. Sexto, Apollinariſtæ & Acephali. Septimo, Monothelitæ. Octavo, Iconoclaſtæ. Nono, Godelcalcus. Decimo nullæ fuere hæreſes etſi ſumma eſſet morum corruptela. Undecimo, Beringarius. Duodecimo, Baſilius, Abailardus, Arnaldus, Gilbertus Porretanus. Decimo tertio, Deſiderius Lombardus. Decimo quarto, Guillelmus Ochamus. Decimo quinto, Wiclefus, Joannes Hus & Taboritæ. Decimo ſexto & ſeptimo, ipſi illi qui Eccleſ. miſerandum in modum adhuc lacerant, quorum ingens eſt numerus.

2 *Ita primos impetus odiſſe non utique ſemper licet.*] Imo Poëta Ovid. teſte,

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Peſtis naſcentis neceſſe eſt aut initia reſcindere, aut graſſantem tolerare. Venenum ubi primum membrum aliquod invaſerit,

Enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

ceſſerunt, tunc & ipſi laceſſere inimicos *impunius*, & *utrinque* partium ſtudia æmulatione accendi. Tunc vero nec tantæ celebritatis fortunam ſatis regunt, nec in veſtigiis hærent, per quæ antea ire ad pulcherrimum *facinus* videbantur. Sed majori ſupercilio aſſurgentes, *plura* in adverſariis & atrocius damnant. Sive quo ſuum nomen *illi* ſectæ quam effinxerint miſerrima ambitione relinquant: ſive quod olim agitatum tantæ defectionis conſilium *niſi ſenſim* prodere non ſunt auſi: vel denique odio in illos incitati, qui prima, & adhuc ſancta illorum conſilia, nimis acri & intempeſtivo certamine exceperunt. Ita multos piis initiis in hanc emendandi provinciam ingreſſos, deinde ſuperbia, vel æmulationis acerbitas prodidit.

Sunt denique quibus vera fortiſque ſapientia mentem dedit ea vitia inſectandi, quæ neſcio quam ipſis religionis umbram faciunt, culpa Myſtarum. Iis *tam caſto impetu* à modeſtia non aberrantibus, ſublimis *fortiſque indoles* eſſe debet, &, quod rarum eſt, *nihil pro ſe, ſed pro publicis* commodis laborare; Contumeliis, *inimicitiis*, maledictis, nec in odia rapi, nec à cœptis abſtinere. Eximium prorſus munus, arduæque virtutis. Raro enim qui ab iis ſic carpuntur deeſſe ſuis vitiis videas, aut æquo animo pati cenſores. Sed flagitiis fucum inveniunt, vel, quod pejus eſt, ea quoque importuno patrocinio tueri non dubitant; conanturque hos ipſos monitores, licet intra juſti officii pietatem compoſitos, apud populum perpetrati ſacrilegii *opinione evertere*.

Cæterum ut naſcentium Religionum ritus, ſuorum Auctorum induſtria & genio nituntur: ita poſtquam à populo probatæ ſunt, Præfectos ſuos habent, per quos rite diſpenſentur: Hos aliæ aliæque gentes diverſis nominibus inſigniunt: nos Pontifices, Præſuleſque & cæteris in eum ſenſum vocabulis appellamus. Servandarum religionum non alius utilior illo regimine modus: qui etiam à cœleſti præſcripto eſt. Ex iis qui eruditæ & laborioſæ virtutis ſunt,

reipſa

Digitized by Google

reipſa Sacrorum incolumitatem ſuſtinent; improbi, ſaltem ſpecie & virtute dignitatis. Munus quondam laboris pleniſſimum, &, dum publicæ leges noſtra ſacra vetabant, etiam in extremum periculi excurrens: mox domita extinctaque inimicorum ſævitia, congeſtæ paſſim opes in tanti officii reverentiam, penè cauſam reverentiæ extinxerunt. Nam additis (& addi quidem decebat) ad illa divina humanis opibus atque officiis, tantum onus vergere in terram cœpit, eorum vitio quibus in hac utrarumque rerum mixtura tellus potior cœlo fuit. Triſte afflictæ probitatis argumentum eſt, quod tanti labores curarumque provinciam, quæ olim miniſtros quærebat, jam multo ambitu ſibi depoſcunt homines nihil minus quam de pietate & laboribus cogitantes. Ita hæc eximia cœleſtiſque dignitas plerumque ſuis ipſa opibus & ornamentis concedit; Et animum ad hæc munera applicare, eſt ut plurimum in ſplendidæ illuſtriſque opulentiæ cupiditatem incumbere. Tum potiti tam ambitioſi nominis, illas gazas in humanitatem hoſpitii, & ſpem egenorum collatas, permittunt privatæ laſciviæ, nunc inani picturarum ſtudio, nunc cumulatis variorum artificum laboribus indigne ludenti. Nam has opes prodigentem per pejora ſcelera nequitiam, modeſti doloris verecundia omittit. Cujus autem dementiæ putes, non modo tantorum facinorum audaciam habere, ſed & ſępe, quantum peccent, ignorare? Habent quippe præſcriptas ad Numen ſibi preces, quas effundant in quotidianæ pietatis officium; ſanctas has quidem, neque illis omittendas; ſed tantillo penſo defuncti, credunt ſe nihil cœlitibus debere, opeſque ſuarum inſularum bono jure ſibi emptas. Larvæ illæ, & vecordium furor! quod munus aſſiduo labore ægre perficias, id credere levi & perfunctoria opera rite abſolvi. Quod ſi ſuas delicias hac ſaluberrima cogitatione diſtinguerent, ſe in ſpecula poſitos, dicique paſtores; ſi quæ ovium ſua ignavia in prædam conceſſerint, in extremam ſui perniciem hoc futurum; fortaſſe interdum devoverent illam ipſam qua exultant ocii laſciviæque licentiam.

Sed

Digitized by Google

Sed non omnes paribus deliciis, & ignavia marcent. Nonnulli de voluptatum ſumptu detrahunt quod in literatos collocent, ipſi quoque literas brevi impetu, tædiumque non ferente, vel in ſpeciem ſaltem colunt. Alii ad eruditionem perveniunt, felici mentis impetu evincente ignaviam. Sed & ipſi in nulla re magis eruditione utuntur, quam aſſerendis illius qua potiuntur dignitatis prærogativis. In infinitam ſui libertatem argumenta inveniunt, facitque diſſimulata cupiditas eloquentes. Eo modo videntur unum cœlum intueri, unius cauſam agere, tunc etiam à terra vix recedunt.

Qui vero hæc mala eluctati, in dignam ſuo faſtigio mentem conſurgunt, & publico ſplendore, ad commodum populi, decuſque Sacrorum, uti amant, (& vero nunquam ejuſmodi deſunt) illi nec ſui ordinis libertatem ſuſtinent violare, nec extorquere alienam: *quantum poſſint*, quantumque debeant, ſolicita *contemplatione* conjungunt. Et hi demum ſunt ad *priſcæ ſanctitatis imaginem* facti, iiſdem curis, vivendique ratione, quæ priſcis temporibus opes meruit quibus hodie perfruuntur. Abſit omnis invidia; hi demum ſunt antiquitatis beneficiis & noſtra veneratione digniſſimi.

Populus Antiſtitum voce, ut eſt eorum exiguus numerus, non ſatis ſemper poteſt de cœleſtibus erudiri. Hinc doctorum hominum ingens turba, & ubique divinarum ſcientiarum candidati, quorum aliqui vere, ac *cum ſapientia*, ei quam profitentur ſcientiæ inſiſtunt. *Cæteros verius* dixeris pro factionibus ſuis quam veritate depugnare; adeo torrentis animi æſtu rapti omnis generis patrocinium probant, quo Religionis ſanctitatem poſſint populo commendare; amantque pietatem etiam impia ratione provehere. Suas igitur ſententias aſſerturi, pulchre, & cum laude decipere credunt, etiamſi evidentibus argumentis illi rei faciant fidem quam duxerint eſſe veram. De adverſariis porro dicturi, vix ſincere illorum ſententiam produnt, ſed deflexam

flexam in odium, & penè de ſenſu auctoris exeuntem. Veſana autem repugnandi cupiditas eo æmulationem deducit, ut, à quibus diſſidere inceperint, in omnibus divertant; & hoc ſolent in pietate numerare. Tum quaſi nihil probe aut aſtruere ii homines poſſint aut carpere, qui ſemel erraverunt, nefas quoque exiſtimant, ejuſmodi adverſariorum judicio proditos in ſe nævos agnoſcere, & ſalubri mutatione eluere. Hæc itaque propugnando, quæ non poſſe defendi ſatis conſtat, iniquiſſimo præjudicio onerant juſtam in cæteris rebus litem.

[1] Magni nexus inter omnis eruditionis partes ſunt; & affe-

1 *Magni nexus inter omnis eruditionis partes ſunt.*] Cum Theoria ſeu contemplatio intellectum, Praxis vero corpus exerceat, quis non videt duplicem hanc Scientiam, Theoreticam, ſcilicet, & Practicam ſimul ad hominem perficiendum coire. Theoreticæ finis eſt veritas, ſeu veritatis nuda contemplatio: hanc in duas potiſſimum ſibi ſubordinatas partes diſtinguimus: Phyſicam, quæ corpus conſiderat, ut naturale, quemadmodum Medicina illud reſpicit ut ſanabile, atque ab illa pendet ut ramus ab arbore, cum principiis ejus innitatur. Hinc fit, ut Medicina dividatur in Phyſiologiam, quæ naturam intuetur; Pathologiam, quæ morbos reſpicit; Prognoſticam, quæ mortem, aut vitam præſagit; Hygitem, quæ ſalubrium uſu morbos coërcet; Therapeuticam, quæ vitæ incolumitatem tuetur; Pharmaceutriam, quæ pharmaca, & amuleta miniſtrat, & Chirurgicam, quæ opus habet urendo, ſecando, feriendo. Tota vero naturalis Philoſophia in octo partes à Philoſopho diſſecatur: altera Mathematica eſt ab Archimede, & Euclide inventa, quæ ſi circa quantitatem continuam, qualis eſt longitudo, verſatur, Geometria cenſebitur: ſi circa quantitatem diſcretam, qualis eſt numerus, Arithmetica reputabitur. Hæc ſubordinatam habet Muſicam, quæ numerum ſibi vindicat, non quidem ſimpliciter ut numerus eſt, ſed ut relatus ad ſonum, vel ut harmonicus: ſi quantitas illa mobilis eſt, erit Aſtrologia. Altera parte Theoretica ipſa eſt Theologia, cujus triplicem adverto partitionem. In naturalem, quæ Deum per naturalia principia, & altiſſimas cauſas perſcrutatur: Supernaturalem, quæ Deum, & ea, quæ fidem ſpectant, ex principiis revelatis agnoſcit. Mediam denique ſeu Scholaſticam, quæ partim ratione, partim revelatione nititur, quibus poteſt adjungi ſcientia Juris Canonici, quæ Eccleſiaſticæ Politicæ præcepta recludit. Ad Practicam venio, & factivam, cujus finis eſt actio interna ad bonum directa, ut Ethica ſeu Moralis; hæc enim mores dirigit: ſi homines quidam in ſolitudine degentes, Monaſtica eſt: ſi in familia, Oeconomica: ſi in regno, vel Rep. Politica, vel eſt Monarchica, vel Ariſtocratica, vel Democratica: ad has refero Juriſprudentiam, quæ juris cuique reddendi præcepta miniſtrat. Factiva, quam Græci *ποιητικὴν* vocant, operis conſummatione finem aſſequitur, vel realis eſt, ad quam opus externum reale pertinet, ut pictura, fabrilis, militaris, aliæ illiberales ac minime ingenuæ artes, quæ non ingenii ſed manuum miniſterio peraguntur; vel ſermocinalis, quæ ſermonem dirigit, ſi mentalem, Dialectica eſt: ſi externum, vel ad congrue dicendum,

eſtque

affectus, qui divinarum rerum peritos exercent, ſæpe cadunt in cæteras Muſarum diſciplinas; maxime illa conſuetudo litterarias lites, ac penè odia, agitandi. Juriſconſultorum quidem rixæ etiam ad inhumanitatem verborum deſcenderunt, noſtro ſibi ſeculo ſcuticam flagellumque minantium. Abiit in ſectas Medicina, magis etiam pervicaces: quod illis non in gloriam tantum fama, ſed & in opes quæratur, & vix unquam ludicrum aut ad ſolam *voluptatem* in ea arte certamen ſit, ægris quodcunque *iſti male ſenſerint* immerita calamitate luentibus. Cæterum *omnium* literatorum genus in duas rite claſſes diſtinxeris. Quarum illa ſit hominum multa quidem eruditione felicium, ſed qui præterea civilibus diſciplinis imbuti, incurioſam ſcholaſticorum morum vilitatem effugerint. Alia vero illorum qui animum unis literis impenderunt, diutius inter extinctæ vetuſtatis rudera quam cum ſuo ſeculo *viventes*, *ut plurimum* foris inepti, & domeſticis ſordibus *viles*. Neque etiam aliam elegantiam aut *noverunt*, *aut curant*, quam illam ſolitariam, qua à Muſis ad contemplationem accepta frui quam uti magis poſſunt. Et hos tamen maxima utilitate colueris, ſi ſcias ab hac cruda informique arena exprimere aurum, & nitere illo ipſo ornamento, quod in iis, velut multo pulvere obrutum, lucem amiſit.

eſtque Grammatica; vel ad ornate, eſt Rhetorica, quæ vel eſt ſoluta, vel ſtricta.

Vides quam magni nexus inter omnis eruditionis partes ſint.

FINIS QUARTÆ PARTIS.

PARS V.

PARS V.

ALITHOPHILI VERITATIS LACRYMÆ.

SIVE

EUPHORM. LUSININI CONTINUATIO.

HENRICO BORBONIO, GALLIARUM PROTOPRINCIPI, Alithophilus perpetuam fœlicitatem.

Commendo tibi Veritatem, quam hominum malitia neſcio qua iniquitate, & ad malum pravitate naturæ, damnavit exilio. Ut poſſis æſtimare, quantum te amet Dea illa Jovis filia quæ tibi tantum ſupplicat: Arrexere fugitivam ad magnas ſpes, dexteræ tuæ fulminantis robur, vigor animi, & ingenii feliciſſimi liber impetus, quæ tria ſolum paria imperio ſuo Galli habent. Senſiſti quibus injuriis emeretur rariſſima mortalibus Veritas, quæ ſuis miſerabilis, non alias magis oblectat cultores ſuos, quam cum per calamitates venit. Si reddideris libertatem quam nondum inter cædes & ſupplicia totam projecit: dabit tibi præter immortalitatem nominis, quam jam tuis factis meruiſti, gloriam reſtitutarum Muſarum, quæ una cum Veritate dudum exulant: effœto nimirum & intermoriente ad ſtudia ævo. Non poſſum amplius indignationem intra me tenere, & dolorem meum continere, quem graviorem illud maxime facit, quod libere queri non liceat. Quod ſi tu quondam Veritatis partes ſequutus, audeas imperare manus ſuas & arma promittentibus, quæ hodie in proceſſu ſunt vitia, poſtmodo velut in ſolitudine & ſitu jacebunt, adoratura virtutes; quæ nunquam magis fulgent, quam cum Veritatem comitantur. Quid enim aliud totos homines includit tumulo, quam mendaciis infamis hiſtoria, quæ laborantem in ſectatione veri poſteritatem ad ludibrium antiquitatis aſtringit, dum mira-

cula

Digitized by Google

cula deſcribit & fabulas etiam priſtinis indignas. Ideoque male vivimus, quoniam ſævi mores, & infenſa tempora, vera dicentes non tolerant. Sed lachryma, ſuſpiria, & querela ſuper ejuſmodi malo hactenus fruſtra! cum jampridem diſciplinarum ſtudioſos (quibus etiam ſuam famam bene nati Principes debent) aſpernentur, & pervicaci contumelia rideant meliores litteraturæ ſectatores, quorum tantum beneficio ipſi vivere diutius poſſunt. Vetus ſane in hoc regno malum! Unde mirum eſt, inter magnatum inſcitiam, artium, linguarum, & eloquentiæ contemptum, poſſe te inveniri qui ſcientias ames. Adeo pauci ſunt qui Muſarum decus, & Apollinis ſequutores poſſint ſuſtinere. Sic in monumenta & libros clariſſimorum virorum alias non parce ſævitum, cum nomina eorum, typographorum loquacitas vulgaſſet, aut audacia ſcribentium, quos bona conſcientia contemptores fecerat comminata necis. Igitur, AUGUSTISSIME PRINCEPS, tuæ iſta partes erunt, errores publicos, ignorantiam, & mendacium deprimere. Veritatem à ſervitute vindicare, fugare dolentis mæſtitiam, tergere lachrymas, levare planctus. Pro quibus officiis famam vocabimus in laudem tui, quæ virtutes tuas differat per totum terrarum orbem. Mutuo iſta fiunt: juvabimus, ſi juveris. VALE.

QUærebam quod miſeriis meis finem faceret. nam & hilarior fortuna vultus jampridem ſuos in perniciem meam condiderat, & vix inveniebatur numen aliud quod Alithophili meminiſſet: adeo etiam Veritatis nomina Dii odere. Cum vox inter ſylvoſas convalles audita, à ſolitis querimoniis, importunis terroribus, & erroribus inexpletis, calamitoſiſſimum hominem ad neſcio quod ſolatium vocavit: ſi conjuncti gemitus, & iniqua miſerorum paritas, Fatorum acerbitatem, & invidiam mortalium, aliquo modo lenire poſſunt. Turris erat conjuncta lapidum ſerie, ad æternitatem durata, ut, etiamſi Jupiter aurum eſſet, illum tamen incorrupta non timeret. Crebri ferreorum radiorum nexus, & quibus cum ſua Venere Mars turbulentior incluſus, nec armis ſuis locum inveniret, nec fugæ. Non illam ſuis brachiis æquoreus Neptunus cinxerat, aberant fluviorum Dii omnes, nymphæque tremulæ loci horrorem fugientes lymphas ſuas alio deduxerant. Dura ſolitudo exeſos telluris anfractus, & tenebricoſas voragines, habitabat ſola, niſi quod ſenex

mulier

Digitized by Google

mulier hac quotidiana querela ſanctam ſimul caniciem & ſolitarium ſilentium rumpebat.

Quod poſſum, furtim lachrymas male invida mater
Nate tibi comitique tua, fero, conſecro, dono.
Te patria pietas, te livida turba potentum,
Te veri ſincerus amor, juſtumque, fideſque,
Perdidit; hanc tua ſors: ambo periiſtis in uno
Crimine, ſi ſceius eſt qua quondam numina fecit
Immanis probitas. Sed non periiſtis & ambo,
Aut libertatem melior ſententia reddet,
Aut ſi fata negant, adeone relanguit ardor
Quo geminam gemino partu dedit Ilia prolem,
Quo fœcundum uterum generoſo ſemine nuper
Conjugis implevit Mars Gallicus, ut ſua damnet
Facta miſer, timeatque ſua ſupereſſe querela,
Qui rediviva ſuis reſtauret Pergama Gallis.
Neſcio quid ſpondet manſurum hac turris imago.
Jam ferit Illyricum remis velocibus aquor,
Tyrrhenoſque ſinus. illum Galathea ſalutans
In tenero vultu vultus miratur avorum.
Ardet, amanſque ſui tum deſerit Acidos ignes.
Ille quid? in dubio eſt! ejus connubia poſcunt
Mille Dea. Vellet cunctas, & in omnibus errat.
Hinc Arethuſa ſuis ſuſpirat blanda ſub undis,
Illinc Stymphalides maleſano vertice currunt,
Et Melas, & Cyane, nymphaque Symatidos amnis.
At parte ex alia turrito vertice Divam
Vaſta parens, lento incedens per littora paſſu,
Volvitur ante pedes, ſupplexque affata ſilentem eſt.
Innuba reſtabam, ſed tanta potentia forma
Virtutiſque fuit. Protagonis imagine capta
Succubui. ſenſit victam, thalamiſque recepit.
Poſt illum, mihi crede, places. ſed tada jugalis
Non patitur ſincera duos. tua catera ſunto.
Elige de multis. Tibi jam ſua brachia tendens
Mitior occurſat diſcuſſo Roma pudore.
Hinc Solyme matura thoris, ac veſtibus atris
Et laceris petit amplexus. Cui proxima fulget
Parthenope, & roſeo ſpirans Biſantia vultu,
Innumeraque urbes, quarum vel mœnia quondam
Borbonidum fregere manus, vel bellica virtus
Cognita disjecit trepidis à civibus hoſtes.

Dum loquitur, mentem fatidicus furor, membra omnia ſui motus deſeruere. Nuſquam poſt verum de Euandri ſucceſſu vaticinium altiore ſomno Carmentam Tyberino in littore Deus oppreſſit. Acceſſis

qua manus brachio committitur, indicem admovi; *defecerat* omnis arteriarum pulſus, ſuccedenſque in ejus locum glacialis ſudor, pertinaci glutino totum corpus irroraverat.

Ecce dum ſudorem extergo, frontem frico, pectus detego, deficienti ſpiritui ventorum ſpiritus præbeo, *ſuperveniens* militaris cohors interrupit humanitatem meam, &, quaſi non *liceret* eſſe pium, in ignoto damnavit officium quod Romulus olim *civica* corona ſine plebiſcito donaſſet. Interim marcentes oculos quæ *jam* jacebat aliquantulum allevans reviviſcere cœpit, ſive illam *tumultus* hoſtilis, ſive frigidioris aëris libertas excitabat. Tum demum *convertens* in me pallidos vultus, nutu ſervitii mei continuitatem *interpellabat*, & voce nondum firma, ut ſciret cui beneficium debebat, de *ſævitiis* præſentium querebatur. At illi maritimis ſaxis ſurdiores, & crudeliores Siculorum tyrannorum ſatellitibus, ne ſupplicantis quidem voto reſponderunt, ſed, infeſtis manibus ori oculiſque impoſitis, vocem ſimul & nutus cohibuere.

Trahitur publica via caducum annis & mœſtitia corpus, exitium virtutis & regni ingens plaga, cum ſub juſto *principe* ſeveritate dominantium ne verba quidem & lacrymæ impune eſſent. Et ne me lateret tantæ ferocitatis cauſa, inventus eſt aliquis paululum à turba ſeductus (dum matronam mœrentem & crines cum *veſte* lacerantem alii advehunt) qui ſtuporem meum *hac oratione diſcuteret*.

Nullum unquam ſeculum *hoc iſto pluribus vitiis reſtagnavit*. Verum, cum cæteræ virtutes pari *fere ſententia exulant; inventa* eſt una Veritas, quæ catenis onerata, *flammis toſta, rotis colliſa*, oleo ebullita, in perniciem ſuam ſubtiliſſima quæque ingenia *invitet* & acuat. Mirum tamen; tam cruenta virtus cultores invenit. Jam plures familiæ ſanctis parentibus deſolatæ, Deam colunt, quam in publico damnant: aut, ſuis tectis excluſæ, in ſylvis delubra extruunt, & aras, *Veritati*. Jam rari nobiles priſcæ libertati, qua maxime Gallia commendatur, non valedixerunt: hujus funus plangore & veris fletibus perſequi, ne potentioribus quidem fœminis licitum eſt. Hæc juſtiſſimi mœroris impedimenta, quæ miraris: ipſaque, ut audiſti, regii ſanguinis femina ſaxeo carcere ſerviliter incluſa, exemplo ſunt, quam periculoſum ſit hoc tempore Veritatem ſectari. Et ne me putes in depravatos ſeculi mores illegitima invectiva excandeſcere, nondum repertus eſt, qui uberiori ſuorum ſanguine Veritati parentaverit. Capiluporum gens, integritatis ſuæ fama, totam Germaniam impleverat: &, quod rarius eſt, bonam mentem comitabantur nobilitas, & ingenium. Avus meus cum corpus ſuum ubique terrarum circumtuliſſet, nihil inertius tot inſolentibus variiſque monachorum ſectis judicavit. Itaque centone è Virgilianis carminibus confecto, monaſtica otia, ſimulatam ſanctimoniam, ingluviem, avaritiam, libidinem, ambitionem, petulantiam, & reliqua religionis prætextu multa ſcelera ſtylo alieno ſolertiſſime confodit. Plebs, quam nulla

catena

Digitized by Google

catena arctius ſuperſtitione conſtringit, non tulit ejus auctores mordaci dente lacerari. Ruit impatiens iræ, caputque veridicum Rheno merſit. Extimuit fluvius, proque ſanguine timidas aquas contrahens, pallentes ſubmiſit fluctus, & Orpheo ſuo pepercit. Hic poſtmodo, relicta patria, cum duobus filiis in Galliam venit: ſed & illa Germanica contagione vexata, nuper Mendacio ſacrificaverat. Non potuit tamen, vir innocuus, inter tot fortunæ minas, & ingruentia undique pericula, libertatis ſuæ non recordari. Igitur, converſus ad antiquæ Satyræ morſum, doctiſſimo & jam ſuo verſu Veritatis hoſtes perſtrinxit. Cujus exemplum filii ſequuti, pertinaciſſimis argumentis Romanæ laſciviæ bellum indicendo, videbantur immortalitate digni, cum idem ventus & navigationis auxilium, & naufragii cauſa fuit. Breves & mutabiles ſunt humanarum rerum vices, & conditionis noſtræ Fatum rector nunquam ſimpliciter indulget. Celebritas nominis, invidiam parit, invidia inimicos, mortem inimici, & nihil eſt tutius ignorantia. Parcite dolori meo victrices umbræ: has lacrymas, deſiderium veſtri; hæc ſuſpiria, poſthumi pietas foras evocat! Abſit, ut gloriæ veſtræ invideam, quæ plus poſteritatis eſt, quam veſtra. Pro Veritate cadendo, feciſtis ut heres laudis, non bonorum, eſſem. Sub oculis meis, avus, pater, avunculus jugulati, minus amicorum officiis, quam inimicorum crudelitati debent: illa, vitæ incommoda mitigaverunt: hæc, mortis ludibria ſimul abſtulit, & immortalitatem largita eſt. Quid faciam? ſi Germaniam repetiero, ut extraneum, abdicabit. Quiſquis enim miſer à ſuis ſolatium exſpectat: neſcit quam levi momento mutentur hominum ingenia: & quam repentino ab animis abſentium memoria deleatur. Si in Galliis diutius moravero, ipſa me meorum funera docent quid timere debeam! nemo bene vivit inter parricidas. At ille optime Fortunam adverſam ſuſtinet, qui calamitates ſuas abſcondit. Nullum ſolum infœlici gratius ſolitudine: in qua, nec parricidæ inveniuntur, nec alius, qui miſerias exprobret.

Hac deliberatione ferox, tantis caſibus adſpirantem reliquit; ſed dum fugit, neſcio quæ vox auxilium implorantis fugam ejus inhibuit. Converſus itaque ad notiſſimum ſonum videt amici corpus vulneribus lacerum, & tam continuis fuſtium ictibus intumeſcens, ut ne Chiron quidem, attonitus ad tot ulcera, homini peſſime affecto auderet ſanitatem polliceri. At ille qui jacebat, undique circumlatis oculis, ubi in Capilupum incidit, quis crederet? tam pertinaci conſtantia in Onoſandrum declamavit, ut facile eſſet conjicere, cum plus de ultione, quam de ſalute propria, cogitare. Potens, & efficax nomen eſt, vindicta: quod quiſquis amat, & vitam ſimul ſpernit, & bona Fortunæ. Male ſine ſtimulis ſatyras ſcribimus; admovenda ſunt Poëtis infœlicibus calcaria, & atrocibus injuriis excitandus furor. Pace tua, Botris, quod nuper Onoſandrum poëma arguit, enervi, & flaccida facundia languebat; nunc, quod offenſus exclamas, mi-

Digitized by Google

randum ſapit, & aliquid majus Hipponactis carmine. Cæterum, quoniam hoc & illud typographorum curioſitas in publicum miſit, hunc libellum aliena ſarcina exonerare volui, ne quis aut extra rem procaciter immiſſa poëmata putet, aut Onoſandri odio invidioſe deductum opus. Jam vulnera declamantis frigeſcente ſanguine recruduerant, jam pallor ſuffuſus totum corpus occupaverat, & qui jam victor adverſus iram Deorum placebat ſibi, intercluſo ſpiritu, in ſua poteſtate vocem non habebat, quo conſtantiam ſuam extolleret. Proh ſuperi! quam facili ratione barbaris etiam precantia *verba* neceſſitas ſuggerit. Ille, ille Capilupus, qui colloquium meum, & *amicitiæ* naſcentis jura contempſerat, ut primum Botrida expiranti *ſimilem* vidit, tam humano ſermone, & miſerabili geſtu, perfricuit indignantem animum, ut ne dubitaverim quidem ſubvenire auxilium meum ſuis & amici miſeriis imploranti.

Dum ſemicadaveri fletu magis, quam fomentis ſuccurrimus, inter plures domos adverto chirurgi tabernam, & è feneſtris dominum ædium ſubterlabenti fluvio purgamenta ejicientem: qui ut ad indiciis vocantis ſignum cucurrit, tam facili medicamento fugientem animum, ſenſuſque morientes revocavit, ut æger confeſtim ſalubritate toto corpore percepta itineri ſuffecerit, quod ad beatas ædes ſalutaris hominis ducebat. Ubi juſſi conſedimus. Tum novus ille Æſculapius ad nos.

Hactenus humanæ fœlicitati *quodcunque illud eſt inimicum* numen quibus ſuppliciis potuit *deſæviit*: *tum demum ferocitati ſuæ* habenas injecit, & minus hoſtiliter peccat, & occidit. *Levis mors* eſt, quam gladius alienus infert; at illa miſerabilis, & deploranda maxime, quæ alium percuſſorem præter moriturum non invenit. Biduum eſt à quo hoſpitem extuli, quem ſua manus repugnantibus fatis abſtulit. Cauſa violentæ necis, Veritatis amor. Et ne vos alioquin ſititores novitatis male texta narratione diutius detineam, hæc epiſtola (è ſinu chartam producebat) quam ad amicum ſcripſit, antequam ſuis vulneribus generoſum efflaret ſpiritum, totam tragœdiam curioſos docebit.

PERCAS EUPHORMIONEM

ULTIMUM SALUTAT.

UTinam & Fibullius conditioni meæ invidiſſet, & ego libertati. Aliquid erat, inter ſerviles notas quas olim fronti tuæ, juſſus, inuſſi, quod feſtinantibus divitiis anteferrem. Irarum miniſtros dominorum favor, dum evehit, ſtrangulat. Ambitio, & luxuria, & libido, ſcenam deſiderant: ſcena, cataſtrophen. Non imus in ſervitutem, ſed cadimus. Tamen inter ſordes & paupertatem ſecuritas habitat. At quidquid in altum caſus elevat, aut alienis dolis conceſſum in dubio manet, aut ſtatim feſtinat ad ruinam. Non pronum

tantum

tantum iter eſt ad interitum, ſed & præceps. Felicioribus etiam lubricum. Neque enim corpora modo, ſed & ingenia, illis debemus quos ſequimur: & nulla eſt deterior ſervitus illa quæ nos crebris muneribus, & iniqua ſecretorum vulgatione obligat. Alienum eſt, quod gerimus. Conſilia noſtra, & res per nos fœliciter geſtas, jubentium potentia ſibi vindicat, injurius eſt, quiſquis agnoſcit quod ſuum eſt, &, ut infidele mancipium, poſcitur ad ſupplicium, rapitur ad pœnam. Quo tandem (inquies) tuæ querelæ? Anemon à Callione injuriam acceperat. Provocatur Callion ad certamen. Dum dubitat provocatus, ire, an recuſare malit: ſolus invenitur Percas, qui, evidenti periculo, Anemonis generoſitati pro Callione objiceretur. Scis, opinor, quam æquis lineamentis utriuſque faciem Natura diſtinxerit. Pari igne oculi fulgent, frons armatur ad ſeveritatem, aduncatur ad audaciam naſus; & reliquæ oris partes, dum in utroque ſimili proportione noſcuntur, non invenirent qui ſine errore à Percante Calliona ſejungeret, ſi capillorum & barbæ color unus amborum vultus confunderet. Hoc nimirum reſtabat ut Callion eſſem; & ſola pilorum caducitas, caneſcentiſque calvitiei ſqualor horridus, ignobilem à nobili ſeparabat. Itaque novo capillamento, quod colore Callionis crines referret, oneratur innocens caput: & barbæ fictitia ſupponitur barba, deducor in arenam, componor cum Anemone, in ſtatu ſto, petor, excedo, perſequor; non animo, non arte vincebam; caſu vici. Anemon quippe verum me Calliona exiſtimans, dum magno impetu ictus ingerit, attrito in lapidem pede, excuſſiſque è manibus armis, in terram ruit. Non inſolenter uſus ſum victoria; contentus hoſtilibus ſpoliis, ſine cæde domum revertor. Timuit Callion, ne vulgata pugna nomen ſuum ad infamiam vulgaret. Summoveor domo, & priſca familiaritate in odium verſa, hoc mihi cum multis commune præmium fuit, ut ſatis eſſet fugitivo ſi viveret. Quam repente rerum facies immutatur? ecce victor ſupplex à victo vitam petit. Ad Anemonem confugio, & illi ut acciderant ſingula fideliter exponens veniam merui, &, quod venia dulcius eſt, amicitiam. Jam non ſervus, ſed comes, & aliquanto etiam Anemone major, ſi ad illius humanitatem mea in ejus domo perpendatur auctoritas. Tum denique inquirentibus quænam ſors me cum Callionis hoſte conjunxiſſet, placuit mutationis meæ cauſas ad hanc hiſtoriam referre, ne quis aut ut malæ frugi ſervum contumeliis laceſſeret, aut Callionem ut Anemonis victorem laudaret. Non diſtulit tumor timiditatis ſuæ teſtem ad Callionis aures inconſulta diligentia perferre. Tum demum vehementiſſime exarſit, & ad fugitivum perſequendum crudeliſſimam lictorum manum miſit, quæ captivum quia comperta & vera narraſſet per tormenta laceratum cruci infringeret, & publicum ſpectaculum ad crudelitatis etiam ſatietatem rotæ impoſitum populo exhiberet. Non hoſtem indignantem, ſed potentiam indignantis verebatur Anemon, qui ſacrum jus hoſpitii ad ultimum ſervaſſet, niſi

 Callio-

Digitized by Google

Callionis domeſticos, & aſſeclarum numerum timuiſſet. Ut ergo & nomen meum morti eriperem, & corpus barbaræ multitudini, derelictus ab omnibus, à meipſo tandem petii auxilium, ut doceam omnia illi patere, cui aditus reſtat ad mortem, modo in extremo libertatis oſculo velit expirare. Hæc iſta qua ad te ſcribo manus, ut epiſtolæ ſimul & vitæ finem faciam, invitat, & armata ferro, atramento deficiente, dum ſanguinem poſcit, ſolum hoc permittit ut inſeram. Vale.

Adhuc extremæ tabulæ à legentis dextra pendebant, cum cubiculum in quo eramus ſenex canus intravit: hunc clypeata publicorum ſatellitum phalanx, cum plebis infirmæ turba miſcellanea, ſequebatur. Tum ille proclamare cœpit, majeſtatis reum hoſpitem noſtrum eſſe, qui tabernam ſuam contra Divorum Marci & Commodi edicta fugitivorum aſylum feciſſet: ſe, legis Faviæ & Senatuſconſulti Modeſtiniani auctoritate, ad Percantem inquirendum miſſum. Nec quæri, an domini pecuniam ſervus interverterit: conſtare è voluntaria fugitivi nece, majus admiſſum crimen. Nimirum, maleficum, proditorem, non tantum Callionis vitæ inſidiatum, ſed & in gloriam famamque integerrimi & generoſiſſimi hominis imprudentiſſima calumnia invectum. Illum, & ſcelera ſimul ſua, & ſupplicia quibus deſtinabatur, tranſtuliſſe in fautorem & celatorem nocentiſſimi mancipii.

Dum rabioſa voce in transfugam, & hoſpitem transfugæ perorat, injectæ chirurgo nequicquam reluctanti catenæ, & in proximos hortos impetu facto, nuper inhumatum Percantis cadaver cum hoſpite quondam ſuo publico plauſtro, quo damnati ad ſupplicium vehuntur, barbara feritate imponitur: interque noſtras, & bonæ viciniæ lacrymas, eodem funere, mortuus & vivus inferuntur. Cui demum (inquam ego) futura eſt ſecura quies, ubi fato functis denegatur? quæ tranquillitas ſapientum animis, ubi locus non invenitur quem tuto incolant? umbræ fœlices ab Elyſiis eruuntur, & inter beatorum ſedes nondum Veritas effugit pœnam? Blandum ſubriſit Botris, & exclamationem meam oratione tam placida ſuſcepit, ut videretur Phœbus inter nubes nitidum coruſcare, aut in tempeſtate tranquillum Neptunus apparere. Et tu etiam (inquit) ex illis es, qui mortalium crimina Deorum exemplis neſciunt in virtutis locum tranſiſſe? hodie non meretur hominis nomen, quiſquis erubeſcit cum Diis peccare. Auctores ſcelerum facimus Deos: & nullum numen ſuperſtitioſe colitur, niſi prius, hominum nefariis cupiditatibus, ſuis vitiis auctoritatem fecerit. Impii parricidæ Saturni exemplo delirant, perjuri amatores Jovem imitantur, Venerem improbæ meretrices, Mercurium oratores ampullati, Apollinem multiloquaces Poëtæ, Æſculapium impoſtores medici: & quicunque in hanc lucem blandiente Fato venit ut aliquid male faceret, nihil unquam ſine ſuffragio Deorum immortalium fecit. Deſine mirari incredulis ſatis

eſſe ad mendacium fidei, ubi fabulæ ad religionem ſimul, & ad præſentis vitæ felicitatem, conferunt. Hic, luctante lingua, oſculum illi adfigit, quem mox occiſurus eſt: ille, dum deum Fidium invocat, amicitiam violat: alter, effuſe mœret adverſam in alio Fortunam, quam ipſe dedit; & ſera indicia ambitioſi affectus, à lacrymis quærit: ſævi judices eodem momento, quo cuncta litiganti promittunt, mendacitatem minantur: advocati nunquam ſine ſpe clientes ſuos decipiunt: illudunt credulis procuratores: imponunt Theologi omnium animis, docentque nulli timendos eſſe Deos, hoc dilemmate: Si Dii ſunt, inquiunt, & ipſi ſalutares, nemo niſi furioſus veretur ſalutaria: Si non ſunt, ſtultum eſt timere quod non eſt. Quid plura? ad eum gradum pervicax ſeculi perverſitas venit, ut humillimi etiam ſpiritus homines in perjurium loquaces ſint, & in alienum damnum facundi. Inter male ſana parentum præcepta creſcimus, pueri auditione fabularum delectamur, ſenes narratione: inter luſus & ſeria inſerimus falſum, & tantis injuriis emitur ambitio, ut ſine homicidiis leves ſint rapinæ, & extorſiones ſine querela, ubi miſeris etiam omnia præter vitam eripiuntur. Avidum in humanum genus, & invicem ſibi obſtat; quicunque rapuit, alienæ aviditati exponitur; nulla felicitas in tuto eſt. Peſſime quippe cum virtute vivimus, & quiſquis in ſolitudine ſibi contigit, languere in otio dicitur, & inerti animo ea de cauſa tranquillitatem quæſiſſe, ut ſe civilibus negotiis eriperet, & imminenti tempeſtati timide ſubduceret. Negant mortales cæteri, philoſophum illum eſſe, qui à terrenis animum dimiſit ad divina: & inter plauſus, quibus mendacium excipitur, luget Veritatem nondum poſtliminio rediiſſe. Dialecticam eam tantum admittunt, quæ luci tenebras ingerit, ut fallat: quæ ratiocinationibus, ut vocant, ſuis obruit rationem, & intentum vaniſſimis ſyllogiſmis auditorem ad decipulam ducit. Laudant Phyſicam è nugis Poëtarum ortam, quæ, dum ſolo Naturæ ſpectaculo reſpirat, non invenit Deum: & à feris, quas ſuus inſtinctus ad omnia movet, didicere violentiam, cædes, furta, & alia ſcelera, quibus maligna mortalitas ubertim reſtagnat. Quid dicam de Metaphyſica? quam ideo recepere, non ut Deum eſſe oſtenderent: ſed ut ſimplicitati delirantis populi obſcuriſſimis nominibus, & nunquam intellectis, inſidias ſtruerent: & ideas, materiam, formam, tranſcendentia, introductiones formarum, eſſentiam, & ſimilia, vitiis ſuis accommodarent. Quæ omnia facilius creduntur, quia non videntur: & fortius inconſultas aures implent, & rapiunt, quoniam humana fragilitas ad dubia & falſa ſua ſponte inclinat.

Accedit ad ea & quartum genus Philoſophiæ, quod Morale appellatur: & cum multi ſint, qui variis præceptis tenera formaverint ingenia, ſolus Theodorus in pretio eſt, qui affirmat, omnia crimina in ſapientem etiam cum laude cadere poſſe: oris & habitus modeſtiam, famamque affectatæ ſanctitatis, non modo ſceleratiſſimos excuſare, ſed & contentioſe, antequam fata poſcant, adſcribere eos cœlo.

Digitized by Google

Improbos mores triſtitia vultus, & religionis obtentu quaſi tenebris obvolutos, per virtutis ſpeciem expirare. Tegenda obſequiis frequentibus odia, ut per ſervitii & familiaritatis jura tutiori fraude quodlibet perficiatur ſcelus, cui & ipſa Fortuna peccatrix fœlicitatem ſolet indulgere.

Hæc ut palam prædicabat, publicum odium in ſe convertit. neque enim magiſtratus tantum cum ſua turba hanc declamationem cum faſtidio audiebat, ſed & quiſquis in eam tabernam confluxerat ſpectator pendentis exitus, aſpernabatur importunum oratorem. Jam murmur, jam clamor, minæ, injuriæ, ictus, & quidquid aut tumultus, aut furor, iratis ſuggerit. Tardum eſt, differre, quod expedit. Inter tot hoſtes Hercules ſine vindicta cecidiſſet, & quicunque alius à ſuis viribus auxilium expectaſſet, aut à mora, hellebori potione ſanandus erat. Igitur fugimus non inviti, ſed ab ingruentibus undique periculis invitati. Per anfractus deinde obſcuriſſimos, & deſerta ſylvarum egreſſi, in eum locum deſcendimus, quem Apollo, ſi viveret, præferret Parnaſſo. Nemus præaltis denſiſque frondibus umbroſum, nivatas fontium lymphas, & nunquam ſitientes arenas, ſua opacitate veluti propugnaculis tegit, excluſuſque dies dolet lumen ſuum ad interdictum veniſſe. Sparſi tamen flores, qua ſubtiliſſimis radiis Sol penetrat, viride gramen prætexunt, & zephyris dulce errantibus odores præbent quibus nutriantur. Præterea, arborum radices muſco circumlitæ ſuas vires adhærente humiditate temperant, & erumpentes certatim truncos lætioribus ornant brachiis. Tota ſylva arguto luſciniarum cantu perſtrepebat; quem ſimul aura levis commotione foliorum, & placide manantium fluviorum loquacitas ſuavi murmure interrumpebat: quibus ceſſantibus, ſub platano, quæ in immenſam altitudinem ſurrexerat, bonus Tamias hac cantilena antiquis delirantium Amorum flammis valedicebat.

Adhæſi quondam dominæ vultibus
Servus Cupidinis.
Solutus vinclis ſatis eſt. Impetus
Invenit exitum.
Beatus quiſquis placido naufragus
Dat vota littori,
Procellas temnit Veneris perfidæ,
Ridetque turbidos
Amoris fluctus. Metus ut ſpes abit:
Nec liber invidet
Amantum veris querulus gaudiis.
Hinc pulcher ingerit
Cupido luſus: valida dextera
Illinc necem ciet.
Faceſſant arcus, pharetra, & ſpicula
Sæva libidinis.

Procax

Procax juventus reperit torridis
Fervoribus modum.

Tam leni concordia ad vocem pulſabat reſonantes citharæ nervos, ut Sirenum contemptor Ulyſſes, arbori navis alligatus, vincula dirupiſſet, etiam cum periculo novum Ariona propius auditurus. Oculi ad ſiniſtræ manus motum adhærentes addebant canenti gratiam, Muſarum & Charitum dulce temperamentum. His, aut ſimilibus modis, à Deidamia gaudium Achilles extorſit. Tum demum languente brachio citharam demiſit in terram, complicatis deinde pedibus, & dextro cubito genui impreſſo, ſic ad Daphnidem (qui ſub ejuſdem arboris umbra ſedebat) cum lacrymis infit: Mille nos caſus quotidie collidunt, ſed generoſus animus concitatus ad honeſta, aut nihil timet, aut ſi ad aliquid expaveſcit, malum illud eſt. Neſcio an adoleſcentiæ meæ vigor, an naturalis impetus, ad libidinem proclivior fuerit. Jam ſero, immo vero jam nunc, ſtultitiæ meæ me pœnitet, & pallido horrore ad omnia blandimentorum nomina contremiſco. Sed quoniam jubes me, Daphni, delirium meum meminiſſe; vel iratis etiam Cupidinibus, & mirum & ſævum ſine mora memorabo.

Ilium ex negotio petebam. Forte Pactoli fluminis in ripa Ilienſes mulieres Junoni ſacrificaturæ exierant muris: omnes ſi non Deæ, credi tamen poterant: & forſan inter tot calentes formoſarum fœminarum ſinus, melius quam in Cypridis gremio nondum ſatis defletus Aſſyriis Adonis latuiſſet. Cunctis eximium pulchritudinis aureæ decus, amantius tamen in una nitebat. Utpote cujus genis nix inhærens purpureo madefacta ſanguine, extingueret roſarum & liliorum nativos colores. Collectam frontis modeſtiam duplici ſemicirculo inſtar creſcentis Lunæ æquabili meditullio ſupercilia nigra cingebant; radiata lumina imminebant naſo, & veluti è vallo in aggeres, inevitabile Amoris telum vel & in innocentem ſpectatorem ſine delectu torquebant. Jam crines ad captivitatem flexi, quot orbibus vibrabantur ad gratiam, totidem laqueis hominum libertati inſidias fecerant: & ipſe purpureus in labiis color, videbatur, humani cruoris continuo potu in tantum ruborem veniſſe. Cervix alba, & ſine gemmarum fulgore ſatis ſuis deliciis ferox. Infra gemini folles, Cupidinem undequaque ſpirantes, incentivo & ad pruritum etiam frigidos invitante motu ſororiantes pulſabant papillulas, & à ſuo ſubſultu lumborum levitatem indicabant amatoribus. Nihil vetabat ad venam cultorum turbæ adſcribi. Etenim ſicut divinitas, ſic forma (cœleſte donum) laudatorem nullum à cultu ſuo ſemovet.

Contremui, ſenſere novas præcordia flammas;
Hæſit & in vultu, qui fuit intus, Amor.
Haud aliter nivea depaſtus amore juvenca
Taurus agit ſpumas, & pede ſaxa ferit.

Nec mora, ſtimulatus ardore, acceſſi, atque ita compellavi. Crede mihi domina, fax recens ad illud incendium parat ſe. Quod ſi negligis,

gis, vel poſt morulam non poterit extingui. Quod ſi *peregrini vota* admittis, ecce tibi duo magna Numina concilio: Amorem ſcilicet & Apollinem. Illum tui oculi è cœlis, ubi æque ac in terris imperat, eripuerunt, ut mihi traderetur, & ego illi viciſſim. Hunc vero tua iſta facies formata ad invidiam Dearum litigantium in Idæo monte è conſortio Muſarum ad laudem ſuam vocavit, ut ſcires, tantum ſpeciei miraculum unius viri cuſtodia tegi non debere: nullum eſſe bonum, quod commune non ſit: & formoſitatem ideo dari à Diis, ut à pluribus ametur, & plures amet.

Quocunque aſpicias, nil toto majus in orbe
Collucet Phœbo: tamen hic communia vulgat
Lumina, & incertis inconſtans ignibus errat.
Aureus huic color eſt, & ſunt argentea Lunæ
Cornua, uterque tamen non æquo lumine flagrat,
Vertentemque ſuis definit curſibus annum.
Lympha fluis, formoſa fluis: ſeu Dædala rupes
Findis, & irato pertundis marmora fluctu:
Seu tu prata rigas, Cereremve inducis in arvis.
At formoſarum tamen eſt communis aquarum
Uſus, & aſtricta nulla ſub lege vagantur.
Sola nocens, ingrata viris, ingrata puellis,
Perque nefas, & triſte decus, male ficta, reliquit
Lex thalamis ſpeciale malum, quo frigidus olim
Tutior in domina conjunx amplexibus eſſet.
Hæc inter morimur, ſævaque Cupidinis ira
In vetitum ruimus. Nam quem non improba carpit
Forma, vigorque animi? ſic Tantalus imminet undæ,
Quæ refuga ora ſenis nullo pro crimine ludit.
Impia quid damnas tam juſtas Iulia flammas?
Quid terres fidei & probitatis imagine vana
Fœmineam mentem? Furor eſt, concedit, & offert.
Quæ quia juſſa negat, cur ſic ſejungis amantes,
Et concedentem ſecludis barbara cunnum?
Quem faſtidito demulcens rore maritus
Ad plenos acuit coitus, optataque furta.
Quid non ceſſantes cuſtodis in arbore fructus,
Dure marite, ferox, & ſævo ſævior Euro?
Ille tuus ſelectus ager, ſulcatus aratris
Pluribus, uber erit, non illum deteret uſus.
Deperit inde nihil; contra fœcundior alto
Imbre tumet, largoque potens in ſemine ſurgit.
Quam miſera eſt natura hominum! mortalis iniquas
Cura dedit leges, & quod tot furta Deorum
Oſtendunt, audire pudet. Sic Iuno Tonantem
Luſit, & accepto decepit adultera flore.

Qui

Qui flos in teneris ſecretus fingitur hortis
Impregnaſſe Deam, & thalamos laſiſſe pudicos,
Mentula erat, duplici turgens plus cornea bulbo:
Lacteus huic caulis, ſed quem pro ſtipite poſſes
Accipere, & firmum duris æquare cupreſſis,
Aut niſi purpureo vertex fulgeret ab oſtro
Totus ebur nitidum, cujus vel lilia poſſent
Intactaque nives tantum cupiiſſe colorem.
Cuncta Clio noſti. tu, quæ Junonis amores
Vidiſti, narrare velis, quo Jupiter igne
Arſerit, an ſtricto trajecerit ilia ferro,
An frendens fulmen dextra librarit ab aure,
Setoſamque ferox injecerit Ægida tergo.
Riſit: & immunda tractando virilia palma.
His quoque furta placent, conjux, ait. utere donis
Quæ natura dedit: non ſum tam tetricus, ut, quos
Senſi ignes, damnem: brevis eſt injuria noſtri
Et ſecreta thori: meus eſt genetricis in alvo
Imperfectus adhuc infans. Tu nate parentem
Aut ſequere, aut penetra Stygias injurius undas.
Dixit, & in medio placidus conſedit Olympo.
Tantorum miſeri cur non exempla Deorum
Mortales ſequimur; cur non communia tecta,
Communeſque thori, ſævum de corde dolorem
Depellunt, demptiſque ſolers clementia ſulcis
Zelotypas mulcet frontes? Hoc itur ad aſtra
Limite: quid Divum donis fœlicibus obſtas
Iulia? & ingratis ſervas tua jura maritis?

Ad hæc illa; Bono animo eſto, inquit: neque enim huc ſine Numine veniſti. en, & Amaryllis Tamiæ mutuo amore mancipata eſt, & jamdudum pari cupidine ad integram voluptatem ſuſpirat. Facito ut probus miles ad excubias hac proxima nocte in conniventi lumine agendas cum armis venias; non ultra differo, quod petis: Veneri ſacrificaturæ minima eſt de Junone cura. Effice tantum ut memineris domicilii mei quod peto, ne cum abierit dies & tu ſine lectulo vigiles, & ego ſine amatore. Proceſſit deinde per ampliſſimam civitatem, pererratiſque pluribus vicis, ingreſſa eſt domum tam multis inſignem ædificiis ut oppidum ſola facere poſſet. Quod ſi ab ædium fronte interiora conjicere licet, in his majus erat aliquid aurea Neronis domo.

Commodum Sol ad Oceanum curſus præcipitabat, & minori lumine inter diem & noctem Veſper nitebat, cum felices tenebræ intenderunt ſe cœlo, & patentes fores in ipſo limine mulierem excepere furtivo ſuſurro, & qui tamen audiri à vicinia poſſet, Tamiam appellantem. Non dubitavi me meamque fortunam ad vocantis arbitrium credere.

credere. Nimirum Amor ex hominum animis timorem expectorat. Illa manu prehenſum ubi per flexuoſos ſinus ampliſſimæ domus pertraxit non repugnantem, eo ſe mecum cubiculo incluſit quod luxus, credo, ſpeciale ſibi domicilium elegerat. Ibi nive candidiores cereæ faces ſua multitudine immiſerant diem, & eas brachia per ditiſſima aulæa exerta tota ex argento ſuſtinebant. Ebore candidiſſimo, teſtudinibus cupreſſinis, & iaſpide, ſumma parietum refulgebant. Lectum circumdederant parapetaſmata phœnicei coloris, aureis limbis ad immane pondus onerata; aureæ quoque fimbriæ ſtragula cingentes totum fere tegebant pavimentum, quod varii marmoris ſolerti conjunctione ad Veris etiam invidiam & reddebat omnis generis flores, & ſervabat. Adeo vitia ad virtutis ſpeciem ornantur, ut, qui quondam in Cincinnatis & Fabriciis Virtus fuit divitiarum contemptus, ille hodie inter luxuriem ſæculi uſque ad nauſeam calcantium regnet.

Tum menſam illa quæ mihi itineris dux fuerat ante focum erexit, impletamque ſelectiſſimis bellariis, & poculis Liberum patrem ſpumantibus, indixit poſtcœnium: interque mutitationes Veneris hortatrices, cui ſerviret, expoſuit.

Jam octavus eſt annus, à quo Amacho ditiſſimo homini, ſed ad faſtidium ſtolido, Amaryllis nupſit. Caveant puellæ quæ fœlicitatem ſuam ad numorum menſuram metiuntur, ne inter devotam amatorum turbam eum conjugem eligant, quem ſplendor auri, non virtus, non ingenium, non inguinis indefeſſi grave pondus etiam ultra deſiderium commendant. Inter aurum & argentum jacet Amaryllis, & in nuptiis vidua, ignorat quem habitura ſit heredem. Tamen, caſtiſſima mulier, tanto ardore ad quæſitionem liberorum fertur, ut nihil ſinat intentatum, quo prægnans uterus expectatiſſimo partu aliquando ſucceſſorem reſolvat. Abſit, ut de tua forma tantum præſumere velis, ut credas te ab Amore ad tantæ fœminæ amplexum vocari! quoties ardere ſe dicit, toties fumum dat, non fidem: ſcilicet ex ambitione audientis, non ex cupidine ſua jurat; neque enim habet pulcherrima mulier quod diligat; nec magis formoſa quam pudica, ſine crimine oſcula dat, & accipit; interque varios concubitus non invenit adulterium, quod non coitus, ſed ad libidinem æſtuantis mulieris voluntas facit. Pridie dum ante aras ſtaret, & mellita oratione ſollicitaret in auxilium ſuum ſalutarem Venerem, viſum eſt Deæ ſimulacrum annuere voto precantis. Crepuere injectæ foco laurus, & ſplendidiſſimo nitore colluxit templum, ſubridenſque amico numine Venus, nunquam minus dubia voce hoc oraculum expreſſit.

Qua largus diti reſtagnat Pactolus unda,
Et qua luce Dea Junoni ſacra parantur,
In Tamiam ſævi flammas jaculabor Amoris:
Cor grave vulnus alet: ſubitus rubor ora notabit,

Præbe-

Præbebitque ſuos ad verba precantia vultus.
Suſtine; quodque petet, facilis concede precanti:
Non ante exerto ſua cornua Luna reducet
Vertice, quam tumido tua viſcera pondere creſcent.
Mater eris, gravidaque tibi Lucina favebit.

Ne mirere igitur, amatorem te tam cito receptum, quem Dea (ſub cujus tutela totus orbis agitur, & quæ jura pariter cœlis & terris dat) juſſit in pudicos thalamos admitti propagandi generis humani cauſa. Cura Numinum ſi non maxima, tamen aliqua ſumus, &, quodcunque ſine illorum arbitrio fit, inutile putatur. Amachus infauſtis ominibus quo die Amaryllida duxit, frigido congreſſu interfecit cum virginitate fœcunditatem. Succeſſere in illius locum quatuor fratres, & Amachum dum à ſterilibus thoris arcent, conturbatis ſeminibus illuſerunt ſorori. Iſtorum impotentia totam familiam in ſolatium vocavit; ſed inter tot futurorum millia nondum inventus eſt, qui deſideratæ ſobolis imprægnatione repararet labentis domus ruinam.

Ea adhuc loquente, in cubiculum in quo eramus præcipiti paſſu venit Amaryllis: excuſſæ fores ſtridenti cardine converterunt ad ſonum ſuum oculos narrantis facundia penè obſeratos in ſomnum. Collucentes faces ad ejus conſpectum viſæ ſunt majoribus flammis ardere. Nimirum ipſos etiam ignes geminus ille ocellus mortalis nymphæ urebat. Quæ poſtquam moras ſuas importunitate mariti, & familiæ vigilia excuſavit, Amatores, inquit, & tenebras quærunt & ſecretum. Statim reducti poſtes, & janua, admotis repagulis ad ſecuritatem, laxata. Omne deinde nocuum lumen extinctum, & rorans balſama lectulus ad gaudium ſemiapertus. Crediderim illum poëtas olim ſpeluncam feciſſe, in qua Dido tantum Æneam ſuſtinuerit. Delectata illa ancillæ ſedulitate multum riſit, & brachiis huic collo injectis, & ad oſculum ſeſe ore ultro offerente, Torus, inquit, iſte latebras ſuas debet hujus vernæ officiis: at tu, dum quas ſenſurus es flammas imperant abſcondere, illis ſilentium. Hoc dicto ſæviit arctius in amplexum, & hiantibus labellis tremulam linguam in os ſtupentis condidit, interque gannitus pertraxit in torum amatorem jam cadentem.

Scis, Daphnis, quæ bella tanta libido laſciviente lumbo ſuſcitet; qua amantum voluptate ſuccubæ mulieres crebris ſubſultibus & lubrico ſpinæ motu amori indulgent; quæ petulantia ad reciprocos morſus ſoleat in ipſo profluvio ſeminum jacentes efferare; quæ ſalacitas varietate congreſſuum Spintriarum inventa ſuperet, aut Elephantidis libros? Crede hæc omnia in thalamum noſtrum veniſſe, & tandem longo & repetito certamine fatigatos, in altum ſomnum deſcendiſſe: poſtera die, refectas cibis vires, ad hujuſcemodi colluctationes converſas; & duraſſe ad confinia menſis voluptatem ſolidam, donec in fœtum obſtipato Amaryllidis utero Veneris oraculo fidem fecerim.

Digitized by Google

fecerim. Ipſa tandem conſuetudine ſatur petii miſſionem, cum illa & languori jam meo irata, & puto ad novitatem erecta, quod petebam etiam ultra expectationem facili nutu conceſſit; addita hac monitione.

Si, inquit, tam proſpere Dii tecum egerint, ut poſſis inter virtutes tuas taciturnitatem numerare, inveniſti, quæ fidelitatem ſilentii tui inſperatis honoribus aliquando remunerabit. Si vero tua iſta lingua importuno motu ſecretum revelaverit, ſcias te certiſſima nece ejus temeritatem luiturum. Longæ ſunt manus & implacabiles mulieri læſæ, utpote quæ nunquam torpent, niſi poſt excidium provocantis. Excitatur deſuetudine furor: cumque alii mentis impetus, & violenti affectus animi, tempore, longaque abſentia, veluti tectus enſis, rubiginem contrahant, ſenſimque minuantur; ira, cui loquacitas male ſani amantis cauſam fecit, non invenit in fœmina modum. Et, ne me putes ad minas inanes & fictum ſupplicium deſcendere, advocetur hic Hippocomus, ut traductus lanienæ, doceat Tamiam quid timere debeat. Pervicax eſt in famam meam Fortuna, & in ipſa domo dudum invenit qui pudicitiæ meæ noceret. Nimirum quem è ſtabulis, & ab Hippona, ad domeſtica ſervitia contuli, quem in hunc recepi torum ut per luxum & illecebras conditionis ſuæ obliviſceretur, gratiam meam tradidit, & nefario ſermone tot mea in ſe beneficia ingratiſſimæ loquacitatis ſcelere polluit. *Adeo etiam in ſerviles* animos virilis ſexus conſuetudo deſcendit; *qui, ubi ad ſatietatem li*bidinem explevit, ludibrio habet amatam, & ſuperbo faſtu negligit Cupidines nuper pernoctationibus, lacrymis, ſuſpiriis, & exitiali penè inedia quæſitos. Lentius in Africa qui ros ad medelam corporum inter Auroræ roſas è cœlo ſalutaris cadit, ad primos naſcentis Solis radios expirat.

Sub iſto fine ſermonis perductus eſt Hippocomus, homo laſcivæ frontis, oculis petulantibus, nigro crine, barba primula, & nondum ad mentum delicato & tenello vellere deſcendens. Solum pectus, quod ad inflatorum utrium ſpeciem protuberabat, deformaverat formoſiſſimum corpus. Quod Doris miniſtra ubi ad infelicem trabem arcte colligavit, egit retro cubitum veſtes, & alte ſuccincta ſuppoſuit patientis pedibus argenteum labrum. Nec mora; quem tenebat gladium tam alto vulnere in Hippocomi pectus condidit, ut ſanguis erumpens uno impetu penè totum labrum impleret. mox inter cruorem evulſo corde aperuit os nil reclamantis, & extracta viſcera carnifice manu præbuit ut manderet; addita etiam hac imprecatione, Pari nece damnatum ſpiritum ejiciat, quiſquis impudicam quam fecit inſolens diffamat probris, & in bonam amatæ famam dedignatur mentiri. At ego, ut eram ſemimortuus, eamdem crudelitatem frigido horrore expectabam: eratque ſummum trepidantis votum, mors mitior; quam in pretium præcipitis obſequii ſerio advocabam: ſciebam quippe raro ſubſiſtere laſſam feritatem, pantheræ in modum,

quæ

quæ plus, quam exigit fames, devorat: Cum ſæva Amaryllis,& ſævior Doris Amaryllide, monitum meminiſſe Hippocomi ſupplicii, expulerunt domo.

Tandem reſumo animos, & domicilium Circes & Sirenum inſulis crudelius pernici fuga relinquo; quæſitoque diverſorio & invento, per totum triduum incluſus quæ videram identidem replicabam. O Dii! rem perditam; matronarum noctes morte eminus, aut exilio omni nece pejore. Inter delicias eo ſenſu venit homicidium, ut ad illud publicus miniſter palleſceret? Quid me crudeles fœminæ jam Stygiæ paludi innatantem momentariæ luci reſtituiſtis, ut ſævius poſtmodo peream? Hæc veſtra benignitas inofficioſa eſt, quæ, dum parcit, differt ſupplicium. Permittite me in quietem, & ſine mora expectanti orco paratam victimam reddite. Quo enim pertinet Hippocomi pœnæ novitas, niſi ut moneat, impudicam, dum formam proſtituit, ad omnia ſcelera ſine lege ferri? At enim ille in tormentis non modo vocem,ſed & gemitus habuit in poteſtate? Præcipiti curſu profluens è viſceribus ſanguis, inter ſaniem tabumque elapſus, veternum olebat? Audaci ancillæ dextera cor extractum, minus humano erat, & pectora cum acuto ſtridore rupta, fidem etiam iſtis oculis negant? Omnia hodie in mendacium effinguntur: mutuatam perſonam ne quidem ante Deos exuimus, &, niſi quod humanæ fragilitati divinitas accommodatur, jampridem vacua fulminibus manu inter nubes innocuus Jupiter ſpéctaret crimina, non puniret.

Hæc ut ſæpius repetebam, exſonuit oſtium, mira res! præbuerat aures querelæ Hippocomus cujus funeri condolebam,jam non cruentus, nec gibboſo pectore: cæterum timidiore vultu quam nuper evulſionem cordis viderat: qui ut deprecanti ſimilis ſeſe ad genua mea incurvavit, Parce, inquit, in tantam fœminam invehi, cujus iras & ipſa cœleſtia corpora ſentiunt. Minus eſt, quidquid de Medea dicitur: etiam in cogitationes hominum furtive irrepit, & abſens audit abſentes. Quod ante peractum alieno ſanguine, & ſine vulnere in oſtentationem venit. Quippe pellis ovis innocuæ, cum viſceribus, cruore, & corde ſuo, firmo adhærens ad hoc pectus glutino, & cultrum Doridos excepit, & diſſimulatum Amaryllidis furorem in exemplum luit. Dii melius quam ut fictum ſupplicium vera cæde caput tuum reſpiciat: neſcio quid in ſalutem tuam hoc amico ore Deus agit, admonetque veloci fuga certiſſimam necem vitare. Neque ſum tam effera barbarie ut patiar eum, quem fata eodem amoris fructu ſatiarunt, indigniſſima morte perire. Quis ſcit, an ille Amor, qui nos in eundem thalamum compulit, ad eundem tumulum aliquando feret?

Gratias egi inexpectatæ hominis humanitati, & verbis ad communem urbanitatem expreſſis, ubi vitam monitioni ſuæ debere me longa confeſſione monſtravit, juravi illam redditurum quandocunque voluiſſet: &, data invicem acceptaque fide, in hanc ſolitudinem veni.

Ad

Digitized by Google

Ad iſtum modum ſuam Fortunam memorabat Tamias: ecce dama famelicorum luporum rabiem fugiens, viſa eſt à nobis auxilium deprecari. A curſu anhelabant pectora, & os ſupplex extremam laſſitudinem deſpumabat, quod lacrymæ ab oculis cadentes ſine miſſione humectabant. Dum ſurgimus, pedum attritu quæ jacebant folia fragorem fecere, qualem Zephyrus arboribus obſtrepens in ſylvis amat. Ut vero in eam in qua eramus partem contemplationem Daphnis injecit, quaſi monſtro perterritus diriguit: laxata poſtmodo voce, tam validum intonuit, ut crederes ad imperium Jovis fulminantis totam Mundi compaginem divelli. Quæ tandem (inquit) cauſa in has terras deſcendit Alithophilus? quæ illum numina reddidere quondam miſero, nunc demum beato Daphnidi? longam moram fecit properanti amicitia quiſquis Deus tam amica lumina iſtis oculis tamdiu negavit.

Non erat dilectus ſodalis tantum ſibi, ſed exilii ſui tædium ſpargit in amantis corda, & maximam partem miſeriarum quas ſuſtinet transfert in abſentem. Teneo te Alithophile, & nunc oſculis tuis ad ſatietatem fruor. Venit ſimul in amplexus tam arcte hærentes ut ſpiritus libertati tormentum facerent. Excepit alios liberali ſalutatione Tamias, & ſinuato corpore ubi utriuſque veſtigia inutili urbanitate penè vultu preſſit, invitavit ad proximos lares.

Jamque illis præcedentibus, è collo meo Daphnis brachia dimoverat, languidumque corpus eo liberaverat onere, quod nec Atlas ferret, nec Hercules humeris ſuis imponi pateretur.

Dum præeuntes ſequimur, advertimus caſam, quam in *Philemone* Jupiter damnaret, & Romulus *inter paupertatem naſcentis regni* faſtidiret: tamen Daphnidis,& Tamiæ domicilium. Rami pingui argilla obducti muros faciebant: ad eandem æqualitatem diſpoſiti junci paluſtres tectum fecerant, imbribus repentinis decurſum, & quotannis renaſcentis ſubſidium hiemis. Janua pluribus palliis ſimul junctis ſtabat, ventorum ludibrium, & quam ſuum limen nondum ſenſerat. Intus vero variæ picturæ, ea manu natæ, quam Apelles quondam ſuæ prætuliſſet. Supra tabulas pittacium erat cum hoc titulo:

LABORES ACIGNII.

In prima ille dolorum artifex ſuam veſtem indutus, ſuperſtitioſo paſſu religioſam majeſtatem tentabat. Sol nunquam magis lucidus vultus hominis quaſi perſona tegebat. Micabant in omnem partem contorti radii, oculoſque ingentis turbæ ſuo fulgore perſtringebant. Hic, elatis in ſublime manibus, aſcititiam gravitatem mirabatur: ille, pronus in ora: alius, genuum flexu: quidam, votis: erant etiam qui donis & humili cultu quaſi Deo ſupplicarent: Præcipue ſordidæ conditionis viri, effœti ſenes, ſimplices puellæ, puerique ferulis objurgari ſoliti: Adulteræ quoque matronæ, lenones impuri, ſpintriæ famoſi, & quiſquis alius aut aquis ablui crimina putat, aut tralatitia confeſſione tolli. Infra iſti verſus legebantur:

Quid

Quid ſolis radiante Veritatem
Flamma fingis? iniquus es. Deam illam
Jampridem gemina Deus catena
In cælis retinet, negatque terris.

In ſecunda tabula ſubigebat Acignius clune agili & criſſantibus lumbis nequicquàm reluctantem Deam. Reliquerat flammeum pudicos oculos, & aridam terram diruptum ſparſerat. Circa geminæ lances inæquali pondere arenam urgebant, & omnia quondam Juſtitiæ ornamenta velut in fornice jacebant. Mirum! Protagon eo vultu quo quondam ſerenitatem nubibus dabat, & tranquillum pelago, ſpectabat inter malignum robur & leges iniquas, virginis ejus infamiam, cujus ope nuper avitum regnum receperat, & vim male imperatam cum proceribus & ſenatu ridebat. in iſta breve carmen erat;

Olim Poëtæ Themida jurant virginem;
Sed mentiuntur, paſſa jamdudum eſt nefas.

Tertia notiſſimorum hominum etiam ultra naturam reddebat imagines. Dolæus, Robertus, Durantius, & Martillierius, hiantibus labiis putabantur declamare. Scribebant Carmina Douzæ, Scaligeri, & Lermæi. Ad ſolutæ orationis licentiam calamos torquebant Caſaubonus, Paſcalius, Barclaius, Grotius, & Hogerbeetzius. Pyramidem cadentem ſuſtinebat valida manu Servinus. Torquebat fulmen in ſubjectas aquas Atlæus, & per Styga jurabat nunquam ſe permiſſurum quidquam de Senatus ampliſſimi fama diminui. Agebant alii alia. Interim vertebatur in fontem pyramis, & expatiatum flumen in maris ſpeciem ſpargebatur. Solus Acignius, obtentu virgæ quam dextra tenebat, imperabat æſtuanti undæ, quæ videbatur mandatum ejus audire, & iratis fluctibus indicere reliquis exitiale bellum. Unde fons incipiebat, hæ literæ erant, AQUA VIVA. A latere vero ejuſmodi epigramma:

Hic vere eſt Moſes dum ſaxis exprimit undam,
Et frangit ſæva Gallica jura manu.
Sancta patrum decreta jacent, Deus auctor in illis
Læditur: offenſo quis dabit arma Deo?
Vos eſtis fortes animæ: Vulcania tela
A veſtra tantum ſunt fabricata manu.
Excutite infeſtis hoſtilia ſpicula dextris;
Victima non fuerit gratior ulla Deo.

Aperiebatur in pratum quarta, quod penicilli luxuria diverſis floribus impleverat. Hic ſerenæ tempeſtates disjectis nubibus reſeraverant diem, qui ab excuſſa terra candidiſſimum lilium accipiebat. Erumpenti flori imminebat Acignius, & jam duobus attritis, iraſcebatur in obitorum locum pullulanti. Hoc erat in iſta ſcriptum:

Gallia ſuſpiras tacito colliſa duello,
Et neglecta tuis faſcibus orba jaces.
Sume animum, renova feſſas ſub pondere vires,

Digitized by Google

Et tua veſano lilia deme pede.
Jam periere duo; de tot modo floribus unus
Reſtat; & hoſtili ſub pede colla refert.
Vive precor, Clodovæ, tuis maturior annis,
Et repara nutu ſæcula noſtra tuo.
Si peris, ecce perit tecum tua Gallia: ſaltem,
Si tibi nolueris vivere, vive tuis.

In quinta, ingenioſus pictor efferaverat raræ magnitudinis leopardum, qui penè extincto igni capaciſſima urna injiciebat aquas. Inter hæc volvebatur mons in Ætnæ formam, & per Oceanum ſua mole tutus urgebat obſtantes undas. Infra, reciprocante fluctu excuſſa alga vicinum littus candidiſſimo humore texerat. Supra, denſo fumo & velut in nubem coagulato atramentum obſcuriſſimum tegebat lucem, niſi quod ceſſabat nox à dextro latere, & dubiam diem admittendo præbebat oculis hanc lecturam: SUPEREST ADHUC SCINTILLA QUÆ ARDEAT. Quam ſequebantur iſti verſus:

Quod cupit eſt: facies velox mutatur in omnes.
Qui modo fons fuerat, tam cito flamma furit.
Flamma furit, violenta furit, facibuſque cruentis
Indicit bellum Rex Iacobe tibi.
Detegitur crimen, fluctuque immergitur ignis,
Et tamen ultrices ridet iniquus aquas.
Scilicet ille doli fabricator & improbus hoſtis,
Diis terræ pariter jura dat, atque maris.
Quoque refert fumo nubes mortalibus ægris,
Urit, ut indicio eſt proxima flamma latens.

Poſt hanc picturam, ſerico fune ducebat Acignius victum leonem; cui alter, jubis inhorrentibus ſervitium fugiens, terga dabat. Pars adhuc catenæ dirupta ſequebatur collum, perque os fulminantis attrita videbatur ad annulorum excuſſus ſpectantium aures vocare. Adeo ad omnem ſenſum ducitur pictura, &, præter oculos, invenit auditum cui placeat. Non deerat huic tabulæ ſuum epigramma:

Belga quid expectas? tenet heu, tenet ecce leonem.
Ni fugis, iſtius protinus alter erit.
De geminis ſaltem ſervato leonibus unum.
Optima vindictæ proxima quæque dies.
Diffuſe rictus creſcent, creſcetis & artus;
Quique ſuos hoſtes terreat, unguis erit.
Ille erit, ille tuæ ſalus & tutela ſenectæ:
A forti non ſic Hercule tuta fores.

Septimam plures Italiæ civitates impleverant. Venetia placido natatu Oenotrium mare findebat, quatienſque ſanguineum flagellum, jactabat ſe de Acignio ſumpſiſſe pœnas, eumque exilio mulctaſſe. At ille vulneribus ſuis gaudens inter pulcherrimas nymphas beatus conviva diſcumbebat. Lances onerabant muri, caſtella, propugnacula: fontes

ſontes vero, flumina, & mare ingentibus poculis ſervabantur: hæc, ad ſitim; illa, ad famem inſatiabilis hominis levandam. Quæ omnia depilabat avidiſſime, perque tot fercula potuſque graſſabatur innocue. Pro bellariis, mitræ, redimiculata peda, & galeri coccino tincti. Pro miniſtris, præſto erant Fortuna, & Abundantia, quæ dudum curioſe providerant ne quid deficeret. Circum ſedebant, Ferraria, Mediolana, Florentia, Luca, Ancona, Parma, Placentia, Genua, Verona, Bononia, Sena & Parthenope, duodecim celeberrimæ nymphæ, quæ virgineo pudore permittebant ſua munera depaſci, nihil ſibi præter pauciſſima palatia reſervantes, & quæ è verticibus ſuis in præceps poſita minabantur ruinam.

Supra caput Acignii, hoc erat: PLUSQUAM SPERO. Infra, iſtud:

Non eſt forma ſatis. Sors blandior omnia donat,
Sis licet ingrato corpore, gratus eris.
Una negat, riſit volucer cum matre Cupido,
Proque illa, dixit, jam tibi mille cadent.
Nil metuas, molles venient tua præda puellæ,
Injicientque tuis baſia longa genis.
Mœniaque, & turres, & quodcunque hoſpita portat
Terra, dabunt. dic mî, num placet exilium?

In proxima ſuper ſtemmatibus Hiſpaniæ exonerabat ventrem, cum hoc diſticho:

Monſtrat quam late diffuſa potentia regnet,
Stemmata dum occiduæ concacat Heſperiæ.

Sequens pennis labentibus aquilam humile volantem, laqueoque pedibus inſerto, monſtrabat. Demiſerat caput Acignius, genibuſque flexis dum repugnantem prædam ſine miſſione trahit, permittebat exire ab ore ſuo tria verba, NON SUM DIGNUS. Hinc iſti verſus:

Excute divulſas bellis Germania plumas,
Et filum validis frangito verberibus.
Si perſtas miſera vires attundere pugna,
Exuvias de te qui ferat hoſtis adeſt.
Qui cum ſe dignum præda negat eſſe, ſeverus
Attrahit immiti lubrica lora manu.
Sic meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Se, capiendo, negat, quod capit, accipere.

Accedebat iſtius lateri tabula altera, in qua ille idem rotundo pileo, & qui pilis nigricantibus aſſurgebat in tumorem, grave caput incluſerat. Collum, linteum amiculum in ſeſe pluribus nodis complicatum, & in formam radiantis Apollinis effigiatum, cinxerat. Pallium, tunica, enſis, Cracovitarum veſtitus & arma. Dextera vero torquebat haſtam, qua circumjacenti telluri & Neptuno videbatur inferre bellum. Dabat ſe curioſorum oculis hoc epigramma:

Sarmaticis victor ſpoliis exultat, & inde
Moſcovios, Turcas, Hercinioſque petit.

Menti avidæ facile eſt montes contemnere, ſylvas
Tollere, & irato mittere vincla mari.
Illius omne ſolum eſt, illi nimbique, geluque,
Flamina, tempeſtas, flumina, flamma, patent.

In penultima ceſſabat ingens illa regnorum aviditas; premebat reſolutis pedibus acervatim jacentia ſceptra, coronas, paludamenta: innixuſque fortiſſimæ arboris trunco tergeminam coronam abeminenti cacumine crebris ſuccuſſibus petebat. Vacillabant potenti motu excitati rami, &, incurvatis brachiis, dubitabant an fructus ſuos permitterent æſtuantis deſiderio.

Regna jacent, ſteriles prædæ: contempta colorem
Ponit ab inſano purpura preſſa pede.
Sola per hoſtiles petitur tua Petre tiara
Succeſſus. minimum eſt: ſi cadit, ipſe cades.

Claudebat extremum parietem ultima pictura, quæ Acignii validis humeris ſphæram totius orbis imponebat. mille veſtes oneraverant hominem, & Sol nunquam magis fervidus flammatos radios in ambulantem vibrabat: inter hæc ſine ſudore, ſine anhelitu, ſine labore, contemnebat onus ſuum, & Solis flagrantis invidiam cachinnatim ridebat. Aderant & iſti verſus:

Invalidus reſtans Atlas ſub pondere cœli,
Sudat, & Alcidem poſcit in auxilium.
Aſt ego, quem Phœbus, quem millia plurima veſtis,
Terra, Poluſque premunt, omnia vinco, ferens.
Ambitio humanas cum lancinat improba mentes,
Omne onus, omne nefas, dum fruitur, patitur.

Dividebat in æquales partes labores duodecim tabula lignea, medio infixa parieti, quæ encauſto literata hanc inſcriptionem reddebat:

ACIGNIO.

Neque viro, neque mulieri, neque hermaphrodito, neque ſeni, neque juveni, neque puero, ſed omnis ætatis Deo, neque mortali, neque immortali: qui neque cœlo, neque terra, neque mari, neque inferis, ſed ubique regnat, ſine diademate, ſine ſceptro, ſine bilance, ſine lege: Theompolitanus Daphnis, neque hoſtis, neque neceſſarius, neque flens, neque ridens, hoc neque marmor, neque monimentum, neque trophæum, ſciens & neſciens cur hoc fecerit, ę. non P.

Dum ſingula perfunctorie delibo, ecce caput humano majus, ſine humeris, ſine pectore, querulo ſtridore ſubjacentem huic inſcriptioni aram percurrit. Tremulo motu ſubſiliebant labra, denteſque inter ſe colliſi minabantur morſum. In fronte hoc erat malleolo & celte inciſum: OS VERITATIS. Circa collum vero iſtud: TANTUM HOC MENDACIA PUNIT. Et ne quid ſine linea vacuum eſſet, ſuperiorem aræ marginem hoc diſtichon implebat:

Curarum Verum pater eſt, materque doloris.
Qui caret hoc, malus eſt; qui tenet, hic metuit.

Inſe-

Inferiorem pone baſim, ſequens:

Seu ſequeris Verum, ſeu damnas, peſſime vivis;
Odia Divorum contrahis, aut hominum.

Ad ſingula velut ad miracula ſtupebam, & jam venerat in mentem inquirere quid ultima vellent, cum me meus Daphnis, hilari intuens vultu, excitatum benigna manu invitavit ad paratas dapes, poſtera die ſatisfacturum ſe curioſitati meæ promittens.

Jam diei ſenium indixerat Veſper, & geniales tenebræ irrepentes ſubdebant voluptatem. Jam lautiores epulæ, gannitus, muſſitationes, ſomnus, nox cadens, horæ matutinæ, & quidquid à Tithoni toro Auroram vocat. Tum demum juvit repetere Veritatis oraculum, & à Daphnide rei rariſſimæ narrationem extorquere. Nec iſtud, inquit, potens Dea ſinat, ut ſine illius nutu detegam myſteria Eleuſinis taciturniora; annue ſacratiſſimum Os orationi puriſſimæ, & in Alithophili favorem redde te expectantibus propitium numen. Bene eſt; contortis molliter oculis approbat religioſum propoſitum, inque deſiderium noſtrum deſcendit; & puto veniret in familiare colloquium, ſi ultra reges inveniret quem dignaretur alloqui. Unum illud, quod nobis vel invidentibus fatis reſtat, exequamur: digitoque indice hoc ſacroſancto ori inſerto illæſi probemus vera omnia eſſe quæ ſumus dicturi. Si fallo, ſæviant ut ſolent juſtiſſimi dentes in exitiales morſus, & temere mendacem meritiſſima pœna puniant. Ac primo de Protagone quod bene memini referam, poſtmodo vobis, qui hic ſedetis audituri, mirantibus pandam calamitates quæ vitam meam continuo nubilo turbarunt. Sed antequam cauſas juſtiſſimi doloris accerſam, quid ſollicitanti fatum ſuum Protagoni nondum adhuc barbato quondam reſponſum fuerit, edocebo.

Ante hanc aram pronus in ora jacebat longi temporis abſtinentia purus, cum placuit tibi, ô veridicum caput, obſequium generoſiſſimi regis, & in illius potentiam per frequentia verba juraſti. Orbem terrarum Borboniacæ genti jampridem fatum debet, ſed Fortuna Virtutum inimica nondum ſe illi tota permiſit. Ivit quondam in avorum tuorum ſinus per partes velociſſima Dea, & nunquam ex integro cucurrit: tandem contumaci rebellione laſſata, te in regnum Galliæ, & filios tuos ad Imperium totius Mundi vocat. Io tunc exilia, io cædes, io luctus, & quicquid inquietum Numen, ut tot heroibus obſiſteret, contrarium invenit: Poſt turbidum mare placidi fluctus excipiunt navigantes, bellis pacem neceſſitas alligat, & melioribus auſpiciis finitur victoria quam inchoatur.

Sed ante valida bella tractabis manu.
Pavebit amplas Coltraſus turmas videns,
Primuſque cinget hoc tuum lauro caput.
Virtus jacebit principis Ioiſii
Toto ſepulta flumine, hinc ferox Iber
Periturus amnes diſcat & fontes tibi

Præbere fluctus, & tuas partes ſequi.
Jam video, ſcuta commovet, profert, quatit,
Et bella ſumit infidelis Allobrox:
Fervent minaci milite Alpium juga
Fato jubente; poſtmodo victus cades
Cruore multo purpurans patrias nives:
Tuuſque cedet Gallico Chiron Herculi;
Quem fulminantem vidit irata manu
Arquenſis acies, quemque Lotharenus feri
Obſcura ſenſit regna complentem Ditis.
Timuere cuncti, quoſque ſupremus cadens
Apollo luſtrat, quoſque radiante face
Ad ſolita naſcens opera de thalamo vocat;
Dubiumque an idem preſſerit Deos timor.
Poſt tot labores, parta Pax regnum premens,
Gallica quietis reteget arva meſſibus:
Venient vocata Numina, Cupido puer,
Zephyruſque Veris nuntius, Charites, Venus,
Et Juno forti conjuges jungens jugo,
Cynthiaque & Hymen, cumque Partumna potens
Vacuna, & omnes præſides partus Dii.
Jam vota properant; Hernicis exit vadis
Maria Medices, Francicum littus ſonat
Frequente plauſu: gaudium lacrymas habet
Quas fecit amor, haud aliter excuſſus cadit
Ros ante radios Solis inſtanti die.
Nimium moramur, uterus optata tumet
Jam prole, totis lateribus rimas agens:
Aurata creſcunt lilia: hæc pater pius
Miratur, & fœcunda mater ſex Deum.
Quos inter annis major infanti manu
Pertractat arma patris, & gladio minax
Amoris ore Martis abdit impetum.
Sapiunt Deorum filii ante annos quoque,
Cuniſque ab ipſis inferunt caput polo.
Illo decenni, Parca properanti tuos
Secabit annos dextera; bino cades
Confoſſus ictu: cauſa tum cadis latens
Alto ſtupore territum Mundum premet,
Hoſtiſque fama victus haud credet neci.
Di nempe terris Numen humanum invident.
Hinc te à beatis Jupiter cernens locis
Populo quiete jura præbentem tuo,
Sui repoſcet æquus in partem imperi:
Cœlum nequivit. præbuit parem Iovi
Gallica patentis terra populatrix poli.

Non

Non paſſus eſt Botris Daphnida Protagonis victorias diutius memorare, ſed poſtquam negavit tantis præconiis ſatyram convenire, juſſit narratorem ſui promiſſi memorem ad ſecundum experimentum deſcendere, & liberiori ſtylo Acigniorum crimina confodere. Fecit quod jubebatur Daphnis, ſed ante in profunditatem marmoris patentis immiſit digitum, permittenſque vultum ſuum ruborem (indicem pudoris, qui formam ejus egregie decebat) palam facere, ſuſtulit è terra modeſtos oculos, & moderatiſſimo geſtu, inſigni facundia, ſuam hiſtoriam ingreſſus eſt.

Raram facit mixturam cum fœlicitate forma: adeo male nati ſumus, ut, ſi quid in occaſionem ſuperbiæ Natura dedit, Divorum invidia, aut injuriis hominum ſoleat excæcari. Non ſum quidem tam temerarius æſtimator mei, ut de me, ultra quod eſt, præſumam. Hæc iſta facies nondum decore ſuo Venerem movit ad amorem, nec Gratias accivit ad cultum ſui. Et tamen, proh pudor! placuit ultra quam debuit, & quod maxime mirum, etiam me invito Cupidinis improbi imperium exercuit, & in adorationem ſui mortalium ſceleſtiſſimum vocavit.

Studiorum cauſa Theompolim veneram, in qua pater meus plurimos magiſtratus cum laude geſſit; enimvero, quod æquis judicibus ſolet, pauper mortuus eſt. Poteram tunc temporis ejus ætatis eſſe, qua fabulantur Poëtæ raptum Ganymeda, & qua plerique hodie mancipatione corporis præcipuos honores, & maximas opes lucrantur. Forte, ut mos eſt Acigniis, qui inanibus ſpectaculis illudunt populo, juventutem ad theatralem majeſtatem induerant. Argumentum fabulæ erat, NATIVITAS CUPIDINUM. Cui turbæ multiplex cauſa me dedit: nam præter natalium ſplendorem & integritatem patris, quæ mirum in modum civitati placebat, ætatis quoque delicatæ flos primævus, & jam ab illa die Sors maligna, inter eos pueros locum fecere, quos vere Venerem peperiſſe non pœnituiſſet. Itaque corymbio caput adornatur; cujus aurei capilli calido ferro vibrati in undas, imaginem præbebant inquieti maris; volſellis in ſemicirculum æqualem ad confinia malarum finguntur & producuntur ſupercilia; ceruſſa delinitur facies; purpuriſſo in roſæ matutinæ colorem genæ labellaque premuntur; lacteas cervices cæſaries vario unguento fragrans, & liquore pretioſo madida pererrabat: aureæ pinnulæ, pharetra ex auro, & ſagittæ aureis pennis ad impetum efficta, circa humeros ſonabant, mutua laſcivia tremulum reſultantes, oneraverat ſiniſtram arcus corneus, dexteram fax igne coruſco ſplendida. Quis inter tot arma ſævientium Cupidinum ſine ictu ab ipſo ſpectaculo & ſcena remeaſſet domum? Quidquid in contrarium nuditatis amatores ingerant, juvant nos ornamenta, & ipſe habitus cultior multum addit ad formam.

Inde mali labes, noſtraque injuria gentis.

Hoc telum fuit quod Nometum Acigniorum præfectum fixit,

 huic

huic ille cultus animam abſtulit, crines emptitii ſervitutem fecere, vultuſque fucis blandior dedit audaciam jam per ſe ſatis impudenti ſuas flammas ad oſtentationem traducere. Non habet verecundiam qui inverecundum Cupidinem ſuſcepit hoſpitio; non enim putat ſe peccare, quoniam ſui incendii habet auctorem Deum. Paſſim itaque regnant amatores, & ſine timore Orphei ſacra colunt. Quod ſi atrocitate legum, & vigiliis judicum, vindicaretur ſcelus, otioſi juvenes aut ſupplicii metu abſtraherentur à culpa, aut aliis exemplo eſſent quam funeſtum foret ultra fœminas peccare, quas in ſodalitium noſtrum Natura dedit ne periret.

Ac primo ingredientem theatrum, Platonico dogmate *invitavit* me, actiones verbaque omnia ad corporis elegantiam *metiri; pulchritudini* favere Gratias, & moroſiora quælibet Numina currere in auxilium formoſorum. Deinde, ut intellexit me totum penſum peregiſſe, extra ſcenam non reluctantem in ſecretum traxit, tabellaſque ſerico filo obſeratas condidit in puerilem ſinum, mentitus in his natum ſub manum carmen in laudem meam ſcriptum; cæterum amoris nefandi indicia continebant.

Nondum inſidias ſenſeram. itaque inter nolle & *velle*, qui mos eſt virginum, ſubducebam importunam manum, cum ipſa colluctatio accendit pereuntis deſiderium: dicunt enim *ab ipſa rixa Amorem* vires ſumere. Utitur occaſione ſolitudinis *Nometus*. & poſtquam oculis libidine marcidis ſuper faciem *meam diu hæſit, forti* amplexu corpus meum miſit in obſequium *ſui. addidit petulantia* verba, intempeſtivum murmur, crebra *oſcula*, petulantes geſtus, & quidquid impatientiam Veneris notat. Jamque pauliſper inguinum laciniam removerat, officium corporis extorſurus, cum ego ad tantum nefas exhorrens exclamo in auxilium, nuſquam infamiam paſſurus.

Commodum inter altercandum ſodalium aures verberavere voces querulæ: fit concurſus, relaxantur clauſtra, & januæ repagula ad primum impetum dirupta admiſere venientes: ſed inter inquiſitionem clamoris evaſit futurus ille corporis prædator. Quid facerem? domum peto, patris genua complector; & per Naturæ jura, per ubertim cadentes lacrymas, per familiæ decus, & innocentiam deprecantis, de vindicta ſollicitudini meæ ſolatium poſco. Statim rumor percrebuit, veniſſe exitioſum Acigniis diem, eumque orbi univerſo lætum & ſalutarem. Sævit vulgus; & ad novum ſpectaculum converſis omnium animis, ædes undique vacuantur, complentur roſtra: patenſque Curia populi frequentia laborat. Jamque ſublimi ſuggeſtu multo magiſtratu reſidente, produxit me in mediam orcheſtram pater, & illo ore, quo ſæpenumero plebis furorem compeſcuerat, ita declamavit in Acignios.

Scitote P.C. hodierna mala quæ me infeliciter premunt imminere capitibus veſtris, & familias veſtras pari contumelia reſpicere. Clauſum eſt Acigniorum malignitate non mihi tantum, ſed & urbi univerſæ

verſæ ad antiquam libertatem ſuum iter. Quare magis congruit, ſingulos vos & univerſos pro ſalute veſtra ſerio providere, ne ſceleratiſſimi homines tot damnatæ libidinis ſtupra commiſerint impune. Perierunt omnia, ubi, quidquid potentia ſuadet, indulgentia permittit. Unum hoc communes miſerias ſolatur, quod diu non perdurat imperium quod multorum damno exercetur. Faveat quantum voluerit Fortuna, rumpet plurimorum metus odioſam felicitatem; & quod à ſingulis fieri non potuit, teretur per turbam. Vivunt etiam nunc alieni raptores honoris; & ſaginati, beneficiis quæ nos ipſi largiter injecimus, uxoribus liberiſque noſtris inhiant. Miſcetur in unum utriuſque ſexus cupido; & jam, poſthabito fœminarum pudore, nova luxuria litant averſæ Veneri; & formoſiuſculorum adoleſcentum pudicitiæ attentantes, multos Pigiciacis ſacris initiant. Taceo Ralladevii, Rillarvii, Naimurdi, & aliorum notiſſimas ſcortationes; ultra calamitatem publicam pungit me domeſticum malum. Hic filius, qui, propter me, fletu madens, adſtat, in ſe unum ſenſus meos trahit, & animum, alioquin boni publici ſuperſtitioſum amatorem, ſanguinis proximitate prævertitur. Expectatis ut palam faciam inique tentatum ſcelus? deſint ſenectuti meæ verba quibus nefas coarguam: ab hac epiſtola (porrexit epiſtolam quam ad me pro carmine ſcripſerat Nometus) laſcive obſignata cauſæ meæ ſumite argumentum: ſatis illa pro me loquetur, dum Nometum nefarii ſceleris reum à ſua manu damnabit.

Cum iſto fine ſermonis, reſolvit vincula, amatorias tabellas non ſine luxu ſub ſecretum tenentia, &, altiori quam antea voce, quod ſequitur legit.

NOMETUS DAPHNIDI S.

Uſtrina tua major eſt flammis Cupidinis. enimvero te diſſimilem Veneris filio fecerunt Fata. inter vos nihil convenit, niſi quod æque formoſi ſine delectu ſpectantium pectoribus paſſim & ubique atrox movetis incendium. Sed ille ſævus Deus aliis ignem ſuſcitat, tu tibi. Numquam Amori contigit amari: te vero amant quos amare torques: nec fugit ille, quem figis, ſed delectatur vulnere ſuo, & ab ictu tuo gaudet perire. Morior, ſi, quod ſentio, ſcio: adeo fel tuum, mel eſt: & illi flammeí oculi tui, ex occulto dulce lædunt. Hoc unum te tamen efflictim deprecor, ne mortalis hominis illius obſequium faſtidias, qui pro te paratus aſſari, omnem alium cultum ponit in faſtidio. Vale.

Interim ſævire vulgus, & injuriæ atrocitate in ſeditionem ferri: ebullit murmur, & inconcinnæ voces vario fremitu roſtra feriunt. Cum ille qui ſenatui præerat, poſtquam mutuis ſuſurris à circumſtante magiſtratu ſuffragia excepit, juſſo ſilentio, prætextu noctis adventantis in craſtinum diem cauſam diſtulit. Ah, quam ſecurus eſt, quiſ-

quis nocere poteſt! iſtæ induciæ Acigniorum potentiæ ſuffragantur? illis impunitum manet ſcelus, & liberum iter reo ad fugam relinquitur? Uſus eſt judicum benignitate Nometus, & per tenebras elapſus eripuit ſe pœnæ. Quærite nunc qua parte terrarum Juſtitia regnet! cum in illa urbe, in qua major Divorum turba ſibi domicilium ſelegit, judices in facinus non modo conſentiant, ſed & in auxilium facinoroſorum impias ſententias & ſenatuſconſulta ſceleratiſſima pronuncient! Quicunque ab hominibus juſtitiam expectat, neſcit à quo tempore Themis aſcenderit cœlum. Nimirum, *humana fragilitas*, ut inclinat in vitium, ita in gratiam vitioſorum inique clementiam induit, & nunquam ſeverius inſanit, quam cum dicendum *eſt in probitatem*.

Hæc res bonos omnes movit, qui, etiamſi ſe non norint, exercent tamen amicitiam conciliante virtute. Solus pater inter manifeſta ſcelera ſeculi immotus reſtat, & illo animo quo fœlicitatem ſolebat accipere, eodem infamiam familiæ ſuæ ſuſtinet,& à cauſa ſua ad patientiam reſpicit. Neque defuerunt Poëtæ qui in iſtos judices ſcriberent. Cæterum è tot carminibus unica ſatyra venit in hanc manum, quam aſſidue mecum porto, quamque hæc argentea pyxis, huic collo ſuſpenſa, & à furto vindicat, & ab injuria temporis tenuiſſimam *papyrum* ſurripit: in qua ſint licet plures verſus, *non dubito tamen quin* omnes placeant. Jam pyxidem veluti ciſtam *ſecretorum Palladis* capacem Daphnis revelaverat, jam *explicaverat chartam*, *jam ſatyræ* lectionem inceperat, cum Tamias: *Et quæſo te Daphnis abſiſte* conviciis quibus inſanum carmen *judices noſtros* lacerat, quos commune Eleutheriæ malum mille criminibus damnavit ab eo die quo magiſtratus & clavus latior ad licitationem venerunt. Cum & habeam quæ de Nometo tuo referam, & pati nequeam contumelias quas inſolens poëta in parentes meos invenit, dum in omnes Theompolitanos ſenatores malo temperamento vitia digerit & miniſtrat, ne fervidus ſtylus aliquem videatur omiſiſſe non confoſſum.

Nuper cum in illa urbe forem in qua Rhodanus noviſſimos Araris fluctus præcipitatis aquis frangens ſubtrahit nomen nobiliſſimo amni, & à bibliopola quærerem librum, quo Garaſſus umbram Paſchaſii miſere premens, in clariſſimi viri monimenta jaculatur fulmen, quod ſtatim deficit auctoris invalentia, & argumenti fœditate; intravit mecum bibliothecam ſcholaſticus, qui Petronii Arbytri ſatyricon peteret. Miratus inquiſitionem nobilis pueri, petii ab illo quibus præceptoribus inſtrueretur tam teneris annis & tantæ formæ? Ad hæc ille, Dubia, inquit, & languida Philoſophia invenit tandem validam ſoliditatem, & in hodiernos homines tam altum penetravit, ut jam antiquam animorum noctem clariſſimis facibus reſolverint. Summum mirandæ ſcientiæ, reciprocus maſculorum amor! quo quondam Orpheus muliebres blanditias, & imperfectam libidinem abdicavit. Hujus doctrinæ memorant auctorem Jovem, qui Junone

con-

Digitized by Google

contempta in plumatam aquilam mutatus durum oris cornu intrivit Ganymedis ori, & petulante lingua oſculum fixit melius ave. Apollo deinde contemptam Philoſophiam coëgit recaleſcere ex integro, & reſumere impetum fractum omiſſumque, dum ſpretis Daphnidis ignibus in Hyacinthi vultibus exarſit. Invidere Dii Philoſopho, & amicum necavere. Inde deſerta habitanti, triſtes diræque noctes in memoria amiſſi pueri vigilatæ, & mala vita æternitatis munere pejor. Taceo Heroas illos, Herculem, Agamemnona, Achillem, Alexandrum, & alios, quibus iſta ſcientia plus ipſis imperiis placuit. Quid putas Socratem feciſſe? quid Platonem? quibus Philoſophi immortalitatem ſuam debent, dum rigidam hactenus ſcientiam certis legibus vinxere, & raram in amicitiis fidem conſolidavere mortalitati, animoſque agreſtes certis formaverunt præceptis ad bene beateque vivendum. Quantus de prioris ſinu Alcibiades ſurrexit, robore, virtute, ingenio? Qualis à poſterioris amplexu Phædrus ille, cujus nomine libros ſuos nobilitavit. Et ut cæteros omittam Philoſophos qui mentes hominum ad perverſa degenerantes ad virtutem reduxere, unus Arbiter inſtar mihi omnium; ne me putes inepte quæſiſſe quem diligo. Hic pro Ariſtotele in Acigniorum ſcholis hodie legitur, interpretatur, laudatur; non temere & ubique (neque enim omnes ad hoc genus exercitationis accedunt) ſed inter privatos parietes ſelecti ad audiendum adoleſcentes, quos facile ingenium & formoſum corpus ad omnes humanitatis leges detorquent. Et ſi me nondum noſti, Philoſophus ſum. Plerumque enim ſolers gymnaſiarcha pueris adhuc naſcentibus induit Philoſophiam, & adoleſcentes juvenibus mixtos eadem vivendi regula componit. Nomen gymnaſiarchæ ubique locorum celebratur; adeo eum luxuria ſua manifeſtum fecit. Nometum appellant. Homo ille quidem rigidi vultus, & corporis obeſi: ceterum inter Acignios amore puerorum, & profeſſione venerabilis doctrinæ notiſſimus. Hinc Philoſophorum ordinem triplicem ſtatuit, audientium, profitentium, docentium: quorum tria exempla in uno Petronio putat imitanda. Pueros & adoleſcentes, quos in auditorum numerum reponit, ad Gytonis mores inſtruit. In eo laudans officioſam pueritiam, cum ſe ſervilibus inquinaret obſequiis ut fratri ſuo placeret. Patientiam, qui viderat ſine murmure Quartillæ Circeſque concubitus. Audaciam, qua cum virgine luſerat. Generoſitatem, preceſque, & lachrymas, quibus Aſcylti, Eucolpii, & Eumolpi fregerat iram, diſcordiam ſedaverat. Blanditias, quibus cum offenſis redibat in gratiam. Formam, qua excæcaverat nautas. Mollitiem, & nequitias, & quidquid ephebos ad patiendum geſtientes commendat amatoribus. Juvenes & agere & pati doctos, Aſcylton & Eucolpion, imitari jubet, & profiteri virtutes quas olim in cinædis & exoletis antiquitas rudis vitia putabat. Et primum in his fortitudinem extollit, qua diſpoſitis ad præſtandum gradibus currebant ad mortem, niſi interveniſſet Gyton. Mox conſtantiam, qua mutationem & injurias

jurias fratris ſuſtinuerunt. Sagacitatem præterea, qua *tunicolam* recuperavere, ſimulque vitaverunt judicem, *& leges* quas graſſatores nocturni timebant. Humilitatem tandem Eucolpii, qua defectus ſuos apud Circem excuſavit. Seniores vero, quos *magiſterium* decorat, ad Eumolpi vitam reformat: Simulationem in eo commendans, qua, ubi de uſu formoſorum mentio incidiſſet, excandeſcebat ſevera triſtitia, neque violari aures ſuas ſinebat impudico ſermone. Subtilitatem, qua Pergamenſi puero gaudium extorſit. Sapientiam, qua populi contumelias & miſſos in ſe lapides contempſit. Robur, quo in inſula M. Mannicii concurſus iratæ familiæ, & hoſpitum armatorum impetus retudit candelabro. Solertiam, qua ſerviles notas *ingenuis* vultibus inſcripſit. Eloquentiam, qua Licæ & Triphænæ furorem compeſcuit. Facilitatem, qua mendacia & inveniebat, & promebat. Prudentiam, qua & conjugii damnationem laudabat, & pœnas uxoratorum. Solertiam, qua perſonam principis viri ſuſtinebat, & divitis, & ſapientis: donec cumulatus ingentibus divitiis illuderet Crotonienſibus.

Sic apud Orpheoteleſtas omnes virtutes invenit, quibus melior Philoſophia conſtat; legeſque in Petronio, & præcepta, & exempla ſalutaris ſcientiæ.

Inde Celtarum, Cretenſium, & Chalcidenſium *philoſophorum* legitima in fœminas odia magnis encomiis noſter *Nometus* celebrat. Melius quidem feciſſe Thracas qui *ulciſcentes Orphei* necem ſtigmata mulierum frontibus inuſſerunt. *Spartanos, Romanoſque*, maſculam Venerem coluiſſe. Ludos bene celebratos apud Megarenſes in Dioclis puerorum amatoris honorem. Multa per ſacram Thebanorum cohortem feliciſſime geſta. Athenienſes libertatem ſuam Harmodio & Ariſtogitoni debere: Agrigentinos Charitoni, & Melanippo; quos idcirco fortunatos Delius dixit, quod cultores & duces fuiſſent divinæ & optabilis amicitiæ. Solos Tyrannos vetuiſſe puerorum amorem, quia virtutes odiſſent. Meruiſſe ſtatuas & ſua templa Cratynum, Argynnum, Antinoum. Hinc cum Zenone Citienſi concludit, Amorem ejuſmodi Deum eſſe, liberalitatis, amicitiæ, concordiæ largitorem & procuratorem: auxiliatorem in his quæ ad Rerumpublicarum & Imperiorum ſalutem pertinent; Fortem, eloquentem, & prudentem. Unde & illi ſtatua una cum Pallade, Mercurio, & Hercule in Academia & gymnaſiis. Eundem vitiorum hoſtem, virtutum hoſpitem, formoſiſſimum, omnipotentem: ſine quo nec Mundus eſſet, neque ſtaret. Inventorem legum, morum præceptorem, & diſciplinarum; per quem & vitæ tranquillitas quæritur, & mortis timor adimitur. Fœminas, imperfectum animal, ſecludi ab iſtis bonis, quæ eo citius petentibus occurrunt, arctiuſque adhærent, quo perfectior eſt quiſquis ad tantam Philoſophiam enititur pervenire. Viros indignos nomine ſuo, ubi muliebribus blanditiis permittunt ſe, & inquinantur amplexibus; cum ad eum finem nati

ſint,

ſint, ut ad meliora ſemper ſuſpirent, gaudeant æqualibus, inferiores contemnant. Neque ſolum pulchritudinem corporis expetendam, ſed & animorum, quos ſapientia plurimis dotibus feliciter aſperſit. In hac formarum mixtura habitare ſummum mortalitatis bonum, quod vel amans ingerit amato, vel amatus amatori, vel in reciproca ſpirituum communicatione nutritque & accendit corporum contrectatio: juxta illud antiquorum dictum, Inter amicos omnia communia. Cum hæc ingenti volubilitate verborum ſcholaſticus effudiſſet; Et ut video, inquam, multum etiam impubes profeciſti, qui tam alte, tam perſpicue novæ Philoſophiæ partes enumeras. & declamatorio ſtylo nihil omittis eorum quæ hactenus inauditum ſapientiæ ſtudium commendant. Minime, inquit ille; utinam maturius ingenium meum ad tantam diſciplinam miſiſſem, quæ eo blandius nos delectat, quo pauciores tot virtutum oblectamento delectantur. Totum quidem tam puer, tam formoſus & quidquid volueris addere, abſolvi ſatyricon, hoc eſt Philoſophiam: ſed adhuc me decipit carmen, & Heliconis aſperitas terret, qua ſcientia noſtra ſuſtinetur: neque enim unquam melius ducitur Amor quam Apollinis manu ad loca pura & innocentia, quæ Dii habitant, & mortales in quorum pectora noſtrum ſapientiæ ſtudium influxit. Vix dixeris quam facile Poëtæ ingenii ſui viribus ad magnas ſpes pervenerint: & niſi Eumolpus tentaſſet verſum, nunquam illum Eucolpius audiviſſet, adoraſſet Triphæna, aut Crotonienſes ceu miraculum ſapientiæ ſpectaſſent, & tot ephebi, attoniti ad auſteritatem rigidi vultus, ſua corpora ſummiſiſſent imperanti. Jam vero quæ in publico ſpecies, quæ veneratio? coire populum & circumfundi, & accipere affectum quemcunque juſſerit: ſive ille Tragicus iterum capiat Trojam, aut civile bellum heroicus canat, ſeu ludat Lyrico, aut mordeat epigrammate. Unde non mirum ſi Muſas & Gratias comitari Cupidinem Heſiodus ſcribat, & Pauſias redimitum lauro & cithariſantem pingat. Si enim ab Amoris oculis detraxeris velum, putabitur eſſe Apollo; aut iſte Amor, ſi illud flammeis luminibus applicaveris. Quid enim aliud magis amantes facit, quam Poëſis? aut Poëtas, quam Amor? Orpheus, Sappho, Ovidius, Catullus, & alii, quod vivunt, quod leguntur, quod laudantur, Amori debent, ſicut iſte quod celebratur Poëtis: adeo provide & prudenter æqualem æquali, impuberem impuberi, Deum Deo neceſſitas conjunxit, ut mutuis egentes auxiliis, nunquam niſi mutua & in reciproca concordià perdurent. Hoc jamdudum Nometus ſciebat, qui, poſtquam totam Philoſophiam expedivit, ſtatim ſcholaſticos ſuos ad licentiam carminum detruſit, implevitque auditorum pectora pulcherrimo Muſarum furore. Nam, præter Eumolpi verſus ſua ingenuitate fluentes, etiam Petronii fragmenta notis inſtruxit, deſcenditque ad Catalecta: hærentique & attonito ſimilis hodie à nobis petiit ſenſum diſtichi; quem ſi dederis, adorabo te: nam & illud totam ſcholam in incerto detinet; & ille, qui invenerit, ſolidum amplexum

acci-

Digitized by Google

accipiet à magiſtro. Cum me Oedipum jactaſſem, ſumpto libro invitavit ad lectionem, tam abſtruſi ut putabat carminis. Hoc erat:

Dum loquor, una mihi peccatur littera; nam T,
P, dico ſemper, blæſaque lingua mihi eſt.

Paravi, inquam, multo dilucidius epigramma, à quo hujus diſtichi lucem facilius eripias quam Prometheus olim ignem de cœlo.

Suſceptus nuper ſuperis Acignius oris,
In Ganymedæis vultibus omnis erat.
Altum ſtertebant conſumptis Numina menſis,
Et poſitis circum ſecubuere toris.
Non eſt paſſus Amor prima mala tædia noctis,
In teneris pueri clunibus inguen agit.
Ut ſenſit non eſſe Jovem puer, excutit illum;
Fit ſonus, illatis ignibus acta patent.
Hunc pædicantem Lethæas miſit ad undas
Jupiter, ut Stygium rumpat amore Deum.

Contraxit Scholaſticus frontem, &, O, clamat, mendacium mendaciſſimum! nunquam enim Acignius pervenit in cœlum: ſed cum in Capitolio per Pontifices inter alia Gephyriorum numina nuncuparetur, recuſavit divinitatem; & ante oculos ſpectantium, cum via ſacra (qua quondam Claudius Imperator viſus eſt ire ad Deos) traheretur in altum, ipſe ſua ſponte delapſus ab aëre, humanas voluptates prætulit immortalitatis bonis. Remunerabo te niſi faſtidis totidem verſibus, ne aut tu ingrato poſſis beneficium exprobrare, aut ego non probare quæ dico.

Quod ruit è prima cœlorum Acignius arce,
Non fuit hoc fortis, ſed pietatis opus.
Dum pietas decepta, Deos & ſidera donat,
Fit pius, & ſuperas ſponte recuſat opes.
Impius ante obitum, pius eſt poſt funera, cœlo
Decidit, & caſu noluit eſſe Deus.
Quantum humilis ſimplexque fuit, data ſidera temnit,
Et non conceſſo maluit eſſe ſolo.
Roma cave; noſtrum cœlis qui prætulit orbem,
Romanum mavult quam Jovis imperium.

Riſu excepimus Tamiæ de ſcholaſtico narrationem; cum Botris, veluti lymphatico percuſſus morbo, ſe extra tugurium Daphnidis miſit, & cum ſilentio incepit præire ſequentes: eo truculentior, quo & Acigniorum ſcelera tolerare non poterat, & timebat Onoſandri potentiam, quam extra Eleutheriam riſurus erat, ſi illum Dii in aliena terra ſervatum vellent, & nos nihil omitteremus ab officio & ſacramento quod nos una vinxerat.

Declinabat Sol diem, cadentibuſque radiis ſumma montium libabat inſtabili fulgore. Proxime antrum fecerat Natura eo aſpectu, ut crederes inde erupturam Sibyllam, quæ quondam Æneæ poſteris fatum

tum fecit. Vertex in præceps poſitus mox caſurus putabatur. Hunc denſum vimen tegebat, & inter caducitatem veteris ſaxi uberes aquæ volvebantur, quas gramen excipiebat, tam lento ſtrepitu, ut ne cadere quidem eas putares. Intus tenebræ ſepulcralibus formidabiliores, niſi quod in intimo ſeceſſu apparebat exiguum lumen, &, inter fragmenta rupis, vivum cadaver.

Hærebamus ante aditum ſpeluncæ, horrore noctis & novitate rei ſtupidi: cum ſeſe exeruit homo ſenex, humano major; gracile corpus, & adeo decrepito ſqualore incultum, ut tacitis concatenationibus ſingula membra moveri viderentur. Teſtudineos & vacillantes gradus ſuſtentabat baculo: triſtis vultus; oculique ſulcatis per ætatem genis, diſco, quo fingunt olim Hiacynthum cecidiſſe, grandiores: ſpiſſa barba & ea illuvie obſita, ut inter album & nigrum eſſet. Os deductum, apertæ nares & muſco horridæ, glabrum caput, tota denique corporis compages quaſi ſignum pictum in pariete ad terrorem puerorum. Quis fuerit, & quid dixerit, accipite.

Novi jamdudum (inquit) quibus tempeſtatibus acti, reliquiſtis mare, quod hi ſoli navigant, quos humana caducitas delectat, & ſervitutis exitiale jugum. Felices animæ; quæ, fucis relictis, ultra humanitatis leges præoccupaſtis cælum, & in Deorum beatitudinem ante mortem veniſtis. Enimvero metuunt omnes, & nullus eſt qui verum ſciat, niſi qui ſe ipſum negligit. Parum eſt minas ferre; prævertiſtis ſupplicia, & tormenta velut exhibita in theatralem ſcenam riſiſtis. O liberi liberalium artium liberi, qui eas animas, quas dudum precarias inter aliena vitia traxiſtis, parati eſtis in extremo anhelitu morientis libertatis exhalare! ô conſtantia! Plures hodie Hiſpanice dominantur, pauci Gallice reſtitiſtis: Ingredimini penetrale iſtud, & ſecretis meis participes futura diſcite.

Divinum putabamus, &, ſi falcem habuiſſet, erat in animis mirantium pro vetere Saturno venerari, niſi quod fabulis non credimus. Cæterum colore eodem quo nos viderat, placido vultu, quieto pectore, non tumultuarie ut Bacchantes & Deliaci, poſtquam baculo, quem gerebat, rupit funem quo ſuſtinebatur lapis qui latum ſpeculum tegebat, in quo plures imagines videbantur; ſic ad nos:

Omnis anima Dei filia cœlos habitat, ſciens eorum omnium quæ hic & apud ſuperos ſunt: mox corpori incluſa, in capacitate organorum languet. Tepet in pueritia, oppreſſa contrario calore: in adoleſcentia, per ratiocinationem eniteſcit: in virilitate, creſcit per judicium: in ſenectute, per prudentiam emicat: poſt ſenectutem tandem, ſeipſam reminiſcitur, & excuſſo ſervitutis humanæ jugo, quo minus corpori debet, eo excelſior fertur per aëra, & quidquid ubique fit uno inſtanti pernicitate ſua videt. Hinc illæ frequentes in decrepitis vaticinationes. Etenim ſpiritus promptior eſt, quo tardiora membra, & carnis titillatio remotior eſt. At præter iſta quæ mihi cum ejuſdem ætatis hominibus communia ſunt, ipſa ſolitudo & ſilentium, à qui-

Digitized by Google

à quibus Monaſonis nomen mihi reſtat, alas addidere ad futurorum cognitionem, quam per repræſentationem earum rerum, quæ paſſim aguntur, ex iſto quod videtis VERITATIS ſpeculo accipio.

Anus mulier, quam hic cernitis longo morbo & ætate macilentam in lecto jacere, in cujus ſalutem aliquot Medici *pharmaca* miſcent, GALLIA eſt: cujus membra per diverſas ſeditiones diſtracta antiquum robur videntur amiſiſſe, & Proſerpinam expectare, quæ jam ſua venuſtate cadentes crines impavida ſecet. Aliquot regna felicitas loci tutata eſt: multa gentis robur in ſublime erexit: ſunt quæ prudentia in conſiliis ſervavit: Alia opibus ſuis debent quod perdurant: nec deſunt quæ ſenectutem Fortunæ beneficio retineant. *Nimirum* ab externis ruinis ſurgunt imperia: primis duobus ſæculis adoleſcunt, totidem creſcunt, totidem integre & cum gloria ſervantur, ſeptima & octava ætate labant, nona & decima fatiſcunt, cadunt, pereunt, & cinis eſt ubi Troja fuit. Pauca exceſſere mille annos, & illa ſine decore, frigidis viribus, pigro ſitu, & quotidie novis doloribus aggeratos dolores ad ultimum ſpiritum ferentia. Subitum Mortis venenum eſt, nihil ſtabile quod in Mundo, nec perpetuum quidquid mortalium luminibus videtur. Hiſpania augetur ambitione & conſtantia. Roma quod claves hodie etiam habet, facit ſuperſtitio. Reliqua omnia dehiſcunt in Europa, & ſingulis paucæ Olympiades *reſtant pro termino.* Italiæ principes timore vinciuntur. Veneti *vicinis* propugnaculis coërcentur. Cotzii paupertate, Subalpini *ſanguinis proximitate* domantur. Rheti largitionem ſequuntur, *rupturi fœdus* ad Hiſpanici auri fulgorem. Belgæ hoſtili exercitu *teruntur indies*; pavet Anglia; Germania diſcors in præda eſt. His omnibus inhiat Hiſpanus, & brevi, ſi Deus ſinat, franget. Fatum eſt in partibus illis. At promptior Galliæ ruina imminet: florentiſſimum regnum, &, niſi quod viribus ſuis rumpitur, ſuper alia duraturum.

Hactenus evitata favore Deum pericula & ſuccuſſus hiſtoricis relinquo: ſola mihi de futuris cura, ut & quæ prævideo ſciatis, & tantum Imperii corpus naufragio & ſepulturæ detrahatis: Sin minus, idem vos æquor fluctibus mergat, ne patriæ veſtræ dedecori ſuperſtites ſervitutem, quam fugitis, inveniatis.

Dudum eſt à quo Hiſpanus peregrina libidine ad furorem uſque æſtuat, oblivíſcitur Ibericarum formarum, & in una Gallia patentibus votis ſuſpirat. Nihil auro efficacius, præſertim in amore, ubi & Cupido aureus nominatus & aurea Venus. Uſus eſt communi amantium remedio, & pecuniis per ſervos & ancillas matronæ vetulæ attentavit pudicitiam. Major pars corrupta ceſſit juvenis petitoris dolis, & ipſi quorum tutelæ Gallia committitur proditores veteres caſtitatis vendunt dominæ ſecreta, & ſuis inimici, hoſtium amici fiunt. Adeo in exitium noſtrum feroces ſumus, degeneres fidelitatis antiquæ, & corruptione ſæculi ad omne ſcelus parati. Hinc domeſticæ exaſperationes, & inter potentiores diſſidia, cum alii pro libertate pugnarent,

gnarent, alii privatis commodis publicam utilitatem poſtponentes in patriam ſuam arma tollerent.

Neque tum exciderant omnium animi, reſtabant ſublimia ingenia, quæ nullo pretio delinita ſuſtentabant deficientem Galliam, donec gliſcente adulatione, & timore mortis deterrerentur. Minima turba & ea fugitiva rixata diu cum incommodis ſuis callum per injurias duxit, & adhuc infracta malis de genu pugnat. Multi ad virtutem nati ne pauperes eſſe cogerentur deſeruere naturam. Aliqui, quia probi eſſe non poterant, ſequuti ſunt perverſitatem, & in commune malum juravere. Illos ambitio ad magiſtratus evexit, quoniam per ſcelus compendiaria via eſt ad honores, longa & ardua virtuti. Iſtos ad avaritiam impulit Larium neceſſitas. Hos pauperis nobilitatis titulus, & gloria proavorum hereditatibus major, Poſtvertæ addixerunt. Plures pugnandi aviditas, & incerta vitæ ſecuritas armavere in regnum, ut certius & citius perirent; cum ab his, qui res imperii adminiſtrabant, ne ſperare quidem ſtrenuo militi fas eſſet beneficium quo glorioſis vulneribus poſſet mederi. Omnes in diem vivunt, & ſtipendiis ſuis exuti, cum nihil accipiant, rapere coguntur.

Jam vero reducite oculos ad ſpeculum, & tricipitem iſtum Geryona, qui ægrotanti Galliæ medici pallio tectus aſſidet, curioſe contemplamini. Ille eſt, qui tot ſanguiſorbas adhibuit ægrotæ venis, ut ſine ſanguine membra reſtent, ſimulatis medicaminibus vexata ad deſperationem ſalutis. Ille, ille eſt, qui in propoſitum veſtrum accenditur, & Veritatem foras migrare juſſit, quæ vos aliquando, cultores ſui numinis, inſulæ ſuæ longis peregrinationibus feſſos excipiet.

Ecce autem naſcitur Hercules, & victor tot laborum, fautorem Hiſpaniæ Geryona clava cædit. O ineluctabilis Fatorum vis, ô fœcundum germen ad ſpem noſtram natum; ô reſtituta libertas, & brevi, favente tanto principi fortuna, ab exilio reverſa Veritas, & ſedibus ſuis reſtituta! Quid igitur patrio ſanguine cruentamus manus? quid paucorum crimina innocentum punimus ſuppliciis? Quorſum bella civilia & prætextu religionis impune patratæ cædes ad barbarorum etiam ſatietatem? Societas Gallica fornicationi ſimillima eſt: fatiſcit detracto lapide, & in unius aut paucorum nece volvitur in ruinam. Cur non ſuccurrimus vicinis, & facta concordia in peregrinos iras tranſmittimus? cum ſciamus noſtrorum cruorem in nos verti, & illum ſaluti ſuæ male conſulere qui proximi vitæ non conſuluit.

Hinc Geryon innocenti gladio & nunquam evaginato quaſi Jupiter alter funeſtum tonat. Hunc ingens corona nobilium & popularium cingit, à quibus veluti rerum auctor & naturæ tam crebris precibus in favorem ſupplicantium vocatur, ut & templa vacua ſint, ædes publicæ non ſecus ac in peſtilentia deſertæ, & ipſæ celebres olim curiæ, ſine voce, deſtitutæ poteſtate ſua, ſerviant alienis imperiis.

Eia quis percuſſor peſſime auctoritate ſua utenti manum præbet? quis everſorem Galliæ humi ſternit, & Plutoni conſecratum mactat?

Digitized by Google

Herculem video clavæ ſuæ pondere monſtrum umbris immolantem. Tollite Galli victorem, canite Pæana Galli, & conſervatorem veſtrum rapite ad triumphum. Rideat jam fortunam Virtus, interque ſacros lares, & ultra Pyrenæos montes eniteat, tanto acrior, quanto ſuppliciis & opprobriis fuerit amplius fatigata.

Hæc ut dixit, laſſi ſua ſenectute poplites reliquere membra, animus quoque vacuum calore corpus in conſpectu noſtro reliquit. Dubitantibus nobis quo hypogæo fatis functum conderemus, ſupervenit adoleſcens figulea lagena & pera quæſtuariis cibis turgida onuſtus. Qui poſtquam levibus ſuſpiriis mortuum proſequutus eſt, tam conſtanter peroravit, ut nec ipſi Dii æquiore animo mortalium caſus ferant quam iſte ſuſtinebat ſenis expirationem.

Vitio, inquit, gentis humanæ ad improviſa deficitis; vultibus ad marmoris tincturam pavidis conſideratis novos caſus, & veluti monſtro turbati qui ſitis vix recordamini. Scitote igitur me hic favore Deûm veniſſe, ut & ægris mentibus ſolatium adferrem, & vacuis jejunio corporibus precariis ciborum reliquiis auxiliarer. Quid timore ſupervacuo exulceratis pectus, & noctem deducitis inter lacrymas & ſtuporem? Omnes eodem cogimur, ſed plures alieno ictu mortem inveniunt quam ſuo. Hunc ad ſublimia tendentem inimicorum ventus rapit; alium deſerit ſua ſors longa obſtinatione ſatiata: multos inter convivia caſus ſtrangulat: aliquos *facinorum conſcientia* ad interitum præcipitat: furiarum ſtimulos *ipſa morte graviores* putant, cum illam, quæ aliis ſupplicio eſt, *in remedium poſcunt*: ſed multo plures obſequium & potentiorum amor perdidit. Et ne peregrinis exemplis ultimum iſtud probem, hærebo in Monaſonis fortuna, & luctum veſtrum illius laudibus levabo.

Monaſon pueritiam & adoleſcentiam ſub Meleandro proſpere & cum gloria egit: apparebat præcox & prudens in puero ingenium. hinc regis amicitiam promeruit. Creſcentibus annis virtutum omnium domicilium exiſtimatus, armis audaciam inimicorum compeſcuit, amicorum benevolentiam firmavit eloquio. Tandem perfidia ſuorum Meleandro uno vulnere in mortem per cucullatum ſicarium affecto, Protagonis partes ſequutus pericula omnia dubii Martis tentavit. Verebatur Fortuna ne caderet, & ille Genius tutor Gallici regni qui Protagonem ad imperium ſuum vocabat, exarmaverat Parcas ne nocerent Monaſoni. Quid plura? placuit & huic regi. Ecce pacato orbe ſuo geminatis victoriis ſibi pacem fecerat Protagon: riſit Cupido victorem, & vario vulnere invictum bellis principem ſub jugum ſuum miſit. Nihil tam ſecretum quod jam Monaſonem lateat: adit regem, invehitur in amoris impudici flammas, laudatoque legitimo hymenæo ægre perſuaſit ut nuberet. Velox eſt Amoris flamma, hærent primæ ſpecies amatorum animis, & tarde vulnus deponitur quod licentia conſuetudinis in longum putorem crevit. Non ſe tenuit pruriens natura: ut enim Lucillam ſuam vidit, ſequutus

eſt

eſt corporis impetum, & admonitu Monaſonis extincta penè favilla acrior revixit. Senſit hoc Monaſon. itaque ſubtili arte aggreditur Lucillam, percontatur de amore regis, pollicetur ſe utrumque matrimonio juncturum. Faciles ſunt ad credulitatem puellarum animi: reſcribit regi, & Monaſonem rogat ut epiſtolam ſuam ad Protagonem perferat, quæ de nuptiis loquebatur. Erat autem ejuſmodi:

LUCILLA PROTAGONI S.

LAus minima eſt decepiſſe puellam: nunquam fortuna tua aut gloria creſcet ab Amoris ludibriis. Si vis uxorem, habes me longa tibi obſequii laude cognitam. Sin minus, fugiam ego à vultu tuo: ut per meam abſentiam oblivium mei te ſequatur. Deforme nomen eſt amicæ: prævaluit jam atrox fama: &, niſi me ad thalamum tuum vocas, vocabo te ad tumulum meum. Vale.

Poſtquam legit Protagon ambitionem mulieris, hæſit aliquandiu. Mox converſus ad Monaſonem; Abeat, inquit, inſolens mulier; ruptum eſt vinculum quod me illi ligabat: &, quoniam dulce numen meum ſuſtinere non potuit, diſcat perferre contrarium.

Tunc Monaſon cœlibis vitæ incommoda argumentis pluribus regi demonſtravit: eo illum inter homines loco eſſe, ut quidquid fuerit acturus ſingulos tangat. Seligendam quidem uxorem quæ legitimis amplexibus vagum amorem retineat, det liberos ſe & conjuge ſuo dignos. Inter nobilitatem vetuſtiſſimi regni plures fœminas aſpirare ad tantum matrimonium, quarum omnium quæcunque ſemel deguſtaverit imperium, alienaturam à principe inſolentia ſua ſubditorum animos. Nunquam bene univerſis Gallis imperaturam, quæ inter mediocritatem Penatium vix duabus aut tribus ancillulis etiam male imperaverit. Diverſo ambitu ardere principes fœminas virgineſque, pudicitiam, modeſtiam, majeſtatem, & pulchritudinem, cum maximis dotibus ab omnibus Europæ partibus allaturas. Seligeret modo quam vellet: has ſcilicet regni fortuna dignas, quæ præter probatos mores ab ipſis cunis didicere quid eſſet imperium. Oblivisceretur interim Lucillam ſuam, & cæteras formas, quarum corpora lex illi eadem ſubdebat, quæ regni Gallici habenas tradiderat.

His monitis ad novas curas accingitur Protagon, dedignatuſque reſcribere Lucillæ, ſe ipſum conſulit quam ab exteris regnis in partem regni & curarum ſuarum deduceret. Jam Lucilla Protagonis animum à ſe alienatum ſenſerat, fraudeque Monaſonis comperta, iram ſuam conſulebat qua ratione ulciſceretur injuriam. Deſideriis noſtris, quæcunque illa ſint, præſto ſunt ſtudia & miniſtri, ſceleribus aliena ingenia accommodantur: nimirum certa ſunt tum veneficis, tum percuſſoribus præmia; ſola virtus ſine pretio eſt.

Erat quidam Pantomorphus miſcendis venenis, falſis accuſationibus ſtruendis, necandis per ferrum hominibus æque ſolers: hujus

opem cum Lucilla mercari deſtinaviſſet, amore ſimul & iracundia ferox, ſcripſit ad eum litteras, per quas Monaſonis vita velut ſubhaſtabatur, nullum niſi ſceleratum emptorem reperturâ. Dudum me pater meus Lucillæ tradiderat, longa illius cum Protagone familiaritate adductus in ſpem maximæ fortunæ, quæ nunquam niſi felicibus apparet. Creduntur mihi ſcriptæ ad Pantomorphum literæ; neque enim habebat Lucilla inter famulantes liberos quem præ me diligeret. Vix ædes reliqueram neſcio quomodo etiam errore meo ſervus, occurrit mihi Monaſon: & poſtquam in celeritatem meam inquiſivit, lenocinantibus verbis fregit fidelem pertinaciam, extorſitque à manu mea ſecretas dominæ litteras. Ille ut ſibi parari inſidias cognovit, exuit ſub honoribus laborantem nobilitatem, & ſibi deinceps victurus, vocavit me in ſodalitium ſuum. Verebatur Protagonis cum Lucilla redintegrationem, ſciens iram in amoribus flammas augere, & fœminas vindictæ appetentes, ubi ſemel conſenſere in unius mortem, eadem contumacia ad ſepulchrum uſque deferri, nec unquam parcere illis quos ſemel timuere. Ah! quam honeſta res eſt paupertas læta! quam nobilis fulgor eorum qui reges ſequuntur! Ridiculum eſt mortali inter tot vanitatum ludibria perpetuam felicitatem expectare; vocant nos undique in amplexum ſuum moleſtiæ, & inter delicias ſemper aliquid ſævi nos ſtrangulat. *Nulli contingunt magna bona & diuturna. Ridet fatum quos ſubito evexit, & ſi non miſereatur rapit.* Pertinax eſt qui non cedit *ſortis ſuppliciis*, neque eam excuſat quæ perpetuo movetur. *Habemus ſolatia miſeriarum noſtrarum* illius inconſtantiam, & *quod ad omnes injurias naſcentes exponimur.*

Vixdum ſecretum hoc ſpeluncæ ſilentium ingreſſi eramus, cum Protagon conciliatus Lucillæ ſuis quoque incommodis lætabatur, præſentium cupidine accenſus, & oblivione amicitiæ qua nuper Monaſon gloriabatur, etiam in illius damnum velox. Inimica magnæ potentiæ res eſt, nimius erga dominos amor; & nulli miſerius vivunt, quam qui maxime regum ſuorum non modo incolumitati ſed & gloriæ ſtudent. Quæritur ad omnia tormenta Monaſon, non quia peccaverat, ſed quia expediviſſet peccaſſe. Nimirum omnes *hodie* Cares ſumus; & veteris conditionis obliti, degeneres majorum libertatis, ſponte noſtra depoſuimus Gallicam licentiam. Jam ſuperſtitio objiciebatur abſenti Monaſoni, jam ille damnabatur odii in illud imperium cujus tranquillitatis partem ſuo ſanguine fecerat, jam philtris traxiſſe regem in amicitiam ſuam dicebatur, objiciebanturque ejuſmodi alia ſcelera, quæ quondam virtutes fuiſſent. At Monaſon ſua conſcientia ſecurus ridebat atrocitatem famæ, & nihil aliud Deos rogabat quam quod fœlicitati Protagonis arbitrabatur conducere. Utpote cui flebile fuiſſet deſerere tot per annos continuum vitæ ordinem, finemque ſuum novis ſimul veſtigiis & motibus polluere. *Excuſabat* velocium Cupidinum motus, & nihil minus querebatur quam exilium ſuum.

Inte-

Interim rediere priores animi Protagoni; reminiſcitur Monaſonis prudentiæ, fidelitatis, roboris. Nimirum præſentem virtutem odimus, ardemus in abſentem! O acies, ò fulgor! nictant ad illius aſpectum mortalium palpebræ, & oculi veluti radiis æſtuantis ſolis tacti, triſte putant lumen, quod ubi amotum eſt videre geſtiunt. Debebat hoc patriæ officium Monaſon, ut Protagone juſtis nuptiis vincto, regiam familiam generoſa conjuge, mox liberis augeret. Nec mora; exerit caput è latebris, acceptamque ab Etruſcis Reginam thalamo Protagonis locat, primo partu Clodovæum Galliis daturam. Hoc, & aliis beneficiis obligatum regnum reliquit; priſcaque ſolitudine lætus jamdudum, cavit ne novis aulæ incendiis implicaretur.

Pronus erat ad veſperam proxime præteritus dies, cum Monaſon repentino ſomnio turbatus inſolitum excuſſit torporem, & magna voce appellavit me in opem ſuam. Tandem ut ægre proximo gramini incubuit, ſudore manu deterſo, Jamdiu (inquit) Phileſitere ſumus experti, quos fœtus mentes criminibus gravidæ in manus obſtetricantis invidiæ mitterent, quo aculeo foderent incautos, qua fraude & inſidiis circumvenirent eos quibus palam blandiuntur. Cecidit Tolmites ejus perfidia quem ſibi amicum credebat, & vix placide quieſcit Ajacis umbra in hoc concuſſi regni motu. Deſiderabimur aliquando etiam à peſſimis, ubi Parcæ ſuo ictu imperaverint mori. Ibo inter hæc obviam morti pervertenti ordinem naturæ, & minorem fratrem major annis ſequar. At poſtquam Jovi liberatori,& Proſerpinæ libavero, ſuadeo, Phileſitere, ne ſpem tuam deſperationi dones. Venient verarum virium viri, in defenſionem tuam, & illa turba Veritatis aſſecla te cum Pinotidio in tutelam ſuam accipiet. Illa ſapientiæ præceptis animos tuos componet, illa blandiloquo monitu ſeveros mores mitigabit, & innato jampridem in vitia odio à conſcientia tua indefeſſam probitatem extorquebit. Incipe itaque eorum providere receptui, quos præceptores habiturus es, & à proximorum hortulanorum liberalitate quære convivium peregrinantibus.

Hæc ultima ad me Monaſonis verba fuere, neque ego dubito quin ſingula eveniant, cum à præſentia veſtra in partem jam Veritatis inquiram. Omittite itaque pavorem; & ſine funeris ſumptu, ſine pompa, mortuo ſubvenite, vacuum animo corpus tralatitia humanitate tumulaturi. Præviſum exitum fortiter tolerate, ne conſtantiam defuncti impatientia veſtra maculetis. Relinquite præficis commendatitios fletus, cum ſciatis verum dolorem lacrymis indicere ne cadant, & egeſta muliebriter ſuſpiria detrahere de generoſiſſimi ducis laudibus. Vocant ad ſe Dii quos amant, ſubtrahuntque eos hominibus, ut & nomen eorum ab oblivione vindicent, & permittant eos à cœlo ſecuros inquirere in laudes & præconia ſua, & patientiam noſtram.

Igitur compoſuimus tumulo Monaſonis corpus, & lapidibus, quos ſolos crudelis fortuna fugitivis reliquerat, aggeſſimus ſepulcrum.

Digitized by Google

Jam manes ultimum proclamati in Elyſio fruebantur fama *ſui*, *jam* ad ſolitas operas reducti modeſtis vultibus deſiderium tegebamus abſentis. Ut enim ſolet diſcuſſis imbribus redire priſtinus ætheri nitor, ſic fletu detumeſcente nova tranquillitas roſeum colorem revocavit in genas, quem nuper pallor mœſtitiæ comes expulerat. Nimirum umbræ felices tranquillitatem amant animorum: quoniam ipſæ in tranquillo ſunt, delectat illas ex alto bona noſtra reſpicere: cæterum illæ nobis nuſquam condolent, quoniam beatitudini contraria eſt condolentia.

Commodum multiformes dapes fecerant Hecates cœnam, *hinc* placentarum lautæ reliquiæ oneraverant terram, *inde fruſta ſecundarii* panis, cum vetuſto caſeo, & nucibus & *caſtaneis, penè moretum* fecerant. Hac omnes copia lætati deſtruebamus *congeſtos temere* cibos, cum colonus quidam furtive ſpeluncam noſtram *ingreſſus ad* Phileſiterum ſic ait: Plures Monaſonis æquitatem ante has fores operiuntur: nam & noſtri, illius beneficiis ad ſervitutem uſque devincti, tanti hominis famam ultra miraculum poſuerunt: unde hodie quaſi ad ſacrarium Veritatis immixti plebeiis, ruſticiſque nobiles ad illius tribunal ab omni terrarum parte *ſtudioſa celebritate* congregantur, malis ſuis, & jurgiis, à divino Monaſonis ore remedium petituri. Laudata Phileſiterus clientum frequentia, *Proclamabis, inquit*, Monaſonem nobilitatem animi deduxiſſe *in cœlum; quod longa* probitate vivens meruerat; mecum *tamen eſſe juvenes qui occupare* poſſint vacuum Themidis ſedile, *orbiſque totius diſcordias certo judicio* componere. Abierat *ruſticus: neque Phileſiterus* expectavit invitationem audientium, ſed lætiſſima fronte anteceſſit curioſitatem noſtram. Quoties (inquit) Diana curſum ſuum æquali ſemper invectione perfecit, junctiſque cornibus reparavit orbem, toties Monaſon circumfuſa villicanorum multitudine cinctus varios caſus audiebat, & è Veritatis ſpeculo quid decerneret accipiebat. Quiſquis enim ante ora veteris cavernæ ſedens judicaturus oppoſitum ſibi conſulit ſpeculum, certiſſima lege mendacium à veritate ſecernit. Quippe in eo veriſſimi vultus, habituſque loquentium, accuratius exploranti referuntur, exuunt omnes mutuatam perſonam, & *ementitos cultus* ponunt. Cæterum ſuus color veracibus permanet, quem confundit mendacium, & fuligine teterrima maculat in ſpeciem Mauri. At glacies ſpeculi puro fulgore nitida imitatur tranquillitatem maris, ubi Veritas fabulis obtegitur, & velut ventis undique ceſſantibus tacita ſilet. Quod ſi levibus mendaciis verax narratio coinquinetur, differtur aliquantulum ſerenitas, & exiguis nubibus ſpeculi candor obducitur, donec iterum erumpat Veritas, quæ ſicut flabris ſpirantis Zephyri impurum aërem, & peſtiferam contagionem, ſuaveolenti flatu depellat. Reſtat, ut judicem ſortiamur, qui expectationi confuſæ multitudinis reſpondeat, & conſtanti *judicio* admirationem mortalium ſimul trahat, & ſequatur Monaſonis famam.

Nec-

Necdum finierat, cum Tamias inclinavit in electionem meam: & quamvis ignorantiam timidiſſima deprecatione damnarem, acceſſere ad illius ſententiam cæteri, ſimulque conſenſere in auctoritatem meam. Dum efferor ſodalium manibus, dum propter puteal Libonis componor, dum mihi ſaxea ſedes pro ſella curuli paratur, dum Veritatis ſpeculum ante oculos vicina in nocte figitur, & cavetur ne prima & male fida umbra ſpeluncæ dicturis ſecretum detegat: memineris (inquit ad me Daphnis) ô Alithophile Prætoriæ gravitatis, ut & tardo ſermone aſcititiam hodiernorum judicum majeſtatem poſſis teſtari, & inſolentem ſeveritatem vibranti ſupercilio fingere. Iſta, plures judices fecere, quam ſcientiæ aut probitas; quarum illi conſuetudinem eo inſolentius ejuravere, quo jactantius æquitatem mentiuntur, aut ſanctitatem profitentur in publicum.

At ego veritus ne coëuntium clientum animi longiore mora ſolverentur ad confuſum murmur, eriperentque mihi impatientia ſua libertatem ex præſcripto judicandi, tacui ad querelam Daphnidis, ut & alienis querelis me permitterem, & operam meam litigantibus addicerem gratis.

Vix pro tribunali ſederam, cum juvenis ruſticus ad eum quem manu ducebat, Heus, inquit, commilito, caveſis ne dicentem interturbes; nam & tu craſſis auribus, & tarditate loquutionis jampridem meruiſti ut taceres. Tum alter, At tu ne abſurda mentiendo narrationis veritatem inani fraude jugules; nam & amitteret oratio lepôrem ſuum, & ab una lite veluti ab hydra litium mille capita ſuccreſcerent. Iſto accepto reſponſo, ſubjecit alter, Viderit cui contentionis noſtræ judicium permiſſum eſt, ne contumaci corde reſpuat orationem in ſpeciem Græcanicæ fabulæ compoſitam: quam tamen ſi bonis oculis & aure fideli exceperit, inveniet omnia, licet primo ſupra captum cogitationis humanæ ardua videantur, factu facilia, auditu grata, eruditione plena.

In Arvernia qua collibus aſperioribus aſſurgit, urſus & aſinus, hic calce, ille unguibus infeſti, in mutua vulnera ſæviebant. Forte viator tam immanes feras miſeratus ad extremum vitæ periculum ferali bello deduci: Avete (exclamat quo maximo poterat niſu) fortiſſimi Martis clientes, & generoſæ beſtiæ, ad imperium etiam hominum lætis ſideribus advocatæ: horret animus contemplando fortitudinem qua libentius lethiferos ictus corporibus excipitis quam aurum alii utraque manu. Nec me putetis huc ſine cauſa veniſſe; fœdus inter vos perpetuum ſanciturus. Ad hæc quieverunt bellaces feræ; & reductis in ſuam gratiam ſuperciliis, hinc aſinus prævalida juventa, inde urſus ſuis unguibus fidens, placati audiebant conſulentem.

Sic ubi ſtelliferum linquens Cyllenius axem
Per totum deſcendit avum, cognata reponunt
Numina funereas iras, triſtemque remittit
Quiſque metum, bellique ſui medicamine viſo

Miratur virgam, quæ vincula ferre leonem
Cogit, & imbellis tigres albeſcere rictu.

Neque ille tardavit reliqua adhortationis ſuæ pertexere. Poſtquam, inquit, Doromiſus Fortunæ Ilienſis templum deſeruit, omnia in deterius mutata artes hominesque ſine mercede reliquere. Suffectus eſt in illius antiſtitis locum tardiſſimus equus; Taſticium vocant. Hic grato hinnitu quos meliore vultu Fortuna reſpexit ſalutat, & gazæ regiæ malus adminiſtrator non niſi beſtiis felicitatem oſtendit. Nam neque theſauros ſibi commiſſos glorioſis militibus, aut probis judicibus diſpenſat, utpote qui ſtoliditati ſuæ male conveniant: *ſed* è ſylvis, ſtabuliſque, & ſtercore, eligit bruta ſibi ſimillima, quæ *in contumeliam* Bellonæ & Apollinis deducat ad divitias & honores. Quid vetat & vos ad hunc beatorum numerum adoptari, cum cætera animalia membrorum fortitudine præcellatis? Hoc dicto ingreſſus *in* horrorem vicinæ ſylvæ, urſum aſinumque reliquit, magnis cogitationibus ſpes ſuas ad ambitionem torquentes. Tandem inter utrumque convenit, ut aſinus per villas, oppida, & urbes urſum ſuo tergo deferret, hac novitate ſtipes aliquot æreas argenteaſque in mutuum ſubſidium aggeſturi: ea conditione, ſi urſus ad fortunam feſtinans expectatas opes à Taſticio acciperet, ut in aſini quoque lucrum æqua pars cederet. Itaque aggrediuntur iter quod ad Eleutheriam ducebat. Ac ut primum ſtetere propter Ligeris aquas, qui præcipiti curſu inſtabilem volvit arenam, & incerto alveo *ſpacioſas planicies* percurrit, metu horridi imminentium *calamitatum omen putavere* occurſum irati Dei, qui tum etiam *vicinorum terras ſua colluvie deterrebat.* Neque ego, inquit aſinus, *ominibus crediderim.* quid intereſt infelicibus, an fluctus abſorbeant perituros? An melius nos excipient terræ ſi fatorum acerbitas peregrinis indixerit mori? ſaltem crurum longis voluminibus ligatos juncta mors feret, umbraſque felices uno cymbæ tractu portitor Charon Elyſiis reddet, ubi magni ſpiritus beſtiæ laureta, & victricibus palmis loca conſita obambulant, & à Plutonis imperio ſummotæ inter amoris leges & delicias melioris naturæ indulgent immortali genio. Aude aliquid natalitiis tuis dignum: nam aut neceſſe habes cum inſaniente furere, aut malo augurio detentus frangere propoſiti conſtantiam, &, audaciam tuam ſubita verecundia deſtruendo, priſcas latebras repetere, ubi lento ocio ſaginatus damnes primam ambitionem. Nihil te morari debet: magnanimi eſt, adlatrantes Scyllas contemnere, & exemplo Lunæ, quæ diſpendiis Phœbi lucet, nocturnos canes irridere. Et ecce nihil aliud expecto quam communionem periculi, imo præcedo te, &, ſi me vectorem non faſtidis, mihi Ligeris pro Helleſponto erit, aſinus tibi pro ariete; forſan in Eleutheria Colchidem inveniemus, &, in æde ſacra Fortunæ Ilienſis, vellus aureum.

Incredibile dictu, qua audacia bonum ſocium urſus ſuperaſcenderit, qua levitate ſeſſorem per rapida fluenta minacis fluvii aſinus vexerit,

ſit, quo impetu cavatas prioribus ungulis undas fregerit, quam molliter crura in ulteriorem ripam repoſuerit. At poſteaquam de fluctibus extulit ſe penè ad necem laceratus unguibus urſi, (qui, ne arietem ſuum inter undas novus Phryxus deſereret, fortibus uncis adhæſerat aſini tergo) vulnera fortunarum ingentium prænuntia exiſtimans, nihil de ſævitia ſeſſoris conqueſtus, ne alter exprobraret ignaviam, fortiter caſus ſuos toleravit.

Inter hæc auſis ulterius progredi omnia ex ſpe proveniunt; agreſtes oppidanique deſertis velut in ſolitudine ædibus, intentis ad lætum ſpectaculum animis, variis muneribus onerant urſigeruli dorſum, gratis aſino ponderibus, qui ad miraculum ſimul incedebat & theſaurum.

Ad iſtum modum à ſingulis aliquid corradentes Eleutheriam, mox Ilium perveniunt, ubi largiore quæſtu gravati, & fœcunda accretione læti, pinigero diverſorio ſe ſuaque bona commiſerunt. Ut intellexit ſtabularius cauſam quæ utrumque ad ampliſſimam urbem vocaverat, delectatus novorum hoſpitum contubernio in hæc prope verba cœpit.

Noviſſimis temporibus quando Protagon per mortalitatem commeabat, patebat in honores merentibus via: nam & Doromiſus artes amabat, & ſimilitudine morum Protagoni gratus malebat emere ingenia quam corpora. At hodie qui regnat Geryon, ſimul atque præfecit ærario non ſuo Taſticium, oſtendit noluiſſe Virtutem auri gravitate onerari, aut inquinari ſordibus male cumulatæ pecuniæ, quæ homines ſcarabæis ſimiles facit, quos fimi guſtatus vitiat. Quicunque igitur ad ſumma vota properant, ut inter cultores Fortunæ reperiant locum, ad illud tantum ſtudium ſeſe applicant ut ſentiantur ſe nihil ſcire. Hoc præceptores, hoc parentes liberos docent; & ſi quando ignorantiæ fortior natura repugnat, otio & præmaturis voluptatibus ſepeliunt incautos, & magnos ſpiritus per ſe ad æternitatem aſſurgentes inſtabili divitiarum fulgore præcludunt; exiſtimantes in eo ſummam doctrinæ conſiſtere, ubi elementarius juvenis infideli lectura litteras in ſyllabas, ſyllabas in verba coagmentat, aut componit. His ſtat in templi ſui limine felicitas, & ultra blandiente nutu in oſculum ignavos pariter & ſtolidos applicat. Plerique inter mortales diverſis ætatibus ante fores templi Fortunæ liberalis præcepta chartis mandant, ſerviuntque beſtiis, quibus pro manibus pedes, pro digitis obtuſæ ungulæ dudum fecere ut ſcribere neſcirent. Nam in collegium ſacerdotum qui dant operam ſacris inconſtantis Deæ, muli tantum, aſini, equi, & boves aſcribuntur: feras quippe non patiuntur tam manſueta animalia, ſed eas ad bellicas dignitates ſervant, & ſupervacuos honores ſupra ſummum cum ſideribus elementum micantes.

Pro Fortuna in ſublimitate aræ ſtat monſtrum ferocius Ægeo, qui centum enſibus minabatur Jovi cum Titanes affectarent cœlum.

 Huic

Digitized by Google

Huic pedes ſex diverſis motibus inſtabiles, ita ut facile hinc *detrudi* poſſet, ſi aliquis inveniretur quem fatigaret vita ad deſiderium laudabilis exitus. Totidem manus vario geſtu accipiunt ingentia munera, aut exigua concedunt. Multi nobiles confuſa geſtuum permiſtione deformati in ſpeciem pumilionum quos annuo prælio grues infeſtant, aut errantes Geryonis pedes ad ſtabilitatem componunt, aut podicem lambunt noviſſima exoneratione ventris fœdatum: ſimulque cum excrementis aurum liquatum combibunt: neque enim aliud metallum calidus ſtomachus ſuſtinet & concoquit. *Multi* à ſura pendent, à tibiis alii; beatiores de genibus expectant crepitum defluvii aurei præcurſorem. Nunquam ſcilicet grata expectantibus tempeſtas erumpit, niſi ante colliſæ nubes dulce perſonaverint.

Hic ubi placatur ſupplicantium precibus, concutit triceps caput, & ſtatim in orantis ſinum tænia ſerica Neptunii coloris deſcendit. Ad quod ſignum Taſticius paululum in pedes aſſurgens, priorum crurum vinculis implicat exoratum, auraſque hinnitibus crebris pulſans, aut eum vacuas ſedes occupare imperat, aut è templi tholo inter fartim pendentia nobilitatis inſignia rapere equeſtrem torquem qui ſolus nobiles beſtias facit, atque illo vincire collum quod melius ad ſcalas Gemonias, & deforme buſtum, Plutonius funis ſtrangularet.

Finierat diverſitor, & jam nox altior ſuaſerat ſomnos, cæterique ſub eodem tecto quieti ſe repoſuerant: neque tamen, cum alii hoſpites altum ſterterent, ſollicitæ beſtiæ membra laſſitudine feſſa lecto permiſere. Damnabant Auroræ moras, & Lathmo tenebris ultra Cimmerias inhorrente abdicabant diem, quod tamdiu inter rubentis Deæ amplexum Cephalus retineretur. Longum eſt omne compendium, & tardum omne momentum ſperantibus: ipſæque voluptates timentur ab his quos cupido, & deſiderium expectati eventus, ad impatientiam obligat. Neque longe lux aberat; mota eſt Aurora ſollicitudine beſtiarum. Præluxerat jubar, & ingentem Phœbum ab undis Hiſpaniæ Doridos eduxerat. Quis, inclamat urſus, ſtabuli fores janitor abſolvit? ſummus dies eſt; etiamnum tacent cardines, & nullus eſt qui januas reſeret? Ubi chlænici, ſartores, lacernarii, ſubucularii, ſolearii? Accurrit ad illius imperium numeroſa familia: hic, præpeditum multiplici penna pileum imponit capiti immanis feræ; ille, carbaſum æqualibus ſpiris & ſinubus rotundum ornamentum collo aptat: alii caligas conchyliatas, holoberum thoracem, enſem, balteum, tibialia, periſcelidas, calceos, palliumque è purpura bis cocta auro intertextum induunt.

At parte ex alia generoſæ ſtirpis aſello
Auribus è geminis circum cava tempora pendent
Auro durata phaleræ, cui plurimus ore
Oſtri fulgor abit, fulvum ſub dentibus aurum
Manditur, & rigidi gemmis micuere tapetes
Inſtrati dorſo: non fortius æthera luſtrans

Solis

Solis equi, quando fraternas languida flammas
Luna fugit, mergitque vadis luctantia contra
Sidera, & immenſo condit ſua lumina Ponto.

Itur ad conſtitutum templum ſequentibus mercenariis ſatellitibus, cum fæce populi proſequentis conductitiam pompam; quæ ubi pulvinaribus ſeſe intulit, urſus humi projectus adoravit Geryonis ſtatuam, & votum quod ſpes incitabat per tot pericula conſtanter ſervatum fortunæ tanti numinis perſolvit.

Per te ego fœcundiores Amaltheo cornu dexteras, per Danaës imbrem deprecor, per meſſes aureas, per tot exempla felicitatis quæ ubertim circa pedes tuos repullulant: patere beſtiam in hoc tuo ſacrario ſubſiſtere, & inter tot famulantium greges urſum numerari, qui rictu cruento nihil niſi invidentium tuæ gloriæ cædes deſpumabit, & quod hic apud vos nobiles multum æſtimari intelligo, qui per fas & nefas iram tuam vindicabit etiam innocentum ſuppliciis.

Nunquam humanior fuit Geryon; continuo cærulea faſcia evolavit in ſupplicantis ſinum. Senſit urſus divinæ providentiæ beatitudinem, & illico equeſtri torque donatus deſeruit teſtudinem templi, novis honoribus tumens, &, ab innocentia ſylvarum, voluptate leviſſimi muneris corruptus, in ſuperbiam & inſoleſcentem faſtum degenerans.

Dum hæc agebantur, aſinus è ſpatioſa porticu contemplabatur ſcribarum veloces manus, qui, ſedentes in atrio, Fortunæ præmia variis voluminibus inſerebant: & alia omnia, qualia omnino diverſitor deſcripſerat. Invitatus locorum ſplendore, & prolectante ſpe optimæ hereditatis quam jam tacitus devorabat, propius acceſſit; mox paulò fidentior, intra limen fani ſeſe jaciens, nixus poſteriori genu, priore vero amplexatus aram, ſic adprecatur. Tu qui Parcarum fila, & imperia fatorum pro arbitrio regis, qui exemplo creſcentis Jovis inter paſtorum caſas educatus parentum inopiam penè ſceptro mutaſti, & nunc benefactorem Saturnum de cœlo deturbare cogitas; Tu qui libertatem hominum longa annorum præſcriptione ſuper animalia cætera ſuperbientem exitiali ſervitio premis; Qui tot inſignes beſtias, ſub quarum onere circumjacentia tribunalia gemunt, humanitati præfeciſti; Veteris fœni & ſegnium carduorum cibo remoto aſſere me in aureum convivium tuum, & iſtis beſtiis immanitate corporis, tum Arcadicis etiam grandiorem aſinum, aſcribe in cultorum tuorum gaudia, ad quæ non modo ſe favens Fortuna, ſed & hominum quoque ſtudium inclinat.

Non ſegnius dexter Geryon aſini devotionem optata tænia comprobavit; aſſurgunt Fortunæ antiſtites, detractiſque hyphippiis ſacerdotium cum tribunali aſino dari jubent: quod ubi per ſcribas publicis inſtrumentis relatum eſt, confuſis ruditibus, mugitu, atque hinnitu antiſtitem novum ſalutavere; junctiſque cum ſide pectoribus, tumeſcentia palearibus pectora, & oſculum ſimul miſcuere.

Digitized by Google

Cæterum ſuis muneribus ſors laſſata (quæ nunquam magis clareſcit quam per publicam aut privatam calamitatem, bonæ ſtabilitatis impotens) urſum ad graviores priſcis miſerias improba manu reduxit. Etenim ſicut inanium ſpicarum caſſi vertices per ventorum ludibria ubi ſemen amiſere cœlum ſuo cacumine ſpectant, ingrata altitudine agricolarum ſimul ſtudia & turbinum impetus deludentes: ſic illi, quos paupertas inter inutiles honores implicat, nullo divitiarum pondere gravati inſerunt quidem ſideribus caput, ſed tum moleſto dignitatis fulgore, & ſuperflua magnorum nominum meſſe, ut nihil aliud præter auras & infortunia redivivo ad miſerias corde percipiant. Inde, plerique cum incommodis ſuis pertinaci modeſtia luctati, permittunt ſe communibus vitiis, & vitam ſuam ad alienas injurias,& ſicariorum officia præcipiti commodant. Hoc ſenſit urſus, quem familiarium rerum neceſſitas inter ſteriles nobilitatis titulos opem nuper vectoris expoſtulare coëgit; neque enim poterat longis jejuniis extenuatum corpus ad extremam neceſſitatem durare. Verum aſinus mutato genere vitæ mutaverat mores: & quamvis aurum modio metiretur, malebat accipere, quam dare.

Querebatur urſus ruptam tam cito ſocietatem, quam volebant leges ſemel contractam non aliter quam mutuo conſenſu reſolvi. Eam conditionem, qua vocaverat vectorem ſuum in partem ſperati lucri ſi à fortuna reciperetur, reciprocam intelligi. & tacite cautum ut aſinus pari obligatione teneretur, ſi ſpes decepiſſet ambitionem ſuam, & ille vector aſinus expectatam Fortunam occupaſſet.

Mirabar ſuperficiem ſpeculi pererrantes umbras, faciemque dicenti eamdem permanere, diverſo tamen habitu, & veſtibus longe aliis quam uterentur hi quos ruſticitas ad ſtivam & boves damnat. Etenim de cæruléo ſerico per latus columba aurea diſcurrebat. Micabant circum ſimplicem avem aureæ quoque flammæ, quæ fluctus ſuos vario lapillorum colore criſpaverant. Eodem inſigni coruſcabat notabile pallium in ea parte qua capulus argenteus ingentis gladii ſiniſtram manum ſuperbe ſuſpendit. Hoc ludibrio mens attonita, cum diverſas ſpecies concipit, penè oblita eſt quod ſuggereret. Revocavi tandem ſpiritum ad tot miracula fugientem, & judicium velut ad Philadelphicam Pharon, aut Herus lucernam, in hanc ſententiam decenter retorſi: videlicet, non teneri aſinum pro ſocio, cujus ſervitium curaſque cæca etiam Dea æquiſſima liberalitate donaſſet: lucra penes eum eſſe debere, qui incertam fœlicitatem & nullo voto conceptam per certiſſima mala quæſiviſſet animis ad calamitatem obſtinatis. Videri tamen tum demum ad bonorum communionem vocandum urſum ab aſino, ſi ſummitteret corpus aſini obſequio, & pari viarum laborumque diſcrimine, quo nuper fuerat exceptus, ſuſtineret ſeſſorem.

Tunc vero recepit intermiſſam orationem ille idem qui paulo ante loquebatur. Et, Per fidem (inquit) in conditionem beſtiarum

ſince-

ſincerum judicium feciſti. Nam cum inter has altercationes aſinus ad Gephyrium neſcio cur legaretur, promiſit in urſi manum ſe omnia quæ à Gephyrio acciperet fideliſſima ſorte inter utrumque partiturum, modo ſe tergo admitteret duraturo obſequio donec ad eam terram veniſſent quæ quondam erroribus Æneæ requiem poſuerat. Etiam generoſas mentes ſortis melioris expromiſſio ad ſervitutem domat; omnia fiunt ut paupertas fugiatur: nec iſte regii ordinis urſus recuſavit extremum ſervitii genus, quod in miſerrimum canterium torquatum equitem ignominioſiſſima metamorphoſi vertebat. Venalis eſt omnium vita, etiam eorum qui ſe à libertate vindicarunt: infamiam conſuetudo ſuſtulit. Nequé dedignantur Sabæorum reges, ubi odorata meſſe camporum hilaritas exultat, in fimeto conſiſtere.

Cum ergo pars eorum qui aſino ſerviebant præceſſiſſet, ut diverſoria in adventum celebris legati quam humane pararentur; Alii itineris impedimenta, auream argenteamque ſupellectilem, periſtromata, menſas, lectos, & quidquid ad magnificum apparatum luxuria & ambitio invenere, mulis, plauſtriſque inveherent; Nec deeſſent qui comitarentur inſidentem urſo legatum: Commodum, ſuperatis Alpium jugis (ubi nives illudentes calori Solis frigore ſuo radiorum flammantium impetum retundunt) ad Rubiconem venere fluvium,

Qui Gallica certo
Limite ab Auſoniis diſterminat arva colonis.
Tum latus in niveis fuſcum deponit arenis
Urſus. & obſtantes infringit pectore lymphas.
Inde abit ulterius, mediique per æquora tantum
Torrentis defert equitem, qui pallidus ora
Vertit ad oblatum littus, pedibuſque recurvis
Urſi terga premit. Stant circum brachia collo,
Cornea quæ duro devinxerat ungula cornu:
Succutiturque tamen, nec certo pondere fluctus
Suſtinet: & membris victoris lubricus errans,
Quid faciat neſcit. Multum poſt terga relictum
Fluminis, & totidem fallaces computat undas
Ante oculos. Tentat ſuprema pericula mortis
Evitare miſer; flexiſque utrinque lacertis,
Inter gannitus, vaſtum genitale natantis
Condidit in clunes, femori quo junctior eſſet,
Hæreretque magis: rabidoque hæc addidit ore.
Hi tibi ſint fluctus multa pro Ligeris unda,
Proque tuo amplexu crura hæc, proque unguibus inguen.
Auſonios addiſce pati nexuſque jocoſque,
Queis robuſtus Amor, queis gratia maſcula formæ,
Et melior Cypris fœlices ingerit ignes.

Interrupit dicentem adverſarius qui hactenus tacuerat, tam blanda oris ſeveritate, ut ſævientibus Jove & Neptuno in varias tempe-

ſtates

ſtates poſſet indicere pacem. Noli, inquit, ſuggillare vitia mea, & inutili deprecatione exigere à judice invidiam. Jampridem litis hujus infamiam ſuſtulit procera potentia. Sicut napelli aut aconiti flos lethalem torporem inter roſas & lilia perdit, ſic inter ſuaveolentes divitias non invenit foetens ſcelus ſupplicium. Quidquid ſupra nubes evexit Naturæ aut Fortunæ imperium, placide regnat, & quieſcit; infra nocuum frendent fulmina, corrugat aëris frontem ſpiſſius cœlum, aut cum grandine lacrymas exprimit. Iſta non tangunt Deos, quos humana ſuperſtitio temere fecit. Quidquid Poimenarchi peccamus, caſtigat auri fulgor, & occupatæ per timidam *mortalium* pietatem vires, quibus etiam in animas iniquiſſima *pœna ſævimus*. Non dedignabor mores meos ad cenſuram traducere, & *ſummoto fabularum* velo aperire ſcenam vitæ meæ. Statim *reliquit ruſticas veſtes*, ingens pallium cum purpurea tunica defluxerat in pedes; petaſoque capiti impoſito, & compoſitis circa pectus ſericis nodis qui de pileo tremuli pendebant, poſtquam expuit longa tuſſi marcorem, omiſſum ſermonem ſic retexuit.

Quod alter ſub aſini nomine luſit, tranſiit illud omne in partes meas. Illuxit naſcenti mihi peſtiferum ſidus, & contumacem ignorantiam animis ad ſcientias obductis inſevit. Sed nihil eſt ab omni parte miſerum. Pro ſolertia ingenii floridum corpus, & membrorum omnium gratia, benevolentia ſortis minor, *quæ literarum gloriam* pertinaci mendicitate vendens, *eos tantum amat, quos ſolutum* naturæ robur ad Muſarum & *Apollinis odium reliquit. Hinc inexpectatus* honor divinæ ad *Gephyrium legationis*, & *ſubitus in me* Geryonis favor procacem ad opes aviditatem antecedens. Hinc ſervile Philoceni officium, quod ab equite regio neceſſitas, & anhelantes ſub paupertatis pondere nobilitatis tituli extorſerunt. Satis ſub urſi fabula & perſona villici delituit: prodeat jam totus & ſuus in theatrum, ut ante iſtud Veritatis & Juſtitiæ ſacrarium agnoſcat me indulgentiſſimum patrem, feſtinata adoptione præoccupantem Naturæ leges, & prodiga liberalitate parentales curas prævertentem. Nam cum ex Eleutheria diſcederem, oneravi eum ingentibus donis, & ingratum juvenem ad partem lecti recepi, in his locis, in quibus olim Cæſar maluit occupare Imperium Mundi, quam relinquere. Nemo dixerit deformem roſam, quia colorem ſuum induerit à cruore inſidioſæ matris Cupidinis: ſic neque vituperaverit puerorum amorem, quod ubique fœminæ ſint. Nam neque corrumpit amabilem puerorum formam uſus, neque illud exoticum ſcelus vitiat duras Naturæ leges, quæ ultra Græciam utramque maſculum Cupidinem truculenter fugavere.

Perit Gratiarum pulchritudo, quando Vulcanus atra fuligine obſitus miniſtras imperitantis ſibi Veneris quærit ad amplexum; & nihil eſt quod homines magis à beneficiis deterreat quam ingratus accipientis animus. Plures hic turbo de ſublimitate Fortunæ diſcuſſit,

quam

Digitized by Google

quam ignavia, aut ignorantia. Non ceſſavi tamen immerentem amore ſimul & munere proſequi, pretia voluptatis externæ; quæ raro Eleutherianis niſi per inſolentiam & crimen placet. Ut vero me Gephyrius pallio coccineo donavit, Flaminemque fecit Dialem: quæſtuoſiſſima quæque ſacerdotia in Philoceni ſinum congeſſi, quorum reditibus inſolens inter nobiliores regni in laude & gloria vivit; cum apud eos divitiæ inter potentiam & virtutes numerentur. Deridet tamen alumnus infelix liberalitatem meam, præſcriptoſque ambitioni ſuæ fines ſuperbiſſima temeritate contemnit. Petitque hanc purpuram (quæ de Regum imperiis diſceptat) in auctionem & licitationem ſubſterni: Ut hoc ultimo beneficio ſaginatus nomen meum traducat ad infamiam, & celeberrimam auctoritatem per confragoſa paupertatis præcipitia ad exemplum innocentis Hippolyti taceret.

Nullæ nubes exaſperaverant ſplendorem ſpeculi, & conſtans loquentis imago quidquid poſtremus dixerat demonſtrabat à Veritate comprobari. Sed jam juraverat Philocenus in benefactoris obſequium, fidemque: exhortatione mea adductus ad aliquam rei familiaris curam, vitaturus deinceps prodigalitatis ſcopulos, ad quos plures juvenes impingunt quam cadaveroſi ſenes in avaritiam.

Tum vero movit obſtantem turbam validis pulſibus Acignius; & corpus inter frequentiam audientium impeditum velut è vinculis expediens, celerrimo curſu ſeſe intulit in os ſpeluncæ, proculdubio præda inſequentis militis horrendæ proceritatis, & qui pannucius totus nihil magis oſtendebat præter oſſa extuberantia quam gladium, quem obducta ad crudelitatem fronte intentabat in Acignii latus, niſi ruſticus æque laceris veſtibus percuſſum fuſte militem ad aliam pugnam revocaſſet: qui novam cædem videbatur facturus, niſi aſtantes reſpexiſſent ad pacem, & impetus furioſorum repreſſiſſent: Non aliter æris ſonus incitatos venantium clamore canes à morſu feræ reducens, ſævire eos ultra latratum non ſinit. Prior temperavit ab ira ruſticus, & candida fame labra ad hanc querelam deduxit.

Ut in corpore invalidum membrum continuis fluxibus debilitatur, & in lacunam omnia purgamenta peſtiferæ domus ingeruntur: ſic nos quaſi ſentinæ & debilia regni membra contagione & morbis civilibus atterimur. mortuum mare, ſterile ſibi, undas nobis inutiles ſummittimus alienis navibus, & ambitionem magnatum augemus noſtra ruina. Vetat hyems prominere herbeſcentes ſegetes, aut obterit eas ingrata glacie, aut immoderatis imbribus annuo naufragio mergit. Gemmas, quas in vitibus benigno flatu excitavit Zephyrus, naſcentes urit Aquilo, vel adultas grando proſternit. Spes omnes noſtras aut rubigo vitiat, aut Syrius conſumit, aut venti proterunt, aut lues tabida corrupto cœli tractu enecat. Ut in domo vetere omnes lapides excidium minantur, & amnium cunctorum curſus ad Oceanum: ſic nos innumeris malis affligunt mutationes temporum, & hominum ad aliena ingluvies cœli injuriis major. Pro crimine omni pau-

paupertas nondum ſatis extrema. Præter tributa & decimas, quas injurii domini pro reditu habent, damnamur ad inſolitas operas, & ad culturam alienæ glebæ inviti deducimur: Dum ſquallent pauca agrorum jugera, antiquum patrimonium, quod nondum omne perdiderunt avaritia pacis, & licentia belli. Sic nos miſeræ ſervientium animæ ignobili morte deficimus, nec aliud effuſi toties ſudoris ſanguiniſque pretium expectamus, quam virgas, ſecures, cataſtas, cruces, & alia pro dominorum ingeniis ſupplicia, quæ humana malignitas inferioribus intrivit.

Accedunt damnoſa fœnora, quæ pecuniæ cumulandæ cauſa intulit ingenioſa nimium & ſolers in ſplendorem ſuum ambitio, *quorum* fœturis citius otioſi in civitatibus diteſcunt, etiam *his* quos *cupido* gloriæ, aut utilitas mercium ultra Herculis *columnas* advectarum rapuit ad aliquam fortunam:

Hoc uſura vorax avidumque in tempora fœnus.

Poſt hæc, inæquali ſorte exactiones creſcunt; modo per capita, modo pro cenſu inferuntur, inveteratum malum, & quod in ſingulos dies fit robuſtius, dum ſpecioſis nominibus venena iſta teguntur, quibus minus vetus imperii ærarium quam paucorum qui male ſub regibus regnant polluuntur arcæ: qui falſis titulis ſuam crudelitatem, avaritiam, rapinas, remedia, ſubſidia, *vectigalia*, & *erogationes* vocant: nota publicarum cladium nomina. *Hinc ſit*, ut princeps pecuniis deſtitutus ſine auctoritate *reſtet; quæ* nunquam bene ſervatur, ſi deſint Virtuti ſua *præmia*, & *militibus* ex laboribus ſpes. Aurum enim in Republica idem eſt quod in humano corpore vitalis ſpiritus, quo cum ſanguine egeſto membra omnia in mortem patent. Tot in exercitu millia ſub paupertate laborantia onus ſunt & prædæ. Tum demum ærarium incuria & prodigalitate exhauſtum per *ſcelera* ſupplendum eſt. Empti milites inſtabili in imperantes fide, ubi ſtipendiis fraudantur, feruntur in furorem: &, ſi qui denique probi ſint, illos contagione ſua ad inſaniam rapiunt. Noſtra bona, quaſi hoſtile ſpolium, vænum dantur. Fœlices qui guſtavere tot mala, nondum autem fæcem omnem ebibere. Omnia ſunt in bellis civilibus miſera, ſed nihil eſt miſerius quam bene partis non poſſe frui. Gemunt percuſſi ſecuri boves, & inexpletos diurno labore novalium ſulcos implent cruore ſuo. Pelluntur oves à paſtu, & nuſquam redituris veſtibus exuuntur jugulatæ. Relinquunt ſub ipſis caulis dulces animas nutrices pauperis familiæ vaccæ, & ab uberibus ſuis lac extremum ſuffundunt. Cuncta denique velut pulchritudo floris matutini uno momento vaneſcunt, & nihil miſerorum oculis ſupereſt ultra cinerem & favillas.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames, & amor ſceleratus habendi?
Non tantum ſegetes alimentaque mitia poſcunt
Ad jugulum gladiis, ſcrutantur viſcera terræ,

Quiſ-

Digitized by Google

Quaſque recondidimus, Stygiiſque admovimus umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Nec iſte miles tot damnis meis ſatiatus pepercit liberis: temperavit quidem à mucrone, ſed tam improba humanitate, ut ſpiritum adempto victu lento effugio tenuatum pejus ſolverent, quam ſi eos enſis dediſſet neci, Diis infernalibus votum. Utinam tam in poteſtate mea eſſet acceptarum cladium obliviſci, quam tacere! vel, ſi negaret recens dolor ſilentium, vita me infelix cum voce nihil profectura relinqueret! Similes ſumus ſerpentibus, quorum morſus torpent ſub frigore; nos noſtra imbecillitas arcet à nocendo, & nunquam niſi cum anima exertum aculeum relinquimus, quem aliena injuria in ſui ultionem expreſſit.

Ad hæc miles; Quod, inquit, in cœlo primum mobile, hoc apud nos Acignius civilium motuum cauſa omnis & origo. Alii iſtius agitatione inſaniunt, hic ſua: nunquam ceſſaturus niſi Eleutheriam in ditionem Liphippi miſerit. Etiam in ſudo pacis graſſatur inimicus ignis varia face, quæ flammas ſuas in plures ſpecies mutat, & multivago fulgore coruſcans pro tempore colorem induit & cum tempore deponit. Jactamur interim civilium bellorum tempeſtatibus, & ,ut in irato mari fit, diverſis flatibus turbarum ſeditionumque; quæ prudentibus eo apertius videntur, quo teguntur ſecretius. Neque enim moveri poteſt & contundi hoc imperium, niſi ante cives cum civibus concertarint, & ſic defeſſi ac exangues inhiantibus Iberis tradantur. Relinquo annorum præteritorum triſtia monimenta, hoc luctuoſiſſimo exemplo contentus, quod me ad paupertatem duxit per eandem viam qua reliqui regni nobiles ad certiſſimum exitium inconſulto præcipitantur. Quid aliud Retiarius ad Gephyrium miſſus legatione ſua peregit, quam ut invicem bellaremus? Quid aliud Acignius cum Geryone, quam ut Eleutheria gignendis inimicitiis per ſe nimium fœcunda ignotæ potentiæ ſubderetur? Pudet referre aviditatem innocue prædantis, ad quam nauſeant etiam hi qui ignominiam conſumpſerunt. Hoc, quodcunque eſt, Acignius fecit; ſive ille Geryonem ad odium vocare voluit, & Liphippum ad regnum: ſive male quæſitæ poteſtatis fautor, maluit Eleutherianos perdere, quam ſervare. Verum eſt, aguntur bella iſtius ductu, & nondum tamen infamia peſſimi excidii ceſſit in auctorem. Per hunc Geryon regnat; per hunc Geryonis parentes affineſque aſſequuntur periculorum præmia, etiamſi periculis non affuerint. At reliqui magis inopia quam laboribus feſſi in ſcelera ruunt; cumque videant interclusum ſibi ad honores & divitias iter, credunt innocentibus aliquando licere nocentes eſſe. Hinc ſeditio, libido, ſævitia, & quidquid privati hominis nomen ſupra principem elatum contumacibus in gloriam animis immittit; impatientes obſequii ubi eum imperare vident quem ad ſervitium & dedecus natura genuerat. Ab eo fonte ira & queſtus, &, poſtquam non ſubvenitur, quiſque ſibi remedium quærit à licentia,

Digitized by Google

ad quam facile ducuntur juvenes quos penuria à virtutibus ſejunxit. Eos amici pariter & inimici per colonias, municipia, urbeſque, atque oppida diſperſos nunquam tuto excipiunt: ſpoliant, rapiunt, non ſacro, non prophano abſtinent: feruntur in omne nefas, cunctis obnoxii. Non enim habet legem neceſſitas, & jejunus ſtomachus, & corpus petitum ſæpius telis; quod peſtilentia & fames citius hoſte corrumpit. Hæc ſi me (ô Alithophile) ab accuſatione ruſtici non liberant; ſi nocens eſt, qui non ſponte eſt nocens; ſi paupertati frænos imponitis quicunque aut auditores hic adſtatis aut judices; ſi auxilia vitæ, miſeris militibus erepta, etiam merentibus denegatis; ſi vobis ignotum eſt,

Quid cæde calentibus armis,
Quantum ira liceat, motuſque quid audeat enſis:
Si vobis ſceleris tanta eſt injuria noſtri:
Mergite me fluctu; vel ſi ſuprema recuſant
Fata moras, juvat hoc ſcrutari viſcera ferro.

Demiſerat in terram capulum, compoſitamque aciem gladii ad pectus tentabat, cum ſic orſus eſt Acignius.

Quotquot orbis terrarum reges tenet, hos omnes Gephyrio ſubdidit religio, & fortuna in illius imperium obſtinata. Metus, & terror, & ſeveritas, vincula ſunt auctoritatis, quam *in omnes principes* ſparſam dudum agnovimus, exuta libertate, & *adempto per inquiſitiones* loquendi audiendique commercio. *Sic paulatim refracto* pudoris clauſtro in populorum *animos irrepſit adoratio* Gephyrii, & eos in Imperatores armavit *quibus audacia fuit* recuſare ſervitutem. Data deinde imperia, & immutato ordine naturæ Gephyriani ad externa ſceptra vocati: inter quos etiam vetere inſtituto delectus fuit. Ut enim aquila pullorum generoſitatem experitur ad radios Solis: ſic Gephyrius principes, prolem ſuam, ſi ad lumen religionis male fideli oculo conniveant, præcipitat è Solio regali, veluti adulterinos & degeneres. Unde fit, ut ille plerunque in primogeniti jura ſuccedat, cui reverentia major & conſtans in patrem obſequium. Et jamdiu eſt, à quo minorem natu Liphippum fratribus præpoſuit. Frangit nimirum naturæ leges paternus amor, quem gratia filii, & pietas, & probi mores fecere. Fateor, vehemens olim fuit in Eleutheriam Gephyrii affectus: ſed, ut ſolent mobiles eſſe hominum voluntates, illius inclinatio in Liphippum ceſſit: pro quo laboramus, ut, fractis per bella civilia Eleutherianis, irrumpat in florentiſſimum regnum Europæ caput, &, ſi ſorti placeat, poſt paulo umbilicus Ibericæ dominationis. Nec iſte miles & ruſticus, quod querantur, habent, tot actos labores, tot damna paſſa: quos pro religione bellantes æternitas excipiet, & certiſſima felicitas, quæ tantum illis patet, quos ad utilitatem Liphippi, & Gephyrii nomen mors funerata eſt. Non ſuſtinuit inſolentiam Daphnis, ſed Acignii intempeſtive mentientis vultum excuſſiſſima palma percuſſit: juſtiſque injuriis incitatus, in alios

quo-

quoque corporis partes ſæviiſſet, niſi Acignius, relicto inter manus verberantis pallio, per mediam turbam fugere cœpiſſet. Neque diu moratus Daphnis relictum pallium in militis faciem miſit, hoſtile ſpolium. Sed & hic, ut juſtam ruſtici litigantis querelam leniret, abſtinuit Acignii pallio, & reliquis permiſit judicium.

Tunc Botris pro præcone agens, Si qui, inquit, reſtant litigatores, hos univerſos & ſingulos ad hoc tribunal ſiſto. Nec mora; vir quadragenarius, ut apparebat, paululum ſemotus à turba, ejulans, ac dilanians impexos crines, ut ante me ſtetit, in hunc fere modum declamavit.

Quod adhuc ſpiro & vivo, fecit mendacium: quod hodie vobiſcum mori geſtiam, Veritas faciet. Intus eſt accuſator qui me ad tribunal veſtrum traxit. Lancinat me conſcientia mea, & internas lites movens, petit à juſtitia veſtra ſupplicium dignum criminibus meis. Cruentus enſis jam ſuper impia cervice pendet. Omnia lacera ſunt, perdita omnia, ſi ſemel ſemoverimus probitatem, & ab horrore imminentis necis ſubtraxerimus corpus alias pro Veritate moriturum. Neque ego à benignitate veſtra licentiam dicendi depoſcam. Licet enim magnitudo rei grandia verba detrahat, quibus deberem loqui, ipſa tamen hiſtoriæ novitate ſecurus, judicio meo demerebor ſilentium.

Nondum Clodovæus Typhone percuſſo exuerat ſervitutem: nondum imperium Protagonis receperat: & jam tamen nuptiæ, jam prolis ſpes, & omnia futuræ regni fœlicitati accommoda: Circenſes ludi, ſcenicæ artes, & loquacia per lationes & mutos motus tripudia. Inter quæ nobiliores Eleutherianorum equis invecti Sybariticam ſaltationem explicuere. Intentæ ſublimioribus palatii tectis nubes ſpatioſam aream tegebant: Pone feneſtram, è qua ſpectabat cum conjuge ſua Clodovæus, theatrum vacuum erat. Ac primo ſimulata fulmina cum ſtridore è ceraunoſcopio excuſſa: mox disjectæ nubes loco ſiderum varia lumina aperuere. E ſummo deinde projectu verſatiles machinæ deſcendentes Venerem cum Cupidine ſuo, Gratiiſque, Polymnia, ac Pallade, vacuo hactenus theatro tradidere. Nec mora; acido cantu cœleſtis turba hoc verſu regni numina ſalutavit.

Nos veſtro famulæ jugo
Orbis quidquid habet congerimus Deæ,
Et palmis tegimus thorum,
Quem non tempus edax deſtruet, aut ſequens
Ætas. Jam veniet cohors
Multa gente gravis, fertilibus comis
Excuſſura ferociam:
Qui Syrtes Libycas, qui Tanaim colunt,
Aut Tigrim rapidum bibunt:
Parthique, atque Arabes, Æthiopes quoque,
Et Pœni fragili fide:

Hos nunc veſtra vocat copula, non mala
Veſtris abſtrahat imperis
Sortis ludibrium, non necis impetus.

Sequutus eſt cantionis dulcedinem tubarum ſtreperus clangor, & in hippodromum cum equitibus ſuis educti equi, revocantibus interim Parcis cantatrices Deas in ſuum theologium. Hinc Aſſyrius eques compoſitus in majeſtatem equum ſuum ad concordiam præcinentium tubarum regebat. Proxime, laxatis frenis in ſpeciem pugnæ, volitabant Maurus, Medus, Parthus, Arabs. Non deerat equiti Perſico quem Tolmites, non Ibero quem Ajax, non Germano quem Enedrevus repræſentabant, gentilitius tumor. *Scytha veloci actu* percurrebat omnem aream. Tardum Suevus ititabat. *Laſciviebat* Gaditanus. Convolabat Syrus cum Turca. Finiebant agmen Græcus, Thrax, Polonus atque Italus; omnes ad eumdem concentum momentumque diverſis itineribus ad varias figuras revertentes, tam facili equorum recurſu, ut putares univerſos agi ab eodem rectore. Diverſas quippe ſingulorum actiones, motuſque, ſub iiſdem indicationibus ultimus numerus terminabat.

Jamque humiles, jamque elati ſublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque aſſurgere in auras:
Nec mora, nec requies. At fulva nimbus arena
Tollitur, humeſcunt ſpumis, flatuque ſequentum:
Tantus amor laudum, tanta eſt victoria cura.

Tandem ad carceres ſuos revocati glomeratis greſſibus equi, documentum ſpectantibus præbuere, generoſum animal ideo ſocium hominis nominari, quod polleat ratione, Martis ſimul, & Muſarum cupitor.

Hic finis ſaltationis Sybariticæ præbuit initium proditionis in Enedrevo, non aliter quam peſtilens ventus civitatis minatur deſolationem ubi ab exciſione unius familiæ funeſtus incepit. Singuli eadem perſona in qua ſaltaverant ſuas domos petiere, uno Ajace excepto, qui audito lucis propinquantis gallicinio, in proximo angiportu quo reliquum noctis duceret, elegit Timandræ domicilium. Erat illa nationis Iberæ, tam commendato ſermone ut ſpecioſiſſimam etiam formam extingueret mirabilis facundia: neque uxor erat Ajaci; nam & Monaſonis ſoror, quam juſtis nuptiis ſibi junxerat, nuper reliquerat vitam. Ut Enedrevus, cui ſola Ajacis gloria ad honores obſtabat, hominem contrarium fortunæ ſuæ vidit tenſis dudum retibus implicatum, ad palatium recurrit, monetque regis oculum, (ſic ille vocabatur qui ſtipatoribus corporis regii imperabat) infidum Ajacem eo cultu, quo Liphippi cultores uterentur, Timandram nocte intempeſta periiſſe; proculdubio inſidias ab utroque in Clodovæum ſtrui, nec aliud agi in tam ſcelerato colloquio, niſi ut Gallia Iberis in prædam cederet. Statim viri fortes, qui pervigili cuſtodia fores palatii ſervabant, irrumpunt in Timandræ domum, divellunt clauſtra,

& reſi-

Digitized by Google

& reſiſtentem inſultantibus Ajacem vario vulnere confodiunt. Includitur robori Timandra, & illi robuſti latrones poſtquam ædium omnium ſecreta veſtigavere, nudato Ajacis cadavere, ruptiſque veſtibus in quibus ſaltaverat, imaginem Liphippi inter thoracis ſuturas inveniunt, in ea parte, quam, ſi viveret, concuteret cordis ſpirantis ſubſultus. Sed neque exiſtebant qui Ajacis fidem labefactatam, corruptumve ad ſcelus pecuniis animum dicerent. Unum illud mortuo objiciebatur, familiaritatem cum Timandra, imaginem Liphippi intra veſtes inventam, & quod inter tot larvatos Iberico habitu viſus eſſet in celeberrima ſaltatione. Cuncta, ſi abfuiſſet invidia, vix digna levi caſtigatione. Sed Enedrevus Typhonis gratia ſubnixus ſingula in deterius vertebat. Hinc inſcio Clodovæo faucibus obliſis Timandra cum Ajacis cadavere deturbata in Gemonias.

At Tolmites Monaſonis frater exaſperatus ſupplicio profratris, & imminentis exitii intelligens ſi negligeret bonam mortem, juravit ſe omnia potius toleraturum quam ſe ſummittere per execranda facinora quæſitæ Enedrevo fœlicitati. Potuiſſe eum per oſcula & complexus inſidias ſuas tegere, jampridem aulica conſuetudine exercitum celare odium fallacibus blanditiis. Ajacem pridie quam necaretur cœnaſſe apud Enedrevum, poſt cœnam induiſſe Ibericas veſtes, quibus per famulos ſuos Liphippi imaginem inſuere potuit Enedrevus. Hactenus infractam fuiſſe Ajaci erga principem ſuum fidem, in eo virtutum & ingenuarum artium perfectam fuiſſe collectionem, inque cultas urbium inſidias, incultarum villarum intaminatos affectus, & ingenium ad bona natum. Semper aliquid habere ex iniquo omnem necem juſſam aut perpetratam de nocte, ſine legibus, ſine defenſione. Neque jam dubium erat Enedrevi fraude interemptum Ajacem. Itaque Tolmites ſpem in virtute ſua ponens, & ſalutem in victoria, jubet me appellare Enedrevum ad ſingulare certamen. Aſſiſtebat ei Tarſias, qui dudum Typhonis voluntatem veneficio quæſierat; hic caſum eundem cum Enedrevo popoſcit, deformi humanitatis jure, quod nos, vitæ commodis ſejunctos, ad idem genus mortis vocat. Ridebat uterque periculum ad quod ducebatur. Sed neque Enedrevus naturam ſuam exuerat, comi extrinſecus ingenio, & eo etiam jactantius generoſiore, quo facilius tegeret novæ fraudis deſtinationem. Ac primo Tolmitis quaſi amici dextram complexatus, juravit ſe puris manibus ad inviſum certamen accedere, malle tamen ſontem exiſtimari quam ſupplicem. Experiretur, ſi vellet, innocentiam loquentis; recepturum ſe arma in tutelam fidei ſuæ quoties provocanti placeret. Tum ſecurior de facilitate credentis, addit amplexum, quo impeditus Tolmites certius caderet: quippe clam educto pugione Tolmitis tranſadigit latus, nihil ejuſmodi in tanta oſtentatione amicitiæ metuentis. Nec ille mortali vulnere accepto ſine vindicta cecidit: irruit in Enedrevum, fortique ictu enſem evaginatum perfido pectori condidit. Statim expreſſere ſpiritum, & ſimul inter homines agere deſierunt.

Digitized by Google

Eccè, dum in auxilium Tolmitis convolo, inſequitur Tarſias, & à tergo incautum tranſverberat. Solutæ venæ egeſſere maximam partem vitalis ſpiritus, &, niſi hyems frigida coagulaſſet per profundum patorem erumpentem ſanguinem, pari cum Tolmite exitu lethæos tentaſſem fluctus, & Cerberi latratus audiviſſem.

Sic cochlea contis
Torta retorta gemens tardantia vina repellit,
Quæ capiant laxo pendentia vimina labro.
Fit fluvius rubei laticis, quem lenta refundunt
Torcula ſuppoſito lacui: ſtagnantia donec
Munera Divorum deſertis uva racemis
Comprimat, oppoſitis molis qua mollius altas
Vimen agit rimas, quo Bacchi defluat imber.

Hic fortuitus caſus pro medicina corporis fuit, & membrorum omnium ignavus torpor animi ſolatium. Tandem velut ſomno excitatus intelligo me Tulliano clauſum. Dum vulnera mea obligata, dum carcerem miror, dum ſurdis parietibus inſidias Enedrevi detego, dum me indicio ſceleris relictum conqueror, proxima grabatulo in quo jacebam janua tenui ſtridore reſeratur. Intravit in cubiculum miles ignotus, &, adducta poſte, peſſuliſque firmata, ſilentium in hæc verba rupit.

Via unica eſt, Pinotidi, qua effugere potes alioquin inevitabile ſupplicium. Semper leges in duellatores armavere ſe atroci ſævitia, ſed illis nunc edicto Clodovæi exaſperatis metuentior metus, cicutaque & cruce mors violentior. Ut umbræ terminus lucis eſt initium, ſic timoris excuſſio, libertatis. Nuſquam bene liber eſt, qui robore tenetur. Aude aliquid animo tuo dignum, & ſpiritu meis monitibus excitato, ſubtrahe te à forcipibus jam capiti tuo imminentis Proſerpinæ, & à Charontis cymba refer pedem. Certum eſt, fatales Parcæ undequaque imminent: ſed fugienda eſt crudelitas, & tortor, & rota. Valet etiam apud poſteros memoria honeſti exitus: at omnis pœna, manu carnificis publico ſpectaculo inflicta, ſemper aliquid habet ab ignominia. Neque me tibi implacabilem faciat quod Tarſiæ amicus ſim: cauſa veſtra ſeparari non poteſt. cum in eadem nave tentetis Acroceraunia, eadem vos Scylla, eadem Charybdis aut abſorbebit, aut evomet. Quis in judicio innocentiam Tolmitis ab Enedrevi fraude ſejunget? Quis Tarſiam percuſſorem dicet, abſoluto Pinotidio? Veritas in judiciis nunquam niſi teſtibus quæritur; reliqua vana & reo nuſquam profutura, maxime ubi generoſioribus etiam exitium jus præſcribit. Nemo miſer mentiri recuſabit, cui ex mendacio ſupererit ſpes. Hoc unicum iter eſt quod te ad ſalutem ducit. Finge ergo, male præviſo Enedrevi & Tolmitis certamine accurriſſe te, animos exulceratos ad amicitiam reducturus; cæterum, malo tuo fato inveniſſe in necem furentes, adeo ut te amicorum vulnera impedire volentem demerſo per coſtas gladio capulo tenus proſternerent. Ex-

cipiet

Digitized by Google

cipiet loquentem Tarſias, jurabitque viſa ſibi fuiſſe terna cadavera, cum in eum locum veniſſet quo duellum inter Tolmitem & Enedrevum rumor popularis vulgaverat: nec potuiſſe uti animo ſuo ad amborum concordiam, quando conatus ſuos antevertiſſet fatum, utroque jam mortalitate exuto. Cui judici videberis falſa dicere, veriſimilia proferendo? eritne aliquis damnaturus jactatam amicitiam? quænam tam efferæ leges invenientur, quæ ſupplicium bonis civibus inferant? nimirum peribis tu qui mortem contempſiſti ne alii perirent. Jam libertas in arduo montis ſupercilio attollit ſigna, claroque tubæ ſono ad oſculum ſuum te vocat. I, erige te: & horrore carceris mortiſque fugato reſtitue te tibi, & in ſpem melioris vitæ utili mendacio marcentem animum demulceto.

His dictis, reliquit cubiculum, & me ſititorem libertatis in ſuas rationes traxit, quibus mitigati judices, me, Tarſiamque, per eandem mendacii januam incolumes dimiſere.

Statim ab ipſa Pinotidii querela ignari Acignii irarum multa militum manu cingimur, quam offenſus ducebat Acignius per ſicarios Geryonis vindicaturus injuriam ſuam. Undique ſtricti gladii comminabantur mortem. Ceſſerat omnis miſeratio indignationi, & nihil inter tot imminentes neces certius ad ſalutem fuga. Primi omnium clientes manifeſtis ictibus attriti ſuo damno ſenſere quantis periculis Veritas quæreretur. Mox explicata latius peſtis in ſocios meos graſſata eſt varia clade. Quippe hoſtilium armorum diverſitas diverſum vulnus fecerat. Talis in Pirithoi nuptiis pugna fuit, ubi non una nece Centauri cecidere. Et jam neſcio quis immenſi corporis miles vitam meam elato mucrone pretium ſceleris ſui petebat: Deus, profecto Deus, divertit ictum, & nondum Veritatis aris debitam victimam ad noviſſimum ſacrificium ſervavit.

Commodum Acignii crudelitatem aliquantulum evaſeram, ſolus: niſi quod timor, & pallor, & trepidatio, & in fatigato per ardua montium & lubrica vallium corpore horror necis, nondum deſeruerant fugientem. Defecerat membrorum robur, & ceſpes in ignotis agris ad laſſitudinis ſolatium pone fluvium thorum fecerat. Aſſurgebant humili faſtigio ad dextram colles, in quibus generoſiſſimis vinetis Bacchus triumphabat. Qua campus æquior, flaveſcebat meſſe ſpiſſiſſima Ceres: eo formoſior, quoniam à pluribus annis jejunium poſuerat quod olim indixerat raptus Proſerpinæ. Neque minore cultu fonticulos dulce manantes ſequebatur Flora, quæ florida veſte in ſuaviſſimam ſeſſionem nymphas invitabat.

Lucebat tertius poſt fugam meam veſper, & ut alter Hercules pluribus catenis attonitum facundia populum, ſic ille præcoci lumine ſequentia ſidera trahebat. Nec jam inſtabili face fulgebat Luna: coierant in orbem ſuum cornua, & ſine nubibus in ſpeciem dubiæ lucis coruſcabat. Neque ſomnus dulcedine ſoporis inquietas palpebras gravabat, ſed eas ventorum ſuſurri, & foliorum motus ad perpetuas

Digitized by Google

excubias aperiebat. Dum auſculto ſi quid ſolitudinem loquacitate ſua frangeret, & arrectis auribus ad omnem ſtrepitum vigilo: proximus ſonus pavidam mentem confudit: Donec inter virgulta emicuit virgo, tam facili curſu, ut aut Camillam, aut Peneiam, aut Atalantam velocitate ſuperaret. Inſequebatur feſtinantem piſcator in ſenilem ætatem jam vergens, qui labore anhelo laſſitudinem poplitum ad victoriam corrigebat. Ut me aſpexit: Ne, inquit, quiſquis es, mendacem fœminam ſine pœna permittas elabi, quæ datam fidem ideo violavit, ut & ſibi libertatem profligandi pudoris faceret, & miſero mihi moriendi neceſſitatem indiceret. Remiſit illa de celeritate ſua: &, Si, ait, huic placeat de cauſa noſtra cognoſcere, extra invidiam crimenque nomen meum ponam, & validis rationibus promiſſum meum liberabo. Cum annuiſſem de patientia mea, collegit altius ſpiritum, & mox verecundos geſtus in hæc verba compoſuit.

Ratum erat in litem noſtram Monaſonem pro judice accipere, aut alium quemlibet ad antrum Veritatis populis reſponſa dantem. Sed illi qui inter ſolitudinem ſapientiam quærebant, per Acignii potentiam in excidium petiti, & plerique eorum ſemineces, fracti alii, fugatique feſtinatione, victoriæ relicti.

Geryon Albam obſederat; Albanique per exploratores acceperant, partem exercitus ad vindicandam Acignii injuriam deſeruiſſe caſtra. Erupere omnes per obſeſſæ urbis portas, & incautos hoſtes trucidavere, onuſtique præda redierunt victores in urbem ſuam. Iratus Acignio Geryon, quod milites ſine imperio ſuo de vallo & aggere traxiſſet, putavit eum acceptæ cladis cauſam; & inſolentem hominem, qui de fortuna ſua tantam licentiam uſurpabat, juſſit à vultu ſuo ſecedere.

Videbatur oppreſſa Veritas ſub Acignii auctoritatem, reſumptura vires, & deſideratam tamdiu pacem oculis amabilibus proſpectura. Sed obſtitit Geryonis furor, cujus ſævitia veluti procella concuſſi Veritatis ſectatores, qui Acignianam feritatem effugerant, ſub vinculis habentur. Iſta bonum hunc piſcatorem ad impatientiam obligavere, qui petiturus erat à Veritatis judice, aut mortem ſuam, aut nuptias meas. Cæterum plerique Deorum etiam extra cœlum ſuum regnant, neque omnes qui verum amant ſacrariis Deæ retinentur. Patet omnibus coruſcans numen, &, ſi quando aliquid diſtulit, tandem cumulate reponit. Quandoquidem autem te diva illa (quæ larvales impetus & mendacia comprimit) ſortis ſuffragiis ſelegit arbitrum cauſæ noſtræ, permitte narrationi meæ tuas aures, pro qua laboraturus ſum ne non placeat.

Hominem me natura creavit, ejus ſanguinis, quem ſi vellet renaſci Jupiter Saturni antiquitati præponeret. Sed nemo ab omni parte fœlix de cunis ſuis ſurgit; inſipientia fortunam antevertit, aut ſequitur: & niſi iſta ſint, quoniam nullum præcoquum durabile eſt,

cito

cito virtutum ſemina crudeſcunt, & nunquam perveniunt ad frugem niſi per injurias aëris & hominum invidiam.

Hoc, & ætatis ſimul paritas, Clodovæo me junxit. Enimvero nullus inter ambitioſos & invidos bene quieſcit. Et quia principum amicitiæ lente augeſcunt, ſubito extinguuntur, ubi inſuſurravere inimici in regis aurem, ut adoleſcentis admonitus contemneret, ſtatim regno depellor & avidis imperandi ſucceſſoribus juvenem principem relinquo. Diu per Italiam exilium meum circumtuli, per Tuſcum tandem, Siculumque mare, devectus Melitam, (quam perpetuum bellum ſupra omnes Europæ inſulas evexit ad famam) ibi prima militiæ ſtipendia ſub Apolide merui. Dein auſpicio facto, votiſque in littore Neptuno reduci ſolutis, armati ingredimur navem, numeroque potiores hoſtes primo congreſſu fœlici temeritate ſuperamus. Non durat ad extremum ſors faventior, immutat vultus, & maligno aſpectu terret, quos celeri gradu ad læta promovit. Aurum & gemmas ad ima viſcera telluris fæx obducit, & nunquam bene fulgent niſi iſtas & illud ignis examinaverit. Inhorruit æquor, adverſo flatu verberati fluctus impediunt remos: nunc velut è ſcopulo pendemus, nunc reductis undis arenam pulſamus, & ipſa Tartara trepidi intuemur. Donec diu per Acroceraunia jactatos ad Locrorum terram impulere venti. Jam ratis laxatis compagibus aperuerat coſtas, & per plures rimas acceperat mare: Cum Apolis imperterritus Tyndaridas in tempeſtate oſtendit, tempeſtiva oratione animos ſuorum militum ad tranquillitatem reducens.

Scitis (inquit) non aliis hoſtiis placari Phæſtium Apollinem, qui hic pietate cæca colitur, quam humanis: & his maſculis quos aut fortuna belli, aut ventorum iræ permiſerunt Locris. Tantum externæ fœminæ in oraculi fidem ſervantur, quod ab amplexu Locrorum regis & alienigena muliere dudum prædixit naſciturum principem, ſedem imperii orbis terrarum aut Oeanthen aut Argon Eupalcam facturum. In eam ſpem ab omnibus univerſi partibus conquiruntur puellæ & matronæ expectatam ſobolem daturæ. Quærendum eſt effugium, quo Cyclopum carnificinas, & Phorbantis implacabilem ſævitiam vitemus. Certum eſt; videbimus Tænarum, & victimæ infelices ante aras Apollinis ſine vindicta jugulabimur, ſi recuſetis conſilium cujus ſalubritas non aliter quam per exitum comprobari poteſt. Quotquot hic viros eſſe oſtendit barba, induite illico mercatorum habitus, & fingite vos per ſinum Criſſæum in hanc oram ſponte deſcendiſſe, ut ſpecioſiſſimas formas per varia maris terræque pericula quæſitas addiceretis emere volentibus. Nos, quorum vultibus tenerior ætas nondum virorum notam inſevit, mitellis colligabimus crines, annulis aures onerabimus, & varia mulierum veſte ad exemplum ſervientis Herculis fortia evirabimus membra. Sic vos titulo negotiationis tuti, ad mercatum cæteris expoſitis, mox vænum datis, reparato navigio inviſetis iterum amicas terras: mox plurima

Digitized by Google

nave, ſelecto milite farta, reduces vindicabitis ſervitutem noſtram, & periculo imminentis necis commilitones veſtros præcoci celeritate & intrepida virtute liberabitis.

Simul raptim ad hanc ſimulationem immutato habitu, compoſitiſque geſtibus ad faciliorem propoſiti ſucceſſum, pars impoſitam mercatorum perſonam mentita eſt, reliqui muliebrem laſciviam induimus. Tum vero invaſere littus Locri, ſciſcitantes quod genus hominum & unde eſſemus. Cum aſſeveraſſent ſimulati mercatores ſponte ſe in illorum plagas incidiſſe pretioſiſſimas merces ſub haſtam miſſuri, formas nimirum quibus liberi homines parerent: expediunt decepti hoſtes pretium ſervitutis ingratæ, & me cum *Apolide aliiſque* imberbibus ſociis (qui ementito ſexu fœmineis *veſtibus deliteſcebant*) emptoribus tradunt. Sic captivi Danai *in voto latentes* ſtipabant equi Trojani receſſus, ut per fraudem finito decenni *prælio* aliquando Trojam caperent.

Jam noſtri mercatores artis fallacis proſpero eventu lætati, & pecunia ſatiati quæ nos ſervitio proſcripſerat, vela ventis dederant. Jam Locrorum regis hortis incluſi expectabamus commilitonum reverſionem. Jam ſinguli cuſtodum moliebamur gratiam, ut relaxatis clauſtris mutuo alloquio ſervitutis tædium poſſemus eludere: &, ſi ita expediret, juvare nos conſilio & ope reciproca.

Adventabat ſacrificii dies quo Phæſtio Apolline *humano* ſanguine placato per ſortes eligenda erat inter *captivas fœminas quæ proſtitutione* ſua parentaret oraculo. *Quid debent expectare ſcelerati, ubi innocentes* ducuntur etiam *Deorum juſſu ad pœnam?* Intelligo nihil magis obeſſe duraturæ fœlicitati, quam prudentia, aut caſtitas. Hoc argumento incidi in miſerrimam conditionem, quæ me in proximam noctem de turba captivarum ſelegit contra naturam ut maſculus parturiret. Cæterum benignior ventus diſtulit recens propoſitum, & miſeriarum pelago vagum ad humaniorem portum per varios anfractus deduxit.

Erat inter principes regni corporis mei cuſtos Gnoſius quidam, qui longa mecum aſſuetudine amorem hauſerat, deceptus muliebri ſtola, & in omnem patientiam ad imperium meum contumax. Non paſſus eſt vocari me ad alienum complexum: & ut fugæ proſpexit, præcipiti deliberatione quam libido faciebat ante ipſum Apollinem Locrorum regem moleſtum rivalem immolavit: acceptoque fratre cum pretioſiſſimis ſarcinis miſerum me criminis ſui præmium paratæ ad fugam navi reddidit. Scilicet plerique hominum iraſcuntur illis vitiis quibus ſuum ſæpiſſime nomen maculant, & omnes præpoſteri motus nunquam bene ſuſtinent alienum exemplum. Volunt ſoli peccare, quibus inſolitum ſcelus pro gloria eſt, aut ipſa potentia, impunitas. Sic recedente paulatim littore in altum componimur, incerti quo nos fata ferant, & ubi quietem ad colligendum ſpiritum promittant. Septimus Sol Dianam innumerabili ſiderum caterva

comi-

Digitized by Google

comitatam relegabat Lathmon. Gnoſius amoliri à ſe fratrem cogitabat, & ſopitum ſomno de puppe in fluctus dejicere; facilitate credendi, quæ zelotypo perſuaſerat eum qui amat ne fratrem quidem tuto ſuſtinere poſſe. Cum diu per diverſa maria jactari innatantem inſulam proſpeximus, nullis fundamentis telluri cohærentem, ſed communibus radicibus avulſam, fluctuantemque, in modum Delus Latoniæ: Haud mora ingreſſis errantem terram, mira omnia provenere. Depoſuit Gnoſius cæcæ libidinis vulnus, & fraternum odium in amicitiam vertit. Neque ego illi amplius interni cauſa morbi, aut ſpes incolumitatis: momento fœnilis flamma diſparuit: & me non dominam, non Vindocinam, ſed ſocium & Vindocinum cœpit appellare: ignotum illi hactenus nomen, & quod ultra natalem meum ſolum ſine reverentia eſt. Fecit idem & hic piſcator, qui hodie me in thalamum poſcit, & connubiales leges. Nam cum inter inſulares piſciculos vimine incluſos, aut hamis dependulos, duceret in littus: occurrit ſtupentibus nobis, ſinguliſque noſtrum ſuis nominibus ſalutatis, agnovit hominem eum quem hodie nimium pertinaciter credulus in uxorem ambit. At enim nondum Lethæos fluctus potaverat, qui illi dudum mei ſuique cognitionem ſubtraxere. Reddideramus ſalutem, & ille, miſeratus ſtuporem noſtrum, humaniſſime viſa miracula, & quonam terrarum eſſemus, expoſuit.

Nondum, inquit, hæc Veritatis inſula eruperat in mortalitatem quando Saturnus incolebat terras. Homines Diis æquales ignorabant vitia, uſque dum fœcundum malis vas male curioſus Epimetheus in humanam perniciem aperuiſſet. Tum demum mortalium contubernium dedignavere Virtutes, & paucis hominum ſecum raptis (quos nondum auri fulgor ad omnem pravitatis licentiam obcæcaverat) ſeparavere has terras à continente: quas in ſpeciem ratis vagas incertis curſibus agunt venti, & undæ ſub tantæ molis pondere laborantes. Hac nave, prudentiſſimi mortalium vitavere cataclyſmum, cujus damna Deucalion cum ſorore jactis poſt tergum lapidibus reparavit. Inde inter utramque ſobolem mira diſparitas, & diſſimilitudo. Pars, incrementa ſaxorum, prodigioſa pullulatione quotidie creſcit in immenſum, & nunquam niſi ad ſcelera movetur. At hi, quos Veritatis inſula in probitatis ſemen nutrit, pauciſſimi numero, conſervant aurei ſeculi gloriam, & nunquam niſi ad rectum ſuſpirant. Tuti ſine legibus, quoniam ſine ſcelere viventes æmulos patientiæ & conſtantiæ omnes accendunt, & hominum mentem ad perverſa facile degenerantem ſuo exemplo ad rectum detorquent. Fit tamen aliquando ut longo diſcurſu inſularibus actis, vel morte diminutis, ad novum germen ſponte ſua inſula iſta cohæreat continenti, mox probis incolis exculta, recedat ab alieno agro, & antiquam navigationem interfuſo mari repetat.

Ac primum impacta Pyræo continuo terrarum tractu occupavit Græciam: quo tempore celebres illi ſeptem ſapientes orbis miraculum

lum credebantur. Hinc aquis reſtagnantibus oppreſſa pars *Siciliæ*, & Brutium ſolum à Trinacria divulſum. Poſt Socratem tandem & Platonem rediit Ionium mare, cavique arenarum gurgites recepere fluctus, qui ſupernatantem Veritatis inſulam quæſitis diu terris Latio ſtitere. Suſcepit laſſatam Tyberis, & vicini ponti ſpretis imperiis de perpetuo tributo aliquantulum remiſit.

plenas capit alveus oras,
Subſidunt lymphæ, colles exire videntur.
Surgit humus, creſcunt loca decreſcentibus undis.

Vivebant hoc ſeculo Curii, Fabriciique, &, niſi Julius occupaſſet regnum, etiam Catone fatis functo, in celeberrima urbe permanſiſſet Veritas, neque hodie diſtracta à Romanis *ſedibus vaga tellus*, ageretur ad Neptuni libitum, & ventorum licentiam. *Sed ubertas & affluentia* antiquiſſimam civitatem totius orbis dominam enervaverunt; ubi maxime urbanitas fuit, & eloquentia, ſuſtinere mendacium: antea ſcurrarum vitium; quod poſtea Conſulibus etiam in laudem & lucrum ceſſit, ubi Imperatores proborum ſtudia adulantibus poſtpoſuerunt. Poſtremum delata qua *Rhenus* prorumpit in Oceanum, Gallicum littus ſubiit regnante Philippo Pulchro. poſt paulo levitatem gentis exoſa deſeruit Belgas, & locum, quo nuper adhæſerat, permiſit incrementis liquidæ Amphitrites.

Intremuit, motuque vias patefecit aquarum.

Nunc, quo ſe ſiſtat, non habet; *adeo nationes omnes ad verum nauſeant.* Hoc unico remedio reparatur, ſi *inter profundum deſcendant* in hanc inſulam navigia, & onus ſuum fluitanti terræ committant.

Sed neque durat omnibus Veritatis amor. Animus à pueritia corruptus malis ſemper delectatur, & ad omnem virtutis ſplendorem expavet. Plerumque initiorum acerbitas delicata ingenia deterret. Alii, paupertatis tædio quæ hic religioſiſſime veneratur, ſteriles terras & importunis ſenticetis horrentem inſulam, ad commodiorem culturam relinquunt. Aliqui in tantum profecere, ut contra mundi illecebras audeant attollere oculos; ſed non pertinaciter. Cedunt innatæ imbecillitatis vitiis, & dubio itinere inter bonum pravumque ducuntur, oppreſſis aliquantum affectibus, nondum tamen bene firmatis, ad perſeverationem veri. Pauciſſimi à pravitate naturæ degenerant, & temporariam quietem æternæ commutantes, per corporis incommoda animi tranquillitatem emunt; quibus eſt quædam paupertatis ſuavitas, & ſolitudinis ſolatium, humanis negotiis non ſollicitari. Iſti excedentem ab orbe ingeniorum fertilitatem ſuſtinent, & lento tepore non augent literarum nomen, ſed conſervant; mortem omnibus ab utero æqualem oblivione apud poſteros aut poſthuma laude diſtinguentes. Soli omnium ſine timore pœnæ ſequuntur rectum, ſolis mortalium recondita quælibet patent, ut enim quiſquis venit in hanc inſulam perpetuus incola futurus, ſimul induit omnes ſcientias

& qui ſint, quid velint, unde veniant qui hic rate devehuntur, certiſſimo norunt. Revelat nimirum Veritas cultoribus ſuis ſecretiora, ut non ex oculis, ſed ex mente judicent.

Præter hæc quæ tunc narrabat piſcator, notavimus inſulares unum tantum Deum agnoſcere; cultumque tanti numinis incorruptum nunquam ad ſtatuas & inania ſimulacra tranſlatum. Non ibi aræ, non templa, non ſacrificia; abhorrent ab illis ceremoniis per quas ſuperſtitio animos hominum ad terrorem devincit. Orientem adorant Solem, & in illa luce auctorem univerſi æterna ſobole humanum genus propagantem. Vivunt aut vento chamæleontis in morem, aut herbis lethaliter amaris, quas tellus arida inter arenas & vepres emittit. Alii maris & aquarum vapore ſaturantur, tam peſtifero halitu graves, ut ne Mephitis quidem fœtidius oleat. Multis pabulo ſunt ſcarabæi, fuci, cicadæ, formicæ, vermes, & alia ſectilia. Plerique loligine, ſepiis, polypis, ozæna, locuſta & aliis piſcibus veſcuntur, qui ſanguine carentes, vel rara carne ſunt, vel tenuitate pellis conſpicui in modum cryſtalli tranſlucent. Omnes aut abſtinentia ſolvit, aut ſua mors trahit in tumulum. Summa macies renudat oſſa, alimentique penuria quidquid de corpore deducit impendit in animi vigorem. Et quia maxime laudari merentur, nulli patientius reprehendi ſuſtinent, neque mitius alienis criminibus iraſcuntur. Cunctis unica toga, & pileus unus: hunc & illam initiatorum exemplo nunquam deponunt; nam, quod vetuſtas abſorpſit, centonibus reſarciunt; velut olim Argon Æmoniam Athenienſes, quam perpetua reparatione conſervatam ter mille annos poſt Iaſonem duraſſe hiſtorici tradunt.

Ibam per totam inſulam lento gradu & corpus jejuniis grave modo per arenarum deſerta, nunc per ſqualentes littorum ſinus circumferebam: cum intentum piſcationi & ſcaphæ inhærentem implacabilis ventus diſtraxit in mare. Fugerat à longe natans tellus, & nihil aliud in conſpectu meo reliquerat fortuna præter cœlum & undas, & iſtum, qui nunc importunus litigator priſca ſolatia in injuriam vertit. Ecce! omnia alia timebam præter homines: cæterum plerumque initium calamitatis eſt ſecuritas. Expedivit ſe de fluctibus nova inſula: viſos intravimus receſſus, & per flumen (quod ibi aquas ſuas æquori maritabat) devecti, in ripam ſeceſſimus. Ut vero bibit iſte argenteas lymphas, oppreſſit eum ferrea oblivio, & in ſtupida ignorantia ſtatim conquievit. Putares Cydni, qui Ciliciam interfluit, liquore diriguiſſe, ſi aut Alexander fuiſſet, aut rigore fluminis frigidum corpus ſummoviſſet ſpiritum. Contra vitalis calor crevit, & me (novo monſtro turbatus) fœminam exiſtimans populante altius flamma incaluit primo, mox junctis mala fide pectoribus, ſi negligerem ſuccurrere furori, videbatur ruiturus in mortem.

Terrebant me, ſolitudo loci, & ſine rectore ſutilis cymba, ſi deſperarem inſanientem amatorem. Promiſi nuptias meas, modo reſumeret vires, & me natalibus oris redderet. Hac conditione placuit

cuit piſcatori matrimonium. Fecit quod promiſerat, hodie fidem meam poſcit, & à te, cui data eſt cauſæ noſtræ cognitio, inutilis ſtipulationis utilem expectat eventum, quem impoſſibilitas negat, & fiduciam deluſi hominis in irritum transformat. Ardet nimirum mas in marem, & furioſum amorem deſperatione auget, cui promiſſis meis Natura potentior, & cœlicolæ, qui facta impia deteſtantur, remedium recuſant.

Finierat. Contra piſcator reſpondit, Non eſſe omnino circuitu agendum, maxime in illis cauſis in quibus veritas facto ſtaret. Produceret adverſarius partes quibus viri ſumus, & ab oculis ſuis quæreret ſibi judicium. Nec minus alter revelatis cruribus ſexum ſuum aperuit, manumque dexteram ingenti feminum ſarcina complevit. Hoc aſpectu verberatus piſcator in proximum gurgitem, quem vicini fluvii rapidior impetus faciebat, ſeſe non tardatus immiſit. Percuſſi recanduerunt fluctus: diſceſſere primo in exiguos orbes, deinde in latiores, qui poſt paulum evaneſcentes in planitiem fluentis aquæ ſoluti ſunt. Exeruit poſtremo naufragum caput ab amne, qui repetitum circumactumque infeſtis vorticibus corpus ſicco littori reddidit.

Promittebat domorum vicinitatem circumjacentium agrorum cultura ad proceritatem ſegetum vinearumque luxurians. Humeris piſcatorem imponimus, iter ad oſtia fluvii carpentes; ac momento temporis in humilem aſcendimus collem, è quo vimine obducta tecta proſpicimus, tuguria agreſtium quæ ſequuta fluvii amœnitatem ripis inſiſtebant, in monticulo ſita, & clivo adeo fallente aſſurgentia, ut alias, quam cum aſcenderis, non ſentias te aſcendiſſe. Stabant ante fores mater & filia diurno penſo fuſos implentes, qui filo tenui de proximis calathis ſubinde ducebantur. Sed filia ſuum opus morabatur, intenta carmini quod ſuaviſſima voce canebat.

Oſchara qui placido curſu, criſpantibus undis,
Volvis lapillos aureos:
Et dulci retinens defeſſam murmure Lunam
Ad littus invitas tuum:
Carpere ſeu malit ſomnos, ſeu clamore procaci
De nocte nymphas ducere
Ad numeros agili ferientes ter pede terram.
Hæc inter attriti gemunt
Per riguum nati gramen ſub pondere flores
Quos unda nymphis educat.
Venit & ad turbam ſatyrorum læta juventus,
Meroque Silenus gravis.
Quique colit vineta jugis innata propinquis
Lyæus invectus cado.
Et ſuccincta caput flava Trinacria meſſe.
Num juvit & me ponere
Quas Amor accendit duras in pectore curas

Molli

Molli ſub alga littoris,
Quod ver perpetuum veſtit florentibus herbis ?
Hem duco mecum numina,
Per quorum jurare faces arcuſque ſeveros,
Mortale formidat genus,
Cum videat non ferre pios ſua vulnera Divos.
Si ſcire quæ ſint expetis :
Durus Amor, comiteſque Dei, luctuſque dolorque
Hac turba lecto me trahens
Excutit è ſomno, & ſecum mea gaudia defert :
Urit medullas acriter,
Et flammas animi repetitis ignibus auget.
Quid lentas expectas tuam
Si nunc fata ſinunt Alithophile viſere Chlorim,
Multum furentem fundere
Quicquid habet rabidi flammarum in ſanguine amoris
Lauroque myrtum jungere.

Ut expoſuimus piſcatoris caſum, orantes extremam defuncto humanitatem, ſexagenaria mulier minus polita quam ſincera reſponſione animorum perturbationes fregit.

Raritas conciliat rebus admirationem : ſub oculis poſita ſolemus negligere, pro incertis maria tranſmittimus & in extremo orbe ſtulti tum mentis, tum corporis ægrotationibus, quærimus remedia quæ Natura ante pedes poſuit. Seu quod omnium rerum deſideria langueſcunt ubi vicinitas & occaſio utendi facilitatem fecere, ſeu quia differimus videre quod quoties placuerit poſſumus. Permulta in ſolo noſtro nata negligimus, quæ ſi portentoſa ſervaret Ægyptus, aut Græcia miraculorum ferax, ſingula jamdudum luſtraſſemus, longinquorum nimium curioſi. Quid juvat currere per Ionium mare ut Amoris flammas extinguere poſſis, premere Deucalionis exemplo Actæas aquas, & præcipitem ſe dare per ſinum Ambracium, quem in ſimilitudinem jacentis rotæ Leucates promontorium circumſcripſit ? quid Anterotos numen agnoſcere, & apud Eleorum gymnaſium ſacrificare oblivioni ? Melius Selemni aqua præterlabentis Achaiam fluvius iſte ab amore liberat, & Cupidineis affectibus abſtinentiam inducit, coërcetque ſuo frigore voluptuarios motus. Hoc docebit vos iſte, qui mox cum ſomno relinquit antiquos ignes, oſtendetque nondum ſe mortalium numero decidiſſe.

Ut flores relaxata hyeme in tepore inchoantis Veris frangunt terram, & debili faſtigio micant, poſtmodo calefacta humo vernant, ſurgunt, aperiuntur : Sic piſcatoris pectus extolli primo cœpit, & ſpiritus alte conditus emergere, poſtea fortius egeri, pulſari ſalubri pulſu tempora, aſſurgere demum cadaver, &, ut antea ſolebat, loqui : niſi quod omnia alia meminerat præter amorem, cujus flammas inter nivales aquas venerabilis fluvii reliquerat.

Tacen-

Tacentibus nobis ad hoc miraculum, repetiit mulier *quod omiſerat*. Et nihil magis, inquit, in Poëtis condemno, quam quod *fabulis* Naturæ providentiam tegunt, & occultas vires cuncta moventis ad inanes cauſas & ridicula facta referunt. Sic Selemnum in Argyræ formam æſtuantem deformatum in flumen fabulantur quod Cupidineos ignes fugat. Sic Salmacidem oblaqueatam amore Hermaphroditi Cariæ fonti mollitiem dediſſe. Anigrum induiſſe peſtilentiam de cruore Centaurorum quos Hercules interfecit. Clitorium abſtemios facere de facto Melampi Amithaonis filii. Arethuſam Alphei flammas vitaſſe mergendo ſe in ſpecum, ut per *obſcuros terræ* meatus concavaſque partes errando, inſinuante ſe fluctu *telluris* anguſtiis, adveheretur Ortygiam. Citius anhelos *equos æquore Phœbus* tingeret, quam Poëtarum figmenta ſuper *ejuſmodi fluminibus* dicto aſſequerer. Fragilis & laborioſa mortalitas in Naturæ *ſecreta* raro pervadit, ideoque miracula putat illa quorum rationes cauſaſque ignorat, &, cum veritatem occupare non poteſt, recurrit ad fabulas.

Sic fractis publicorum ingeniorum aculeis hebetantur mortalium ſenſus, &, cum ultra capacitatem ſuam inquirant, contra Naturam furente zelo torquentur. Ridet ejuſmodi deliria ſapiens, quæ pervicax ſuperſtitio & ſcrupulus innocens invenere. Aut enim veræ rationis ſcaturiginem novit, aut alium noviſſe *exiſtimans*, ingenuè fatendo inſcitiam ſuam, non erubeſcit hæſitare ad *abſcondita*. Habent omnia proprietates ſuas, & ab illo *momento*, *quo creata ſunt*, ſummi numinis munera conſervant, *quæ per experientiam & tempora* in apertum proferuntur. Pauci anni ſunt, à *quibus iſtius gurgitis* mirabile frigus, quod Amorem extinguit, hoc caſu revelatum eſt.

In faucibus Pyrenæi montis qui inter Hiſpaniam & Gallias jugum ſuum extendit, niveſque & nimbos ſublimi vertice ſuſpendens inculta vaſtitate horret, ſpelunca collibus affixa reſpicit mare, qua Gades & Calpe Euripi anguſtiis includuntur: domus Eurybati infamis piratæ, vicina maria terraſque deprædantis: cruentarum prædarum receptaculum, & ſpoliorum infœlicium ærarium. Infra, plures ſinus errore multiplici per concava telluris currentes. Supra, os arctatum, decreſcente paulatim itinere quod ab imo ad exitum *cavernæ ducit*. Hinc Eurybatus injecto in intima terrarum fune, Stentorea voce, Alliga captivos, Atrax, quos heſterni diei fortuna victori permiſit. Statim de abſcondito tenebrarum receſſu educti adoleſcens & adoleſcentula, tam fœlici pulchritudine, ut putares inter arenas ſurgere lætiſſima roſarum liliorumque vireta, niſi quod demiſerant in terram vertices, quos captivitas languidos fecerat. Tunc invocato proſpero eventu ſic ad adoleſcentem victor.

Soror tua inter catenas & vincula libertatem ſibi fabricata eſt, & victorem me traxit in ſui adorationem. Ubi Zephyrus tota rupe ſepultus dudum temperavit à flatu, iraſcitur Æolo, & motu ſuo terrarum itinera interturbans, blanditur Veneri, quam ad fontium murmura,

mura,

mura, & graminis laſciviem vocat. Ceſſant nimbi, pruinæ, glacies, & meliore vultu collucet ſerenitas cœli. Non es primus, cui maximæ fœlicitatis exordium Fortunæ crudelitas attulit. Parum abſunt ab extremis calamitatibus inexpectata ſalus, & gloria & divitiæ. Ego vero, quamquam alias imperare poſſum, deprecor in matrimonium ſororem tuam. Si facis hoc, utere omnibus quæ in poteſtate mea ſunt, & famoſiſſimum ducem, tibi amicitiam & duraturum obſequium conciliantem, dignare affinitate tua.

Non vacabat reſpondere ad cuncta timenti; lingua quippe vim ſuam perdit in eo qui ultra ſpem beatus eſt. Silebat adoleſcens, cum ſic ad Eurybatum adoleſcentula. Immoderatas miſerias excipiunt plerumque tranquillitas & lætitia; non habent extrema modum. Fulmina prærapida celeritate excuſſa diſſipantur illico, & eo minus perdurant quo ferocius micuere. Tot caſibus calamitoſiſſima capita inundantibus ſuccedit Amor, noſtris injuriis iratus, &, quam conditionem in libertate ſperare non audebam, captivis ingerit. Nunc ſecura libertatis, ad genua tua depoſito capite, compendium breve neceſſitati depoſco: liceat uxoris nuncupationem ſacrificio prævertere. Silentium fratris pro conſenſu eſt, qui fugientis comes, & infortunii ſocius, gentilitiis ceremoniis totus incumbit, & Junoni jugali meditatur votum. Accendere tædas, conſtrepere hymenæum, immolare victimas Eurybatus cœpit. Simul clamoribus inquietis miſcentur omnia, ſævit armatorum manus feroci eruptione, feſtique diei hilaritatem in horrendam faciem tranſmutat.

Liphippi recens edictum, impunitatem, bonam famam, reverſionemque in patriam latronibus piratiſque conceſſerat, qui piratæ latroniſve abſciſſum caput detuliſſent in curiam. His præmiis excitatus Celadon Melandriorum ſecundus terror, ſuam infamiam aliena morte liberare voluit, & commilitonis cæde ſalutem emere. Tentata itaque militum fide validiorem prædonum manum armavit in ducem. Crudeſcere interim ſeditio, & ab inconcinno murmure ad gladios & tela tranſire. Pavens Eurybatus, & ad repentinum tumultum deſperabundus, timenſque ne quod etiam poſt ſuam mortem ſpolium rebellibus relinqueret, quæ natura trepidantium eſt, intentuſque captivæ nuptiis, inter ancipitia belli pactam uxorem perdere maluit quam Celadonti reſervare. Commeavit ad novam conjugem, & inter ultimum oſculum inſeruit enſem amato pectori, idem bonus maritus, & cruentus percuſſor. Tum vero omni timore calcato, & eo generoſior quia jam chariſſima quæque perdiderat, irruit inter ſpicula gladioſque hoſtiles, certus effundere ſpiritum, aut retinere per virtutem. Adeſt plerumque temerariis victoria. Cecidere cum Celadonte rebelles, & validas manus, quas ad erogandam ſtipem aperire non potuerant, poſt ereptum ſpiritum armatas ferro retinebant: ea etiam cura prædonibus honeſti exitus fuit.

Cæterum Eurybato Martis Dei blanditiæ pro ſævitia erant, & hoſtium,

Digitized by Google

ſtium, cædes, invidia. Ejulare, ſingultibus aſſiduis illa quatere, dolere, lamentari, nemo latronem crediderit, niſi prius in barbaris adoraverit humanitatem. Frons, oculi, vultus, perſæpe mentiuntur. Domat feras mentes Cupido, ubi ab aureo arcu dulces ſagittas decuſſit. Immitem Polyphemum ad ſuſpiria coëgit pulchritudo Galateæ, & inter horrorem ſylvarum, Deorum contemptum, hominum necem, à puella victus, fletus uberrimos ab oculo miſit.

Cædis amor, feritaſque ſitiſque immenſa cruoris
Ceſſant, & tuta veniunt abeuntque carinæ.

Traxit ab inferis Plutonem Proſerpina, Tantaloque atque Ixioni remiſit pœnam.

Agitur novis furiis Eurybatus, & lymphatico ritu torquet ſe ad inſanos motus. Periit, quia perire non potuit, & inter victrices palmas renuntiat ſaluti. Tinctus hoſtili ſanguine, ſuum amiſit, totque infeſtis ſpiritibus ad Acherontem miſſis, non retinet ſuum. Ut vero ad mortuam (quæ ante ora ſpeluncæ in cruore ſuo jactabatur) rediit, queſtus de crudelitate fatorum, laceravit veſtes, amplexatur avide corpus exanimatum, furentique oſculo adhæret cadaveri quod ipſe fecerat: & tanquam ſuum crimen excuſare vellet, dedit domum ſuam conditorium defunctæ, poſitoque ad antri aditus immenſo lapide, diu multumque defletam dimiſit, & caſum ſuum inſana voce queritans, egreditur de Pyrenæis montibus, ſolatium in ignotis terris præſumens, inque horrida ſolitudine pii ſceleris ſupplicium. Vagum tamen hominem comitabatur luctus, & quia, cum aliena deſereret, inferebat ſeſe amor conjugis, & furor, & inſania, trepidum pectus occupabant; adeo pauci ſunt qui ſe in poteſtate habeant, & facilius eſt totum populum ſervitio premere, quam erigere animos ſupra minas & tumultus fortunæ. Tandem poſt errores diuturnos venit in has terras; &, extructo in proximis collibus tuguriolo, radicibus diu paſtus, corpus ſemivivum ægre licet traheret, ægrius tamen mentem, cujus ærumnas cumulabat tempus, & otium, & amiſſæ conjugis deſiderium. Unde & hodie in limine eremi ſimulacra Mortis & Amoris, hic arcu protenſo, illa concuſſa falce, ad æternam facti memoriam ſtantia viſuntur. Legiturque hoc Eurybati epigramma: nam & ipſe componebat carmina ubi aliquid de impetu ſuo furor remiſerat.

Quid fugis, ah demens, comitantes pectora flammas?
Sævus habet pennas, ſpicula ſævus habet!
Prævertit celeri fugientes improbus ictu,
Et volucri penna, quod fugit, aſſequitur.
Si vitare velis durantem in vulnera dextram,
Ad quæ confugias brachia Martis habes.
Una eſt, & verax ſumma virtutis imago,
Vivere cum poſſis, non timuiſſe mori.

Concluſerat epigramma; ſubiit intemperans humor, qui ſenſibus immo-

immoderata inſaniæ permixtione vitiatis totam mentem præcipiti & extremo corrupit exitio. Non potuit pati diutius indomiti mali vulnus ſaucium pectus: domeſticis Eurybatus concitatus furiis egit ſe de ſaxo, quod impactos vicini fluminis fluctus elidit. Vaſtus ruentis fragor aures noſtras invaſit. Accurrimus. occupaverat jam canum littus exangue corpus, cum mox inter obluctantis animæ moras, & crebros ſingultus, jam ſanus & fœlix, experientiam fecit aliquid eſſe quod inſanos Amoris affectus ſanet. Hæc aliquando Apolidi narrabam juveni nobiliſſimo & formoſiſſimo, qui caſas noſtras hoſpitio ſuo dignatus fortunatos nos ſolebat dicere, qui remoti ab ambitionis ſtudiis otium & vitæ tranquillitatem ſequeremur, unico mortalitatis incommodo à Deorum vita diſcrepantem. Tum ille, poſt longa ſuſpiria & lacrymas in Eurybati caſum miſerabiliter ejectas, Hæc, inquit, vis vorticis, quæ Cupidinem in frænis habet, majore diligentia contemplanda eſt, & ad aliquam naturalem cauſam indagatione ſolerti deducenda. Hanc ego de frigore natam auſim aſſerere quod rigore ſuo contrarium ignem depellat, & penè cum amore ſummoveat animam.

Sub ipſis fluvii aquis exprimuntur gelidi fontes, qui pluribus venis eluctati acceptas virtutes & potentias receptaculis ſuis inferunt. Saturnus, ſive plumbum viſcoſæ materiæ impactum nexumque, ſubtilibus fibris quod minus concretum eſt eliquat. Illud ſi præteriens unda ſecum trahat, proculdubio qualitates induit Saturni, qui ſiccus & frigidus fugit coitum,& maligno aſpectu Venerem premens oſtendit odium quo in ſequiorem ſexum crudeliter inclinat. Similiter argentum de ſympathia Lunæ, quæ frigida & humida eſt, pruritus Venereos enecat: unde & caſta Diana à Poëtis vocatur, & abſciſſa Saturno genitalia fabulæ referunt. Itaque, ſi per minera plumbi aut argenti colantur fontes qui occulto itinere ſubeunt terras,ſtatim exuunt nativum ſaporem, & inſertas metallorum potentias verberatione crebra motuque ſuſcipiunt, rigorem materiæ, per quam fluunt, beneficio trahentes; frigusque Saturni aut Lunæ, aquis, in quas deſcendunt, penetrabili gelu inurunt. Hinc contra faces Cupidinis virtus, & frigidus torpor, & inſperata quies æſtuanti animæ conceſſa: Quod apertius videtur in lapidibus, quorum vires utrunque ſidus auget recondita communicatione aſpectuum, qui procul à ſublimi ætheris vertice diſcretas gemmas celeri tranſcurſu corroborant. Inferiora quippe ſuperioribus per mutuam applicationem copulata miraculorum ſpeciem exhibent. Hinc turchelia, androdamas, chalcedon, enydros, exebenus, frigidiſſimi lapides, de utriuſque ſideris aſpectu amentiæ amoris medentur, & libidinem frænant: cum ex mixtione terreæ qualitatis in concoctione ſua nihil obtineant de qualitate ignea. Hæc conſervat terra, & emittit. Videamus quid aquæ ut medicatæ ſint ſorbeant, ut excludant deſideria libidinis & omnem pruritus titillationiſque affectum.

Digitized by Google

Veſtiunt aliquando fluminum fontiumque ripas gramen, & herbæ, cupidini medicamina: inter eas, haſtula regia, ſabina, ruta, vitex, ſylveſtres lactucæ, cunila, & nymphæa. Quæ omnes aut vires ſuas tranſmittunt, affunduntque fluviis per radices ad ima ſubeuntes, aut folia, floreſque, ventis & autumno excuſſos permittunt ſubjectis fluctibus, quorum humore corrupti ponderibus ſuis deprimuntur; hos unda tandem devorat; quæ novis ſuccis imbuta, pari cum littore ſuo medicamine ſuperbit.

Erat aliquid quod ultra malorum meorum partem inquirerem: laborabam in Apolide; & ipſa cupiditas ſciendi quis ille eſſet, fletus meos, & lamenta tardabat. Prævenit Vindocinus deſiderium meum, & ad anum, Rogo, inquit, mi parens, noli deſtituere cupidum adoleſcentem ſua ſpe; perge ulterius, & iſtum Apolidem deſcribe mihi, ut ſciam an ſit ille quem quondam apud Locros in fœmineas veſtes inſertum & abſconditum deſerui. Pluris hoc faciam, quam ſi omnes ab occulto latentes Naturæ poteſtates in apertum exercitata ſubtilitate produceres. Iſtæ, inquit puella, meæ partes erunt, ſi laſſata mater ſubſiſtat & ſcenam mihi longioris calamitatis permittat extendere. Conceſſit mater. Tum illa; Mediocris Apolidi ſtatura, moderatus geſtus, ſingultus frequens, capilli nigri, & in modum corvorum quoties ad ſolem convertuntur deflexi, varie pro ſua nitentes agitatione.

Sic picturato prætexens aëra limbo
Ducit ab adverſo ſpeciem Thaumantias aſtro.

Frons porrecta, arcuata ſupercilia; cærulei oculi, & fulmina ſubinde torquentes; naſus neque in labra depreſſus, neque recurvus in frontem; oſculum quale Venus blandiebatur Adonidi; genæ, mentum, cervix, manus, roſarum liliorumque cognatione notabiles. Hem! adeſt, exclamat Vindocinus: agnoſco ducem meum, & jam reducem lubens amplector. Prope etiam erat ut exclamarem, Et hæc quoque Chloris mea eſt, niſi recepiſſet interruptum ſermonem virgo, &, Hoc, ait, in poſterum probatæ humanitatis erit ſi ſine exclamationibus facili patientia loquentem velitis audire: ultro etiam veſtros affectus excuſo, qui ab auribus ad oculos deduxerunt audita, & præſentes vultus finxerunt quos à nobis tanta maria & circumfuſæ terræ revellunt. Paruimus imperio. Tum illa factum ſilentium hiſtoria memorabili remuneravit.

Tantæ pulcritudinis adoleſcens iſtius domunculæ latebras inviſerat. Illuſit Cupido ſimplicitati meæ, & ruſticam puellam ſævienti face irritavit. Ceſſabat antiquum in tædas jugales odium, & modo, quæ tot petentes eram averſata, nuptias ultro petebam. Reſtitit Apolis, & blandiente dicto revocare me ab inutili amore conabatur. Ignis repulſæ crevit, & in imo corroboratus membra omnia in maciem & languorem trahebat. Monuit tandem ut propinqui vorticis experirer potentiam, & morbum quem ſanare non poterat aliena

medicina

medicina expellerem. Ratum erat uti conſilio temere amati ſi ultimam querelam contempſiſſet. Ingredior de die Apolidis cubiculum. Cubabat ille meridie, & ſolis æſtus humenti ſomno demulcebat.

Invado dormientem effuſiſſimo amplexu: &, Teneo te, inquam, qualem jamdudum petieram. Dimovit ille ſomnum, & obſtantes libertati ſuæ manus de pectore ſuo decuſſit. Dii boni! quæ rerum facies? quod formæ monſtrum? Pendebant è collo inornati capilli, & ſideribus ſimiles oculos veluti nube tegebant. Pars avulſa candidiſſimos flores ad miraculum aperuit. Protuberabant gemino colle lactei ſinus, qui nudi ementitum ſexum cum ſtupore meo vulgaverunt. Vix me ſuſpexerat, conſedit prior impetus; ſervataque ſuavitate purpuræ quam fecerat ita innata modeſtiam verecundiſſimo rubore notavit; & quas ad ſupplicationem porrexeram manus ſuis interſerens, Vides, inquit, ut miſerabili ureris flamma; quam virilis habitus mendacium ſuſcitavit. Ardebas hactenus in muliere virgo, & niſi prodigioſo cupidini medelam caſus attuliſſet, manebat te triſtis exitus, & adductum ad deſperationem vivendi tædium.

Quid ſis nata vides, niſi te quoque decipis ipſam.
Et pete quod fas eſt, & ama, quod fœmina debes.
Spes eſt quæ capiat, ſpes eſt quæ paſcat amantem;
Hanc tibi res adimit.

Quandoquidem autem tibi ſexus meus pateſcit, nolo te fraudare majore cognitione vitæ meæ, cujus recordatio præteritorum malorum gravitatem obruit, & lento torpore ſolvit moleſtiarum ſollicitudinem, ad quam miſeram me Fortunæ crudelitas reſervat.

Nolens deducta de viri manu ad invitum torum, poſtmodo ſum experta quas inimicitias male contracta matrimonia parerent; quam injuſte lex regni divortia ſuſtuliſſet, & impio vinculo retinuiſſet quos hymen male invocatum funerali face luſtravit. Multi hodie mariti vivunt pudoris illius beneficio qui raro ſexum noſtrum niſi cum virtute omni deſeruit. Illos tamen creberrima vota pulſant ad tumulum, & niſi nos reverentia famæ contineret, plures Medeæ, & Clitemneſtræ, quam Alcyones & Alceſtes invenirentur. Omnino diſplicebat maritus: ſed neque tunc erat alius qui placeret. Poſt quinquennium viſo Alitophilo exarſi, & nondum corpore adultera innuptam me deſiderabam, ut amatori meo præter ætatis florem totam me & ex voluntate traderem. Cæterum intempeſtivo connubio ſociatæ ſola corruptarum nuptiarum vindicta ſupererat. Adjuvabat deſiderium ſoror mea provectioris ætatis, quæ marito meo infenſa per reatum meum quærebat illius contumeliam.

Sed ſi jam vellem fines tranſire pudoris,
Hic major culpa cauſa futurus erat.

Marito caſtellum fuit ad Oſcharæ ripas, quas altiori culmine tegit, & preſſos lapides ſublimi mole patefaciens in palatii ſuperbiam elevat. Illic ſæpius convenimus conciliatrice ſorore, quæ eo ardentius

Digitized by Google

ſequebatur Alitophili partes, quod aliquando ſimili adultero mancipata, delectabatur adoleſcentis imagine, qui vultu & voce, & geſtu amatorem ſuum referebat. Interim, ſi quid ab amplexu vacabat, ſcribebam verſus, qui abſentem Alitophilum revocarent. Hinc illi quos habes à manu mea; & quorum concentus dulcedinem ſi ſervaveris, habebit aliquid Arion quod invideat.

Timendum erat ne voluptates ſatietate langueſcerent; providit caſus ne impune liceret eſſe beatis. In ſuſpicionem quippe Alitophili maritus meus neſcio quo modo inductus ultionem parabat. Expugnaverat zelotypiæ dirum venenum otioſum hominem, & incertum ſpiritum ad crudelitatem verterat. Nactus deinde occaſionem vindictæ, homicidio quod cogitarat accingitur. Utebatur adoleſcens contigua domo. Ecce, dum de nocte dormitionem capeſſit, improviſum adoriuntur armati, & circumfuſi per latera male reſiſtentis inſiliunt, premunt, vulnerant: &, niſi proſternatus moribundo ſimilis pedibus pulſaſſet terram, nunquam ſicarii temperaſſent ab ictibus; contra glomerata procella procidiſſet amatum caput, & ad necem non dubiam vapulaſſet.

Hujus cruenti facinoris fama totam civitatem pervagata, non alium nocturnæ cædis auctorem quam maritum meum faciebat, eo manifeſtius, quod in fuga inter jacentis pedes pileum reliquiſſet. Hoc, ut infœlicis aures percuſſit, denegatæ voluptatis indignatione furens, incenſos animos ad ſcelus acuebam: cum litteræ mihi ab Alitophilo redduntur, in hunc modum ſcriptæ.

ALITOPHILUS CHLORIDI S.

NOndum me pœnitet uſurpatæ per furta licentiæ. Firmiſſimum vinculum erit geminatæ affectionis, ſi nos diſſociari non ſinas. Minus me mariti tui vulnera quam tua cruciant. Iſta, æterna erunt: illa, jam evanuere. Adeo Marte acrior eſt Cupido, & periculoſius ferit. Præcluſit aditus rumor in caſtellum tuum, opportunum tamen clandeſtino colloquio locum inveni, ſi nihil omiſeris de amore tuo. Cras me reperies in templo Veneris Hetæræ quod ultra urbem eſt. Illic conſilium quod utrique expedit aperiam. Omnia ſalutaria & commoda ſi mature veneris. VALE.

Placuit invitationem ſequi, cum jam expectatione turbida etiam de momenti mora conquererer. Deceſſit nox, &, ut ſequens dies Solem Mundo reddidit, ſacrario Veneris illabor. Prævenerat Alitophilus diligentiam meam, & ante pulvinar Deæ procumbens, ſolitariam complexatus ſtatuam, propitium conſiliis ſuis invocabat numen, & hoc votum inſerebat ſaxo quod divinam imaginem ſuſtinebat.

Dea, quæ flaminibus ſiccis inducta fugas nubila, quam cum gaudio elementa omnia ſuſcipiunt, quæ tempeſtates revocas, coërces inimicos ventos, deſolatam terram reparas, extinguis diſcordiæ ſemina,

con-

Digitized by Google

concordiam ingeris; permitte nos aliquando quieti noſtræ, & cœptis meis aſpirando famulos tuos conſerva, quos ferventior in numen tuum cultus ad odium mortalium crudeliter expoſuit. Si tuis precibus, Deorum Dearumque iræ remolleſcant, inviſemus ſaluberrimam illam tuam ædem, quam Pyrenæus in arduo montis ſuſpendit, & initiati ſacris tuis, ſoluti voto quod ſincera fide ſignamus, docebimus alios, per te ſolam genus humanum conſervari.

Ubi nos voti reos fecit, deſeruit ſtylum, & lento ſermone cunctabundus ad me, Ut, inquit, mea Chloris, effugiamus mortem, tibi moriendum eſt. Cum devoviſſem caput pro ſalute loquentis, ille pauca, quæ ad rem noſtram pertinebant, ſic profatur.

Ea volui ſcire, quæ non modo ab Europæ terminis disjunxit Natura, ſed & ſecreta illa quæ ubique terrarum penetralibus ſuis reſervat. Cum enim denegetur nobis diu vivere, diſcendum eſt aliquid quo nos vixiſſe teſtemur. Cita morte præoccupati terram relinquimus. Minus tamen queruntur hi quos philoſophia ad reconditarum rerum miracula vocavit. Hoc adminiculo multa percepi quæ vitam melius ſuſtinerent, & mederentur periculis, quæ reliquos ad deſperationem per compendium ducerent. Videmus firmiora quælibet præcipiti velocitate labi, & ortus occaſuſque intra momentum temporis revolvere. Perficiendum eſt, ut purgata caligine, qua mortalitas hominum mentes inficit, ſerenitatem ſubinducamus, & imminentium malorum revocata per prudentiam procella conquieſcat. Inter alia, vires herbarum occultas, quæ de telluris gremio ſurgunt, apprime novi, quarum ſpiritus neſcio qua contagione naturam ipſam videntur corrumpere, & ad humanum exitium noxaliter naſci. Ejuſmodi venena ſunt, quorum frigore velut hoſtilibus flabris inhorreſcit ſanguis, & animam indignatione vehementi verberatam de corpore ſuo pleniſſime diſcutit. Inveniuntur tamen herbæ ſuccis minus noxiis, quæ gelato quidem rigore ſpeciem mortis inducunt, & eliſis pulſibus inferentes torporem medicatos homines mortuis ſimiles reddunt: cæterum, poſt longum ſomnum refunduntur per membra vitales ſpiritus, &, torpente veneno depulſo, ereptam pro tempore cum motu & ſenſu remittunt animam. Hac potentia nobilitatur incluſus huic pyxidi pulvis. (porrigebat pyxidem.) cujus vim ſoporiferam quicunque per ſuffitum hauſerit, tolerare non poteſt; ſed ſtatim ſolutus in ſomnum, per totum biduum obdormit, donec remeante per artus calore, qui circa pectus ſervatur, iterum reſurgat. Fit autem ejuſmodi pulvis, de lactuca ſylveſtri, abſynthio, crambe, melanthione, papavere, roſa, narciſſo, croco, liguſtro, baccare, hedypnoide, & cytino; pinnis dextris vituli marini cum corallio & melle demerſis in ollam ad ignem ferventem. Hunc ſi aſperſum ardentibus favillis olfeceris, confeſtim ſuccumbent oculi venienti ſomno, tam arcto torpore, ut intercluſi ſpiritus non vini odore, non aſperſione aquæ, non fomentis ullis in venas remeare poſſint. Sic Orci

Digitized by Google

victima credita, funus eris, feralem pompam proſequente populo, & exoſo illo marito tuo, tum multis amicitiæ & pietatis ſupremæ nominibus, tum mœrore ſquallido, & immoderato planctu, ad ſui ſpectaculum ſpectantium oculos evocante. Providendum tamen eſt commoditati noſtræ antequam ad ſepulturam & manes deſcendas. Conficies teſtamentum ſorore tua herede nuncupata, ea tamen prius clam admonita ut bonorum tuorum ſemiſſem ad te procuret pervenire quocunque rediviva juſſeris. Cavebiſque ſpeciali mandato, ne illa ex ornamentis tuis quidquam detrahi permittat. Velle te inferri ſepulturæ tuæ pretioſiſſimam veſtem, margaritas, monilia, & alia mundi muliebris, quorum affectus ultra mortem etiam ambitioſis perdurat. Ut vero gravitate ſomni diſcuſſa ſeſe in venas refundet renaſcens calor, & recuperabit vires vigoremque ſuum creditum nuper cadaver, revolvam ego de monumento tuo lapidem, & te deſiderium meum de Acheronte revocabo in vitam. Fruſtra quæ ſubſequuta ſunt per partes narraverim, ne triſti & mœſto ſermone veluti peſtifero alimento patientiam tuam detineam. Accepi pyxidem, deſerui Veneris templum, feci quæ dixerat. Obdormio, ornataque gemmis deferor meorum manibus ad nobile ſepulchrum, quod ſolutæ jam in fœtorem parentum reliquiæ formidoloſum fecerant.

Non aliter Dido ſummas in ſede ſub auras
Erecta ingenti, crinem de fronte coronat
Funerea: pendent gemmata monilia collo,
Involvit tum compta comam; mortemque ſerenis
Depaſcens oculis, varios per brachia flores
Texuit, arſuros committens ignibus artus
Sidonio projecta toro. Stant corpora circum
Educti tenebris manes, & funera lambunt
Telluris permiſſa ſinu: deſcendit ad umbras
Infœlix anima, & populos per inane volantes
Mœſta timet, trepidatque novis ſimulachra figuris
Cernere, nec notos olim cognoſcere vultus.

Is honor ad tumulum per alienos pedes eunti fuit, adjectis corpori ornamentis quæ in nuptiarum ſuperbiam venerant. Sic officiis feralibus peractis, & imminente hora ſalutari, qua recuperare vigorem ſuum corpus debebat, rediturae ſalubritatis expectatio Alitophilum campo ſtiterat, in quem extra civitatem de Senatuſconſulto Duelliano, quicunque de familia noſtra finiſſent mortalitatem, non ſine pompa deferebantur. Ut venit ad tumulum, revoluturus ſaxum quod aditus obſerabat, patere jam ſepulcrum offendit, & intus murmur, quale latronum ſpoliantium ſepultam. Quo percitæ mentis torquetur furor? minimum malorum mors illi eſt qui ſemel contempſit mori. Deſcendit ad imas tenebras, & fulgore gladii, faciſque, quæ omnia utraque manu ſimul rotabat, umbrarum & tumuli violatores ad trepidum pavorem perſtrinxit. Sic arbores vibratæ vento tremiſcunt

cunt

cunt antequam fulmine feriantur; illud enim præmittit ſpiritum, & agit ante ſe dum rupta nube pervolat. Cecidere de manibus impiorum noviſſima defunctorum ſpolia, & territas ſuo ſcelere mentes fortuitus horror turbavit. Improviſa raro moram patiuntur ad recolligendum ſe. Reliquere arma nocturni graſſatores quibus ſepulcrum ruperant, & ut effugerent pœnam quam Conſtantii & Juliani leges ut ſacrilegis minabantur, deſeruere naturam ſuam, horrendumque propoſitum, quo manes inquietaverant, inuſitata verecundia & incognito metu mutavere.

Nondum bene exierant, pertentat Alitophilus partes omnes ſubterranei ſpecus, & ut me dormientem aſpexit, totum ſe labante ſpiritu ſuper meum corpus effudit. Inter hæc allevatis luminibus agnoſcere amplexantem incepi. Jam mihi, jam illi reddita refici, & relaxata potionis vi ad ſuperos remeare, niſi quod adhuc claudebar tumulo. Rediere quoque vires Alitophilo, aſſurgimus; & ornamentis quæ paſſim circa cadavera jacebant (nuper ſpolium latronum) requiſitis, ſublatiſque, mortalitati nos reddidimus. Putares Eurydicen de Tænaro tractam Orpheum ſequi, ſi aut Alitophilus tenuiſſet citharam, aut ego relapſa ſub umbras & iterum obvia Cerbero ad geminatos iraſcentis latratus palluiſſem.

Sic ab inferis remeantes, obducto tumulo ſoluturi votum Antelucio petebamus ædem Veneris Pyrenæis jugis ſacratam; & jam multum itineris emenſi eramus, cum latronum (qui ſub Eurybato militabant) manus effera decepit pietatem noſtram, & incautos catenis oneravit.

Inſidebant ſublimioribus locis incultorum montium prædonum reliquorum examina, & veluti piaculares damnatæ ſolicitudinis victimas de rupibus dependuli immiti lumine ſpectabant, quos in carcerem & tenebras celebri ſupra noxiorum reatum ignominia ſocii peſſimi trahebant.

Præibamus noſtris vinculis triumphum gravem, & ſuſpenſos ad lenta ſupplicia ſpiritus torpore magis quam metu premebamus. Tunc ego non inſcia periculi quod utrique imminebat, oſculo Eurybati genu adorato, præcocia fata & ſalutarem ſola celeritate mortem mihi fratrique (ſic Alitophilum appellabam) deprecata ſum. Eurybatus expalluit ad conſtantiam meam, & blandiore vultu ne deſperarem de pietate ſua monuit: vocatoque Atrace imperavit ut utrumque diligenter procuraret, & eximium (ut ajebat) par formæ in craſtinum reſervaret ſibi. Sed jam Atrax conceperat flammas, & ſubitæ miſerationis affectione permotus, miſereſcere ſe ſimul & amare ſenſit. Amor enim plerumque à miſeratione venit. Ut in triſtem & ignavi frigoris plenam ſpeluncam deſcendimus, per obliqua devexa in imum deducti, cedente ſolo inſtabili veſtigio, & refugo lapſu onus ſuum male ſuſtinente: Atrax, qui nobiſcum deſcenderat, noſtris miſeriis adſuſpirans, & novis Cupidinis ignibus ad miſericordiam motus, ſic incipit.

Coacti eſtis vela venienti tempeſtati aperire, & iratos *fluctus ſequi* quamcunque vos in plagam detulerint. Miſeret me conditionis veſtræ! & vellem, ſi liceret, mille pœnarum indagine irretitos etiam meo ſanguine liberare. Niſi credideritis ſuadenti, ſero lamentationes illicitas refricabitis, & ad cruentum ſupplicium expoſiti, nequicquam movebitis ad redemptionem veſtram prædones, quos mixta tabo, ſanieque, & planctibus carnificina ſuavius unguentis delectat. Palam eſt; Chloridem amat Eurybatus, & occulta libidine demorſus, per veſtrum ludibrium quærit irritatis ignibus ſatietatem. Videris Alitophile an malis ſororem tuam concubitui quam *juſtis nuptiis* exponere. Ingenioſus eſt ad medicinam ſuam Cupido; *ſemper* aliquid honeſti prætendit, ſub quo lateat inverecundus furor, excitatus ad opprobrium verecundiſſimi ſexus. Plures puellæ nuptiarum ſpe delinitæ proſtituuntur infelici patientiæ, quam lenonum aſtu fornicibus inter ſellas & meretricios titulos, quibus captura ſua niſi poſtquam deceptæ ſunt manifeſto apparet. Depoſcet Eurybatus in jura maritalis tori ſororem tuam. Cæterum *nihil* aliud quærit, quam perditæ & jam ſibi expoſitæ corpus objicere publicæ luxuriæ, militeſque ſuos in prædæ partem & noviſſimas delicias vocare. *Sed ſi tibi* placeat melioris fidei nec minoris vivacitatis *volens*, *volentem* adoptare fratrem; habes me meditati ultorem opprobrii; *ſine veſtro periculo* ſumpturus de barbaro duce pœnas, & *vos incolumes* quocunque *juſſeritis* deducturus. Sanguis *ille ab hoſtilibus venis tractus*, cementum erit perpetuæ affinitatis *indefeſſa thalami copula inter* nos coaleſcentis ad perfectam concordiam.

Talibus dictis, ſtetit mutus, & ſimilis alta cogitanti. Cumque mentito ſermone approbaſſet Alitophilus affinitatem ſuam, oſculatus eſt dexteram, victoriam ſalutemque pollicentis: laudataque pietate propoſiti, ſocium, quocunque ſeſe facinori appararet, humaniſſima urbanitate obtulit. Nec mora: conclamat Atrax mitterent in ſubterraneos receſſus funem. Statim ab alto arripuit demiſſum, &, ſimul de nocte ſpeluncæ rediit ad Solis lucem.

Erat Celadon corpore vaſtus, ſtrenuaque manu, & ad quem, ſi Eurybatus non fuiſſet, communi conſenſu ducatum latrones detuliſſent. Ubique terrarum invidia regnat, & ipſa imperandi licentia inter prædones æmulos habet. Illum Atrax in ſolitudinem traxit, ne aures alienæ venirent in ſecretum, & inconſiderata prudentia in exitum conſulentium verteretur. Obſequium, inquit, quod arctiſſime tibi devovi, non patitur ſilentii crimen. Ne Mercurius ſinat, ut, quod revelatam gloriam tuam ſpectat, diſſimulem. Quæ ſcio, timeo. Et hoc pii timoris officium erit, ſi illud impia taciturnitate non corrupero. Fraudare te præda tua Eurybatus deſtinat, & quam captivam feciſti, ſuam facere. Ut intelligas, quam nullam occaſionem oſtentandæ ambitionis licentia contemnat. Procedit in dies immodeſtius &, male data auctoritate, vitiiſque, melius ducem agit, quam potiatur,

Digitized by Google

tia, & virtute. Sic impunita luxuria, vel diſſimulata incrementum accipit, ut collegium noſtrum, tyrannica poteſtate oppreſſum, nihil jam aliud quam humilem ſervilemque metum ſuſpiret. Ita dum Eurybatus in eundem hominem non putat convenire poteſtatem & moderationem, duas res diverſiſſimas junxit, contemptum, & temeritatem. Nunquam bona valetudo eſt in corpore tyranni, perpetua febris venarum temperiem perturbat, micant in vultu novi ſubinde flammarum fluctus, audiuntur ſuſpiria, & anhelitus laborantis, aut aliorum quos ipſe ad luctum cogit. Amat expreſſas metu voces, & coactam laudationem ſui; ubi multum riſit, nece remuneratur. Sed ſolvit tandem ſacramentum omne, & ſodalitatis vinculum, triſtis illa patientiæ ancillantis neceſſitas: & licet indomita potentia aliquot horis regnet, poſtmodo tamen debilitatur, & frangitur, ubi generoſi ſpiritus bene concitati laxavere tempeſtatem, & indignationis ſuæ ventos dudum timoris carceribus clauſos ad libertatem emiſere. Macte animo; expiabitur, ſi juſſeris, cogitata contra prædonum leges voluptas: unco, laqueo, & ignibus, & ſtrage ſua, ſi volueris, Eurybatus publico latronum generoſiſſimorum gaudio litabit.

Non diſſimulavit Celadon ſibi placere ejuſmodi conſilium, quod laudabilem audaciæ ſuæ mortem aut imperium intra momentum temporis promittebat. Simul cum amicis ſuper ea re clandeſtino colloquio diſſeruit. Quibus ubi periculorum ſocietas, & loquentis gloria placuit; Martiæ cohortis majore parte ad concionem vocata, vim & robur circumſtantium laudavit, apud eos ſpes omnes ſuas & ſalutem reſidere. Si annuerent de bello quod parabat, proximum diem Eurybato extremum futurum. Plus eſſe fiduciæ & ſecordiæ quam magnitudinis emollito per delicias duci. Quo ſublato, prædas omnes & ſpolia communia fore. Sibi nomen imperii, illis laudem conceſſi, & fructus relicturum. Pararent deſides manus, & gladios rubigine infectos ad pugnam acuerent. Neque ſe injuriam ſuam queri, quamvis Eurybatus Chloridem laborum ſuorum præmium rapere cogitaret. Omnibus fraudationem prædæ & pecuniarum per pericula petitarum pro injuriis eſſe; mox, ſi ſurgere ad ultionem properarent, illis ſolatium. Neceſſitatem impoſiti ſilentii manu redimerent. Daturum prælii ſignum, ſi ſe ſequi deſtinaſſent, & veſtigiis ad ſalutarem victoriam properantis inſiſtere. Præmia virtutis geminata, ſpolium cæſorum, & libertatem. Illud ante oculos eſſe: Hanc ab edicto Liphippi pendere, quod latronum percuſſoribus poſtliminii jura dediſſet. Periculum in mora eſſe; laudabile, ſi aggrederentur; ſecurum, ſi occiderent.

Aſſenſere milites loquenti, murmure, clamore, pulſu, ſonituque, & affrictione clypeorum; verum virum, ducemque, ſpreta alterius libidine, ingenti laude efferentes.

Dum hæc agebantur, Alitophilus alligatus collo meo ſine intermiſſione flebat. Ergo, inquiebat, non licebit mihi tecum mori? Nun-

Nunquam ex animis fatorum diſcedit furor infœliciter pertinax? Relinques conſuetos ſinus, & æterno diſſidio æternum amorem in te meum damnabis? Velut in ſolitudine ſquallebit amatum pectus, & nova face per calamitates & ſervitium ſubdita deflagrabit alienis flammis? Quidquid erit, crudeles Dii, forti viro licebit honeſte mori. Ingemui: &, Ne, inquam ego, antiquam conſtantiam deſciviſſe credas. In animi bona Fortuna nullum jus habet. Mens interna virtute freta rebus adverſis opitulatur. Premitur, non opprimitur; imo fortior aſſurgit. Inter procellas, tot bellis domeſticis, tot externis laceſſita, extra turbam & tumultum eſt. Sibi ſemper vacat. Excitantur motibus ignes reciproci, &, cum urendo *clareſcant*, *ſortis* ludibrium pro materia & alimento demordent. *Conſtantius* per miſerias amor ſurgit, & fidelius corroboratur. Quidquid ſit: nunquam me Aſtrax aut Eurybatus in torum ſuum deducet.

Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores
Auferat, ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.

Juvabit aliquando libertatem redditam experiri. Triſtitiam riſus excipiunt. Ad defectum noctis, dies ſocialis properat, &, ubi colliſæ nubes inferunt obſcuritatem, ſemper aliquis fulgor murmurantes undarum pulſus oculis navigantium oſtendit. Maximum ſolatium eſt, ferre ſortem ſuam. Plerumque auxilium ab abſcondito temporis mora profert, ſemperque aliquis de *Diis mortalium caſus blandum* dignatur aſpicere, nec eos patitur *ad occaſum ſuum labi. Et, ſi iſta* non ſint, more ſcorpionum *inter excitatas flammas contorto ad* pectus aculeo, meo vulnere *cadam*. Apage iſtos qui amorem utilitate metiuntur, quæ ſordidiſſima cauponatio eſt! Nunquam diluceſcet mihi niſi ante vultus tuos; quos monebo in ſilentio, non alias, (*ſi removeris*, obſcurata manes petam,) & toto Acheronte delapſa, quam ad ortus tuos reſumptura lumen.

Audiebamus murmur, removimus amplexus; lacrymiſque deterſis diſſimilem malis noſtris induebamus vultum, ad illorum vicem qui deguſtatis Sardois herbis feruntur in morte ridere: Cum Aſtrax per funem ad nos relapſus, quæ pro incolumitate noſtra peregerat ſedulo narravit. Nam (inquiebat) aut mutuis ictibus virtute numeroque pares ſternentur, aut laſſos vulneratoſque intacti bello adoriemur: cædem cæde, ſanguinem ſanguine expiabimus. Præbebunt vigentibus nutantia ad caſum corpora, & apertis ad vindictam noſtram pectoribus demergemus ultrices gladios, donec omnes vaſtis vulneribus perforati incertas diu qua exire velint animas ejiciant. Et ne nos tumultus irrepens, nox obſcurior, caſuſve diſſociaverint; proximum eſt quod ſolemni voto petebatis Veneris templum; illuc conveniemus, ſeu nos idem dies dicto loco aſſignabit, ſeu mora tardior in aliam lucem diſtulerit congregationem noſtram.

Dum ejuſmodi colloquiis triſtiſſimam producimus noctem, Eurybatus ab aditu ſpeluncæ juſſit educi captivos. Evaneſcebant extrema

ma

Digitized by Google

ma Lunæ cornua, & jam montium vertices ad Auroræ roſas rubebant. Ego cum Alitophilo aſſenſeram Eurybati nuptiis, & poſt dilationes aliquot matrimonii ſolemnia celebrabantur. Præcipitata rurſum dies tegebatur aquis, & ferales tenebræ ab iiſdem ſurrexerant. Incepta eſt per Celadontem ſeditio, & omnia ſecundum narrationem matris tuæ ſubſequuta ſunt, niſi quod adhuc vivo extra ludibrium mortis, & extremam vim Eurybati. Enimvero defectione Celadontis vulgata, creſcente tumultu ſuſpicatus Atrax cuncta in deterius lapſura ſi me præmium victoriæ & cauſam belli ante oculos rivalis ſuperſtitis reliquiſſet, tonſo capillo, caligis, pallioque, & pileo, in maſculam me reformavit faciem, præſentium calamitatum ſociam, comitemque ſervi domini ferociam fugientis. Quis enim miſer recuſet periculum quod ſalutis ſpem oſtendit? E diverſo formoſiſſimum adoleſcentem (quem licentia ſtupri Atracis fratrem fecerat) meas veſtes induit. Et ut arbitror Eurybatus inter inſultus hoſtiles, & proprios metus, mendacium non ſenſit. Deceptus noto habitu, ita deſperatione, & tenebris, cum omnia alia curat, præter vitam meam, animum etiam perdidit, ut me perderet. Sic perculſus & attonitus adoleſcentem pro conjuge, Orpheoteleleſtam pro Chloride furori ſuo mactavit.

Ad hæc inquietatus piſcator, Ergo, me, inquit, Atrax impune deluſerit! ille filium meum, ille deficientis ſolatium, rapuerit, perdiderit! Vivit adhuc,& ſceleratum animum ſcelerato corpore circumfert! Aliquando me totum vicerunt miſeriæ, & Dii malorum auctores! Jam fractus dilabatur orbis, &, ſi mortalibus licet beneficia Naturæ corrumpere, recedat vita, quæ calamitoſis hominibus pro ſupplicio eſſe ſolet! Hac exclamatione lacerata ruſtica virgo, juravit relicturam ſe invidioſam narrationem, ne forte recentia mala novis augerentur, & hoſpites ſuos odioſo turbaret officio, ad quod ſe mente ſimpliciſſima, & bona fide, faciliorem ſe futurorum neſcia præbuiſſet. Renunciare ſe male fidelibus armis, & nudas manus pectuſque inerme ad pœnam proferre. At ego, qui in Chloride mea laborabam, hortari cœpi piſcatorem, ne perſeveraret in ſupervacuo gemitu. Temporis moram ſolere mentes doloribus exulceratas ad ſanitatem revocare. Scenam muneribus gladiatoriis frequenter diſtingui, ut voluptates nece & ſanguine condiantur. Cito ſubrepere infortunia. Bonam fortunam, difficilem inventu, rectorem ducemque deſiderare, adverſam venire ultro etiam contra miſerorum votum. Daret hoc extremo dolori ut aliquantulum taceret, cum in ſummis calamitatibus ſilentium melius fletu, verbiſque, affectus vere mœrentis exprimat. Evaporationes humidi ſplendores tantum minaces citra ſonum ictumque movere. Exhalationes vero ſicciores terrarum, fulmina facere, & exprimere. Ubi conſumſerit aculeum ſuum recens dolor, & primus torpor reddiderit ſenſus, uſurum illum ratione ſua, & ſi tunc placeat dicturum in præſentem calamitatem quid-

quid

Digitized by Google

quid animus dilatione remiſſior afflicto minus, minuſque commotiori, ſuggeret. Quod, inquit ille, expoſitionem calamitatis meæ in aliud tempus differo, præterquam quod ſub recentis mali pondere lingua torpet, facit etiam reverentia ſacratiſſimæ Veritatis quæ virginis narrationem per totum comitatur. Bene eſt, infit puella, jam recipiam cum voce interclúſos tua confuſione ſpiritus, & præter ſpem miſericors indulgebo tibi, ubi de Atrace ultionem ſumpſero injuriis tuis parem. Attendite itaque, & avidis auribus ebibite Chloridos ſermonem reliquum, qui per miras calamitates veluti fractus ſaxis torrens in maligniorem impetum tranſibit, & per violentos fluctus creſcet in ſpeciem turbidi maris. Sic ergo ſequuta eſt hiſtoriam ſuam.

Igitur inter nudos gladios & mortales ictus (quibus circumſtantis ſylvæ confraga reſonabant) intrepida, tantum pro ſalute Alitophili laborans qui certamini intererat, ingenio ſicut habitu maſculo omnes ærumnas ſuſtinebam, parum ſemota ab illo loco in quo ſine miſericordia pugnabatur: quantumque plus ſpei ad refugium nox dabat, eo majorem animum ad extrema quæque fortiter ferendum faciebat. Ut vero rediit dies, & ad ingentis cladis ſpectaculum oculos vocavit; crevit audacia cum luce, & jam plus fortitudine quam veſtibus fœminam virum ad jacentia cadavera pertraxit, ut ſcirem an inter mortuos latrones habitaret Alitophilus, cum ſimul & volens & timens per cruentum prælio campum reperire. Et quia barbari illi, & immanes homines, acceptis forti pectore vulneribus honeſto morſu ad noviſſimos anhelitus tellurem preſſerant, ſingula cadavera prenſis capillis converti ad infamem exitus notam; qualis eſſe ſolet eorum qui rotis impoſiti, & univerſa membrorum fractura laniati, laborantes animas inter carnificum amplexus & aſpectum cœli decutiunt. Fruſtra tot efferatos vultus aſpexi. Non erat inter eos amata mihi multum facies; &, quoniam non erat, inſano pavore mortuum arbitrabar, quem tot corpora cruentis ſpiritibus ſpoliata vivere oſtendebant. Adeo ſollicite timet quiſquis bene amat. Quid ſcio (clamabam) an Alitophilus Eurybati hoſtis eum extra hanc pugnam ad aliam compulerit. Ambo ſcilicet communem ſtragem vitavere, ut melius & honoratius perirent. Hunc igitur amorem meum virtus ſola peremerit: ego, vidua, & extorris, & fœmina, mihi metuens revocabo feſſos ad vitam ſpiritus, ut inter ſpeluncas ferarum, & cadaverum acervos, deliteſcam.

Volebat Atrax parata oratione demulcere furentem, niſi vetuiſſet fortuna turbari aures meas inviſo ſermone. Neve bellum tam vili cruore & inexpleta cæde deſineret, Dea illa miſericors procuratorem illius provinciæ cum lictoribus & militum ſequentium turba campo ſtitit, in quo victores ſimul & victi omnes indiſcreto ordine jacebant. Venerant illi ad famam pugnæ, ut ſuperſtites latrones vi domitos vinctoſque, carcere, mox patibulo donarent. Cæterum Atrax de tot modo prædonibus ſolus ſed non ignavus heres, viſis hominibus armatis,

lis, confinium inſtantis periculi morte voluntaria, prævertit; Sat ſe beatum dicens qui ante oculos meos virtutis ſuæ præcipuum & laudabile ſpecimen præberet. Nolle ſe ſupervivere fortiſſimis ſociis, quos publicis patibulis mutuum robur abſtuliſſet. Precari Martem & Mercurium, ſuos Deos, ut me captivitate liberarent, &, ſpontali parricidio ſatiati, abducerent à ſævitia cœlum, quod immerenti mihi injungeret æternas ærumnas. Ultima vox ejus hæc inter homines audita eſt, & ſtatim cum magno ſonitu animam per patens vulnus ebulliit. Accurrunt Melandrii, &, ne mihi etiam violentas manus inferrem imminentis periculi metu, dubitantem an mori aut vivere mallem catenis impediunt. Sic ad Liphippum deducta, prudentiſſimi Regis venerata majeſtate (quam nimio faſtu profitebatur ad nauſeam Gallicæ libertatis) quæ nunc intellexiſti fideliter exponens, ſævum fatorum vultum ad aliquam clementiam reduxi, niſi quod aberat Alitophilus, & ſecum majorem mei partem deferebat.

Pependerant jam occiſorum latronum cadavera, ad reliquorum horrorem: ne viderentur fato functi ignominiam omnem conſumpſiſſe, & legum pœnam voluntario parricidio fugiſſe, qui ſemel meruerant publice mori.

Humanarum rerum culmina conſtantiam non inveniunt: omnes fœlicitatis noſtræ inimici ſumus, ubi nulli ſunt qui nos ab alto dejiciant. Cum tantum lucet ignis, placet: ubi altius volumina ſua detorſit, exurit trabes, &, corruptis quæ ſuperioribus firmamentum dabant, agitata diu ad ruinam faſtigia divellit. Libera ſub Apolidis nomine inter Melandrios fortunam meam non ingratis oculis aſpiciebam, eratque aliquid quod Alitophili leniret abſentiam. Ubi Liphippus dignatus eſt ſervitium meum, & libertatem ſuam in ignotam fœminam exercuit: jam mihi gravis, jam impatiens exilii inexpectata beneficia pro ſuppliciis ducebam. Mentes longa fœlicitate ſaginatæ multum de natura ſtomachi ſumunt, cui ciborum lautitia & abundantia faſtidium inferunt: illæ nauſeant ad florentiorem ſtatum, & iniquis luminibus ubertatem cernunt, quæ alias earum fuit impudens votum. Ipſe corrupi fœlicitatem meam, &, ne diutius beata inter gloriam & divitias dilectum meum ad injurias cœli & terræ relinquerem, ad fugam animum deliciis feſſum commaſculavi, & de nocte aulam Liphippi deſerui, ut Alitophilum meum in templo, quod Eleutheriam à Melandriis diſterminat, convenirem.

Trigeſimus à pugna prædonum dies cum totidem noctibus ſpatium menſis compleverat, & nova Luna recurrebat ad orbem ſuum. Video fanum ſolerti fabrica conſtructum, valvaſque ingentis populi frequentia laborantes; dona quoque cum titulis ſuis pendentia, qui litteris aureis teſtabantur cur ſingula Veneri ſacrata forent. Tunc ego concito gradu per mediam turbam viam ad aram mihi facio; poſitoque genu uberi fletu ſimulacrum Deæ rigans, notavi Pario marmori quod baſim faciebat quæ ſequuntur minori charactere litterata. *Alitophilus*

tophilus ſoluto huic Numini voto, ne cogeretur deſerere furorem ſuum, proximum ingreſſus eſt Xenodochium, quo includuntur hi qui inſaniam ſuam Amori debent, ut, mentita amentia, ſibi liceret quod amat expectare. Cum petiiſſem ab uno ſupplicantium an ibi tuto habitarent qui mentem ab ictu Cupidinis amiſiſſent, ubi narravit peregrinos per novem tantum dies ſacris operari ſolitos, quibus præteritis cogerentur de templo diſcedere, pollicitus eſt rectoris officium ſi auderem præeuntis greſſus premere; & illico præceſſit.

Ædes pluribus feneſtris conſpicua tot aditibus accipit ſolem, quot ille diebus revolvit anni curſus, & tempeſtatum mutationes inchoat. Aëris mira libertas captivitatem animorum aliquo modo reparat. Placidi fluctus inquietam domum grato circuitu coronant. Cerebri quoque calorem temperat arborum frigus, & certas cujuſque ſpes aut deſideria partiuntur varii flores, quos, ad animos incolarum avertendos à perturbationibus, ars ſolertior Natura patentibus pratis inſeruit, ut interna vulnera gratus aſpectus & odor ſuavis mitigarent. Ibi ſenex caſtigabat canitiem ſuam, quæ ſibi fabricata fuerat repudium. Prope matrona intermoriente vultu querebatur hereditates ætatis officio quæſitas cito conſumſiſſe. Feralis zelotypia fuſcabat adjacentis membra, & jam frontem ad deſiderium necis contraxerat. Lugebat adoleſcentula virginitatis florem gratis extinxiſſe. Ille inconſtantiam muliebrem damnabat. Alter parabat ſe ad deſperationem, & de ſiniſtris circumſtantium latebris cæca manu quærebat gladium ad quem confugeret. Puella contemni formam ſuam dolebat. Fugiebat Pigiciaca ſacra candidus puer, & trucem dominam vocabat in auxilium ſuum. Adoleſcens exanimato ſimilis audiebat alium commemorantem præterita gaudia, & in præſentia mala triſte mœrentem. Alloquebatur undas alter, & ruptis induciis quæ pugnam ſuſpenderant irritata manu vellebat capillos qui fœminam inconſtantem male tenuiſſent. Erant qui per dilucida furoris intervalla cantu & nervis dolorem ſuum fallerent. Qui lugubre carmen ſcriberent. Qui auras invectiva in amicas exarata turpiter onerarent. Qui deſilirent in fluctus. Qui præcipitia quærerent, quibus Sappho flammas ſuas extinxit. Qui genas lachrymis madentes unguibus lacerarent, manibus vincirent collum, & de funeſta cupreſſus fronde velut ab infami ligno penderent. Putares hæc ſupplicia Virgilium vidiſſe, dum ait:

Hic, quos durus Amor crudeli tabe peredit,
Campus habet: non hos cura cum mente relinquunt,
Luctus & ultrices poſuere cubilia morbi,
Et metus, & durum redivivo funere lethum,
Cinctaque ſanguineam demens diſcordia pallam.
Hinc exaudiri gemitus, & ſæva ſonare
Verbera, tum ſtridor ferri, tractaque catena,
Immaniſque Dei fulmen, fœcundaque pœnis

Pectora,

Digitized by Google

Pectora, non ullo requiem ſumptura tumultu.
Non mihi ſi lingua centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes furiarum dicere cauſas,
Omnia pœnarum comprendere nomina poſſim.

At enim mortalibus de poſſeſſione rationis dejectis, & tanquam bello captis, liberum ſuppliciorum arbitrium maſtigophori denegabant, qui amoris ægritudinem voce, & verberibus, & obſcuris carceribus miſerantes, frangebant nobilem amentiam, quam fecerat otium magiſter ſceleris, & malorum omnium ingenioſus artifex.

Inter eos qui curabant ne inſanientes vel inſomnio vel injuria ante diem ſuum præcipitata morte decumberent, neſcio quis benignioris vultus petiit à me an aliquem eorum, quos eadem inſania diverſis motibus agebat, mercari deſtinaſſem, qui laudabili furore, & grato mentis exceſſu, mœſtitiæ hominibus ſemper inſidiantis rubigine animum detergeret. Scis, inquam, unumquemque concivibus ſuis delectari, ſive nativus ſermo conciliet homines invicem, ſive ejuſdem aëris hauſtus inducant paritatem morum. Sero placebit ille quem non intellexeris. Horror tranſpyrenæi ſermonis Eleutherianorum faciles mentes turbat, cum iſti ſimplicitatem & civilem mollitiem loquendo profiteantur, illi, quaſi in imperandi ſortem geniti, barbaris vocibus, & abſurdis in ſuam aut patriæ laudem laudibus effuſi, cum multo faſtidio confodiant aures audientium. Præterea ubi nobis humanitas noſtra ſatisfecit, quærimus in vicinia noſtra quem in partem divitiarum noſtrarum vocemus, quem ſine fuco dilectum in diſtributionem beatitudinis noſtræ arrogemus: non ſpecie rigidioris patrisfamilias auſpicium adoptionis per ſervitutem adoptati inchoantis; ſed amicitiæ jucunda familiaritate, & conſuetudine pulcherrima, qua ſenes lætis auguriis in jura ſua juventutem deducunt. Placet itaque, per Eleutherianum, ſi eorum aliquem locus hic habeat, voluptatem ridendi emptione parare, & innoxiis jocis excutere triſtitiam quam fecit longior peregrinatio. Suſtulit ille oneroſum ſupercilium, &, Ne, inquit, tam barbari ſimus, ut nos noſtrorum amentia delectet. Quis ferat hoc patriæ ſuæ ludibrium, ut eas delicias pretioſas exiſtimemus quæ per concivium calamitates diſtributæ, graves animos lugubri & mœſto intuitu ſubducunt? Viſcerales miſeriæ melius nos movent, quam ut triſtiſſimos rideamus caſus quibus infœlix aliorum voluptas blanditur. Liceat Eleutherianis in omnibus delirare: dum Melandriis ſufficiat non aliis quam Amoris ſpiculis de mente ſua perire. Omnibus gentibus cœleſtia ſidera varias plagas intulerunt, multumque intereſt ad vitia quo cœlo ſoloque naſcamur. Cum cœleſtes cauſæ, præter morum diſcrimina, morborum etiam animi pariter & corporis varias ſpecies inferant; utraque Græcia de cœlo ſuo maſculorum amorem trahit. Melandria turbatur zelotypis ignibus, & tot montibus, tot æſtibus Oceani, tot Tyrrheni maris littoribus ab hoſtibus tuta, in unius Cupidinis vulnera ad inſaniam

Digitized by Google

patet. Taceo reliquarum nationum collapſi aut excifi cerebri vitia: dum in Eleutherianis omnia condemno quę ſingula in omnibus ſunt. Nos lamentis & miſeratione triſti proſequimur in hoc Xenodochio furentes; illi ludibriis eoſdem, tumultu quoque, & injuriis in publico, & frequentia. Unde fit, ut in aulis Melandriorum magnatum non alii amentes frequentis familiæ ſubjiciantur opprobriis, quam quos Eleutheria ad noſtros riſus educat: qui de mœſta ſollicitudine, & gravi ſuperbia, nunquam exeunt, niſi antea arcanam ſapientiam fregerint externa mala quæ jocus inconſultus facit, & pervicax reliquorum hominum inſania. Neque mirum eſt vacuam hodie civibus illis domum quos Eleutheria infœlici genio ad voluptatem noſtram gignit: cum, ut quiſque in has ædes venit, ſtatim in potentiorum numeroſa ſervitia transſcribatur, ut innocenti *furore* domino ſuo placeat. Sic nuper Axonius, præfectus Parthenopes, & Inſubriorum rector, Eleutherianum quemdam Alitophilum, emotæ mentis inquietudine jucunda commendabilem, ſatellitio ſuo cooptatum ſecum in imperium ſuum deduxit, qui neſcio cujus Chloridis amore flagrans mentis ſalubritatem perdiderat. Quid facerem? niſi Divis iraſcerer, qui, ærumnas veteres triſtioribus cumulantes, aut non exaudire velle miſerrimæ preces videbantur, aut contempſiſſe mortalitatem importunis vel intempeſtivis votis laſſatam patientiam turbantem. Nimirum cœleſtium vigilantia periculorum humanorum negligens eſſe cœpit, vel, *uſu & aſſuetudine fatigata*, hebes & detrita reſtat. Etiam *mala Numina reliquiſtis terram?* & ſenio ſicut negotiorum mole feſſa, *ſtupida & incurioſa negligentia* ſubſidium denegatis orbi, & *mortalibus precarium ſpiritum inter miſerias producentibus*; adeo difficile eſt etiam infœlicibus mori. *O calliditas futilis, calamitoſum commentum, mendacium fallax! Per* ſpeciem violati Judicii illuſiſtis fœlicitati meæ, & arcanis affectibus junctos interfuſo mari disjunxiſtis. Nec plura; vere furens exero me de domo inſana; & vagos greſſus ad iter incertum compono. Jamque planitiem camporum provecta, ſilvoſi montis aſperum jugum metiebar: obtulit ſeſe mihi inertiſſimorum *hominum triſtiſſimum* ſpectaculum. Armati juvenes ponè adoleſcentem *ſtabant*, qui catenis vinctus ſuppoſuerat candidum collum *inviſæ carnificinæ*. Huc, inquam, conferto agmine ſocii concurrite, ſceleratiſſimis latronibus mortem daturi, quam minantur. Dum accurro nece mea geminatura ſacrificium quod parabant, & ſicariorum ſitim ſedatura inſperato ſanguine: credidere illi miſſum militum agmen in perniciem ſuam. Igitur diſtulere ſupplicium, & ſacram victimam intactam relinquentes, ſpiſſiſſima quercuum nocte fugam ſuam condidere.

Ceu lupus, aggreſſum quem nocte mapalia fidi
Latratu pepulere canes, veſtigia retro
Preſſa refert, nemora alta petens, caudamque remulcet
Hirſutam, vacuoque dolet diſcedere rictu.

Simul

Simul adoleſcentem de funeſta morte erutum ad ſalutarem libertatem ruptis vinculis remitto. Retexit ille jugulum quod lictoris manus nudaverat, & ſupplicii quod exiērat cauſas blandiſſima voce in hunc ſenſum palam fecit.

Quoniam magnæ urbes & opulentæ in vitia ſceleraque magis patent, vileſcente inter politiorem vitam infamia peccandi: recenti edicto Tarentini prohibuerunt, ne quis ante nuptiarum diem virginibus miſceretur; quarum antea ſtupra tam grata licentia placebant hominibus, ut illi nihil minus probarent quam matrimonia & nuptias. Sed jam neceſſitate coacti ad conjugales leges eo libentius feruntur, quo vident eos, qui nunquam uxores duxerunt, omnibus commodis prohibitos, interque ignominioſos latitantes, excludi theatro, & illis honoribus ad quos militari gloria & eloquio indiſtincte quondam perveniebatur. His repagulis juvenes ſuos impetus coërcent, quibus non licet niſi cum timore infamis exitii peccare. Inveniuntur tamen puellæ quæ per pericula mortis alienæ ad vetitas delicias ardentius ſuſpirent. Ut enim febricitantium ſitim interdictus potus accendit, ut ignis aſpergine modica lympharum ferocius augetur: Sic coacta probitas acuit aviditatem jejunæ mentis, & inconſultam juventutem ad mala furta imprudenter propellit: quæ ventura in maturitatis & prudentiæ adoptionem, illo tamen inſolentis ætatis lubrico, ſi non cadit, titubat.

Antequam vulgaretur edictum, aſſueveram Polinices amplexibus, quæ de ſumma regni nobilitate in miniſterium Tarentinorum reginæ accita, præcipua erat à conſiliis regalis formæ, ornatrix ingenioſa, quæ variis flexibus torquebat capillos, ornabat veſtes, vultus componebat, ne naturalem formam indecenti & aſſcititio cultu excæcaret. Exaſperat homines imperata correctio, & melius jubetur licentia. Etenim ut flammas ſuas ad interdictum vocari vidit, non contenta vulgari complexu, ad alios etiam amores creſcentes contra novum imperium flammas ſuſtulit, & ſtatim in viro principe arſit, qui, cœlibis vitæ voluptatibus laſſus, jam ad nuptias ſuſpexerat.

Non puduit infelicem puellam mihi quoque furtivum dolorem credere: pollicita ſi ad Machimi matrimonium perveniſſet, præter corporis ſui continuatum uſum, daturam ſe munera ultra meam ſpem, ſortemque, quibus videri poſſem ſibi gratiſſimi lenocinii officium magno emiſſe. His promiſſis ineſcatus, laxavi pectus venienti calamitati, quæ me ad hunc locum perduxit, triſtiſſima morte nimium laxæ bonitatis & imprudentis obedientiæ luiturum pœnas, niſi te in meam & Machimi ſalutem huic loco ſors ſtitiſſet. Nam cum arcani incendii faces, quibus Polinice deflagrabat, Machimo detexiſſem, & ille quæſitum ardorem amore Aglaiæ excuſaſſet, quam petiturus erat à regina in connubium: addidiſſetque pœnam legis novæ quæ ſtupra ulciſcebatur capite; turpiſſimo

illa inhorruit odio, & totam ingenii ſolertiam ad crudeliſſimam vindictam convertit. Ea eſt natura mulierum, ut ſuas inimicitias diſſimili vultu tegant, cum amicitias celare non poſſint. Scilicet infidelis ſexus licet loquax eſſe amet, quoniam tamen facillime ad mala movetur, verborum occultorum viam, & ſecretas iras, improba faciei ſerenitate & robuſto ſilentio tegit, conſtans in arcanum dolum.

Igitur ut me lateret feralium inſidiarum deliberatio, Nihil magis, inquit, amentes oculos recreat, quam paria aut ſimilia in alio intueri quæ in amato videntur, vel creduntur. Placebit mihi ſi geſtibus, & voce, & veſtibus ingrati Machimi effingere coneris imaginem. Hac nimirum ſimilitudine veluti pabulo ſaginatus amor ſtatim crudeſcet; hoc mendacio ſatiatus excitabit nauſeam, & celeres animi æſtuantis motus ad facilem tranquillitatem reducet. Sic bellariorum luxuria ſuaviore quam neceſſe eſt condimento conſumunt famem, cum languentem guſtum nihil magis excitet acri & ſolido cibo. Summa erit infelicis conſolatio, eſſe miſeram, nec videri. Promiſi quod volebat; nec ſecius illa opulentum ad fraudes ingenium in Aglaiæ perniciem laxavit. Adiit amantem, & caſtigata ad hilaritatem fronte, fractoque in malignam contumeliam vultu, Non poſſum, inquit, ſimulationem intra me diutius ſuſtinere. Fugandus eſt amor qui pectus tuum inſana ſpe demulcet, & contumaciſſimo vulneri cicatrix inducenda. *Peſſimus ille Machimus*, quem ſacramentum ſolemne, quem *reginæ conſenſus*, *quem corporum* animorumque legitima *mixtura fecere meum*, *inſidiatur pudicitiæ* tuæ, & infamiam tuam *ſub ſterili* nuptiarum *titulo ſollicitat*. Si ſapis ergo, de viſceribus tuis lactantem Cupidinem decuties, & famoſum impudicæ quod imminet nomen natalium tuorum decori reddes.

Cum Aglaia negaſſet dicenti fidem, Peream, inquit, niſi & illos tuos oculos in teſtimonium deliciarum mearum vocem: ſi per tenebrarum ſecreta in furta noſtra audeas inquirere, & in opprobrium tuum aperire vultus, quos ille decipit. Annuit illa, ſuo *malo*. Silebant cuncta, & nigræ nubes fulgorem ſiderum tegebant. *Latebat* Aglaia ad limen cubiculi quod ad amplexus noſtros dudum elegerat Polinice. Quæ ubi me pari habitu, & voce in Machimi ſpeciem effigiatum vidit, verum Machimum arbitrata, quem in Polinices oſculo diutius hærentem conſpexerat:

----- illi
Poplite ſucciduo genua intremuere, fugitque
Et color, & ſanguis, Machimi ad crimina mœſta:
Illaque, quo propior ſceleri eſt, magis horret, & auſi
Pœnitet, & viſi teſtes ſua lumina damnat:
Armaſſetque ſuam contra ſua viſcera dextram,
Ni vellet periiſſe ſimul quo flagrat, & odit.

Digitized by Google

Initio nondum maturus dolor leni tractu ad requiem fertur. qui ubi frangitur velut fluvius occurrentibus ſaxis, per anguſtias eluctatus excitat ſeſe, & jam diſſimilis ſibi, & in torrentis modum violentus, in alienam perniciem per malignos tranſitus proſilit, cæco impetu, & tumultu impacato obſtantia quæque convellens: &, niſi vincitur, vincit. Hoc agitatur Aglaia, pacatis primum fluctibus: ubi tranquillitatem fregere venti, aut obvia rupes in turbidi maris ſpeciem volvit aquas, & occiſas ſpes in tumulum ſecum tractura truculenta celeritate Machimum adhuc ſuum in jus vocat, poſtulat nomen ejus recipi, edit ſubſcriptionem, & accuſationem violentam de ſtupro movet.

Statim injecere lictores Machimo manum: & judices de tribunalibus pendentes, quia præter eam quæ accuſaverat teſtes non erant, de vetere inſtituto Reipublicæ reo conceſſum eſt, ut innocentiam ſuam alieno gladio tutaretur; &, niſi intra menſis terminum inveniret equitem qui ſe defenderet, ut in convictum ſecundum patrias leges animadverſuros.

Verebatur Polinice, ne tenera mens, innocentis ſupplicio ad pietatem & miſericordiam commota, fraudes ſuas vulgaret; placuit etiam, ſanguine meo maculare ferinas manus, perque conductos qui ante te fugere ſicarios, inſidiarum ſuarum ſolum teſtem ſubtrahere innocentiæ Machimi, qui per te licet in meliorem fortunam ſurrecturus eſt, ſi generoſiſſimi hominis ſalutem mei capitis periculo velis emere.

Talia divino decore venerabilis adoleſcens Chloridi narrabat, illa mihi. Nunc vero, quæ vidi ipſa, ſub Apolidis nomine paucis accipite, ne ſuſpendam diutius cupiditatem veſtram, & nimiam auditionis patientiam inutili loquacitate frangam.

Ut in hanc caſam cum illo adoleſcente venit Apolis, ſtatim in Machimi libertatem intentus familia noſtra ſubſequente Tarentum ingreditur, ſuſcepturus innocentis defenſionem. Aſſignatus eſt itaque pugnæ locus, & educti in campum hinc Apolis, inde Aglaia. Non omnes Amazones Phaſidis ripas colunt, nec in totum vires & animos mater natura muliebri ſexui ſubtraxit. Pleriſque puellarum tantum generoſitatis in corde, quantum ſanguinis & pudoris in ore: ubi maxime contumaces in amorem aut odium zelotypia ſuccendit. Sæpius enim læſa ingenia in periculum tam ferri quàm ignium miſit deriſus amor, ipſa gloriæ cupiditate. Virtus tamen hic in parte eſt, quæ non patitur innocentem proteri; & alienis injuriis gravis, quidquid obſtat, ultore gladio proſternit. Cito deformitas exprimitur certis ſui notis ad imitationem facilis: ardua res eſt pulchritudo, & ipſa raritate difficilis; nunquam niſi lento ſermone, & ab humili ſtylo ſuſcipitur. Sic quoque communis virtus ſubtili calamo delineata invenit imaginem ſui: ubi vero ſeſe ultra miraculum egit, non habet niſi vilem & ſordidum ſuarum laudum narratorem; materia

Digitized by Google

ſua quam arte felicior. Faciam itaque quod *hiſtorici* etiam *ſolent*: ubi tenuitatem ſuam ingentia facta excedunt, ad inventa Poëtarum animos & verba contorquent. Nec longe eſt ab illo more, iſtud quod dico. Palluit ad tantum certamen Thetis, & argenteum pedum colorem deduxit in vultum. Ipſeque Neptunus alias inter tempeſtates intrepidus, ad tantorum ictuum formidabiles auditus, permiſit pavidæ albedini undas ſuas, &, ne oblivilſceretur imperium ſuum, ad Oceanum patrem deſcendit, jura Nereidibus daturus. Sola Venus in mortem pugnantium demiſerat de cœlo in terras lætos oculos, & ad cruoris mutuo vulnere crudeliter manantis aſpectum grata titillatione lubricum corpus agitabat: timens nimirum ne ſuum *Martiſque* numen cum mortalibus puellis partiarium eſſet, cum venerationis ſuæ præcipuam vultibus imaginem, & validis membris robur Martis, utraque circumferret.

Credas ad Tanaim, ferumque Phaſin,
Thermodontiacas calere turmas.
Edunt vulnera, conſeruntque dextras,
Et mortem ſibi qua manu minantur
Ridet Mars pater, & cruenta Cypris.

Utramque tandem par rabies ad exitium uſque temeraſſet, niſi adoleſcens ille, qui Apolidi ſuam vitam debebat, ante *Reginæ* pedes prolapſus, ſuſtuliſſet duellum, & certantes ad *querelam ſuam* ab ictibus vocaſſet: qui, ubi fraudem *Polinices manifeſtam* fecit, ingenuitate ſui meruit veniam *profeſſi ſtupri*, & in pœnam Machimi tradidit exoſam *Polinicem*, quæ de Senatus decreto cremata, oſtendit non longe eos à naufragiis eſſe qui ſereniore tranquillitate in altum provecti improviſis turbinibus agitantur, ubi maxime timere deſierunt.

Hoc eventu Machimus & Aglaia ſpiritum, & ſanguinem, & libertatem recepere: quæ omnia recens calamitas utriſque per muliebres inſidias abſtulerat. Perfregit interim Apolis circumſtantem turbam, & per obſtructos aditus non ſecus ac per apertas *planicies* & invitantia limina rediit incognitus in hanc domum. *Permanſitque in* ea pauperis tugurii comes, donec eum obducta *vulnera* & *liberior* aër, & vicini maris commoditas, ad Alitophili quæſitionem revocarent.

Videbatur exiguam nubem fax componere, cujus lumen veſpertinas epulas inchoaverat: & illico longiore patore vibrata flammula ſub hiſtoriæ finem cecidit, donec triſtiſſimis tenebris in ſomnum labentes obrueret. Tunc vero dejectis luminibus mœſtus crebro in ſingultibus eram: Nunquam exegi noctem tam amaræ ſollicitudinis, &, niſi jamdudum fuiſſet à quo amare noveram, à corpore meo quæſiſſem valetudinem. Sed animus miris cogitationibus territus irrequietam cupiditatem augebat ad Chloridis veſtigationem, & jam certum erat tranſmittere maria, & terras omnes circumire; cum in

hoc

Digitized by Google

hoc cogitationum ſalo & mentis æſtibus fluctuantem dies invenit. Sumo ſarcinulas, & iter ingredior quod ad mare ducebat. Nec mora; Vindocinus ſequebatur deſertorem. Ecce ſenex ruſticæ anus maritus cum filio Tarento reverſus querebatur de fuga noſtra, hoſpitiumque ſuum tanto ſcelere pollui dolebat. Rediimus; &, poſtquam ille largioribus epulis excepit fugitivos, abſentiam ſuam à domo bonus paterfamilias ſic nobis excuſavit.

Recurrebat magnus ille annus qui ſeculum novum incipit; & in urbe Tarentinorum Hetæridio Jovi ſacra fiebant quæ nullus hominum bis videt. Vitæ meæ tranquillitatem ſollicitavit curioſa pietas, ut & recaleſceret per ferias priſtinus labor, & ad rariſſimum ſpectaculum ruſtica mens perculſa, ultra delicias ruris aliquantulum reſpiraret. Igitur ego & filius venimus in forum quod in altitudinem montis porrectum faciebat urbis umbilicum.

Surgebat ab ortu
Lucifer, & pulſa Phœbo conceſſerat umbra
Ithomes ſublime jugum; ſimulataque magna
Flumina clepſydra vitrea pellucida lympha,
Quæ per clauſtra ruens montis crepitante lapillo
Ludebat, fluctuſque ſuos miſcebat amaris.
Stabat & effigies Cretea nobilis Ida
Infanti reptata Jovi, quem Neda paternis
Faucibus ereptum cæco celaverat antro.
Hoc ſuper impoſitum naſcentis lumina Phœbi
Spectabat templum, quod per miracula laſſos
Ducebat diverſa oculos: ſeu gemma lapillis
Intermiſſa novis, ſeu vultibus æris & auri
Mixta ſimul, ſeu marmor erat, ſeu concolor atro
Vena mari, Phrygiuſve ſilex, aut durus Iaſpis.
Huc oculis, huc mente trahor. Diverſa figuris
Viva metalla micant, fulget quoque picta per artes
Tellus partitas, & opes quas porrigit optat
Calcari, & placida venientes luce ſalutat.
Juppiter ipſe alto celſum caput aëre ſeptus
Templa ſuper fulget. tanta ſub pondere molis
Ara gemit, preſſuſque tremit mons ſub Iove tanto,
Quantus erat cum Phlegræis Titanes in agris
Sublimi de nube tonans ad Tartara miſit.
Mitior ille tamen blando ſpectare videtur
Intrantes riſu: neque enim ſua dextra minatur
Fulmina, nec ſævum conſurgit ab ægide pectus.
It tergo demiſſa chlamys, dextraque quietam
Mulcet avem, gaudetque ſuo quo nubila pellit
Pulcrior aſpectu fulgere, & ponere curas.

Lignatores varia congerie ilicis & myrtus oneraverant Doricas aras.

Æditui lectiſternia fecerant. Pulvinaria ſtruxerat curio. *Simul virgines* verno florentes coronamine, & humum floſculis ſternentes, æquali cum Muſis numero ad muſicos modos ſaltantes occupavere medium templi. Præibat intonſus juvenis Apollinis ſpecie multiſſimam puellarum turbam, ad citharæ nervos tam blando concentu digitos infringens, ut eum patrem ſuum crederet Æſculapius, ſi aut ſagittas habuiſſet, aut arcum. Conſumptis carminibus quæ celebris poëta Jovis laudibus impleverat, intravere in templum virgines aliæ miniſtræ ſacrorum, invitante adſtantes præcone ut facilem ſacrificio viam darent. Hæc æneum vas exanſatum præferebat. *Illa ſimpulum* dextra tenebat. Inferebat altera myrrhas, caſiam, *crocum, & libanoton.* Succedebat lectiſſima adoleſcentula, bellaria vimine clauſa capite ſuſtinens. Erat quæ caniſtro hordeum cum ſale *deferret*, quæ gereret acerram, quæ candelabrum, malleolum, ſeceſpitam, pateram, diſcum, enclabrin, dolabrum, vaginam, & ollam. Poſt hæc turbæ divinis ſacris initiatæ ſacrificuli, & ſacerdotes, & flamines querneis frondibus evincti tempora, niveaſque induti veſtes, gallum gallinaceum ad aram trahebant, ornatum tæniis, vittiſque diverſicoloribus. Exornabat pompam regina eburneo curru vecta, tam grata forma, & læto habitu congruente formæ, ut eam pro vero numine coluiſſes, niſi quod ſuaviſſimo colloquio blandiebatur *hominibus quod* à Jovis ſtatuis torpens marmor removerat. *Jam Pontifex Max.* ambabus manibus fluvialem aquam receperat, & *extremis digitis avulſas* de victimæ fronte plumulas merſerat *in rogum: annuerat* quoque ſacrificio gallus, & effuſum *ſupra ſe vinum* fluctuante ſpinula, & capite ſuaviter commoto, paſſus, ſuccincto popæ præbebat jugulum. Deſpumabat interim ſanguis, & vividum corpus vario ſubſultu geſtiebat in mortem. Cremata demum victima, vinoque & thure in flammas profuſis, continua menſa diſcubuere ſacrificantes. Epulum autem illud Philitium vocant, id eſt, ſociale, ſive amicum, Jovi Hetæridio, qui & Philius dicitur, ſacrum. Poſt hæc gratiis Deo peractis, receptiſque noviſſimis verbis, ſinguli domum diſceſſere, omnibus tamen ante aqua cum ſanguine victimæ in chernipem miſſa luſtratis, *dimiſſiſque.*

Impleverat omnes ſacrificii partes ruſticus, cum ego ad eum, Scis, inquam, pater, cur Jovi Hetæridio mactetur gallus, quem non alias ad aras jugulatum legimus, quam ad eas, quas Æſculapio, aut Somno, aut Morti, aut Mercurio, ſacravit antiquitas? Et quid ni, inquit, ſciam, cum nihil aliud magis in hac terrarum ora jactetur, quam illa ſolemnis ſacri longæva pietas, & incorrupta tot ſeculis ceremoniarum obſervatio.

Erant in Tarentina civitate Rex & Regina, præcipua licet forma commendabiles, magis tamen amore mutuo. Non *ſatis fuit* juveni regi amoris vinculis pari nexu cum amante conjuge copulari; quæſivit inter ſubditos quem diligeret, & in ſtrictioris conſilii *pertrahe-*

ret

Digitized by Google

ret arcana. Sed amicitia inter diſpares contracta deformi exitio plerumque fœdatur, & nihil eſt tutius in ſocietatibus æqualitate. Subditi, in quorum auxilium fœlicitas feſtinat, familiaritate principis male utentes aut capiuntur, aut capiunt. Et ſiquando Reges in eam humilitatem venere ut dignati fuerint impotentem amicitiam, ſtatim eos aut perfidia malorum amicorum ſubvertit; aut invidia reliquorum qui ad eamdem auctoritatem ſuſpirant, quos amant, præmaturis funeribus involvunt. Quid vos ad exempla propoſitionis certiſſimæ mittam, quæ aut facilitatem regum oppreſſerunt ineluctabili fato, aut amatos ſubditos in vota paupertatis coëgerunt, & mortis, extra calamitatem infamiæ? Inter alios placuit huic regi Apiſtum quemdam in familiaritatem ſuam devincire, partiri cum eo curas imperii, & crudeliter ingratum obligare ſecreto quo naturam etiam corrumpebat. Utpote qui quoties vellet in omne animal intra momentum temporis reformaret ſeſe, & extincto corpore ſuo in alieno viveret. Hunc itaque ſecum cubiculo includens, Age, inquit, aufer formidines pueriles, & amicum tuum ſuos ſpiritus alienis membris inducentem mirare. Simul extinxit paſſerem, & ſupinus in terram mortuæ avis roſtrum inſeruit ori ſuo. Jacuit regium corpus exanime, & redivivo tinnitu paſſer, vario ſubſultu, Apiſtum repentinæ viſionis ſtupore turbavit. Nunc inſidebat mirantis capiti, nunc irrequieto volatu interturbans aërem huc atque illuc proſiliebat, nunc laſciviente pipillatione illudebat in horrorem defixo. Rediit tandem volucris ad humanum cadaver, iterumque inſerto pallidis labris roſtro reddidit mutuatam animam, ſuiſque ſpiritibus jacentes venas implevit. Arrexerat animos ad tantum miraculum Apiſtus, herbulaque morſa, & alia pectori impoſita, tentavit ſcientiam regis. Nec mora; ſpiritus ſui ſufflatione animavit paſſerem, & modo huc, modo illuc circumſiliens, ubi audaci volatu lætatus eſt, rediit ad ſuum cadaver. Hujus ſecreti aſſiduitate regi carior indies factus, occultato ſceleris quod parabat conſilio, amici fideliſſimi perſonam mentiebatur. Intus enim ambitione regnandi & reginæ amore tenebatur ad deſperationem ſalutis, ſi perfidiam neglexiſſet. Nova nimirum varietate morum, confuſaque vitiorum temperie; ut idem eſt ferociſſimus hoſtis, ita & mitiſſimus amicus.

Spectate quæſo quo furioſæ libidinis & inſana regnandi deſideria prorumpunt. Forte mole negotiorum preſſum animum juvenis rex venatione laxaturus aſſumpto Apiſto in ſylvas exierat.

Ecce fera ſaxi dejecta vertice capra
Decurrere jugis, timideque in cæde patentes
Tranſmittunt curſu campos, monteſque relinquunt.

Venatores ad latratus canum per avia ſilvæ ſeceſſerant; ſolus cum rege Apiſtus in fugitivam caprarũ turbam ſpiculum contorſit. Hæſere utri-

ſagittæ fugientium pectoribus, & in certiſſimam necem vulneratas capras transfixere. Ille vero nactus fraudium opportunam occaſionem, regem ad experientiam notiſſimi ſecreti compulit. Deſiliit uterque ab equo ut alienæ cædi totus immineret: ſed prior rex in perniciem ſuam ſuper capræ quod fecerat cadaver porrectus, in momentariæ vitæ officia quam occiderat feram reduxit. Hebetes artus & pigra frigore membra recepto ſpiritu in antiquam celeritatem torquentur, & ad obſequium inexpugnabilis artis de terra reſultant. Ridet Apiſtus innocentiam regis, & de capra ſua ſurgens regio corpori totus incumbit. Accepere fibræ indignum ſpiritum, & honeſtum pectus ad coactam arcani violentiam infeliciter ſurrexit. Dedignata eſt cadaver Apiſti regalis capra; quæ eo miſerius ſenſum retinebat humanum, ut ſciret fera quantum homo peccaverat. Fugit per nemora quo natura feralium exuviarum ducebat animam rationis compotem: & jam non ſuam manum timens ante ſuum cadaver celeri fuga pervolat.

At regina neſcio quo infortunii ſui præſagio penè ad deſperationem perterrita, mirari cœpit in corpore conjugis ſui diſſimilem mentem, & eo exploratius falſi regis ſermones excipere quo dudum inſidias Apiſti ſenſerat. Iidem proditori geſtus, eadem vox quæ quondam conjugi ſuo: Sed mentis actus, alloqui, & affectuum diſſimilitudo, augebant ſollicitudinem; quod erat ſuſpicantis. Ecce peractis inferiis, & ſuo corpore ditiſſimis marmoribus incluſo, venit ad reginam Apiſtus, & veluti ſedaturus dolorem, quem pro amici morte alieno vultu ſimulabat, amplexum petit. Sed illa diſtulit deſiderium petitoris ad nonum diem, quoad ultimum proclamatus Apiſtus mortuorum quieti concederet. Interim ſylveſtris capra neceſſitati ſuccumbens contumeliæ ſuæ ſerviebat, & per ſolitudines nemorum diſcurrens, luctu ac mœrore carpebat animum virilem. Forte recenti ictu decuſſus ab arbore pſittacus vitam amiſerat; ſtatim reliquit diram quadrupedis imaginem regius animus, & ſeſe pſittaci viduis calore membris inſpiratione mirabili intrivit. Vix efflaverat humanum ſpiritum, ſublimatur avis in cœlum, & expanſis alis mutuatum corpus puriori aëri credit. Tum viſis deſuper retibus quæ avibus auceps tetenderat, ſpontanea captura implicatus, prudenti loquela meruit benevolentiam magiſtri, qui ab auribus ſuis interioris hominis internum & puriſſimum quærebat ſenſum. Neque ſapiens avis reſpuit aucupis amicitiam, ſed promiſit inſperatas opes ſi ſe reginæ donaſſet. Certe illa cubiculo ſuo incluſa, tenebris imis abſcondita, dies noctesque lamentis cum ancilla fideliſſima ducebat: accepit aucupis donum, & ſilentem ad aſpectum ſuum avem priorum dierum incuria penè ſepelivit in mortem. Tunc inter has moras blandiſſima voce infit pſittacus: Corcule mi, quid affligis te, & ſine alimento corpus trahis, cujus contrectandi deſiderio flagrat Apiſtus ſub illo meo vultu quem crudeliter induit? Depelle hoſtis ſero-

ferociſſimi nece feralem hanc faciem; redde me tibi, aut, ſi quod offenſum numen implacabili me furore premit, mori ſaltem liceat, ſi tecum non licet vivere. Noli, mi conjunx, toro acquieſcere cum Apiſto illo; qui amicitiam noſtram per ſcelus violavit ut te frueretur; quique parricidio meo nuptias tuas auſpicatus, ab imagine mea quam male circumfert quærit inſanis ignibus ſubſidium.

Horruit regina, & veluti fulmine icta decidit in terram: Sed intervallo revaleſcente corpore animam quoque repentino dolore obnubilatam reduxit ad lucem: Cum Apiſtus cubiculum ejus ingrediens pervicaci prece à regina quærit, quid doleat. At illa turbatam ſe ſomnio ſimulans, ne mœrorem ſuum exulceraret inviſa narratione, precabatur. Sed eo cauſas præſentis doloris inſtantius quærente, non tardata eſt Regina nocturnas imagines in hunc modum mentiri.

Videbatur mihi ſecundum quietem Venus dicere: Deridet rex Cupidinem tuum, & jam, perdita, tuis votis inexorabilis, mancipavit ingenium extraneæ pulchritudini. Quid importunis ſacris ſollicitas divinitatem meam? tibi præcipitium capeſſendum eſt, aut venenum, aut laqueus, ne fidelibus oculis infidelem videas ad latus ſuum concubinam applicantem. Hujus vocis horrore commota, funeſto ſomno pavens excuſſa ſum. Sed nunquam impune ad mala mea turbatus animus de nocte miſerias meas conſpicatus eſt; ſuas iſta cauſas habent: aut ex vitio meo, aut ex imperio fatorum ſæviunt: & iſtæ viſiones certis eventibus corroboratæ, quod prædixerunt calamitoſa divinatione, ſæpiſſime ſanxerunt. Cumuletur precor prædicatum infortunium confeſſione tua. Si enim contempto caſtiſſimæ conjugis amore deliberaſti de domo & thalamo tuo deturbare conſtanter amantem, parata ſum imperium crudele ſequi, & per avias ſolitudines ferarum clementiam in meam mortem deprecari. Quod ſi falſa ſint ſoporis infortunatiſſimi præſagia, & in meliorem ſortem anxiatum ſpiritum Dii noctis præſides vocant: per ego hanc tuam dexteram, cui ſincerum oſculum pono, in ſolatium meum placeat tibi experiri ſecretum, quo ſæpius mutatus in alitem demulſiſti ſolicitudines meas. Reddes me mihi; triſtitiem animi, corporis languorem avocabis, ſi mœſtæ deſiderio ſatisfeceris, quod à te ſolum hoc infracti Cupidinis tui teſtimonium quærit. Neque enim reor in tam ſancto pectore omnis prorſus exaruit miſeratio, nec ingrata levitas caritatis antiquæ fœdus rupit.

Nunquam ardentius ad alienas preces ſuccubuit ſimulatus rex, quam ad iſtas, quarum ope non ſui tori petitor deteſtabilis, reginæ, odium ſuum diſſimulantis, irrequieta libidine deſideratos devorabat amplexus. Sed hominibus certa & perpetua ſibi promittentibus Deus illudit; qui varietate tempeſtatum, æquoris inquietudine, elementorum converſione oſtendit, etiam id omne, quod ſupra nos eſt, ſtabile

ſtabile non eſſe; omnia in ſervitutem fati venire, & omnes *mortales* ad caducitatem naſci. Eliminantur ancillæ cubiculo, gallus infertur, & ille execrabilis parricida vigilem avem premendo ſuffocat. Delabitur in terram, & ut animam exhauriant conſentiunt in voluntariam mortem regia membra; ſpiritusque proditoris Apiſti de alieno corpore exiens generoſæ volucris cadaveri gaudet *inſeri*. Nec ſequius de cavea ſua pſittacus erumpens alienatum per plures dies ſpiritum fibris ſuis reddidit. Tunc rex & regina apertis cubiculi *foribus* numeroſiſſimum famulitium intro vocarunt. Latebat gallus, exitii ſui intelligens, nunc hoc, nunc illo angulo; & timore *diro frendens* demiſſis in terram luminibus expectabat omnes *injurias*. *Singuli* ſollicitati ſententiam ſuam dicere, in execrandi *mancipii* necem judicium tulerant: ſed tam vario ſupplicio, ut neque *Perillus* ingenioſior in pœnam fuerit. Decretum tandem ut Jovi Hetæridio (qui propitiis nutibus involuntarium regis & reginæ diſſidium in melius vertiſſet) templum conſtrueretur; mactaretur ad illius aram gallus; & Apiſti anima illa, quæ per fraudem inſinuaverat ſe regalibus venis, in alieno ſanguine funderetur, incertoque curſu *erraret inter terram* & cœlum; detracto nimirum è ſepulchro ſuo fraudulenti hominis cadavere, ut, inhumatis cineribus, animus circum littora *Stygiæ* paludis annos centum volitaret. Unde non ante *renovatur ſacrificium* galli, quam Sol in ſeſe per totidem annos *rediens impleverit ſeculum*.

Dum hæc diligentius audimus, *filia ruſtici ad patrem*, Homo, inquit, ante fores caſam tuam *pro diverſorio* petit, & puto ad laſſitudinem pedibus æger, quærit humanitatem ſtabuli, quo abſumptas per iter vires reſumat. Subjecit ruſticus: An etiam tu ignoras, hanc caſam viatoribus patere quo ſe omnium externorum fortuna conjiciat, quæque omnes divitias ſuas ultro peregrinis accommodat, ut cæteri mortales ſciant, antiqui hoſpitii religionem terras nondum reliquiſſe. Hoc dicto regreſſa puella patefactis ædibus introduxit Theophilum, ita lurore & miſera macie deformatum, ut rogare in triviis ſtipem putares: qui ubi ſuper me *contemplationem* injecit; Hem, inquit, Alitophile mi, fidelis ille comes & ſocius olim tuus, qui fortunæ bona maluit perdere, quam animi.

Audito Alitophili nomine variis geſtibus in admirationem effictis omnes quærebant, quomodo in Chloridis hiſtoria tacuiſſem, & tot exantlatas ærumnas, tot labores lubricis ambagibus inſtabiles, tot viciſſitudines malarum rerum mulieris amantiſſimæ ſiccis oculis audiviſſem. Sed Theophilus, aliarum miſeriarum recens ſpectaculum, ſciſſili centunculo obvelavit faciem pudore & iracundia puniceantem, uberique fletu ad miſerationem compellens *aſtantes*, *tenui* & eliſa jejunio voce, Alitophile, inquit, ne tu larvale ſimulacrum è nudis oſſium compaginibus æſtimes. Idem ingenium inter *paupertatis*

tatis incommoda ſubeſt, quod olim mihi inter opum luxuriem ſaginato ad terrorem improborum inevitabilia tela reſignabat. Dulce eſt iraſci vitiis, & pro Veritatis defenſione quærere hominum tutelam. Creſcit per clades ſuas velox animus; & extranei odii ſuique mali recognoſcens, in delicata ſatyræ voluptate corroboratur. Sive enim celebri carmine detonueris in ſcelera, ſive libera oratione læſæ Veritatis querelas expoſueris, conciliata improborum quotquot ubique ſunt invidia, & inutili pauperum laude defenſus, jacebis potentiorum victima, & incertus ſalutis. Ut fugias mordaci ſtylo perſtrictam potentiam, converſatio amicorum relinquenda eſt, & patrimonium, & parentes, ut in ſolitudinem eas, inter deformia paupertatis oſcula, & infructuoſum amplexum victurus.

Cæterum effervescit pulcherrimæ naturæ robur per injurias & vulnera, eoque acrius ad interdicta torquetur, quo amiſſis ſortis bonis ſolius ingenii divitias retinet. Macte animo, Alitophile, juvat immortale nomen mortalium inimicitiis comparare, & certam ſolidamque poſteritatis memoriam in admirationem conſtantiæ tuæ devincire: Surſum ingentia ſunt, in quorum poſſeſſionem illi tantum admittuntur qui ſua conſcientia contenti neglexerunt mendacium, & terſo animo emicuerunt, ad conſervationem veri. Ideo virtuti ſerio incumbe, & illa te vel ultra regum famam poſt obitum extollet, aut ultra tela inſtabilitatis & temporum poſitum, conſentiet te de tranquillo ſpectare reliquorum naufragia. Extrema mihi paupertas eſt, ſpiritus tamen alacer, & ſpontaneo eloquii flumine in ſuum decorem productus, eaque facilitatis gratia fluens, ut quicquid conceperit impetu vivido ſine ſudore perficiat. Sed infortunium meum auxit maxime Acigniorum invidia, qui fictæ ſanctitatis induentes ſupercilium, in plenos innoxiæ jucunditatis verſus totam Eleutheriam armavere, & pro ſua Gephyriique potentia natalibus me pepulerunt terris, comminantes infamem mortem ſi quid poſtea lingua vel calamo in Deos hominesve peccarem. Adeo etiam vitiorum tenaces ſumus, ut nolimus ea crimina reprehendi quæ leges ſacratiſſimis ſanctionibus puniri ſevere volunt. Videritis an hodie infelix ſit virtus, quæ dudum amiſi illum gloriæ titulum, quem incaſtigata ſibi ſcelera vindicant, dum virtutis gloriam intercipit ſicut fortuita, ſic & inſolens felicitas. Igitur fruatur inimica ſors illo ſuo trophæo quod ipſa de me fixit; ſilebo mutus, & ſimilis otioſo mordebo fræna quæ libertati meæ & innocentiæ intrivit Acigniorum immortale in litteratos & Veritatem odium, quod omne ſtudiorum genus paulo liberius & erectius ſervitute vel nece caſtigat. Neque ego in iſta tempora atrocem ingrati actionem movebo, cum & præterita ſecula virtutibus inimica fuerint. Cernite nunc quantum impoſſibile ſit bene nata ingenia deducere ad captivitatem. Nondum Veritatis amor ab hoc pectore per tot ludibria & calamitates evanuit: & licet ejus defen-

Digitized by Google

defenſionem neque verbo neque ſcriptis audeam ſuſcipere, et aliquid tamen melioris induſtriæ & laborioſæ artis, quo torpentibus lingua & manu ſatisfaciam Cupidini meo, qui me contumacibus ſatis ad ſcelerum vindictam animavit.

Simul de tergo capſulam ligneam decuſſit, infraque inſeris clavibus, ad internos motus funes tetendit. Hanc cum Theophilus abjeciſſet ſupra menſam, ſciſſa in diverſas partes capſula varias imagines oſtendit. Percurrebat ingens fluvius immenſam planiciem, & innumerabilem piſcatorum turbam ſuſtinebat ſcaphis. Saliebant circum littora piſces, ad quorum capturam omnis generis homines accurrebant. Pars veſtium ſinus aquatili præda impleverat, *pars caniſtris* detinebat ſubſilientes, alii de vimine pendulos impoſuerant collo, ſed omnes ad Geryonis ſtatuam, quæ in throno erat, *captos piſces* reddebant. Ille in omnem partem vibrabat oculos, manuſque ad tot divitias extendens, concatenatione mobili diverſas figuras exprimebat. Tum ex parte altera, valvis excuſſis, de templo Ver exiit, & ad æquales numeros excitato ſaltu, ante Geryonem provectum, corollis frondibuſque & vario flore pedes *ejus aſperſit*. Sequuta eſt Æſtas ſaltitantis Veris iter; &, poſtquam vertebrarum tacito motu expreſſit plures geſtus, flava meſſe *exoneravit manum*. Proceſſit Autumnus quoque de templo, & vindemiam *ſuam fructuſque ante* Geryonem abjecit. Tunc tardo paſſu, iiſdem *gradibus, exportata* genialis Hyems pervenit ad adorationem, *fertilemque dexteram laxavit* ad ludum. Ridebat *Geryon totius anni munera; ſumptoque* inter hyemis dona fritillo tentabat aleam. *Cucurrit ad jactum lignea* larva, & flexis retro brachiorum articulis in Geryonis necem falcem intendit. Sciſſum caput ſtridorem fecit: madebant proxima capita fraterno ſanguine; & afflictum in uno vulnere triforme corpus ægre ſe ſuſtinebat, amiſſa ſcilicet anima, cujus vi cætera membra ſtabant. Clauſæ ſigna lætitiæ per vultus indices ſpectantium exibant. Supra titulus erat, *Nihil tam utile, quam brevem poteſtatem eſſe, quæ magna ſit.*

Poſt hæc, per nigras Stygis undas ludebant Heroum animæ, quas ante diem Geryon ad Æacum miſerat. Perire feſtinaverant, & ſe lethalibus obtulerant vulneribus, ne ſervire cogerentur. Ut proſpere venientem tyrannum, exſonuit multiplicato per rupium anfractus clamore palus Cocyti, manuſque & pedes ad prælium compoſuere. Prior Typhon ad raucam & implicatam vocem ſtimulatus horrendum monſtrum pugno contudit. Hector, & Cæſar, & Paris, & Alexander, plebejos ſpiritus in vindictam ſuam incitavere, dedignati celebres tot triumphis dextras polluere tam vili ſanguine. Diſtrahebat ſervilis manus Geryonis ſpiritum Ixionis rotæ porrectum, & in omne ſupplicium lacerum ducebat: legebaturque ea parte carmen iſtud Virgilii:

Diſcite Juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Prope

Prope ſcribebat Clodovæo Gephyrius ut in Eleutherianorum rebellium pœnam vocaret Melandrios, & Liphippum arrogaret. Sed ille, qui quieti ſuæ & gloriæ ſtudet, recuſabat auxilium infame, & arrogationis male imitantis naturam conſilium damnabat. Jamque ſuis comitatus, intrepido vultu palantem hoſtem ſequebatur: mox calcata capita ſupervolans & conſternatas gentes, docebat annorum curſum non expectandum in feſtinatione virtutis. Juxta tellus inſtabilis, ſupernatante pingui luto fluctu, veſtigia morientium fallebat: pars hoſtium inter ferrum & undas obruta, pars receptam mortem trahebat in vicinos lucos, pars deferebat in flumina ſemivivum corpus; hi dolore vulnerum furoris ſui admoniti in deteſtatione ſceleris fundebant animas; aliqui ſequebantur fugitivos, & integri eadem ruina mergebantur paludibus. Reliqui omnes morituri niſi reorum timorem decepiſſet clementia regis: qui de gravium armorum pondere blandos expediens, ſidereos luminum ignes ad ſerenitatem contorſit. Hoc aſpectu ſupplices conſervati aliena pernicie ſenſere quæ fulmina Clodovæi juvenile brachium in inimicos ſuos torqueret. Iô nunc cruentæ mortes, & quidquid ad miſerias noſtras contumacia rebellis invenit; redit ecce Mercurius, & caduceo ſuo potens iratas mentes ad blanditias reducit, quas intermiſerat temporis mœſti deforme juſtitium. Vocem gaudentis opprimit miraculi magnitudo, quod tot cruentas incruentaſque palmas Clodovæi fronti venerandæ congeſſit. Sequebantur triumphum furor vinctus, cruenta crudelitas inani rugitu frendens, ſuperbia debellata, arrogantia catenata, nexuque ferreo conſtricta rebellio. Sed nondum ſævitiem omnem, & horrendas minas captivitas vicerat: clauſum pectoribus incendium revelabat rubor vultus, & feroci ignominia furens oculus male demiſſus in terram. O ſententia mirabilis, Nihil glorioſius eſt principe impune læſo! Quis bene deſcribet claſſem toto mari ſupernatantem? quis tot triremes per varios æquoris tractus remis ventiſque volitantes? quis Oceani tranquillitatem tanto vectore ſtupefacti? quis contumacem irredivivo furore civitatem, quam non magis à noſtris terris amnis & mare, quam ingeniorum diverſi contrariique motus dividunt? quis præterea terrorem ſeſe hoſtium mœnibus includentem, fugaſque, & trepidationes, & vincula? Omitto regentis celeritatem occupatam etiam victoria; nimirum truces animos præſentia regis debilitat, & inter ſuos illud agit quod in primo momento mundi naſcentis Amor, qui, de tenebris excutiens ſeſe, miti lumine tumultuantia elementorum officia pacavit. Hoſtium duces magna ſuorum clade rejecti in mœnia, aut incerti veniæ, bellorum avidiores quam ſalutis ſunt. Pars in montibus pendet ſollicitatura procellas, niſi maturaverit Phœbus qui mala nubila tenui radio ſolet excutere. Reliqui melius conſilium ſequuti rediere ad tentoria Regis, & hodie ſtrenue agentes notabili virtute abſcondunt ignominiam præteritorum ſcelerum. Gaudet ab Olympo in Eleutheriam ſuam reſpiciens Protagon,

Digitized by Google

gon, & pridem vocatus ad beatitudinem, creſcit etiam in *filio*, & tot victoriarum laudibus ingentia ſua *facta libenter accommodat.* O vera Protagonis progenies; non magis *ſanguine* quam trophæis æqualibus comprobata. Tu quidquid *titubat in firmitatem reducis*, ſi nutat, aut ruinam minatur, in medio periculi & *hoſtium* minantium improviſus appares, & diligentiam *magni parentis* neſcio magis imiteris, an vincas. Sed *aliquando ſit aliquid*, ô *felix* anima, in quo filius tua geſta velit deſtituere; *temperet fulmineæ dexteræ*, & ſanctiſſimum caput quo ſalus *Eleutheriæ ſervatur de periculis* tractum conſiliis reſervet: Cautius *deinceps dubio ſe credat Marti*, ne, quem tot faciles victoriæ *complexæ ſunt, laborantes in unius incolumitate* Eleutherianorum curas per *incerta diſcrimina* bellorum *juvenilis* audacia traducat. Sit perpetuus hominum recreator, comes vero tardiſſimus Deorum.

Cum exclamarem, Theophilus machinator fabricæ, aſtuta converſione tot expugnationes & pugnas abſorbens, ad novas imagines ſpectantium oculos pertraxit. Stabat ad lances Tallicius, & ad momenta ponderum, trutinarumque motus, aurum exigebat, quod in militum ſtipendia contulerant provinciæ. Sed iſte cum purpuratis neſcio quibus partiebatur regni totius ſpolium: veniebantque ad lances bona eorum qui pro patria ceciderant, viduarum hereditates, pupillorum pecuniæ, ornamenta matronarum, extractæ puerorum cervicibus bullæ, argentum dominorum cruore *perfuſum*, & magiſtratuum nobiliumque inſignia. *Penè centuncii milites, qui plus* vulnerum quam *ſtipendiorum acceperant, rogabant eleemoſynam*, & trunca membris corpora cum *his literis* oſtendebant: *Hac mercede calamitas placet.*

Alii tentabant hoſtium patientiam, & apertis pectoribus inermes, fortem exitum precabantur, cum hac inſcriptione: *Qui mori didicit, inter inopiam vivere didicit.* Hic mirari cœpi Eleutherianorum veram virtutem, quæ ſine præmio tam altum iſſet; ut ne tum quidem poſt mortem memoriam ſui ſperaret. Militum enim generoſiſſimorum laus omnis intra diem unum ſicut roſarum flos extinguitur; nec illi aut gloriam ſuorum inde referunt, nec manſurum in animo cujuſquam deſiderium ſui, ſed oblivionem facilem, & ducum ambitione nomen obſcurum, etiam apud eos qui fortiter cadentes viderunt. Neque minus hi, quod querantur, habent: quos virtutum & ſcientiarum ſplendore notabiles à magiſtratibus egeſtas excluſit. Vident nimirum ignominia celebri notatos, & inter anguſtias natalium fœda ingenia eluctantes, dignitates occupare licitationi patentes, eoſque vincere pecunia, qui ſibi in cæteris cedunt. Et iſti plerunque, dum in vitia ſeculi excandeſcunt, laudabilem alioquin ſui famam includunt tumulis, antequam ipſi ad veram notitiam ſui deſcenderint. Igitur ſi in apparatu virtutis aurum & gemmæ non fuerint, arcebitur à magiſtratu quiſquis altius ſuſpexerit, & inerti diligentia

veluti

veluti antiqua pictura ab annorum injuriis infecta jacebit in ſitu & pulvere, quo facilius appareat quibus gradibus animi dona fuerint diminuta.

Hæc indignatio penè oculos meos condiderat in ſoporem, cum Torrentii & Janicularis ligneolas figuras, & jam ad ruinam nutante gradu, juvenes de ponte dejecerunt, qui novis ſuffragiis ambiebant facilitatem regis. Utriuſque caſus, expreſſus arte mira, ita manus ad ſalutem corporum intenderat, ut putares poſſe adhuc vivere, quos tamdiu fata ad Eleutheriæ tutelam ultra ſolitos ætatis curſus ſervaverant. Juxta, illinc Marcianus, hinc Rhetus civile Eleutherianorum bellum damnabant, & ſurgentia ab obſcuris receſſibus propugnacula, quæ Liphippum in poſſeſſionem orbis inducebant, taciti mirabantur. Ac primo incrementis fallentibus apparebant faſtigia turrium; mox in arduo montium munitiſſima caſtella repebant, quibus Europa veluti frænis coërceretur. Quaque deficiunt montes, lacus ingens loci munimentum objicitur, ubi profunditatis immenſæ triſtis aſpectus inhorreſcentes circa latera ſcopulos ſuſcipit. Inde legatum rigore frigidi & venenati aëris extinctum efferebant pullati, & faſtuoſam pompam ad defuncti mores aſſimilabant. Suſcipiebant alienos cineres Alexandrini, & legatum olim ſuum in Hectoris famam per contemptum vitæ & ſolatium mortis æquabant: quoniam Melandriorum potentiam, ad humanum imperium negligentia noſtra properantem, & futuras clades, non ſuſtinuiſſet aſpicere.

Hunc patria incenſa Rhetæis montibus actum
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo,
Fœlicem ante alios; qui non hoſtilibus armis,
Nec prece, nec pretio victus, virtute ſevera
Maluit obſcuras Acherontis viſere ripas,
Cernere quam ſævi funeſta trophæa Liphippi.

Claudebat ſcenam Geryonia, quæ de regia Alexandriæ depulſa Hermaphroditi conſilio in Licinii connubium de nocte veniebat. Præſto erat ad miniſterium dextera maritalis, & ille torta ad nutum cervice accipiebat uxorem. Supra caput Geryoniæ duo verba legebantur, *Equus Sejanus*. Nec longe ab eo loco de ferrato carcere in libertatem exibant Veritatis ſacris per longas calamitates addicti. Inter eos, & Botris, & Capilupus, & Tamias, & quiſquis in ſeditione Acigniana ut ictus effugeret ſaxeum robur invenit. Prope, vicini æquoris undis innatabat divulſa ſuis radicibus inſula Veri; ad quam feſtinantibus remis navigabant illi omnes qui Geryonis carnificinam opportuna tyranni morte vitaverant. Et ſtatim interno motu ceſſante, quietis rotis, fidibuſque per operta reductis, poſuere ſigna conceſſam ad ludum vitam, &, creſcente tabulato obducta, in capſulam ſuam rediere.

Tranſierat in ſtuporem automatorum ſpectaculum, cum Theophilus, Quid agimus? inquit; patet etiam elementum commune

auſuris navigationem? expectat nos inſula fœlix, quam divortio *ſuo* totus Oceanus pro muris amplectitur ad incolarum tutelam? *Occidit* quidem Geryon, ſed neque omnes placida indole crudelitatem eluctati, odium ſuum in cultores boni numinis depoſuerunt. Hæc noſtra tranquillitas, & à cædibus ceſſatio, omnino ſyrtibus ſimilis eſt, quæ brevibus lymphis oppreſſæ ſolent in immenſum ſubſidere, ubi veſtigium fugientibus arenis credideris, & abſorbere calcantem. Quin igitur compoſitis ſarcinulis ad amicam terram tranſimus, quæ ſola omnium terrarum, feritatem mortalium fugientibus, pro aſylo eſſe poteſt.

Hoc dicto, obverſantis imagine periculi turbidus, *præceſſit nos*; & ſtatim cum illo, ego, piſcator, & Vindocinus, in Tarentino *littore* adoratis ſideribus, intravimus navigium, quæſituri Veritatis inſulam, quo ſeſe veluti ad ſecuritatis portum implacabilis Fortuna conjiceret.

FINIS QUINTÆ PARTIS.

ALE-

Digitized by Google

ALETHOPHILUS
CASTIGATUS,
Quæ eſt ſexta Pars EUPHORMIONIS,
Sive
Triduum geniale Dionyſialiorum.

Dies Primus.
Mundi quatuor incognita ſive calumnia repreſſa.

§. I.

INgenua familiaritas illa quam Muſarum idem amor plerumque conciliat, me, alioſque paucos in paucis mihi familiares ad remittendos Philoſophiæ ſtudiis intentos hactenus animi nervos Bacchanaliorum triduo ſimul coëgerat. Cumque ſecunda bruma, denſiſque nubibus triſtis aër ad hyberna domeſtica, hilaremque ea luce focum nos compuliſſet, quibus ludicris has geniales ferias liberaliter ageremus, tantillaſque iſtas falleremus inducias aliquandiu vacavit decernere. Placebat aliis teſſera, aut taxillis; aliis placebat latrunculis, vel orbiculis in quincuncem ad aleam directis. Verum Barrinus ad aleam peritus luſorias cartas in medium proferens, En ait lepidiſſimæ hiſtoriæ duo volumina, alia quippe voluere nefas hoc genialium dierum triduo, quo herclè quotuſquiſque eſt qui genio non indulgeat. Ergo utimini ut libet.

Macrinus in communem ibat ſententiam, Et hoc quidem aulicum eſt, infit, in quo ſunt Urbes, Caſtella, Provinciæ, ac totius Europæ Duces, Principes, Cæſares: Iſtud vero vulgare ac tritum, habetque Rombulos, corda, trifolia, vomerculos, ſeu ſpicula: Adhæc in quaque familia Regem, Reginam, & armigerum.

Ego Alethophilus ludo me jam dudum nuntium remiſiſſe; & ad liberaliorem, ac humaniorem ludum ſodales ita compello: liceat potius, mi Barrine, alternis fabulis madidum, hibernumque diem ludere, atque ſeria temperando jocis, moleſtias temporis frangere, & ſolitudinem noſtram ſublevare; plura ſunt enim in ore carmina, quam æra in crumena:

Additur his geniale decus, riſusque venuſti.

Annuit conſeſſus, inprimiſque Roſetus & Macrinus & ipſe liberali vultu: omnibuſque volentibus, & ad novum aliquod argumentum ſuſpenſis animis, arrectis auribus, poſtquam ſatis excuſavi meam in dicendo temeritatem, & imperitiam; bonis avibus, abſque ullâ pompâ verborum, familiariter ſum auſpicatus.

Digitized by Google

§. II.

Si terras novas, & hactenus vobis forte incognitas in hoc orbe noſtro nunc aperiam, mei ſodales, ne miremini, *Omnia fert ætas*. Et illas quidem terras licet abditiſſimas, abſque ullo labore tamen, vel periculo, etiamnum ad focum ſedentes obire poteſtis; terras, inquam, quas non Veſpucius, non Columbus, non Marius, non Choutenus, non ex aliis Neptunigenis aliquis; ſed unus Theandricæ feſtivitatis genius recluſit. Veras credetis terras, adeo omnia accedent ad veriſimilitudinem, & ridebitis ad hæc incognita, & auditu nova, quæ veris nixa fundamentis, mera tamen, quantum auguror, commenta ſunt. Continentem ultra columnas Herculis olim extitiſſe, noſtri orbis indigenis non imperviam, Plato in Timæo, & in Critia poſt Solonem ſcripſit: inſulam Atlantidem vocat totâ Europâ, Aſiâque majorem: ſed terræ motibus, & cataclyſmis ſic exhauſtam Oceani fluctibus, ut non poſſet jam ab illo Atlanticus Oceanus, niſi multis poſt annis navigiorum patiens eſſe. Neque diſſentit poëta,

Jacet extra ſidera tellus,
Extra anni, ſoliſque vias; Ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet.

Ingens argumentum aſſerendi terras & aquas ſitum ſibi à naturâ præſcriptum non raro prævertiſſe, affirmante etiamnum Pomponio Mela in arenoſis Lybiæ jugis, & cautibus affixas anchoras, & ſpinas piſcium, fragmentaque oſtreorum attrita videri. Et unde tam antiqua novitas, niſi ex effuſo quondam ad eos uſque ſteriles, & aridos campos Pelago; & uſque ad iſtas

Barbaras Syrtes, ubi Maura ſemper
Æſtuat unda.

Mutato ſcilicet terræ, mariſque ſitu. Quod & ipſe aſſerit Herodotus, ſcilicet quidquid eſt ultra Memphim, & montes Æthiopum, id fuiſſe mare. Quare alienum à ratione non fuerit, ſi inter illas noſtri orbis mutationes, quas terræ motus, & aquarum eluviones peperere, cum antiquis aſſeram Herculeum mare non prius Europam & Africam interfluxiſſe, neque alteram ab altera prius diremiſſe, quam reſciſſo immani monte, cujus moles aquis Oceani erat aggeris inſtar, & repaguli: perfoſſiſque columnis Herculeis, nec non patefacto per fretum Herculeum aditu, ſeu naturæ viribus, ſeu ipſius Herculis arte, excluſas antea Oceani aquas loca illa depreſſa, & amœnæ valles aquis imperviæ admiſiſſent, naturâ, vel arte rerum faciem commutante. Ita ille priſcus Tragœdiarum ſcriptor Cordubenſis, in ſuo Herculis encomio dramatico:

Utrimque montes ſolvit abrupto obice,
Et jam ruenti fecit Oceano viam.

Quibus fretus auctoritatibus, auſpice Deo, coronâ favente, non vulgaris argumenti fabulam aggredior.

Nondum ex arenoſis Lybiæ terris aquæ Oceani receſſerant, nondum

dum diviſi ab ſeſe mirabili divortio montes prærupti, & in fretum jam procurrentes, Calpe, & Abyla, Oceani fluctibus irrumpendi copiam fecerant, nondum erat illud Herculeum mare, quod Europam ab Africâ dividit, cum in ſubjectis vallibus imperabat Rex fortunâ ſuâ digniſſimus, cum enim regionem illam cum propter clementiam aëris, tum propter liberalis naturæ divitias, &, ut ajunt, propter certamen Bacchi & Cereris ab antiquis Elyſium dictam ditionis ſuæ feciſſet, illi poſtmodum nihil antiquius fuit, quam vitii altricem ignaviam indicto litterarum commercio proſcribere.

Hac ætate aureâ in fortunatis hiſce vallibus ſecundus à Rege Princeps imperabat, quem in primis annis amavit Fortuna, ſequentibus vero deſtituit. Hermodius vocabatur. Tanti Principis fœlicitati diu fata poſtmodum inviſa fuere & nimium aſpera.

Erat illi conjux, quam propter animi & corporis non vulgares dotes efflictim deperibat, nec minori cultu, quam amore Princeps, eam obſervabant indigenæ, quaſi & cœleſtem nacta eſſet originem. Nam, ſi genus ſpectetis, Regium fuit, utpote quæ patrem, avos, atavos, abavos, proavos, patruos & patrueles Reges ſortita eſt: demum Hermogenis magni filia extitit, & ipſa propter tot naturæ blandientis divitias Smaragda dicebatur. Nam quod ad mentem: ipſa hercle nobilitate ingenitâ ſortita eſt nobiliorem. Et cum ſciret familias ſplendore generis nobilitari, animas vero ſplendore virtutis, ſanctius habuit nihil, quam ſtudia virtutis, & officia pietatis. Sed velim me hodie tantæ Principis dotes deſcribentem, Virtutis ſimulachrum, vel potius Virtutem ipſam animo veſtro fingatis. Nam quod ad dotes corporis, putaſſetis eam doctiori Minervæ fictam pollice, & amœnioribus lenociniis, ac Veneribus oris ab eadem Dea illuſtratam. Pandoram aliquam putatote, in qua elaboranda cœlum totum deſudarit. Erat illi juſta corporis ſtatura, qualem Virtutis eſſe decet; aut certè ſupra juſtam paululum aſſurgens. Oculi ſideribus pares, & mitiſſimi aſpectus blandiſſimo fulgore micantes: diffuſiſſima frons, & minime ſuperciliosa, genæ ipſæ nullo unquam artis adulterio perditæ; ſed nativâ gratiâ, florentique colore vernantes. Hæc tua laus, ſereniſſima Princeps, quæ nulli ſuperiorum ætatum Heroidi poſſit concedere. Hi cum tales eſſent, quid mirum ſi mutuum inter utrumque interceſſerat amoris vinculum qui connubium iſtud tam fœlici ſanciret augurio. Tamen accidit, ut ingrata & invida ſors (num forte Dea Diſcordia velut in nuptiis Pelei & Thetydos) inter utrumque ſemina odiorum jaceret. Longa eſt injuria, longæ ambages; ſed paucis ſummam evolvo, nam ſcena totius rei hæc eſt: Regem fratrem inter, & Auſtralis plagæ Dynaſtam ſemina belli antiqua cum intercederent, armis demum lis dirimenda fuit. Princeps à Rege fratre copiis regiis præficitur, indicto utrimque bello à Feciali verbena ornato & lituo. Copiæ luſtrantur in diribitorio, & in campis Enneis ita explicantur, ut primipili primum agmen obtinerent, haſtati medium, veterani

extremum deſperatis jam quaſi rebus adfuturi. Exſonante tuba, & cantu Martem accendente concurritur, pugnatur cominus, eminus per triduum totum: ſed anceps hactenus victoria, & Mars communis, utpote qui modo in hanc, modo in illam partem inclinaret. Tandem Princeps bello ſtrenuus, & præceps ad pericula dum fortius dimicat, dum ſuperat, dum ad ſigna rapienda advolat, ab adverſis copiis circumvenitur, & à Ducibus, & Equitibus hoſtilium caſtrorum, deſperatâ ab his victoriâ, peſſimo fato capitur, captus ad Regem Auſtralis plagæ ad triginta milliaria ſedentem in urbe regiâ cum pompâ perducitur, qui regiis hunc excipit honoribus, dum *victrices* Principis copiæ ſub auſpiciis vicarii Ducis hoſticum invadunt, *caſtra ſpoliant*, penitusque perturbant; hoſtes vero *caſtris* & *ſignis* exuti, ac palantes, etiamdum receptui canitur, coire ad caſtra propugnanda neſciunt. Expleti ſpoliis victores ad Regem ſuum ſe recipiunt cum victoriâ captivum Principem nuntiantes. Fit interim aliquot dierum intercapedo, dum fiat captivorum mutua commutatio, ſed major Auſtralium erat numerus, & quidem nobiliorum, ſi Principem Calliſtum (hoc illi nomen erat) è numero eximatis. Per id temporis Rollo aulæ præfectus, è diſceſſu Principis non ceſſabat honeſtiſſimæ Principis pudicitiæ miro artificio inſidiari, jam quaſi propter negotia domeſtica, quibus ille præerat, in familiaritatem *ejus inductus*, molitus animo omnem viam, & hanc prædam *jam ſpe* & *cogitatione* devorans: ſcilicet Catus iſte viri Principis necem *molitur per ſicarios* clientes ſuos (erat enim potens clientelis) dum ex *plagâ* auſtrali remetiretur in patrios lares *commutatione factâ captivorum*; ſed quatenus exitus voto reſpondeat, adulterinas ab amanuenſi litteras jubet in cera, qui mos erat gentis, exarari, Regis nimirum Auſtralis ad Regem ſuum Hermodorum magni Hermogenis filium, quæ de morte Principis tum ex mœſtitia captivitatis, tum ex vulneribus in acie ſuſceptis procedente hunc faceret certiorem; adornantur & milites qui mortem tam ingratam ſacramento firmarent. Prolatis litteris, & cerâ à Rege detractâ penitus evolutis, tabellario rem affirmante manu ad fidem compoſitâ, neque detrectantibus, aut *inficiantibus* teſtibus ac militibus, credidit Rex, aulaque. Juvit *credulitatem cum* tabellarii, tum adornatorum teſtium mœſtiſſimus *vultus*, & fictæ lachrymæ; maximè Rollo, qui de re bene geſtâ, & jam quaſi de exitu voto reſpondente exultabat, & commutationem captivorum qua poterat arte, & ſua apud Regem auctoritate differri curabat. Interea clientes adornat, qui remetientem iter Principem adoriantur improviſo facinore, & imprudentem necent. Res jam exitum fœlicem ac fauſtum Rolloni videbatur ſortitura; Itaque his curis *jam* omiſſis, ad priſtinas mentem appellit, nempe ad pudicitiam lectiſſimæ Principis & thori illibati fidem violandam. Conſilium juvat comprimis rumor, qui cum ad aures Principis Rollonis arte pervenit, Dii boni qui gemitus, quæ lamenta! Iſte in mœſtitiam ore compoſito

poſito augere rumores, ne quis illi ſuperſit dubitationi locus. Illa è contra augere fletus, quos tamen Rollo blanditiis adſcititiis detergere laborabat, hos regio animo indignos eſſe ſæpius ingerens; deinde ad amores illicitos provocare, cum deſperaret à licitis. Hæc honeſtiſſimæ Principi videbantur monſtra, ferro aut igni eluenda: ſed ille incaſſum videns à ſe geminari illicia, & lenocinia, ab his ad minas mentem convertere, à minis iterum ad lenocinia: denique nullus eſt dolus, nullæ artes, quibus iſte verſipellis animum non applicarit, diu noctuque tentans caſtitatem conjugalem Principis oppugnare; ſed quam hactenus non potuit expugnare. Gratioſa in ultimis Princeps ut poſſet ſecurius eludere, colore officii longam prætexuit profectionem ad Principem ſibi amicam. Optabat peregrinationis eſſe comes Rollo; ſed obex erat res familiaris & domeſtica, cui præfectus erat à Rege. Itaque cum repagulum ponere non valeret peregrinationi, quam timebat fore diuturnam, ſaltem exorat eſſe breviſſimam, non enim ignarus erat Regem huic captivorum commutationi actutum vacaturum, maximè cauſa Principis, cujus verebatur reditum Rollo priuſquam optatus exitus votum coronaſſet, certus quidem ſi pudorem Principis lectiſſimæ poſſet expugnare, facilem poſthac illi de ea fore victoriam. Non ceſſabat ergo Rollo à die profectionis urgere reditum, negotia prætexens, & eo ardentia, quo magis de captivis commutandis agebatur; ſed illa promiſſis præfectum alebat, revera ut petulantiam ejus eluderet. Tamen iſte ubi videt diutinam Principis moram, & mentionem de captivis urgeri, demum de reditu viri Principis paſſim rumores in omnium ore verſari, mittit ſicarios qui remeantem è vivis expungant. Et hi quidem occurrunt Principi fratri Regis, & larvis adulterati ferrum ſtringunt, ad manus veniunt numero quidem prævalentes, erant enim bis deni adverſus quaternos, qui dum ad pugnam obſtinatos larvatos vident, non fugam adornant relicto Principe, ſed eo acrius pugnâ incaleſcunt. Princeps ut à puero jaculandi arte peritus erat, tres primo impetu confoſſos ſternit, & hos quidem in turmâ conſpicuos. Res fœliciter geſta addit animos Principi, qui cum comitatu prædones premit, & profligat. Octo ſuperſtites intellecto ſociorum interitu fugâ ſaluti conſulunt. Re ad conjugem ejus delata, dicto citius reditum adornat, ſed rumores captatura certiores, & moleſtos Rollonis conatus declinatura ad Regem ſe recipit. Timet primum ſaluti viri; ſed falſis rumoribus diſſipatis, adeſt nuntius, qui Principem ad tertium ab urbe lapidem gradum accelerare affirmat. Rollonis dolum advertite. Jam ille proceſſerat obviam Principi, & de proſtituta pudicitia conjugis eam admonuerat ore conficto & manu ad fidem compoſita, eo fretus argumento, quod illa diutiſſimè abfuiſſet, quodque jam gravida videretur; ignorabat vero Princeps, quod gravidam reliquiſſet: denique quod prætextu amicæ inviſendæ amicum, & amaſium ſuum, æſtus carnis impatiens, ſine comitatu, quem omnino

recuſaverat, etiam invito Rollone, ad amaſium inquam ſuum, annis florentem, in ultimis jam olim dilectum, conjuge viduatum, ſe contuliſſet. Et quidem illa tanto ardore videndi Principis incenſa fuerat, ut neglecto matronarum duarum comitatu ſolito, ad conjugem haſtis rumoribus advolaret. Quoniam præfectus domus Rollo hactenus fidem ſuam Principi multis in negotiis approbarat, nil dubitavit Princeps de impudicitia conjugis, & amoribus illicitis, cuſoque mendacio fidem adhibere; Ergo ira accenſus & indignatione jubet toxicum dari conjugi, cibiſque miſceri, & quidem præſentiſſimum; & ne illa in conſpectum ſuum prodeat, & verbis *adulatoriis lenire* poſſet & emollire conſtantiam ſuam, diverſaturum ſe in villa ſuburbana interim, docet.

Nullam hæc juſſio moram paſſa eſt, diſcedit à Principe Rollo, domumque repetens, facinoris modum mente revolvit, tandem exequitur inter cœnandum; nam officii colore coquinæ obſequiis præſto eſt. Remotis menſis enixe exorat petulantiam ſuam, & inſolentiam ſibi ignoſci, nullam de ea apud reducem Principem mentionem haberi; adfuturum enim poſtera luce eam admonet. *Illa* facinus è ſua memoria deleturam oblivione perpetua, ſi modo in poſterum meliorem frugem conciperet. Officioſis hiſce ſermonibus horam totam traduxerant, cum vis veneni intima præcordia torquens, ad queſtus inſolitos Principem convertit: nec mora longa, *Rollo corrupti veneno* cibi in ſuſpicionem adducitur, *patratique juſſu conjugis ſui facinoris,* meminerat enim minarum *petulantis viri*, & *irarum. Quid moliatur* innocens Princeps? *Accerſit vernaculos*, *mediaſtinos*, totam familiam; eam confluentem in cubiculum Princeps innixa pulvinis invicta mente alloquitur, teſtatur præſentium fidem, teſtatur thalamum conjugalem, ipſumque cœlum ac Solem, ſi quam pudori ſuo labem, ſi quod colendiſſimo dedecus intulerit. Teſtem appellat amicam, apud quam declinandæ cauſa Rollonis petulantiæ utcumque diverſata erat, ejuſque famulos utriuſque ſexus, ſi cujus viri affatus remotis arbitris uſquam admiſit. Dumque identidem *cœlum*, & Solem teſtes illibati pudoris appellat, vi veneni cordis *interiora* pervadente vitam reliquit in ipſo ætatis vere, circumſtantibus *illis*, & plangentibus, uno Rollone de vindicta ſibi plaudente. *Re ex ſententia* animi geſta Rollo Principis viri reditum occupat, & novis iterum artibus contra rumores munit ac parat. Summa totius ſcenæ hæc eſt.

Tunc Macrinus ſilentii dudum impatiens demum exclamat, ô depravati orbis infames incolæ, non ceſſabitis dolorum architecti, non ceſſabitis veſtris ſceleribus in inſontium caput novas fabas veſtris fabulis cudere? ſiccine pudori matronarum Principum inſidiari audetis? & repulſam paſſi petulanti furori veſtro eas immolare?

Mox invadente mentem œſtro Poëtico, extemporaneo Endecaſyllabo Alethophilus hanc næniam cecinit ſimilis lamentanti, & indignanti:

Vos

Vos ô ſepoſitis, piæ ſorores
Montis jam levibus modis bicornis
Mœſtis plangite næniam querelis,
Lamentabile pangitote carmen.
Vos flete, ô puerûm leves catervæ,
Corrumpant lachrymis genas puellæ,
Nec parcant lachrymis ſenes obortis,
Rumpantur gemitu ſecreta cordis.
Num juſto lachrymas datis dolori?
Num juſto gemitus datis furori?
Teſtentur lachrymæ ſuum dolorem,
Teſtentur gemitus ſuum furorem.
Et juſtos renovet dolor furores,
Et juſtos iteret furor dolores.
Tam juſto nec enim ſuas dolori
Nec fas nec ratio, nec ipſa poſſit
*Gens * Zenonia lachrymas negare.* * Stoici.
Amnon Euridicem ſuam ſecutus,
Vel trans Tænaria paludis undas
Concentu lachrymabili ſilentes
Natus Calliope coëgit umbras
Pallentes lachrymis rigare vultus.
Flevit, quin etiam flet; ingemitque
Qui noſtro radios miniſtrat orbi,
Et diſco puerum ruente preſſum,
Excuſſumque jugo flagrante natum,
Heu! nullis revocabiles medelis,
Eurotan quoties ab axe ſummo,
Aut mœſta Eridani fluenta cernit.
Vix tanti fuerat tibi tot eſſe
Virtutum decora, atque gratiarum,
Ob quæ ſæcula te futura cœlo,
Et, ſi quid ſapiant, ferent nepotes,
Si cœlum quoque te ſuis ob illa
Virtutum decora, atque gratiarum
Aſcribi capit, & jubet colonis.
Sed fatum jubet, ut cadas veneno.
At tu qui viduo ſedes cubili
Princeps aſſiduo dolore plange,
Qualis connubii memor pudici
Rapta compare Turtur in remotis
Triſtes rupibus integrat querelas.

Tum Burrinus hoc extremum carmen meum ſic excepit; Ambitio conjuncta petulantiæ ad hanc inſolentiæ metam non ſemper ſiſtitur: verum in calumniam, & malitioſam juris interpretationem

 non

Digitized by Google

non raro progreditur. Attamen inter eas peſtes, quæ in Aulis ſolent graſſari, adeo familiaris eſt Calumnia, ut ibi regnare, & tanquam in ſolio jura legesque dicere, quemlibet ad arbitrium plectere audeat. Quid tam integrum quod veneno ſuo non inficiat, quid tam ſanctum quod non conterat, quid tam ſanum quod peſtifero halitu ſuo non afflet, quid tam juſtum quod dente non rodat, quid tam purum quod non contaminet, omni hydra peſtilentior, dum inſontium virtutibus malitioſe oblatrat, dum his impune obtrectat, & præmium virtutis, juſtam gloriam multo partam labore, dilaniat.

Ad hæc Roſetus, quis tandem Rollonis exitus? *Exitus ædepol juſtus*, & quidem meritus, retulit Aletophilus, qualis Phœdræ *contigit*, qualis Stenobęæ: Rollo ſcilicet utriuſque fatum commeruerat, qui utriuſque malitiam ſuperaverat: ſiquidem re à Principe ſeriò quidem conquiſita, & ab amica, quam conjux inviſerat, & à tota ejus familia, & comitatu ancillarum revelata Princeps facti pœnitens, & memor illarum virtutum, quas in conjuge alias adoraverat, vix potens ſui eſſe poteſt, ferrum in Rollonem tum in ſe converteret niſi ſceleratam manum unus è ſatellitio contineret. Rollo veritus iram Principis ſibi ipſe manus conſcivit, ut manus illius declinaret.

Et Macrinus, ita Hippolytus cum novercales iras devitaſſet, curru aſylum & aram veſtigans, dum errat vagus per littora *phocarum in* aquas erumpentium inſolito monſtro quadrigæ *ſic territi ſunt, ut* concuſſis alte jubis currum per *invias rupes ſine lege, etſi obluctante* Hippolyto diſtraherent. *Quæ mors evulgata* Phœdram erubeſcentem de calumnia ad reſtem *adegit*.

Subdidit his Burrinus: Vix abſimile ludibrium calumniæ paſſus Bellerophon, Glauci Regis Ephyræ filius, cujus amore Stenobæa, Prœti Regis conjux cum impenſius arderet, & ab eo præter ſpem repulſam paſſa eſſet, in rabiem efferata ad Phœdræ calumniam labitur; ſic enim illa ad conjugem Prœtum,

Prœte velim pereas, perimas niſi Bellerophontem,
Qui tenerum invita voluit violare pudorem.

Ejus deinde proſperis eventibus, maxime parta de Chymæra *Lyciæ* victoria, calumniatrix cum impotenter invideret, mortem *ſibi ſuis* manibus attulit. Sic ipſa mors calumniam quoque ulta eſt.

Et Roſetus, Placuit mulctatam audiſſe calumniam. Abrumpit Alethophilus: vix abſimilem à Rollone calumniam niſi moleſtus ſim, etiamnum profero in exemplum, tum aliquis alius ſymbolum ſuum dabit: annuente conſeſſu ſic ille: Arenoricæ Britanniæ Comes cum abeſſet aula, Aulicus pudorem honeſtiſſimæ conjugis, quibus potuit illiciis ſollicitare decernit: verum illa veluti cautes contra Stygios flatus, ſuſurrosque peſtiferos immota cum ſtetiſſet, & conſtantiam ejus de ſuo ſtatu dimovere blandimenta non potuiſſent, ecce illa conjux caſtiſſima prô nefas! proſtitutæ tamen pudicitiæ ſuæ, & violatæ fidei conjugalis ab eodem impuro ganeone apud Comitem abſentem accer-

Digitized by Google

accerſitur; pepererat enim illa viro inſcio maſculum: Comes plus æquo ad credendum facilis, fato uxoris fideliſſimæ ocyus quam par fuit, inaudita cauſa ſubſcribit. Itaque in prærupta rupe illa immunis à crimine cum fœtu exponitur. Quid moliatur infœlix mulier inter tot ſævientis Fortunæ ludibria? Illa non tam ſuam quam ſobolis vicem dolet. Inaudivit non procul abeſſe Præſulem, & hunc in miſeros pronum: animo ſedet eum per litteras de ſua calamitate facere certiorem. Conſilio reſpondit exitus. Et primum quidem Præſul revoluta cera, ad inſuetum facinus obtorpere, ad honeſtam Principem accedere; quantum in ſe eſt, opem ferre. Is aſſumpto ſecum puero nondum quinquenni, non ineptam domicilio in ſpeluncam recludit matrem, quæ non alio victu quam leguminum vitam utcunque ſuſtentabat. Quid plura? Adultus puer in Præſulis ſinu, cum Nutritio aulam Comitis cœpit celebrare, cui arcano naturæ nunquam mentientis inſtinctu, ſic in deliciis fuit, ut eum ſibi continuo adhæſurum enixè poſceret: Deinde genus anxie perquirens, ubi filium ſuum recognovit, qui ſtupor, & amplexus! haud mora, conjugem quam ſuperſtitem, & inuſtæ labis immunem intelligit, adire, & de imprudenti ſuſpicione rogare veniam; atque ut rediret vehementer obſecrare. Illa contra quinque dierum inducias poſtulare. Tum Comes lectiſſimæ conjugi aulam deſtinare, domeſticos adornare. Sed illa annuente votis cœlo interea fato fungi, non ſine ingenti totius aulæ luctu. Demortuæ demum redduntur inferiæ cum pompa funebri, & epicedio. Poſtquam ſatis ſuperque manibus parentatum eſt, Comes juſtiſſimis minis in calumniatorem invehitur, mortem intentat vindictæ cupidine, multandum ultima pœna decernit.

Ultimæ pœnæ deſtinatum hominem filius Comitis vixdum quindecim annorum patre tandem conſentiente provocat in catadromum ſupra ætatem fortis, quo matris integritatem & pudicos mores tueri ac propugnare, calumniam ulciſci, atque ex ipſius æmuli Rollonis ore extorquere confeſſionem: noverat enim puer quam inſons mater, quam perverſus eſſet Rollo.

Dicta die uterque prodit in arenam, & in Aulæ oculis æquo marte concurrit, omnibus tacitis ſuffragiis juniori faventibus. Paucis refero: poſt eluſos utrimque conatus, tandem exturbatur equo calumniator, ſed caſu innoxio. Ilicet irrumpit maternæ pudicitiæ vindex puer, victorique inſiſtit, urgente victore victus pandit calumniam, fatetur crimen, doloris ſenſus exprimit: revelata innocentia matris, jam pius filius non plura quærens fit juſti ſupplicii deprecator. At Comes credulitatis, & crudelitatis ſuæ pertæſus inanibus pompis ipſi regno nuntium remittit; & ſuper conjugis tumulum, litaturus Deo, voto ſe obſtringens, templum erigit. Magni viri effatum eſt, improbi, malignique ex eo, quod alios inceſſunt calumniis, opem vitiis ſuis ferre moliuntur; quare linguis occurrendum, quæ ſimplicibus calumniam ſtruunt: ſi cujus autem vita ſycophantarum libidini

eſt

eſt expoſita, ille in vita ipſa caret vita: ſicubi viget calumnia, *certè* in aula, ibi enim ſolvitur fides, ubi utilitas eſſe putatur. Sed ſatis hactenus de calumnia: λαμπάδα ſive lampada tibi offero, Matine noſter, age, da ſymbolum tuum, tu qui ex luxuriantis aulæ viretis non ita pridem emerſiſti.

Annuente corona, ille nihilominus excuſationes prætexere, dum aſſeverat alios in Palladiis concertationibus, & glorioſo Academiarum pulvere magis verſatos eſſe, & in enarrandis ejuſmodi narratiunculis verſutos. Aſt alii urgere negantem, animos *jam quaſi deficienti* dare, alii puſillum animum objurgare, donec ille invitation*ibus* tam urbanis denique locum dedit, & ita exorſus eſt.

§. III.

Hactenus repreſſam calumniam exhibuiſtis, ſodales; ego ambitionem domitam in medium profero. Me per mediterraneos campos quaſi manu duxiſtis, ego in loca etiam incognita vos ſi deduxero, ne mihi, quæſo, imponite, nec enim imponam vobis; ſed poſt graves viros mihi præeuntes contexo fabulam, ſi commentitiam, & minime veram, at ſaltem veriſimilem.

Non vos latet, amici, quæ ſit Judæa gens, & quo tandem calamitatis loco propter ingratos mores redacta, jam vaga, & errans *ſine lare*, ſine lege, ſine Rege, ſine paſtore, ſine ſacerdote, *ſine ſacrificio*, ſine templo. Quæ Judæi negantes *hanc obtrudunt fabellam*. Notum eſt quantus Captivorum numerus ex *Judæa in Babyloniam* à Perſarum & Medorum Regibus *olim abductus*: quorum alii Cyri clementia Solymam remiſſi; alii inter Hircaniæ montes aſperos diverſari coacti ſunt, ea lege, ut ab illis pedem nunquam efferrent repetituri patriam. Dum Alexander Macedo per totum Orientem armorum ſuorum terrorem circumferret, Aſia jam tota ſuæ ditionis facta, redux in Perſidem ad conſpectum Caſpiorum montium in coronam quaſi coëuntium defixus eſt. Tum Hebræi captivi quondam facti, & inter hæc Caſpiorum montium ſepta incluſi, huic per ſuos *Oratores* occurrere, poteſtatem egrediendi efflagitantes ab Alexandro, *qui &* cauſam hujus rei edoctus, & Prophetæ vaticinium, quo *Judæos his* præſcriptis limitibus aſtrictos, nunquam patriam *reviſuros præcinerat*; Deum Hebræorum oravit, ut æterna conſilia ſua, una cum vaticinio compleri juberet; & coëuntibus in ſe invicem montium iſtorum jugis locus & facultas iſtinc reſiliendi captivis tolleretur. Atque id votum moram nullam paſſum eſt: illico acceſſere ad ſe invicem Caſpii montes, ita ut continuo montium dorſo, immeabilis locus eſſet. Et iſti quidem opinioni late per Judæos omnes diſſeminatæ *iſta* natio ſic adhæret, ut ſi quis religionem Judaicam objiciat eſſe antiquatam, quod ſint Judæi ſine ara, ſine ſacerdotio, ſine Rege, ſine ſede, vagi, exules, ex omnium cœtu rejecti, non alio clypeo hæc tela retundant, nec aliud quidquam reclament, quam intra Caſpios mon-

Digitized by Google

tes viguiſſe hactenus regnum & ſacerdotium, necdum de Juda ſceptrum excidiſſe. Quaſi vero alibi quam in Judæa de cauſa capitis (quod maximè regium eſt) fas fuiſſet pronuntiare ſententiam.

Hactenus Macrinus, cujus narratiuncula non illepida circumſtantium plauſu excepta eſt.

Attamen Alethophilus; equidem defigor, inquit, ad ſtolidæ ac ſuperbæ gentis ſupercilium, quæ malit annos trahere perpetuo in exilio, & vitam Deo & mortalibus inviſam, imo in ſtercore ſuo, ut ita loquar, ſtertere, quam prodire ad veram lucem, quam à crimine majorum reſipiſcere, ô infames amatores Mammonæ & ſuperbiæ, quibus unis ſerviunt cæci, dum æternarum opum patiuntur diſpendium!

At at mihi crede, Macrine, non ſoli Judæi huic Dæmoni quem & Plutum dixit antiquitas, ſolent litare & eidem omnium annorum curriculum mactare; ſed & ipſi, quibus regendi populi cura debet eſſe, tales paſtores oves non tondere dicas, ſed deglubere; etſi, ſi quid tetigerint, id aurum illis fiat, Midam putatote cum aſininis auribus: quippe cui una erat ſcientia nummos ſcire, & diſtinguere: neque enim alia ratione quam nummis è vulgi tabula ſuum nomen putant erui. Quærunt ut acquirant, acquirunt quod perdant, perdunt quod doleant; aut enim nummi ſunt relinquendi à nobis, aut nos ab illis. Sed jam hora eſt novo argumento cœtum recreandi.

Ad hæc Burrinus, jam ſatis ſuperque de his quidem, det ſuum nunc ſymbolum Roſetus. Imo, retulit, & ordine ſequeris, & eloquutione me antecellis, cum pridem in academiis audias ſingularis eruditionis laude conſpicuus: Ergo victus urbanitate ſermonis, præmiſſis patriæ comitatis aliquot verbis repente ſic proluſit:

§. IV.

Quando de abditiſſimis terris ſermo eſt, ab inſtituto ne lato quidem ungue diſcedo, hic & domitam miſerandum in modum ambitionem prodam. Hercle argumentum eſt magnæ molis, quod ingenia vel eruditiſſima multiplici hactenus torſit ambage, & multorum ſcientiam eluſit: ſitus paradiſi voluptatum, prima primorum parentum ſedes, quam tamen, quantum in me erit, vobis aperiam. Neque ibo inficias eum aut aquis diluvii, aut interni maris fluctibus hauſtum eſſe, ex quo (ut Alethophilus non temere) perfractis repagulis, & ruptis obicibus, quos Herculis columnas appellavit, excluſus antea mole montium Oceanus totam hanc plagam inundavit, & ſummotas terras magno impetu inflectens amœna hæc loca Eden dicta ab Hebræis, Adonidis hortos à Poëtis, κῆποι τῆς ἡδονῆς; à Chaldæis, & Perſis Pardeis, ab Homero Elyſium, aquis ſuis invadens ſepelivit. Neque deſunt qui Heſperidum hortos, ſive inſulas fortunatas Paradiſum voluptatis eſſe velint: quis enim, ajunt, Vigil iſte draco, pomorum cuſtos, & in inſidiis quaſi ſubſidens, niſi fatalis ille primævæ parentis & ſubdo-

ſubdolus tentator? Nonne in illis ridentibus hortis Diſcordiæ *malum* aureum, malorum omnium ſemen, & totius humanæ gentis lues, excerptum fuit. Sed & alteram arborem (num arborem vitæ?) poſt hominum memoriam incolæ habent, quæ eſcam & potum ſuppeditat; jugi fonte ex eadem arbore ubertim ſcaturiente. Non hic nubibus cœlum aſperatur, non ſævis frigoribus riget, non æſtibus ardet immodicis: verum incorrupto, & puro aëris tractu incolæ gaudent.

Tum Macrinus: Alia tamen non procul à promontorio Camario vix abſimilis inſula, quondam, ut ajunt, peninſula, *hoc ſibi decus* arrogat; Hæc olim Indiarum continenti alligata, *poſtmodum* vero irati maris motibus ab eadem India reſecta: atque hanc Indi *Zeilan*, ſive terram deliciarum appellant: quia licet *ſub* Zona *torrida*, & ſub candente ſidere ſita ſit; mira tamen eſt cœli temperies; non bruma, non æſtu ibi ſævientibus, ſed agris immortali virore veſtitis. Tantis denique cum vitæ commodis, tum ſenſuum deliciis hanc plagam prodiga natura ditavit, ut rerum omnium compendium non temere dici poſſit. Atque ut animantes variæ ſpeciei, & ſenectutis, ut gemmarum pretium, ut metallorum omnium copiam, ut ſuaviſſimos fructus & cynnamoma mittam nullibi jucundiora, ad palmæ ſuſpiciendam naturam deſcendo, quæ una navim, & eam ſuis armamentis & mercibus inſtruit: ſiquidem ex trunco navigium compingitur, è frondibus vela, ex cortice funes, & rudentes, ex *partibus tenuioribus* fila quibus vela conſuantur: demum *ſic inſtitutam navim fructibus* ejuſdem arboris onerant: quis arborem *vitæ non ſuſpicetur? Inter amœniſſimos* colles, quibus *inſula non ingratis inæqualis* eſt, aſſurgit mons altior cæteris; & hunc montem Adas incolæ nuncupant: nam ibi Paradiſum extitiſſe, ibi Adamum à Deo fuiſſe poſitum; ibi ejuſdem primi hominis impreſſa cerni veſtigia: atque in vertice *montis* ſpecum eſſe, in quo primi mortalium perenni fletu culpam ſuam eluerint, conſtantiſſima apud illos fama eſt.

Verum, adjecit Roſetus, hanc terris ſuis gloriam Ægyptii vindicant: neque adeo res à vero diſcrepat, maxime cum ea *ſit feraciſſima* plaga, quamvis nullis unquam ſubacta ligonibus, qui*ppe quæ Nilo* ſuperſtagnante, tota irrigatur, & geminatam meſſem *antiquæ* fœlicitatis memor colonis fœnerat: habet & apricas *hyemes*, neque comam ponit. Et hanc opinionem hoc carmen aſſerit,

Eſt regio incertus patria qua flumina Nilus
Dividit, & ſeptem ſuccedit in æquora rivis;
Si qua fides, illic mortalia corpora primum
Aſpexere diem, retinens cum terra ſupremi
Ætheris, informes animavit Apolline glebas.

Sed invidet hanc Ægypto, cæteriſque laudem Meſopotamia, quam Tigris, & Euphrates alluunt ſuis aquis, & claudunt, quæ primis patribus Abrahamo & aliis, tanquam optimum donum conceſſa fuit. Neque obeſt, quod præterlabentium fluminum non una, eademque

origo

origo ſit, cum in unum ambo coëant: aut enim amiſſas eſſe aquarum diluviis, vel terræ motibus origines, aut alveos immutari potuiſſe, adducerer ut crederem, niſi cum Henochum, & Heliam in hunc voluptatis locum raptos fuiſſe, conſtans fama ſit, & communis omnium conſenſus; Ego mortalium oculis Paradiſum hunc deliciarum ſubſtractum eſſe, veluti multas terras, & inſulas nobis incognitas potius æſtimarem. Attamen iſte locus etiam Tempe acceptior, etſi meæ conjecturæ tam ſit impervius, quam parentibus primis poſt peccatum, unum tamen eſt quod affirmem, primum ſcilicet hominem ex agro Damaſceno, qui à Meſopotamia non longe abeſt, in iſtud voluptatis domicilium, fuiſſe tranſlatum; deinde cum peccato conſenſiſſet, in plagam Eden, factum exulem. Ecquid mirum, ſi ex illo impervius mortalibus, præter quam Henocho, & Heliæ iſte voluptatis locus fuit: quippe

Obſervat gladio Seraphin anguſta viarum,
Oppoſiti ſtat ferri acies mucrone coruſca,
Stricta, parata neci: campis fœlicibus arcent
Portarum vigiles, & cæco Marte reſiſtunt.

Succurrit illud Platonis in Phædone, regionem reperiri adeò prominentem, ut & imbres neſciat, & ventorum flatus minime ſentiat; ubi & ſumma ſit cœli temperies, & frugum ubertas maxima, ſed incolarum corpora, ex aëre magna ex parte compacta; terræ vero & aquæ vix quidquam eis ineſſe. Neque mirum ſi Peliæ more recocti perpetuo juventutis flore gaudeant.

Quod ad flammeum iſtum, & verſatilem gladium, qui ab acceſſu, & à ligno vitæ in medio aſſurgentis arceat, aſtruit interpres Platonis plagam hanc fœlicem ſub æquinoctiali circulo ſitam eſſe, à quo decuſſari cœlum ac dividi: proinde flammei gladii nomine Zonam torridam poſſe intelligi, quæ propter Solis converſiones ſit verſatilis. Narratque Arrianus, dictus φιλαλήθης, cum Hanno Carthaginienſis verſus Auſtralem plagam navigium convertiſſet, plurima ſe impedimenta obviam objeciſſe; & præter Solis ardores, qui in hac peruſta Zona vehementes ſunt, auditos ab illo crebros de cœlo fragores, & micantia fulgura perſtrinxiſſe oculos, flammarumque rivos defluxiſſe: Cæterum amœniorem, & multo quam uſquam terrarum commodiorem ſub hoc Æquinoctiali regione exiſtere Moyſis & Platonis interpres Avicenna docet: quod Eratoſthenem quoque, & Polybium ſenſiſſe Strabo credidit. Porro ſacræ ſcholæ princeps quoſdam & monimentis ſuis reliquiſſe, & poſteris tradidiſſe auctor eſt, Paradiſum hunc ſublunarem in Oriente ſitum eſſe, & hunc amœnitate præcipuum, quæ portio terrarum orbis eo nobilior eſt, quod mundi dextera æſtimata eſt. Volunt & nonnulli in Armenia majore circa montes Pariardios paradiſum deliciarum à Deo fuiſſe poſitum: ſed de hac diſſertatione hactenus quam multi diſputant, & adhuc ſub judice lis eſt. Etſi nihil incertius ſitu, certum tamen eſt rerum opificem Deum

ibi

Digitized by Google

ibi primum mortalium condidiſſe, quem auctor ſuus immortalitate donaverat: ſed dum credidit ſe Deo immortali fore ſimillimum, qui ſpirans Dei imago factus erat, incurrit in mortem, & prævaricator legis effectus eadem ruina Nepotum ſeriem omnem involvit ſuperbus & rebellis parens:

Immortalis erat, morboque impervius omni
Pro ſe, proque ſuo ſemine juſtus homo:
Hoc ubi cognovit tentator; ſictus in anguem
Ad vetitos morſus compulit inde virum:
Mandit homo, atque olli lacbrymabilis obſtupuit dens,
Hinc oritur vaſto quidquid in orbe mali;
Pellitur è campis fœlicibus in loca culpis
Adam digna tuis, auſibus Eva tuis.
Heu diſpar facies! Quantum mutantur ab ipſis!
Quam nocuit ſubdi non voluiſſe Deo!

Sed & nos eorum poſteri, ejuſdem culpæ rei hereditario morbo laboramus, quem per lumbos parentum in nos transfuſum, in poſteros quoque noſtros neceſſitate funeſta transfundimus. Ita ut liceat ex poëta transferre in rem noſtram hos quoque paucos verſus:

Pernicioſe parens, ut te poſt multa tuorum
Funera, poſt varios hominumque, orbisque labores
Defeſſi aſpicimus! Quæ cauſa indigna ſerenos
Fœdavit vultus, aut cur tot vulnera cerno?
Cur nos fatorum comites das eſſe tuorum?
Arduus obſeſſo ſerpens dominatur in orbe
Inſultans, victorque, furensque incendia miſcet.

§. V.

Sed de his hactenus ſatis. Imo, ſubjicit Roſetus, ſupereſt meum ſymbolum quod neque à ſermone inſtituto aberrabit. Ecce inquam iterum vobis paradiſus novus, ſed ille Mahumetanus à Vetulo de Montibus, deo novo non ita pridem conditus. Iſte Arſacidarum Regem ſe jactitabat certe commentitium, quatenus ergo per totum late orbem ſui nominis terrorem circunferret, ipſe in munitiſſima montis arce, in Antiochiæ & Damaſci confinia nullis inſidiis vel telis hoſtilibus obnoxius per vicos, & oppida vernaculos mittebat ſuos, qui audacia projectiſſimum quemque deligerent, & in arcem obrutos vino & ſomno viros tranſportarent. Ibi omni voluptatum genere hominum iſtorum libidines, Montanus à ſuo monte denominatus explebat; adeo cuncta illic erant ad delectamenta corporis comparata; ſuperbæ moles ædificiorum, hortorum amœnitas, ſylvæ paſſim conſitæ cum feris variæ ſpeciei, & ſenectutis: fontes etiam, & horti quaſi Heſperidum, vel Adonidis, in quibus aderant & ſuæ nymphæ, impudentes dico meretrices ad laſciviam hoſpites ſuos, quaſi tot Circæ illiciis ſuis provocantes. Denique cibus & potus fabuloſi Jovis menſa digni,

cum

Digitized by Google

cum ſupellectili, & magnificentia, & aliis, quibus hominum libido pretium facit. His ebrios & per triduum debacchatos voluptatibus Montanus loci illius Deum ſe fingens, monebat hunc voluptatis locum his unis eſſe adornatum, qui neglecta vita mandatis obtemperarent ſuis, & averſos à Mahumetana lege de albo mortalium tollerent. Tum vino & ſopore iterum ſepultos foras emittebat ad ſcelus, & neces. Soluti ſomno, & loca referta deliciis, ubi in voluptatibus carnis debacchabatur, in animum revocantes, ex illo ad omnes Principis nutus etiam per nefas, & cum vitæ diſcrimine ſeſe comparabant, vitam tandem ſuam ſperantes in longe jucundiorem aliquando commutandam. Quæ res non finitimis ſolum, verum & remotiſſimis Principibus non mediocrem afferebat metum. Cecidere enim graſſatorum manu Toloſanus Comes Raymondus, & Montis Ferrati Princeps Conradus. Homicidæ apprehenſi, & ad ſupplicium rapti plaudere, exultare, ſibique ex ſuo facinore ac de ſua exſpectatione gratulari. Neque impar Ludovico Regi moliebantur exitium, & hercle Agarenum clementiſſimus Rex mucronem declinaſſet nunquam, niſi ſua virtute, atque adeo ſua clementia, & pietate conjuratorum fregiſſet malitiam: qui apprehenſi non meritis mulctati ſunt ſuppliciis, ſed cum donis à clementiſſimo Rege dimiſſi.

Roſetus novo hoc & ſingulari argumento, tanquam aurea Herculis catena ſine faſtidio ſuſpenſum tenuerat conſeſſum, cum Macrini omnibus defæcatioris ingenii & eruditionis notis inſignis in mentem venit, dum fiebat mentio Paradiſi voluptatis, novarum terrarum in orbe lunæ; Ego terras, inquit, ego montes, ego ipſum Paradiſi tui ſitum, mi Roſete, libero mentis volatu, ſed ſine diſcrimine Phaëthontis, vel Icari ſuperabo. Neque inficiabor, multa ſunt in naturæ majeſtate abdita, quæ quia oculos noſtros fugiunt; ſtuporem & dubitationem in mentibus noſtris creant.

Omnium riſu exſufflatum eſt hoc præludium, ſed interim pulſatæ fores fabulam abrumpunt, maxime dum prodit in conſpectum juvenis ætate florens ex illorum cœtu quos nomen Deo dediſſe, & ſacramentum dixiſſe religioni procul ab hominum tumultu fama eſt. Equidem prima fronte obſtupui, & cum riſu exſufflavi & voce ad fauces hærente, hæc apud me, hominem elegantulum tacite increpans: Non pudet ſacrum numinibus virum intortis crinibus magnifice incedere? An deceat intonſo capillo, quod palæſtricis Olympicis olim interdictum, in certamen deſcendere? Advertit Macrinus, cui ſanguinis propinquitate iſte conjunctus erat, me hujus hominis habitum moleſte ferre; & ille quidem ad me converſus, mi Alethophile, noli ſtupere vel excandeſcere; iſte meus neceſſarius, dum abeſſe me domo cognovit, huc ſe contulit videndi mei cauſa: ſed ne feras ægre hominem, qui ex familia eſt quæ revera hortus eſt ſpinis horrens, quibus extirpandis coloni ſtrenuiſſimi impigra manu opus eſt. Imo, inquam, talia ingenia oppreſſeris facilius quam revocaveris,

Digitized by Google

difficile enim eſt in veteri mente nova meditari. Ecce iſte novo *inſignis* cultu quaſi ad Hymena tranſiturus, aulico intumeſcit ornatu, omniumque linguis amplam ſatyræ ſegetem ſuppeditat. Et ubi humeri melote graves, ubi corpus cilicio coopertum? Imo ornatum eſt panno ad luxum pretioſiſſimo, & vix infra poplitem defluente, ut exilis calceus Cypriorum mollitie intactam pene terram omittens magis appareat: Intonſam comam cingit pileus mediocris in vertice: concinnatam barbulam animadverte: faſcia in modum baltei pectus à ſcapulis ambit oblique: denique tanta *comptuli* eſt ſuavitas, & elegantia, ut hoc vultu & cultu hymenæum *in aula magis*, quam hymnum in templo modulaturus videatur. *Nota ut adſcititiam* majeſtatem nutantis cervicis circumferat velut ad numeros, attende ut audaci ponderoſæ orationis fiducia *Burrino reſpondet prudenter* increpanti. Sic autem ille: Ego hanc quam teneo vivendi rationem amplexus ſum jam tum à puero, has in leges ſolemni ſacramento juravi, nullo alio jugo mancipavi libertatem, aſſuctus luculentis epulis venter ſolis non poteſt oleribus refici: corpus delicatulum aſperitatem ſaxi ferre neſcit; durities capuli teneram manum offendit: faceſſant ergo ſubtriſtes illi morum Cenſores, dum vitam beatam quærimus.

Imo retulit Burrinus, ubi veritas ſilet, licentius *furit vitiorum incendium*: ad quid enim veſtes ad mollis elegan*tiæ novitatem compoſitæ*, prolixus luxuriantium *ferculorum ordo, comeſſationum intemperans* uſus, avari auri ſuper*flui fames*, *inſolentes* ædium ruinæ, curſitationes profanæ, ne *dicam inſana* & *laſciva* colloquia: picem quis libare poſſit manu *illibata*? Quis ignem abſque læſione ſinu occultare?

§. VI.

Nullus fuit ex cœtu, cui verba iſta non ſaperent, quæ auctoritate, & ratione nitebantur: Eramque plura dicturus, cum neſcio qui Bacchanaliorum mimi incondito ſtrepitu congreſſum abrupere, litemque diremere: His ergo in ſequentem diem dilatis ſermoni finem fecimus, clauſimusque congreſſum, perſonatos ſpectaturi mimicam choream agitantes.

Ego vero mimici tripudii ſatis ſuperque pertæſus, cum tenebræ cœlo ſe penitus intenderent Roſetum abduxi mecum puero facis ope iter auſpicante. Salutatos uſque in poſteram diem ſodales, monui me poſteræ lucis ab ipſo crepuſculo Penates ſuos circumiturum, quo diem totum in ejuſmodi lepidis fabulis & ſymbolis ageremus.

Recurrebat per iter colloquii præteriti frequens memoria; ſed imprimis poſtremi non illepidi quidem illius commenti: de quo plurima omiſſa ſunt, alia tantum prælibata, de quibus fraudando iter vacabat diſputare. Et non me latet, inquam, eſſe nonnullos, qui novam, & priſcis ſeculis inauditam Philoſophiam obtrudant; alios ſcilicet eſſe mundos hoc vulgari longe elegantiores: & eas in orbe Lunæ *maculis*,

Digitized by Google

culas, molliореſque, ac minus pellucidas partes, quas in ea arguimus, aliud nihil eſſe quam aquas; quod autem diaphanum apparet, atque ſplendidum, ipſas eſſe terras, quæ radios ſolares repercutiant; non alia ratione quam terræ Horizontis noſtri ſive Hemiſphærii Solis radiis illuſtratæ, quæ fulgorem non impari luce radiantem lunari globo exhibent. Sed jam pridem iſta ex Philoſophorum ſacrario in cunas nutricum, & ſimpulatricum gynæceia eliminantur; aut ſolis Poëtis relinquuntur; quibus fidem faciat Nemeæus Leo ex ſylvis Lunæ à zelotypa Junone ad perniciem Herculis præcipitatus. Sed illi num Lunam geſtant in capite, dum Lunam talem effingendo ſibi inſaniunt? Neque eſt quod mirere tantum, mi Roſete; cum reperiantur non ſolum qui hoc ipſum de Lunâ commenti ſunt: Verum de cæteris etiam errantibus, in quorum numero noſtrum hunc orbem recenſent, medium inter illa locum ei tribuentes: Ipſa vero ſphæra Solis in centro conſtituta, eaque immobili. Sed quis eorum volatum ita pernicem habuerit, oculoſve adeo perſpicaces, ut illorum acies potuerit eo pervadere? Ajunt ſcilicet Planetas ſive ſydera errantia non iiſdem ſcintillis, quibus ſtellas firmamenti, fixas vibrare. Quid ita? Præpotenti virtuti rerum auctoris quid repugnet? Non eſt tamen voluntas ejus Numinis, ut mundos multiplicet, cum nulla appareat neceſſitas: alioqui an id nos latuiſſet, atque hæc ſententia apud gentiles etiam ſic invaluit, ut caſtratus à Jove filio Saturnus ideo fingeretur. Interim ædium limen ſalutaveram: ubi Roſetus noſter ultima ſalute data, nec ultra me pergere paſſus in diverſa ſe convertit; & in ædes ſuas, qua compendium, gradum maturavit.

DIES SECUNDUS.

Sermones convivales diverſi; ubi uter infœlicior avarus an prodigus; uter ſalacior Martialis, an Juvenalis.

§. I.

ADerat poſtera lux, & Aurora lucis prævia, ac Muſis amica per vitrea ludens ſpecularia proximum eſſe Solis ortum admonebat. Tum ego membra adhuc ſomno gravia ſimul excito, ſimul è ſtratis corripio: votisque præmiſſis, invaleſcente jam furore poëtico ad ſtrictam compoſitionem calamum torſi. Facultatem omnem hoc œſtrum inceſſerat, cum exſonante muſæoli oſtiolo Roſetus coram me ſtetit. Is humaniſſimus præmiſſa ſalute, cæterisque ſolitæ urbanitatis officiis rogare, uti ea nocte valuiſſem, an ea fuiſſet fauſta & propitia? Num placeret ea luce geniali deambulatio matutina, dum rideret cœlum, necdum ſodales ſomnus reliquiſſet poſtmodum adeundos? Amœnitatem aëris, & cœli clementiam nos compellere.

Ego tametſi inter ſuaviſſimos Poëſios ludos tota mente deliteſcerem, vixque meum carmen ad optatum exitum traduxiſſem, volenti volens aſſentior. Roganti quod genus poëſios nunc primum elabo-

Digitized by Google

rarem, ludicram picturam illi indigitavi, homunculus erat nanus & gibboſus, in quem ſic luſeram, ſimul chartam ſinu extraho, & ita prælego,

Quisquis es, haud noſti qui ſim, ſum maximus ille
Amphitryoniades, par mihi nemo fuit.
Nempe Giganteas digito proſterno phalangas:
Cum volo, ſi neſcis, tela Typhœa vibro.
His humeris cœlum attollo, dum ſubſidet Atlas,
Atque mihi cedunt ſydera, cedit humus.
Ne mirare igitur, mihi ſi mea terga tumeſcunt,
Ecquis onus toto grandius orbe tulit?

Ad jocoſum carmen Roſetus riſum ſuſtulit, deinde ſumpto obiter jentaculo noſtrorum popularium more ad ſodales pergimus, ſed pulſatis bis terque foribus, hactenus nemo qui aperiat, tandem janitor adeſt incompto capillo, & habitu utcunque compoſito; Et ille quis ad fores? mox ut audivit Alethophilum, eram enim ſatis notus familiæ: Bonis avibus, inquit, ades; At ego Macrinum velim paucis: ut audivi adhuc in ſtrato ſtertere, omiſſo famulo, Macrini in cubiculum una cum ſocio aſcendo per cochleam; & ego repente ad illum adhuc oppreſſum ſomno; heus tu, Macrine, heſternum merum etiam nunc eructas? O lepidum! ſomnum interim eluctabatur Macrinus: & quantum putas, ait, me ſomno indulſiſſe temporis; *Ad ſecundum gallicinium ſtratum* petivi *nocturna chorea nimium fractus; O,* inquam, fruſtra toleratos *noctis labores, quid inde ſupereſt? ſcilicet* impreſſa membris laſcivies: *Ibi enim fucatos vultus* gratius vibrare puellæ ad facum ſplendorem; in chorea autem quanta oculorum, manuum, pedum, membrorum omnium libertas? næ indigna ſunt Academicis, & liberalioris litteraturæ ſtudioſis iſta gynæceia, Veneris & Bacchi potius digna clientibus. Aderit, aderit momentum ineluctabile: Sero ſapiunt Phryges. Imo retulit Macrinus, ubi ſero, ibi bene. Sed de his plura. Simul cultu tumultuarie compoſito ad Burrinum metiuntur iter, habitabat autem ad tertium quartumve lapidem, idcirco auctor fui ſodalibus ut in hortum ſuccederemus, donec adeſſet Burrinus quem accerſeremus per famulum. Annuunt conſilio Macrinus & Roſetus. Interim animi cauſa pueros ſpectant in area proxima ludo trunculorum fallentes horam (erant enim hoc triduo feriæ ſcholaſticæ.) Tunc Alethophilus extemporaneo carmine in hunc ludum Trunculorum ita luſit:

Ecce novo pueri dum fallunt tempora ludo,
Ille globum volvit ſpatioſa per atria gaudens,
Iſte reponit humi Truncos, & in ordine figit.
Hic adſunt numero pueri, Truncique noveno.
Surgentem ſylvam tenuem, & triplici ordine cinctam
Latantes rident pueri. ſed labitur unus
Truncos dum erexiſſe putant, & mole propinquum

Excutit

Excutit exiguâ: dum concidit ille viciſſim
Vicinum pariter vario ſed in ordine ſternit.
Res nova delectat pueros; primusque Filiſon
Contingit leviter Truncum, atque inclinat; at ille
Dejicit adverſum pronus; ſequiturque ſecundum.
Tertius. En melior (pueri dixere) priori
Seſe offert ludus: Truncoſque reponite; ludus
Gratior hic, plures uno qui diruet ictu.
Dum ſe quiſque, artemque canit, procul ecce Smaragdus
Accurrit volucris: neque ſpheram impune revolvit;
Hanc ruit in Truncos, & quinque effudit arena.
Tum puer exultans; mihi palma, exclamat; at omnes
Accingunt ſe operi, ac partes ſcrutantur in omnes,
Et lignum mox in tranſverſa volubile mittunt.
Aptior ille tamen jactus quà ſe angulus offert;
Hac globus allambit Truncum: Truncuſque, globuſque
In diverſa abeunt: Trunci tunc impete magno
In Truncos hinc, inde ruunt: hi mole gravati
Labuntur. Quandoque labat, ſimilisque cadenti.
Stat tamen hic, & luſorem ſpe lactat inani.
Creſcit amor ludi, cum creſcente arte; nec ante
Imponunt finem ludo, quam totus arena
Hic Truncorum ordo, generoſo procidat ictu.
At ludus ſua jura tenet; ridenſque fugaces
Fortunæ ſortes, totus conducitur arte.

§. II.

Applauſère ludenti luſum Trunculorum jam repentino carmine: ſed & plauſus particeps Barrinus fuit ſubito adventu ſuo cœtus lætitiam augens: Moxque dum prandium adornabatur, & onerabantur menſæ, aulam ingreſſi pictas tabellas luſtrant oculis, hæſitque Burrinus toto obtutu defixus in una, ſub cujus involucro latentem ſenſum ſciſcitanti quiſque ſuam mentem explicuit. Sed quæ illa Minerva? Burrinus ait. Puella, inquam, cothurno militari, caſtrenſi ſago, & pennata criſta ceu Minerva terribilis & Regem ad ſolium invitans? ut annuenti, & cervicem ultro præbenti coronam imponit; dextrum lacertum hoc ſene fulciente: ſub puellæ pedibus miremini ludicras icones Morionis eaſque decuſſatas, & Typum philoſophi throno imminentem: Hinc copiæ promiſcue jacent cum ſignis, veluti gladio vindice mactatæ: Inde captivi ſoluti vinculis, nam ſub fauſtis auſpiciis hujus Amazonis, Sed heu inconſtantis fortunæ vices! Videtis hic eandem puellam victricem, inde victam à Calumnia, & licet inſontem, conſumendam flammis, & furiis hoſtilibus immolandam.

Hæſere omnes in ea contemplatione defixi, & alius quidem margaritam ſub eo involucro latere exiſtimabat, alius annulum ſive quer-

cum eſſe puellam, cujus cortex lorica & galea, frondes plumaria: alius gallum, alius denique ſomnium. Quibus Macrinus: Tenuiſſimam fabam ſub ingenti tabella, totque fere perſonas exhibente, quot Ægis Palladis, hic habete. Faba eſt puella; illius armatura pro ſiliqua eſt, penna viridi intermixta pro foliis: Rex quem faba coronat, Rex eſt convivii, ſeu ſympoſiarcha: & quod olim jactus Veneris in ſortitione talorum fuit, hoc ipſum noſtra ætate ineunte anno faba eſſe ſolet: nam apud illos viguit hoc Hemiſtichon:

Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi.

Et iſtud,

Num regna vini ſortiere talis?

Neque ſolum in creandis Regibus convivii, & ſympoſiarchis illa ſortitio invaluit: verum & in ſubrogandis Magiſtratibus. Idcirco puella quæ faba eſt, & Regi (Carolum putatote) coronam imponit, & eundem ad thronum invitat. Nam & Regi fabario, & Arbitro convivii ſedes eminentior conceditur, quo à cæteris convivis, dum haurit pateram, feſtivo plauſu poſſit excipi. Sed ecquem putatis hunc Philoſophum? nonne Pythagoram, quem ajunt à fabis religioſiſſime abſtinuiſſe; Ridiculum hercle, dum docuit *mortuorum animas in fabas tranſmigrare*? Nam & ille in hoſtium manus *incidere maluit* moriturus, quam fabas pedibus, dum ſaluti conſulit *fuga, proculcare*. unde priſcum forte adagium, *Neque fabas neque albium comedendum*: Eſto arguant hoc adagio, civiles *adminiſtrationes* à Pythagora improbari: ſed & *κυαμοτρὼξ fabarum* arroſor lepidiſſimo tropo dictus, qui gratia quæſtus in comitiis verſabatur.

Quid porro iſti rei, vinctus alter, alter ſolutus? ſcilicet demiſſis in urnam fabis nigris & candidis: atque ille mos antiquus diu invaluit, ut ſolerent majores noſtri

His damnare reos, illis abſolvere culpâ.

Λευκαὶ, καὶ μέλαιναι dicebantur. Verum cum ſit faba genus edulii non mirum ſi coquitur igne. Sagus iſte varius, multiplices colores fabarum innuit. Jam oculos tollite, & creſcentis lunæ inter nubium caliginem ſymbola inquirite. Docet nimirum naturalis ſcriptor hiſtoriæ ſolam frugum etiam exeſam repleri Luna creſcente, & crebros imbres eam amare, & aquarum irrigatione ali plurimum.

Jam vero ne nos iſtæ morionis effigies prætereant, dicam paucis, fretus auctoritate ſummorum Philoſophorum, & Oratorum, poſt obſervatam tot ſeculis experientiam, fabam ſenſus hebetare, inſomnia crebra parere, unde proverbium fatuis commune. At ſenior iſte cum fuſo exercitu, quam belle notat Fabium illum Maximum, cujus familia à ſerendis fabis nominata in tuenda Republica ſic enituit, ut trecenti Fabii totius belli onus contra Vejentes in ſe reciperent, quos cum levibus præliis ſæpe fudiſſent, tandem ad Cremeram omnes inſidiis circumventi occubuere pro patria, licet invicti. unde Poeta

Una

Digitized by Google

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes,
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

Et alibi,

—— quamvis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abſtulit una dies.

Nam ex tanta Fabiorum clade unus tantum ſuperfuit, qui non ad arma per ætatem idoneus in urbe relictus eſt; ex cujus ſanguine per longam nepotum ſeriem ortus eſt Fabius ille Maximus, qui dictator adverſus Annibalem dictus cunctabunda quadam prudentia rem Romanam aliorum Imperatorum temeritate labefactatam, primus reſtituit. Ænigma ſolutum eſt. Sed ambagibus omiſſis ad menſam accumbamus. Quem Venus arbitrum dicet bibendi? Retulit Alethophilus: Tuum eſt præſidere convivio, Macrine, quando ipſe tu dapes nobis offers, & eas quidem conditas laute & opipare; ſed cum animo inprimis & liberali, & benevolo. Non plura loquutus, in ſummo Rex convivii ſedit loco, & ab ovo ad pomum aliquid ingenio ſuo dignum, quod mihi magis ſapiebat quam dapes licet menſis Saliorum lautiores, dicam hercle pares Heliogabali epulis cujus luxum deſcribit Herodianus, aut patinis Vitellii, in medium protulit. Procul inde Cypris, & proles ejus armigera, cum auratis ſuis ſagittulis amoris ſymbolo, procul verſus Feſcennini, & verba Alexandrinis aut Siculis aſſueta deliciis: prima menſa linguis parcitur, & labiis facto ſilentio, tandem ſecundis menſis ſaturati multa de Prometheo illo fabuloſo quem hominis fictorem ajunt, & ob raptum ignis è cœlo, quo ſuum figmentum animaret, Caucaſo alligatum: Iſthinc enim eſſe docebant cœleſtem hominis originem: multa de fanaticis ſpiritibus; de luſtrationibus & libationibus antiquorum; de ſacris prophanis, & ſacerdotum dolis atque laſcivie, de Iſide & Anubi, deque Mauriſcaleo priſco Heduorum Deo.

§. III.

Quæſivit à convivis Alethophilus, quid differrent Epicurei, & Athei! hærentibus aliis aſſeruit hac in re conſentire, quod animas utrique affirmarent eſſe mortales: unde illud diſtichon Epicurei,

Mortalem cum te noris, præſentibus exple
Deliciis animum, poſt mortem nulla voluptas.

Quibus Atheos quoque aſſentiri non dubium. Diſſentiunt vero quod hi Deum omnino tollunt: Illi tantummodo ejus providentiam circa ſublunaria.

Burrinus adhæc, plurima etiamnum mihi occurrunt, quæ per convivium videntur non ſolvenda; verbi cauſa, utrum certa eſſet de Dæmonibus opinio, ſi incerta de Deo. Deinde, an mundus ſit æternus; & quid ſentiendum de Plinio, qui aut Deum negat, aut ipſam naturam Deum eſſe docet perperam. Imo quid de Præ-Adamitis? Tum, ſi mundum æternum eſſe, ſcelus eſt affirmare, à quonam fuerit conditus, & à quo tempore, & an plures ſint? Quid de multitu-

Digitized by Google

dine Deorum ſentiendum? Denique quomodo, & quo in loco primus homo formatus, utrum à Prometheo, quod ſenſere Majores? Iſta ad horas quæ minus intentum cibis, magis attentum theſi animum expoſcant. Nunc lepidioribus & minus ſeriis argumentis animi remittendi. Cui Macrinus convivii præſes; qui ſecus egerit, hercle indignus eſt qui vivat. Heus tu puer ad potum tralatitium:

Oblivioſo levia maſſico
Ciboria exple. diſſipet Evius
Curas edaces.

Idemque ad Burrinum converſus, hoc hemiſticho eum ad potum invitat cum Poëta,

Sumat Burrinus cyathos amici
Soſpitis centum.

Mox ad Alethophilum, cum eodem ludens poëta Venuſino,

Tribus aut novem
Miſcentur cyathis pocula commodis.
Qui Muſas amat impares
Ternos ter cyathos attonitus petet.

Quibus adjecit Alethophilus delibato cratere vini defœcatiſſimi, atque generoſiſſimi,

Quis puer ocyus
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula, prætereunte lympha?

Ad quæ Macrinus, & ipſe ludens carmine,

Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.

Mox amphoram alloquens,

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu ſapientium
Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis lyæo.

Supereſt ut Roſetum quoque hortetur ad potum eodem lepôre, & pari verborum amœnitate & gratia. Et tunc ſic illum quaſi cogitabundum & ſubtriſtem, etſi florentem annis, & reliquo cœtu annis minorem, è ſcholæ viretis vixdum emergentem compellat, ad ætatem & nomen alludens,

Quid bellicoſus Cantaber, & Scythes,
Roſete noſter, cogitet, Adria
Diviſus objecto, remittas
Quærere, nec trepides in uſum
Poſcentis ævi pauca. Fugit retro
Levis juventas, & decor,
Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis.

Tum converſus ad Pocillatorem puerum,

Huc

Huc ad Roſetum vina: nimis breves
Flores amœna ferre volo roſa,
Dum res & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra.

Itaque puer cyathum protulit roſis præcocibus redimitum, & lemniſcatum. Denique idem Macrinus ſympoſiarcha reliquos convivas invitans ad potum tralatitium his genialibus Bacchanaliorum feriis ita cecinit:

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus ſodales.

§. IV.

Nemo fuit ex conſeſſu qui Macrini ingenium, & lepôres, ſaleſque in dicendo ex tempore, non laudaret: & hæc quaſi in præludium jacta ſunt, ſiquidem ſuperius allata repetens affirmare non dubitabo tuum, ô Macrine, Prometheum Caucaſo alligatum, & in pœnam rapti è Cœlo ignis ab aquila cruciatum, merum eſſe commentum in cunas nutricum remittendum; etſi ea fabula origo rerum verarum eſſe videatur. Nam Plinius, qui & plenius, & planius naturas rerum inquiſivit, originem annuli à Prometheo ducit: Ait ſcilicet, dum Prometheus catena ferrea alligaretur Caucaſo, Jovem hunc ſupplicem ac veniæ deprecatorem reſtituiſſe libertati: Ita tamen ut è catena annulum ferreum, cui è Caucaſo pro adamante fruſtillum inſertum eſſet, digito indeſinenter geſtaret, ut & priſtinæ captivitatis, & libertatis reſtitutæ nunquam eſſet immemor. Unde antiquis annulorum uſus is fuit, ut in gemma ſymbolum aliquod vel alicujus ex majoribus imaginem inſculperent, quo tanquam ſigillo ſignabant epiſtolas: ſic Lentulus avi figuram, Africanus patris effigiem, ſphyngis Auguſtus. Unde Plautus,

Sub gemmam tuos penates obtruſos habeo.

Porro annulum digito annulari ſeu quarto à pollice digito ſiniſtræ manus inſeri ſolitum conſtat, eo quod inde vena ſeu nervus uſque ad cor putetur pertingere. Unde non tam digitus coronatur, quam cor, & inde fortaſſe etymon. Sed & *Annus* dictus, quia menſibus in ſe recurrentibus volvitur: & Annulus, quod in ſe pariter redeat, nam à Græcis ἐνιαυτὸς veluti in ſe rediens: unde Poëta,

In ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

Porro annulus ad icienda fœdera dividebatur antiquitus; ut ſi quando alter alteri obviaſſet, annuli partibus invicem junctis in fœderis icti argumentum, antiquas neceſſitudines recognoſceret.

Burrinus adjecit; Hebræum populum apud Babylonios exulantem, quo patria è mente nunquam excideret, typum ſanctæ civitatis in annulis expreſſiſſe, unde illud Regii vatis, *ſi oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextera mea.*

Digitized by Google

Roſetus ſubdidit: Carolum quintum, egregium illum *Occidentis* Imperatorem, annulum ſolitum circunferre, in quo adamantis loco, erat horologium, quod qualibet hora ipſum illum admoneret.

Alethophilus, & meum pariter, inquit, liceat mihi addere annulo ſuffragium. Iſmenias Thebanus legationis cauſa ad Perſarum Regem cum veniſſet aliquando, Tribunus militum, Trinauſtes nomine hunc ad Regis colloquium ducturus monuit, ut ſtatim atque in conſpectum veniſſet Regis, non prius ſermonem faceret, quam Regem pronus adoraſſet. Ille ubi ad Regem, annulum quem geſtabat, detractum digito ad pedes Regis furtim abjecit, & procumbens *illud tacitus* loquebatur; non tibi ſed annulo.

Placuit annulum coronaſſe omnes ſuo ſuffragio, concluſit *Macrinus* convivii præſes, & nos fingamus annulum compotatione tralatitia: non ſit triſte & lugubre convivium noſtrum, quaſi ſilicernium; non ſit turpe & infame, quaſi Lapitharum, & Centaurorum, aut Bacchanalia celebrantium: ſi non lautum ſatis, ſit jucundum, ſit ſuave; & ſi quidem deſunt obſonia, non deſint lepôres, & ſales quibus epulas condiamus: abſint jurgia, rixæ, lites, ſimultates.

Natis in uſum lætitia ſcyphis
Pugnare Thracum eſt; tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

§. V.

Ad bellaria provectum erat *convivium*, cum Macrinus Heroïca hiſtoria coronandum illud admonet & ipſe humaniſſimus commiſſam provinciam non detrectat Alethophilus. Seculum, infit, decimum quintum æræ Chriſtianæ vertebatur, cum apud Rhodios *Elione de* Villanova equitum magiſtro, in antro quodam rupi ſubjecto excubabat horrendus viſu Draco, toti regioni mirum in modum moleſtus & infeſtus, nam homines, armenta, gregeſque terribilem in modum devorabat, & peſtifero halitu aërem corrumpebat: itaque edicto Ordinis Magiſtri cautum erat, ne quis ad locum accederet; Equitibus vero indictum præter habitus privationem, capitis ſupplicium.

Erat eo tempore inter Equites juvenis quidam manu ſtrenuus è Vaſconia, & ad extrema audenda præceps; Nomen illi F. Deodatus de Gozon, qui qua ratione inſulares à tali peſte vindicaret, ſtudioſiſſima mente indeſinenter revolvebat: Attamen Magiſtri Ordinis verebatur edictum; peneque deterrebatur à conſilio, viſo Dracone; nam iſtius monſtri forma hæc erat, ut equum ingentem, vel bovem non æquaret ſolum amplitudine corporis, verum etiam quaſi deglutiret. Collum longum & aſperum, auribus ad muli ſimilitudinem erectis ad prædam. Os horrendo rictu diſtentum acutiſſimis, & cruentis dentibus inſtruebatur, oculi patuli, & velut ignem ſpirantes. Demum corpus totum duriſſima ſquamma incruſtabat. Quaternis pedibus

dibus incedebat, unguibus in urſi modum præacutis. Quod ad caudam, & reliquum corpus Crocodilum puta, niſi quod alis duabus cartilagineis ad celeritatem inceſſus volitando utebatur, ita ut equi concitati curſum aſſequeretur quam facillime: ſi quæritis colorem, is erat ſanguineus flavo & cæruleo mixtus. Porro Eques ſupra laudatus reviſendæ negotiorum prætextu patriæ, poteſtatem in dies aliquot abſcedendi fieri ſibi poſtulat. Tum Draconem ex charta & ſtupa, Rhodienſi quidem illi, diſpoſitione membrorum, magnitudine, colore parem effinxit, & equum bellatorem, cumque intrepidum, atque indefeſſum cum geminis Angliæ canibus ſibi comparavit. In Draconem commentitium ſubire jubet unum è famulis, qui ope funis caput, caudam alaſque, & totum corpus illius agitaret in diverſa. Deodatus equo inſidens ſimulachra proferre certaminis, inſultare ficto monſtro, urgere equum, & canes, idque indeſinenter per ſpatium bimeſtre. Tum ad Rhodum inſulam cum famulis, equo, & canibus, aſſuetis huic certamini, iter remetiri; & invocatis ad opem Deo, Diviſque vindicibus, adornare pugnam, monitis prius famulis, ut ad rupem aſcenderent ſpectatores certaminis; ut ſi Dracone cæſo, ipſum ſe adhuc ſpirantem reperirent, amuletis comparatis ocyus ſuccurrerent. His præmiſſis Heros fortitudine armatus & conſtantia, in antrum ſuccedere, ac belluam portentoſam clamoribus repetitis ad luctam provocare, quæ ſtatim ſpe opimæ prædæ allecta, ſibilis, ſquammarumque & alarum ſtrepitu locum implere, terrere omnia, & concitato greſſu, ac volatu irruere cum impetu. Eques intrepidus aſſuetos ad pugnam canes urgere, & lanceam tanta vi intorquere in ſquammam, ut primo impetu frangeretur: at Heros infracto animo ut videt belluam, demorſis genitalibus dolentem, adverſus canum morſus ſeſe defendere, tunc pedeſtri certamine eam aggredi gladio, & fortiter congredi. Jam Draco in pedes poſteriores ſeſe erigere, quatenus anterioribus Heroëm opprimeret, qui ſcuto protectus comperta colli molliori parte gladium tam altè impreſſit, ut ingentem è jugulo cruoris & tabi copiam exhauriret. Draco actus in rabiem quanto propius Equiti ſe admovit, tanto altius gladius in viſcera penetravit. Tunc ingenti ſanguinis profluvio debilitatus & velut exangue monſtrum athletam tum labore luctæ exhauſtum viribus, atque fatiſcentem, tum putida & tetra, quam ex aperto corpore exhalabat mephiti, intoxicatum ſic oppreſſit, ut videretur exanimis. Ergo ſuccurrunt famuli, & laborantis ad opem advolant, frigidam corpori ſupereffundunt, fomentis languentem fovent. Mox Eques in equum reſilire, urbem petere, & opimam victoriam Magiſtro enarrare, qui de violato edicto indignabundus victorem carceri mancipat habitu ſpoliatum, donec diffuſo per omnes inſulares certaminis exitu hunc & vinculis eripit, & communi exceptum plauſu ad ſummos gradus evehit; denique fato functo Elione Deodatus iſte cognomento *Tue-ſerpent* in locum Magiſtri conſentientibus omnium Equitum votis, & calculis quarto poſt anno ſuffectus eſt.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Illuſtrem Ædepol, quiſque retulit, & dignam lautis epulis coronare narrationem, in qua demiror Heroicam & minime vulgarem Equitis conſtantiam; quid enim tale audivit antiquitas? Tunc Macrini pater annis jam gravis, Equidem, inquit, quantum mea mens revocare poteſt ætatis meæ memoriam ultimam, ſimile nihil audiveram ab avis, proavis, abavis, atavis, majoribus. Omnino mihi dolet à primis menſis abfuiſſe, neque fuiſſe confabulationum tam lepidarum participem; eſto contemplatus fuerim Scenobatas, *Ludiones*, *Mimos*, Hiſtriones, *Larvas*, Elephantes ad geſticulationes *mimicas eruditos*, & cætera id genus quæ hiſce feriis Bacchanaliorum *genialibus videre* eſt, levioris momenti iſta omnia reputem.

Rogatus plura, ita ille: Hercle nihil ita me movit, atque Elephas, qui ad morem ſcenobatarum ſuper funem incedens ſeſe efferebat in ſaltantium morem, & alias geſticulationes mimicas. Attamen immenſum, ita me Deus amet, & informe animal pene omnibus membris una mole confuſis, merſum inter humeros caput, nec à globo multum diſpar, niſi qua proboſcis in terram deſcendit fœde promiſſa è naribus, etſi color abſit, inſtar longi & tumidi anguis, nervorum articulis adeo connexa; ut contrahi, *laxarique*, *flecti etiam poſſit*, & eſſe pro manu. Patulæ aures tegunt utrumque tempus: *Oculis orbe* exiguo ſub tumidam frontem recedentibus. *Ebur, quo pretioſiſſimi* ſunt Elephantes, ex ore *multum prominet*. *Exacta ſaltatione*, & mimicis geſticulationi*bus*, *deſcendens de fune ſalutabat* ſpectatores, & in orbem ince*dens*, *ſi quid in cujuſcun*que pera ſuboleviſſet, nuces, poma, aut quidlibet comeſtibile, illico demittebat promuſcidem, & furtim illud è pera extrahens, velut annuendo ridentibus oculis, & gratias agendo comedebat. Nunquid placet eſſe ſpectatores. Imo, pater mi, reſpondit Macrinus, placebit magis conſeſſui lepidæ confabulationis eſſe auditores. Quis ergo argumentum dabit? Ego, inquit Macrini pater; & argumentum erit in convivium, quod neque prodigum fuit, nec avarum, ſaltem ſi in voluntatem *inſpiciatis*. Agitatum eſt nuper in Academia celebri, & eruditorum conſeſſu, uter eſſet infœlicior Avarus, an Prodigus? Sed tumultus *jurgiorum diſputationem* abrupit: Euge Macrine, tuque Alethophile, *quia jam* pridem glorioſo illo Academiarum pulvere imbuti eſtis, litem ambo dirimite. Abnuebant ambo, niſi Alethophilus excuſationes prætexens imperitiæ à conſeſſu toto adactus eſſet ad hanc provinciam; Macrinus vero, non amore mei ita cæcutio, infit, ut non probe norim quam ſit mihi curta ſupellex, tamen morem geram imperio patris: Nam in ejus ære ſum. Infœliciorem avarum ſi dixero, fortaſſe non aberrabo; neque enim levibus argumentis, ſententiis, & exemplis meam hypotheſin confirmabo. Quid porro Hiſpani, Itali an alia appellatione Avarum quam miſeri ſignificant: avaritiam vero miſeriæ?

Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.

Et,

Et, *Suum defraudans genium comparſit miſer.*

Re vera ſi in bonorum, deliciarumque abſentia, ac deſiderio conſiſtit miſeria, & calamitas: paupertas autem ſi in rerum illarum inopia ſita eſt, quas à ſe abeſſe intelligit, quis ibit inficias Avarum ex eo quod omnium pauperrimus eſt, habendum etiam eſſe miſerrimum? Quid ſi infœliciorem ipſis mendicis dixero, qui ſtipem vicatim, & unde unde colligunt? Mendicus illarum rerum duntaxat laborat inopia, quas ſibi deeſſe videt: Avaro tam deeſt quod habet, quam quod non habet? inopiæ multa deſunt, avaritiæ omnia. ſed forte ad lepidam narrationem noſtri poëtæ non nauſeabitis:

Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus, ut heres
Jam circum loculos, & claves latus, ovansque
Curreret: hunc medicus multum celer, atque fidelis
Excitat hoc pacto: menſam poni jubet, atque
Effundi ſaccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum; hominem ſic erigit; addit & illud,
Ni tua cuſtodis, avidus jam hoc auferet heres.
Men' vivo? ut vivas igitur vigila: hoc age. quid vis?
Deficient inopem vena te, ni cibus, atque
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.
Quid ceſſas? Agedum, ſume hoc ptiſanarium oryza.
Quanti empta? Parvo. Quanti ergo? Octuſſibus. Eheu,
Quid refert morbo, an furtis, pereamne rapinis?

Non ergo temere poëta confirmat ejuſmodi homini tam eſſe moleſtum ſuas pecunias vel tantillum delibare, quam ſacrarium aliquod polluere, & profanare:

Metuenſque velut contingere ſacrum.

Atque hoc primum eſto argumentum: ad aliud me converto. Inter omnes illos qui cujuſcunque boni poſſeſſione deſtituti ſunt, infœlicior eſt nemo quam qui aſſiduis oculis illud intuetur, quo nunquam frui poteſt: ſi quid objectam potentiam movet, accenditque animos hujuſce boni deſiderio marcentes. Et vero Tantalus ille fabuloſus non alia pœna crimen eluebat ſuum apud fabuloſos manes, quam illa nuſquam conceſſa fruitione præſentis boni. Et de Avaro nonne vulgaris eſt ſermo, quod ille ſit

Magnas inter opes inops,
Congeſto pauper in auro,
Inter opes mendicus inops.

Ecquæ paritas major quam inter utrumque, Tantalum & Avarum:

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians.

Canit idem Poëta in ſermonibus ſuis. Haud perperam igitur appellatur fames genus pœnæ miſerabile; eaque pœna ſacrilegus olim Eriſichthon

Digitized by Google

ſichthon ob violatum Cereris nemus ad Deæ nutum cruciatus fame à poëtis fingitur. Neque levius eſt tormentum ſitis, cujus iconem Lucanus in belli Pharſalici libro nono graphice depictam exhibet. Appelletur ergo Avaritia à Marone *Auri ſacra fames*; Certè à Claudiano *ſcelerata ſitis* nominatur. Quæ fames, quæ ſitis expleri unquam in Avaro poteſt. Etenim

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.

Eſu ciborum expellitur fames: potu cujuſcunque liquoris ſitis extinguitur. At nuſquam ſatiatur illa Avari ſacra fames, ſcelerata ſitis.

Cupit hic gazis implere famem,
Nec tamen omnis plaga gemmiferi
Sufficit Iſtri: nec tota ſitim
Lydia vincit.

Nullæ, inquam, poſſunt regiones auri gemmarumque feraces famem plusquam Tantaleam exſatiare: non Tagus, non Hebrus, non Hydaſpes, aut Ganges, non cæteri amnes, qui aureas volvunt arenas, aut gemmas concinnant, ſitim plusquam Tantaleam extinguere.

Non Tarteſſiacis illum ſatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi.

Imo nec ipſum cum ſua omnium bonorum copia cornu Amalthææ miſerorum inextinguibili cupiditati & ſiti cancellos ponere; aut inſanis illorum, & aſſiduis queſtibus modum aliquem.

Si quantas rapidis flatibus, incitus
Pontus verſat arenas;
Tantas fundat opes, nec retrahit manum
Pleno copia cornu,
Humanum miſeras aut ideo genus
Ceſſat flere querelas.

Canebat Boëthius. Unde liquet non à ſenſu aberraſſe, neque temere dixiſſe eum, qui inexplebilem illam habendi ſitim *hydropiſim animi* appellavit: Etenim infœlix hydrops nimis indulgendo ſibi, morbi vires auget, fovet adulando, eo ſibi crudelior quo ad ſua deſideria explenda promptior. Etſi fontium omnium aquas hauriat hydrops, in mediis tamen areſcet aquis: omnia flumina exſiccaret bibendo, neque tamen unquam ſitim extingueret, corrupto nimirum ſanguine, & vitiato jecinore.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Ceſſerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Huic argumento clauſulam ponat Sapientis effatum: Qui amat, inquit, opes, fructum ex eis nullum capiet. Si quis homo eruditæ gulæ, ſciti palati, cupediarum appetens lautum aliquod obſonium recuſarit, non ideo recuſaſſe putem, quod palato ſuo ſapit hæc lautities: neque ideo duplicem quis, & altero texto munitam veſtem renuerit, quod

nimio

nimio languet frigore: Et tamen idcirco pecunias ſuas Avarus delibaturum ſe negat, quia immodico, & impotenti illarum amore percellitur. Jam ad tertium argumentum accedo.

Cum ſit Avarus ſocietatis omnis, & amicitiæ expers, quis infœliciorem eum non exiſtimet quam quem maxime? Eſt enim amicitia, & ſocietas, aſſertore Sapiente, medicamentum vitæ, & immortalitatis; & homo ad utrumque ex inſito ſibi à natura pondere maxime pronus eſt, ſcilicet à nemine amatur, cum redamet neminem. Imo vero, ô Avare,

Non uxor ſalvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt.

Non ergo temere Satyricus hujuſcemodi moribus, & ingenio inſtructum hominem ſic devovet:

Vivat Pacuvius, quæſo, vel Neſtora totum;
Poſſideat quantum rapuit Nero; montibus aurum
Exæquet, nec amet quenquam; nec ametur ab ullo
Ecquid mirum?

In nullum Avarus bonus eſt, in ſe peſſimus. At parum eſt inviſum eſſe mortalibus, niſi & ipſorum Superûm odium in ſuum caput eliciat, infenſus ſcilicet *Diis iratis, Genioque ſiniſtro.*

Jam vero ad alia propero, quæ perſtringam paucis, quatenus è vaſto hoc Oceano me protinus expediam. Antiqui cujuſdam effatum eſt,

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Quis porro ſuæ libertatis, ac ſui juris quam Avarus minus eſſe poſſit?

Non video, nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.

Denique ut auribus veſtris parcam jam quaſi faſtidientibus, quis ibit inficias miſeriarum omnium miſerrimam eſſe amentiam, cum ex Philoſopho ſumma fœlicitas in ſapientia, & rectæ rationis uſu optimo poſita ſit? Atqui ex ſententia viri ſapientis, & rerum non ſpernendi arbitri, inter ſtolidos illos quibus Elleboro maxime opus eſt, utilius nulli quam Avaro hoc Pharmacum eſſe poteſt. Unde etiamnum

Danda eſt Ellebori multo pars maxima avaro:
Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.

Sed hominis amentiam animadvertite;

Si quis amet citharas, emptas comportet in unum,
Nec ſtudio citharæ, nec Muſæ deditus ulli;
Si ſcalpra, & formas non ſutor; nautica vela
Averſus mercaturis; delirus & amens
Undique dicatur merito: quid diſcrepat illis
Qui nummos, aurumque recondit, neſcius uti
Compoſitis?

Quis fanaticus furor, aut quæ amentia major eſſe poteſt;

Cum furor haud dubius, cum ſit manifeſta phreneſis
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.

Verum

Digitized by Google

Verum & iſthæc eſſent levia, ſi ſua tantum amentia riſum nobis, cachinnumque moverent: & non ultra in barbaram ferocitatem, ferocemque barbariem degenerarent. Si te quo divitias congeras, impio, & ſacrilego obligas perjurio; ſi viduarum, ſi pupillorum, ſi clientum domos exhauris, ſi teſtamenta fraudas; ſi alium orbem terrarum tibi navigando aperis; ſi ſtipem unde unde per fas & nefas corrigis; ſi theſauros, quorum uſu ſponte privandus ſis, qua fraude, qua ingenti labore accumulas; hæccine ſunt ſanæ mentis argumenta?

Perjurus ſubripis, aufers;

Undique tun' ſanus?

Scilicet impotens illa opum cupido ſcelerum omnium fons eſſe ſolet; quas enim neces non committit? Quas clades non patrat? Quoties jus omne divinum, nedum humanum violat?

Inde fere ſcelerum cauſa: nec plura venena
Miſcuit; aut ferro graſſatur ſæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam ſæva Cupido
Indomiti ſenſus: nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri; ſed quæ reverentia legum,
Quis metus, aut pudor eſt unquam properantis avari?

Maneat ergo mortalium omnium infœliciſſimum eſſe avarum; nam in alios is maxime egenus, inſanabilis, inviſus, & amens eſt: nullumque malum moleſtius poſſe ei contingere,

Avaro quid mali optes, niſi ut vivat diu?

Sic concludentem excepit Alethophilus: quandoquidem in avarum tanta cum auctoritate poëtarum tantoque lepôre à te invectum eſt, Macrine: ut ipſe jam miſerrimus, infœliciſſimuſque videatur; faciam tamen meis pugnando ratiunculis, ut prodigum impoſterum ſaltem non minus infœlicem reputetis: Atque ut à Philoſophi ſententia liceat auſpicari, cum illo ipſo aſſevero, non eum qui genio ut indulgeat, vel impotenti laudum cupiditati, & luxui ſerviat, in ingentes ſumptus effunditur, dici prodigum oportere: ſed eum, qui ſolo impenſarum amore ſibi innato, bona omnia dilapidat, obligurit, devorat, aut inani largitione abſumit, & profundit. Et ſiquidem avarus ſui ipſius homicida eſt; prodigus etiamnum ſui carnifex & parricida haud temere poteſt cenſeri, dum ſuam fruſtra conſumendo ſubſtantiam, remque familiarem obliguriendo, vitam ipſe ſibi eripit. Attamen, neque ibo inficias, cum ſupra laudato Philoſopho, cupiditas illa immodicæ profuſionis vitium, levius avara divitiarum fame reputandum: Eſt enim vulnus illud ejuſmodi, cui ipſa ætas, vel neceſſitas plerumque medeatur; ipſe ſiquidem dives in largiendo profuſus, non poteſt diu in ea munificentia, aut largitione profuſa perdurare; maxime cum ex ejuſdem Philoſophi effato, ſubſtantiam ſuam omnino profundat. Adde quod prodigus ad auream illam mediocritatem, juſtamque morum temperiem, quæ virtutis ſedes eſt, faciliori negotio poſſit accedere: habent enim, quod munifi-

fi-

liberalis animi eſt, dum ſponte largitur, & ægre accipit. Unum eſt ſuper, nimirum ut ille opportune, & duce ratione ſua diſtribuat: quo poſito ille habitus haud vitioſus omnino reputandus eſt, cum ex animo abjecto minimè profluat: ſed ex imprudentia, & incuria juvenili magis promanet. Denique prodigus quam multis beneficium conferre ſolet, Avarus nemini: Enimvero

Avarus niſi cum moritur, nihil recte facit.

In hoc uno graviter à prodigo peccari ſolitum, ſi in oppoſita vitia præceps abeat, in turpiſſimas delapſus conſuetudines, omni jure calcato diripiat aliena; rapinis alatur; iniquis, & violentis conditionibus nummos corrodat; emungat marſupia, ac repetundarum fraude ſe obſtringat, quatenus hunc morbum quo laborat, inſanamque profundendæ ſubſtantiæ libidinem excolat, & foveat; quo fit ut re familiari quam profundat, jam deficiente, conſumat alienam; & quatenus munera largiatur, ad furta ſe convertat: atque illis quos extollit ſupra modum fortunæ ſuæ fœlicitas, fraudes comparet, inſidias moliatur in omnem dolum architectus, quatenus immeritis opes abunde ſubminiſtret. Cum ex adverſo virtutem indonatam dimittant, nulla eorum habita ratione, qui opibus ad publicæ rei commodum uterentur, quorum ex fortuna proſperi eventus pendent civitatum: ſervilibus magis, & ignavis adulatoribus, fœdarumque libidinum ſuarum adminiſtris munera ſua impertiunt. O quantum in clientum delectu aberrant! ſcilicet hi tales intemperantiæ vitio laborant, & voluptati ſervientes ad eam toto ſtudio anhelant, ſuarumque molem impenſarum immenſam eo referunt: dumque rationem ducem, infami defectione ad vitia, ſequi negant, ſolis voluptatibus utique nomen dant. Qui ſi rationem audierint, ab illa profuſione ad veram ſe recipient mentis libertatem, ſi ſecus, in turpiſſimam deflectent intemperantiam. His quoque, ſubdit idem Philoſophus: Inſanabilis eſt avaritia, quod & ſenectus, & infirmitas, quæ huic vitio perinde atque aliis modum afferre debuere, huic vires, & alas addere ſoleant. Adeo certum eſt doctiſſimi effatum Antiſtitis, *In homine vitia omnia ſeneſcere; ſolam juveneſcere avaritiam.*

Atque ex his argumentis colligere non eſt quidem infœliciorem avaro eſſe prodigum: ſed quoniam hic abutatur pecuniis, & opibus; & ſtultum, & imprudentem. Imo vero prodigo longe infœliciorem avarum videri: quanquam haud dubie durioris fortunæ jaculis ſortem ſuam objiciat: Etenim bonarum rerum conſuetudo peſſima eſt: Aſſuetus autem vitæ deliciis prodigus, his libenter carere neſcit: qui ſi ad egeſtatem adactus fuerit, quam declinare vix poterit, ſortem (ita me Deus amet) omnium calamitoſiſſimam ſortitus erit. Verum ab eo diſcrimine quam longe abeſt avarus, adverſæ fortunæ telis raro obnoxius, cum hæc erga illum vix crudelior, quam ipſe in ſemet eſſe poſſit. Jam dudum illius incredibilis patientiæ callum obduruit; menſaque frugali contentus non dolet, Pontificum cœnas, Saliorum

Digitized by Google

dapes ſibi ſubſtrahi. Imo vero ſua poteſt eſſe avaro voluptas: nemo ſiquidem alieno ſenſu miſer, ſed ſuo.

Populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

In ea contemplatione Athenienſis ille nunquam non defixus hærebat, dum gazas ſuas perinde manibus ac mente verſabat. Iſtinc amor illius, & ſumma voluptatum, ſi qua poteſt eſſe avaro voluptas. Qua de re ipſi vos judices ſedeatis: & niſi ingratum eſt ejus momenti litem dirimatis velim.

§. VII.

Hactenus Macrinus, & Alethophilus; quorum perorationi nemo fuit qui non ſubſcriberet, & applauderet: infœliciorem tamen avarum prodigo conſentientibus ſuffragiis judicarunt: ſed interim exonerabantur menſæ, dapeſque removebantur; quibus remotis allata ſunt quædam inſtrumenta levia illa quidem, & in modum fiſtulæ exporrecta, in quorum extrema parte calix erat, ſed ille exiguus, cui adjuncta, dicta tibiola. Statim ergo Macrinus convivii antiſtes, cujus imperio producta fuerant, Nicotiam in minutiſſimas diſſectam particulas in illo calice inſeruit, admotaque flamma excitavit: Tum vero tenuis fumus exundavit, mox ſparſus in aërem. Burrinus deinde aliud ejuſmodi aſſumens inſtrumentum, & tibiolam extremam ore inſertans productum ſpiritu fumum per concavos inſtrumenti meatus, diutius faucibus preſſit, donec ſubhorridus vapor caput ipſum invaderet, & mirabili monſtro per omnium fere ſenſuum receptacula laxaretur. Oculi concepta lachrymarum nube, tamen ardebant; nares caliginoſi aëris reddebant volumina: At ipſum os fornaculæ imaginem referebat, cum humiditatem lignorum nondum victrix flamma expreſſit. Cæteri convivæ idem præſtitere excepto Roſeto natu minimo, qui ſuam inſcitiam, & inhabilitatem prætexuit. Arguit autem Macrini pater morem hunc peſſimum, & inſtrumenta proſcripſit, quibus in menſa frugali non eſſet opus: cum ebriorum ſit, & temulentiæ removendæ cauſa. Applauſit Roſetus, ita ut ex illo proſcriptus ſit ille mos & uſus peſſimus quod cerebrum afficeret, exſiccaret, offenderet.

Mox in ſequentis lucis prandium ſodales invitans talia ſe minime admiſſurum inſtrumenta affirmavit. Cui Alethophilus: Neque eſt quod mirer Roſeti modeſtiam, qui elapſis Bacchanalibus nuntium ſeculo remiſſurus ſit, dicturus pietati ſacramentum: atque auſtero ſupra vires ætatis generi vivendi nomen daturus. Etſi laudo conatum; vixdum impetum probo, mi Roſete; Rationem conſulere, metiri vires, ſollicitare ſuperos te prius oportuit, ne forte deficias in via quam forte cum imprudentia ingreſſus fueris, & tunc ab incœpto cum rubore diſcedas; ſi unica eſſet vitæ ſecurioris via, equidem ignoſcerem; imo Ego, neque ego tantum, ſed quotquot mortales hunc orbem incolunt, vivendi rationem ſequeremur eandem; verum

cum ſecus ſe res habeat, nuſquam iſte impetus mihi ſe approbabit, qui portum ſalutis turbulento petet ingenio, aut ſpecie pietatis ſeveræ deceptus, neque hunc fore in diſciplina tam auſtera, tam diutina conſtantem auguror; in qua debeat poſtea indignari, querive de fatis. Adoleſcentulorum iſte plerumque impetus eſt, qui ex quadam inconſulta, teneraque imagine, quam de præmiis virtutis concepere, tam ſeveræ ſe mancipant diſciplinæ. Verum iſti,ut librata fundis ſaxa, primum quidem immodico fervent, mox ceſſante machina, ſenſim langueſcunt. Præter ſtimulos pietatis, Numiniſque metum; rationis, fortitudinis, conſtantiæ iſthæc res eſt: ſacco indui, duro tecto macerare carnem, nodoſoque fune ſtringere, nudis inſuper pedibus, ac tibiis incedere; victum oſtiatim, mendicorum more, quærere, & rogare, flagellis aſſiduis corpus cruciare, & veluti Miſanthropos congreſſus hominum fugere,cętera ut prætercam à te ſic optatæ vitæ tormenta; quod multorum annorum martyrium eſt, & diu probatæ virtutis indicium; neque ibo inficias, modo tamen iſta fiant conciliandi Numinis gratia, non jactandæ cauſa paupertatis, vel auſteræ vitæ: non ex impetu, non cæco quovis affectu, aut inconſulta ratione, inconſultis ſuperis; imo non inconſulto fideli perinde atque prudenti amico, nihil ut ſine conſilio exequaris, neque facti unquam te pœniteat. Æſtui iſti juvenili ne nimium crede.

Subjecit Burrinus dictis annuens:Illi omnino aſſentior, qui ſapienter admonebat, pro foribus aſceteriorum duo affigenda eſſe ſimulachra, fortitudinis, atque prudentiæ; quæ muta exhortatione ſua ſignificarent, impetus inconſultos, & juvenilis inconſtantiæ minime placere ſuperis: ſed animos ſic ad robuſtam prudentiam exactos, ut tale conſilium non temere capeſſant, neque captum ponant. Quibus Roſetus, non ita ſum inops mentis, neque adeo hominem exui,ut inconſulto quidquam tanti momenti aggrediar.

Hæc ediſſerendo è triclinio tendebant in aream, in qua ſpectabant obiter familiares domus & mediaſtinos colludentes horis illis pomeridianis;& alios quidem trunculis,alios turbine,& buxo volatili:in ſphæriſterio autem areæ adjuncto pila natu grandiores, hos curſu,illos ſaltu: his quaſi obiter, & animi gratia recreandi ſpectatis, non potuit Alethophilus quin cum ludentibus manu, ipſe carmine luderet; & primum quidem, *In pilam:*

Hinc ludum ingreſſi mox tenſa in retia, in altos
Mox muros, mox in claſtros, varioſque meatus
Immiſere pilam: hac partes verſatur in omnes,
Dum vaga multiplicem paſſa eſt hinc inde repulſam.
Illa repulſa ferit, repetito ultura repulſam
Vulnere multiplicem, dum ſe conamine toto
Torquet in adverſos incerta incertior aura.

In turbinem:

At ludo accingunt pueri ſe protinus illinc,

 Vulnera

Digitized by Google

Vulnera pro ſcelere accipies, cum verbere jactant.
Continuo huc, illuc rapitur trepidante volatu
Multiplices Turbo formans in pulvere gyros,
Dum ſæpe ille fremens flexum glomeratur in orbem.

Dum hæc ſpectant ludorum miſcellanea, in quibus varia ludorum ſpectacula nullo ordine intermixta exhibebantur cum à familiaribus, tum à mediaſtinis per illas ſubciſivas horas genialium feriarum: ſic enim appellat ludos illos confuſos & permixtos Satyricus, ajebat Alethophilus, dum dicit Juvenalis ipſe,

Veniunt ad miſcellanea ludi.

§. VIII.

Capta anſa, & quaſi oblata occaſione Macrinus in Palladiis verſatus concertationibus, & verſatus in pulvere ſcholaſtico quæſiit confabulandi ſpecie, dum in hortum proceditur: Et vero nuper, inquit, certamen ingenuum fuit cum Philologis aliquot, quorum alii Juvenalis & Perſii Satyram præferebant Martialis Epigrammatis, alii vero Martialem iſtis Satyricis. Equidem quid ſenſerim, ſi non ingratum eſt, exponam vobis: ſponte annuentibus & ſub xyſto aſſidentibus ita proſequitur: utrumque in ſuo ſcribendi genere audire facile principem haud ibo inficias. Verum ſi ſcribendi argumentum ſpectent; audebunt petulantis morſus Satyræ puris Epigrammatis *ſalibus anteferre.* Sciant interdictum olim Satyræ uſum, *jam ſic exoleviſſe, ut pluribus* abhinc ſeculis tanquam *proſcripta, & conclamata ſileret*, æterniſque, quibus digna erat, *ſepelienda tenebris. Severus* appellatus eſt Perſius, quod aſperitate ſtyli, & argumenti animos exaſperaret. At enim Perſius carpit vitia; Eſto, ſed more vitioſo, cum verba intrudit ſine fronte, ne Alexandrinis quidem epulis admittenda. Quod ad ſales & acumina, ea quam nulla, aut rara ſane in Satyra; in Epigrammate quam familiaria: hoc quam ad vituperium, tam ad laudem inſtitutum eſt: iſtud ad vituperia, non ad laudem. Sed ſalax etiam nonnunquam Martialis: Quaſi vero Satyræ ſtylus non ſit longe ſalacior, & petulantior. Teſtes ſunt Juvenalis, Martianus, Minæus, Horatius, Petronius Arbiter, Apuleius; aliique Satyrici, quos legiſſe pudet. Jam quod ad characterem; advertes Satyram obſcuris ludere ænigmatum ambagibus, & involucris, ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant. Epigrammate quid planius? Non verba vento tument inani; non animos legentium caligine offundunt. Satyræ carmen inconditum eſt, & vix ad carminis formam accedens. Epigrammate quid limatum, deterſum, expolitum magis: hoc Poëſim germanam eſſe negabit nemo: illam poëſeos ne umbram quidem. In Parnaſſo, in Academia, in Aula viget Epigramma. Ubique Satyra obſolevit, niſi forte apud homines quos ſalacitas, convitiumque delectat. Denique procacitate, petulantia, laſcivie ſuperant Satyrici: Alii lepôre, ſalibus, charactere. Hactenus Macrinus; Alethophilus

ſumpta

ſumpta lampade, & anſa, ita pergit: Puram, ingenuam, ac ſimplicem Martialis elegantiam, elegantemque ſimplicitatem toties ſum demiratus, quoties iſte poëta in meas manus incidit; Ecquid in Satyra Juvenalis, aut Perſii tam purum, tam lepidum, tam acutum? Martialis epigrammata ita delectant, ut ſine ſatietate delectent. In Juvenale & Perſio quot verſus, tot ſcopuli, & Syrtes, ad quas frequentius allidimur, vel cum naufragii periculo. Inſtar turbidi maris & procellis inæqualis, nihil non offunditur caligine, quot verba, tot ſunt ænigmata, ac tormenta ingenii.

Quis leget hæc? Min' tu iſtud ais? Nemo hercule, nemo:
Vel duo vel nemo. Turpe & miſerabile.

Et erunt qui Martiali Juvenalem aut Perſium anteponant? ſiccine in diſcernendis ingeniis cæcutiunt? Quid porro eſt aliud Satyricus Poëta quam hiſtrio? quo titulo notatus eſt olim Juvenalis. Eſto Aulæ hiſtrio: Ecquæ laus major quam in Gnathone, & Paraſito? Quam ergo mercedem pro Satyra Juvenalis aſſecutus eſt? Dignam, ita vivam, contumelioſo carmine, & œſtro illo petulanti & laſcivo, dum ſecretam flagitiorum ſentinam movet, quæ quidem merito caſtiores animos ab ejus lectione ſuo fœtore avertit, cujus verba omni obſcœnitate ſunt infamia. At enim Perſius honeſtior eſt, & ornatior,

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quam levis in tota Marſus Amazonide.

Ita enim cecinit Martialis: ſed hæc ille non tam ornandi cauſa Perſii, quam Marſi deprimendi. At vero Martialis quam juſta laus, omnium veterum ore celebrati? Multum valuit, ait Crinitus, in promerendis, & conciliandis hominum ſtudiis; adeo urbanitate, & ſalibus præſtitit. Quanta laus ejus ingenii apud Plinium? *Erat homo*, inquit ille, *ingenioſus, acutus, acer; & qui plurimum in ſcribendo ſalis haberet, & fellis; neque candoris minus.* An ergo mirum, ſi Ælius Verus Imperator Martialem Epigrammaticum, Virgilium ſuum dixerit. Sed quid Angelus Politianus? *Argutiſſimus*, ait, *poëta eſt Martialis, & vagæ juventutis moderator, & Romanæ gloria togæ.* Artificioſiſſimum appellat Jovianus Pontanus, cujus ſcilicet dicta arguta, ſubtiliterque conquiſita; abſtruſæque ſententiæ. *Argutia ſingularis, quam* (inquit Cæſar Scaliger) *Catullus non eſt ſemper aſſequutus, nedum hercle ipſe Perſius.* Quapropter Turnebus, *Quid vetat*, inquit, *attingere feſtiviſſimi Poëtæ Martialis luſus, atque in his operam ludere? Non ſemper ſupercilia adducenda ſunt. Porro præter dignitatem equeſtrem, & alios honores Martiali delatos, Stertinius Avitus ejus ingenio, doctrinaque tantum conceſſit, ut viventi adhuc Veterum more imaginem illius in ſua bibliotheca poſuerit.* Hunc vero Plinius tanti fecit, ut præcoce fato ſublatum affatim luxerit,

Hic eſt quem legis, ille quem requiris.
Toto notus in orbe Martialis
Argutis Epigrammaton libellis,

Cui, lector ſtudioſe, quod dediſti
Viventi decus, atque ſentienti
Auri poſt cineres habent poëta.

Burrinus locum dicendi aſſumens, nempe rogatus, dum vos, inſit, de præſtantia Satyricum inter & Epigrammaticum diſceptantes auſculto, diſputare videmini, utrum major utilitas de Elementis Aqua, vel Igni; ſive utrum ſuavius ſeu fragrans odor, ſeu concentus gratiſſimus. Vel certe an præſtet Horatius Virgilio, Ovidius Terentio, Tullius Plutarcho, Platone Livius? Hoc eſt commune vobis conſilium ſcilicet, omnes illos in ſuo genere excellere, & cuilibet eſſe ſuos lepôres, & ſales. Fervet Sirius, tam gratum eſt umbraculum ab æſtu, quam urgente frigore luculentus ignis. Sitis arida exſiccat fauces, tanta eſt in potando voluptas quanta in edendo, dum fames ſtomachum exhauſit. Non impar mihi labor eſt, non ita me Deus amet, in decernendo uter ſit præſtantior altero. Nunc ſapit Epigramma miſſo Satyrico, ad Martialem advolo: Ex adverſo placet alias Satyra: Tunc mihi probantur magis quam reliqua Poëtarum ſeries Juvenalis & Perſius.

Denique Roſetus, nunc ſupereſt dicenda mea ſententia, & ne vivam, ait, ea auctoritate veſtra nititur opinio, ut conſtet liquido vos deferre primas Martiali; neque perperam herclè; habet enim Martialis quidquid eſt in Poëta optabile, & jucundum; ingenuitatem ſcitam, Veneres & lepôres peramœnos, ſapidos ſales, ut, *qui maxime*: quibus adde acumen non ingratum, quod aures *comprimis demulcet*, ac ſuſpendit, tantumque delectat *animum, ut ſine ſatietate* delectetur, in quo ſumma Epigrammatis *eſt poſita*: tunc enim habet quod ſatis eſt juxta illud,

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Et ubinam ſales reperiatis ſubtilioris, amœnioris, defœcatioris partus ingenii, & judicii dignos emunctioris. Plane reficit animos, & reparat iſta lectio, obtuſaque ſeriis ingenia iſtis jocis ſubtilioribus relaxantur; vel quotquot in ſolidioribus ſtudiis agunt. *Multa ſunt*, inquit adſtipulator Scaliger, *ejus Epigrammata divina, in quibus & ſermonis caſtitas, & argumenti ſpecies luculenta eſt, verſus candidi, numeroſi, pleni, denique optimi.* Videtis, de Martiali Criticus iſte, ac Cenſor quam bene ſentiat. Vos pariter, quantum aſſequor, Poëtam hunc tam emuncti acuminis apio coronabitis, quam mercedem ejus carminis titulo Equitis Romani, quem eandem ob cauſam conſequutus eſt, etiamnum adjiciatis uti par eſt, non enim ſequiorem de eo ſententiam, quam Romani iſti, credo tuleritis.

Plura conantes larvatorum confertiſſimus turbo ruens qua data porta, ab inſtituto ſermone avertit; dum alii in Bacchanales ineptias abeunt, alii in ſaltus incônditos ad præſcriptum fidium: aut jactis in medium taxillis aleam tentant, & vel invitos compellunt. Tum Roſetus paucis alloquutos ſodales reliquit.

DIES

DIES TERTIUS.

In quo domita & exſufflata utrimque ambitio.

SEquente die cum conveniſſemus ex conſtituto apud Roſetum, quæ fabula, ſeu quo ludicro tertium hunc Dionyſialiorum diem ageremus, vacavit cogitare: tot enim nebulis ſtipatum erat cœlum, ut ingrata deambulatio videretur. Interea jentaculi non illauti officium parabatur: jamque opſoniis onerabantur menſæ, non recentibus modo; ſed etiam pridianis ac ſemeſis; non ingratis tamen. Quibus adduntur artocreata, lucanicæ, botuli, cum ferinâ: aderat & vinum hornum, ita ut nobis tam opipare, lauteque jentatis deeſſet locus prandio.

Multa interim proferebantur in medium quaſi diſputationis ineundæ præludia. Alii quovis potius fortunæ ludo remittendos animos, alii ad choream, aut mimum aliquem ſpectandum videbantur proni, aliis demum placebat magis confabulatio. In quam ſententiam pedibus itum. Ergo ſoluto jentaculo, remotiſque menſis cum auſpicandi honos Alethophilo delatus: Renuentem vero Burrinus ſic eſt interfatus: Tua ſingularis eruditio, nulli non ſtudioſo rei litterariæ probata & perſpecta, præter illam quam ſolo natali tuo acceſſis, non mediocrem gloriam undequaque pervagata, optimum quemque ad eruditionis tuæ admirationem convertit: Is es ſcilicet qui artis Oratoriæ floſculos legeris, & artes ingenuas in obſequium vocaris, dum quidquid eſt amœnioris literaturæ in mente veluti pretioſiſſimo gazophylacio pantognoſtus ita congregaſti, ut in unum veluti orbiculum totius orbis gazæ confluxiſſe videantur.

Multaque pars tui
Vitabit Libitinam.

Subdit Macrinus: Noverit ſera poſteritas de republica litterarum quantum ſis meritus; teſtes ingenii tui multiplices partus Attica, Romanaque humanitate ſtillantes, & pari fulgore aciem omnium ferientes. Ergo ne quæſo abnue commiſſam tibi provinciam.

Excuſationes ætatis iterum prætexentem ſic eſt affatus Roſetus, illi fidus in ultimis: Euge, mi Alethophile, eſto vir, non tibi magnæ molis eſt argumentum, ſuccurrit heſterna tua non ſine lepôre, & ſalibus eloquentia; Præi tantum argumento; nos ſequemur, tuis veſtigiis inſiſtentes religioſius.

Quibus Macrinus retulit; & quidem non me fugit defæcatiora quædam ingenia reperiri, rara quidem illa & Muſis fortaſſe ipſis numero pauciora, in quibus effingendis meliori quodam pollice Natura liberalis incubuit; quibus ſi labor improbus acceſſerit, poſtquam ſcholaſticum pulverem exſorbuerunt, iſti in diſerto Muſarum choro digni putantur qui cum Apolline de tripode, cum Hercule de laurea

 certent.

Digitized by Google

certent. Iſta laus non eſt mea, retulit Alethophilus; Cui Borrime, quantum de re litteraria, & de viris litteratis ſis meritus, teſtatur illa volumina, quæ quaſi ſerta ſunt ex variis conſerta floribus, & omni *copia narium*. Tu enim more apiculæ quodcunque defæcatiſſimo palato tuo ſapit, illud exſugis, & maturo examine in ordinem ita redigis, nemo ut ſit imposterum qui novi luminis beneficio fretus in tua verba non juret; ſi quis ſecus præſtiterit, indignus eſt qui vivat. Equidem victimis melioribus hac confeſſione litari tibi me poſſe non credidi.

Adhæc Alethophilus: Pridem in animo eſt, neque ibo inficias, in inſolentes ætatis noſtræ mores invehi, eorumque maxime, quorum cum interſit prælucere cæteris, ſtipe emendicata abdomen ſaginant, Epicuri de grege porci, genus ſuum paſſim obtrudunt, ab avita virtute degeneres. Deinde vero in eos, qui ad ſummos honores aureis quaſi gradibus perrepunt, & ſupremæ potentiæ faſtigium æmulati, nullum ſibi putant non licitum iter, quatenus ad optatos exitus conſilia ſua fœlici labore perducant, & cœlo caput æquent, tumentes ambitu; denique Divos gemmis & auro ſuo æmulati, mortalitatem ſibi videntur exuiſſe; Neque ſtyli mitioris aciem declinabunt hi, qui ſupra vulgares cœtus evecti inſontium famæ maledictis obſtrepunt.

O te lepidum, reſumit Macrinus, dum canino dente meritos lacerabis; ſed vide ne oleum & operam perdas, dum ad *piper chartas* tuas dimittent. Ergo alios ſi audiveris, *hoc œſtrum compeſces*, & liberiori Minerva profligabis *ſcelus imperii*. *Et cum* ad finem hoc opus fœlici labore perduxeris, *ad limam religioſius* revocaveris, & lambendo ſæpius efformaveris, deterſeris, caſtigaveris, tum huic fœtui tuo obſtetricabimur, publicæ luci hunc reddentes: quanquam abſit ut tuæ ſolertiæ labem inferri velim, aut injuriam. Ergo urge hoc negotium, hunc inquam fœlicis ingenii tui conatum.

Cui Alethophilus, Et quidem ego hunc abortivum ingenii mei partum emunctiſſimi judicii veſtri cenſuræ lubens volenſque permittam, beatum ratus, ſi cum veſtro calculo ad lucem prodierit. Sic enim per vos inſertus immortalitati, &

Magna pars mei vitabit Libitinam,
Sublimi feriam ſidera vertice.

Proluſimus hactenus urbanitate ſermonis, nunc ad rem ſodales. Prorſus impotens ambitio, ſubdit, & imperandi cupiditas omnium ſemen eſt, & cauſa malorum. Hæc de radice ſurrepens ſuperbia potentiam ambit, & honorem; ut inde vires habeat, ne prematur; hinc reverentiam, ne vileſcat: dum ergo invaleſcit ambitio, calcata æquitate prodit injuſtitia, & tyrannidem exercens cuncta molitur, quibus poteſt creſcere. Quæ cauſa fuit Romanis civilis diſſidii? dominandi cupiditas. Quæ cauſa lapſus Sejani, niſi eadem cupiditas?

Nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat

Excel-

Excelſa turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſa preceps immane ruina.

Adeo ambitioni ſua eſt temulentia. Hæc Jugurthas ad ſolium per neces germanorum excivit. Hæc Aſtyagem, hæc Amulium ad inhumaniorem ipſa inhumanitate barbariem provocavit. Imo Saturnum ipſum in ſuam armavit ſobolem, & Danaum ad immaniſſimum toto orbe parricidium, non unum ſed multiplex, una nocte quinquaginta filiarum manu conſcivit: denique dextram Quirini fraterno ſanguine cruentavit: adeo Principes ipſos transverſos agit ambitio, ut conſanguineos inter ſe committat, & proprium lambat ſanguinem. ſed

Tolluntur in altum
Ut lapſu graviore ruant.
Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Et timor & mina ſcandunt eodem quo dominus.

Nam quæ major calamitas, quæ ſors ingratior, quam Duci●illius, qui domiti & expilati orbis exuviis dives, (intelligentibus loquor) egenam, & captam oculis trahere ſenectutem, ſtipemque à prætereuntibus miſerandum in morem emendicare coactus eſt. At neque diſpar fortunæ ludibrium paſſus eſt ille alter, qui ex humili ſorte, & quaſi ex pulvere ad rotæ evectus faſtigium, inſtabili deinde fato in infimum devolutus eſt; dum enim ſoli Regis nomini parcit, dum ſupremæ potentiæ faſtigium æmulatur, perduellionis fit reus, denique ô fati inconſtantiam! pœna irrogatur, quam deprecari non potuit. In ſcenæ modum tabulatum erigitur, ubi funeſta periodo tragicæ vitæ actum ultimum claudit. Theatrum ſuperans, ab ipſis etiam adverſariis extorquet lachrymas. Erat uncus ferreus palo ſublimi confixus; rogat lictorem, ecquem in uſum? Lictor, ut truncatum caput multitudinis oculis objiceret. De cadavere, retulit, utere ut libet. Nec mora, caput ſecuri ſubjicit. Appenſo capite truncum corpus in theatro jacet, pyxide ad ſtipem colligendam juxta appoſita, qua ſepeliatur homo vix impar regum ſupercilio, quippe cujus arbitrio Rex ſuus imperaret.

Ergo maxima virtus eſt negligere gloriam: neque magna laus eſt ambire laudem quæ magis ſequitur fugientem.

Concluſerat Alethophilus; cum Macrinus applaudens dicenti, eum rogavit, ut quo cœperat pede pergeret, & indefeſſo linguæ famulatu inſtitutum proſequeretur ſermonem. Alethophilus perſtrictus honore verborum ſermonis ſui filum non ingrata certe, aut pingui Minerva ita retexuit, cęteris auſcultantibus ſecundiſſimis auribus.

Ambitionem intra juſtos carceres nunquam poſſe contineri, ſed in inſolentiam non raro erumpere mihi veterum retro ætatum memoriam repetenti quam plurima à mundi cunis exempla comprobarunt. Nam & mortales immenſæ molis Phlegræis in campis, Theſſaliæque vallibus adverſus immortales bellaſſe commenti ſunt. Verum ab axe

Digitized by Google

quem invidioſe conſcenderant, ſeu fulmine Jovis excuſſos, ſeu Apollinis atque Dianæ telis confixos, hos ſub Ætna monte, illos ſub inſulis Lycone, & Lipara ſepultos, alios in tartarum detruſos, ut ſacrilegæ temeritatis ſuæ pœnas luerent, ipſi Gigantomachiæ auctores aſſirmarunt. Eſto commentum in cunas nutricum eliminandum, ſed illos attendite è caliginoſo cruciatuum loco. Loquatur infœlix Siſyphus ille, qui immane ſaxum uſque adeo volvit ac revolvit: Impurus Tityus, cujus immortale jecur, ac perpetuo renaſcens corrodit vultur: Tantalus diis inviſus in medio aquarum gurgite ſiti tabeſcens; Tiphœus ille ab axe temere occupato fulmine dejectus: alligatus rotæ Ixion, cæteros ut omittam theomaſtiges; quid enim aliud auribus veſtris intonarent præter hanc vocem,

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Inſolentia ſcilicet audaciâ iſtos incredibili armaverat: Quid Catilina? nonne magiſtratuum, quos ambibat ſpe deſtitutus, urbem orbis principem, totamque Italiam inteſtino ſcelere perturbavit? Perierat Roma niſi iſte periiſſet: peſtis patriæ, buſtum, fax, excidium. Nam quæ vis à manibus, quod flagitium à turpiſſima mente abfuit? Mitto ſupplicia ad doloris ſenſum acerbiſſima, ad notam infamiæ turpiſſima, quibus viros clariſſimos, & virtutis, fortunæ, ingenii ornamentis illuſtres excruciatos necavit. Non dico proſcriptiones civium, proditiones Optimatum, urbium, atque provinciarum populationes.

Fœdum eſt dictu quod M. *Antonius Cleopatræ pretium libidinum* Romanum imperium *propoſuit. Quod Hercules* imperata ab Omphale Regina Lydorum *penſa muliebriter* tractaverit.

Jus habet ille ſui, palpo quem ducit hiantem
Cretata ambitio?

His adjungite, ſi lubet, Tarquiniorum ſuperbiam; & inſolentiam tenui penicillo adumbraſtis.

Adhæc Roſetus: Ne vivam, vix gratioribus lenociniis Euphormio res, perſonas adumbrat. Caute tamen legendum Euphormionem nuper admonebam, & ne drachma quæreretur in ſtercore. Quapropter, ſubdit ille, eſt quod moneam ſolertes eſſe nos oportere in ruſpandis antiquitatis ruderibus, & eruendis è ſtercore aliquot micis auri, ne totum ſterquilinium pro auro habeatur: ſed aquam molliter fluentem in cloacam diverte ad hortum tuum, in quo nihil ſordidum, quantum conjicio, impurum nihil; ſed ubique rident & delectant flores nive candidiores, ubique lilia, & roſæ vernantes virtutibus: Imo, & aquæ ſalientes in vitam æternam illam, ubi totum ſtat, & nihil fluit. Sed unde digreſſus eſt ſermo tuus, quæſo illum ipſum retexe. Attamen quotusquiſque eſt, quem ardor gloriæ non exſtimulat? qui careat cupiditate dominandi? qui humanam non appetat gloriam? Ferimur omnes ſtudio laudis, & optimus quiſque maxime gloria ducitur.

Imo, ait Alethophilus, peſtis eſt Colchicis etiam venenis funeſtior,

quæ

Digitized by Google

quæ univerſum genus hominum primi prævaricatoris tumore afflavit, qui dum divinitatem rapere voluit, perdidit fœlicitatem. Ex illo

Ambitio gentes agitat veſana ſuperbas.

Annales quis veſtrûm legit, & ad maximi tyranni impotentem libidinem non horruit? Septennium orbis imperium geſſerat Gratianus, Chriſtiani delicium, & Theodoſium ad ſummi principatus conſortium adſciverat. Maximus qui ſe Theodoſio non imparem, iiſdem honoribus, eodem domi, foriſque ſplendore, gente pari, paribus rerum geſtarum ornamentis illuſtrem reputabat, continuo ultionem anhelare, quod Imperator ſcilicet tot ſtipendiorum militem novo homini prævertiſſet. Itaque copias inſtruit, adeſt in campo, Germaniam populatur, Treviros occupat, & hoc deſignat perduellionis, ac ſceleſti principatus domicilium. Perculit ea res Gratianum, qui hominem dominandi libidine præcipitem imperii ſui videns moliri perniciem, ſerpenti flammæ occurrendum ratus, exercitum comparat, ac fertur in hoſtem. Æquior prima fronte Mars Gratiano. Magna pubis Italicæ, magna Pannonum, Gallicique roboris facta Romanis legionibus acceſſio. Exultans interea Maximus proludit immaniſſimæ dimicationi; militem Romanum Gratiano minus gratioſum ſollicitat, ad ſuas partes allicit, ſpe largitionis ad defectionem impellit. Invidiæ caput, Imperatoris in Pannones benevolentia. Ergo ad caſtra Maximi transfugiunt. Deſertus à ſuis Gratianus fugit in Gallias, novas ſcribit legiones, & novo delectu habito novum exercitum inſtruit. Mox cum Equitum trecentorum ala, quam maximo viæ, temporiſque compendio provehitur. Maximus, qui non imperium modo, ſed & Cæſaris quærebat exitium, Andragathium quendam vita, & moribus ſui quam ſimillimum, & hunc transfugam mittit, qui Gratianum aſſequatur. Lugdunum Imperator pervenerat, jamque aleam prope omnem effugerat, cum Andragathius malo dolo occupat fugientem. Noverat ille Auguſtam Cæſari eſſe longe ſuaviſſimam, & alterum alterius deſiderio mirum quantum teneri; ut ergo Imperatoris fugæ moras necteret, adulterinas quaſi à conjuge Auguſta conſignat litteras, hoc exemplo, nimirum illius abſentiam prolixius ferre non poſſe, ibi ſalutem ſuam periclitari, unde ille abeſſet: placere ſibi ejuſdem fortunæ eſſe ſociam; tantiſper ſubſiſteret, dum Lugdunum non magnis impedimentis eum aſſequeretur. Fractus ea epiſtola Gratianus quid agitet, & quid concilii capiat? deſiſtat? Hoſtis imminet. Regrediatur ad conjugem? Inſidias timet jam ſtructas, jam paratas. Urit Gratianum ſalus Auguſtæ de ipſius periculo ſollicitum. Tandem vincit invictum conjugis amor, cujus in metu nuſquam ſedato, & ſatis compoſito animo eſſe poteſt. Subſiſtit ergo Lugduni, & modico ibidem comitatu dat ſeſe moræ. Interim accidit, ut dum luſtrat legiones, rhedam in via eminus comprehenderet, Auguſtale putat ſatellitium, emicat in campum curſu quam citiſſimo; ſed vix ille ad rhedam, cum ſceleris adminiſtri improviſo eum ad oriun-

oriuntur facinore, & imprudentem ſui caſus, inſontem Principem, deſertum à ſuis, ab hoſte proditum hoſtibus, barbarum in morem mactant ſuo furori.

Atque ea fuit funeſta periodus illius Imperatoris, qui virtutis gloria omnium Cæſarum gloriam primis ineuntibus annis æquabat. Hi fructus ambitioſæ inſolentiæ, quæ innoxium Principem, orbis delicium, tanta perfidia, tam occultis dolis, & quaſi cæco Marte ad eas inſidias, & anguſtias, ad cædem toto imperio Romano lugendam, deteſtandamque concitavit. Nam ambitio æmulationem, æmulatio indignationem, indignatio furorem, furor inſolentiam, inſolentia teterrimam necem provocavit.

Accendebantur omnium animi indignatione ad hanc ambitionem, & inſolentiam tyranni, qui paulo poſt eadem morte cecidit. ſed ut anſa anſam, ſic fabula fabulam traxit: nam dum illi in eam omnibus orationis nervis invehuntur omnes, pergit Alethophilus. Attamen hæc non artibus modo humanis ad ambitioſa conſilia abutitur; ſed ipſos etiam manes, ac totum barathrum ciet, cum Poëta canens,

Flectere ſi nequeam ſuperos, Acheronta movebo.

Cujus rei ſtupendum poſt hominum memoriam exemplum, novum forte huic coronæ, atque hactenus inauditum, nuſquam intermorituræ poſteritati reliquit Q. Rutilius, homo nauci, & niſi ingratum eſt brevi expoſitione adjungam ſuperiori.

Imo age, jucundius nihil *præſtiteris; ſic te puta nobis facturum* ſatis. Iſte, inquam, reſumit *Orator, homo teruncii*, & *filius terræ*, ſi ſic eloqui licet, ut fortuna egens, *ſic omnimodæ* nobilitatis penitus expers; ſed ambitione præcipuus, qua Tiberii Cæſaris in gratiam irreperet, & ad gloriam popularem ſe attolleret, anxie ſecum agitabat: An bonis artibus ad honorum lucem contenderet? At hoc quantæ molis homini uſu diuturno, & domeſtica inſtitutione ad malas artes crudito? Quid ergo faxit? Vulpem attendite. Malo genio familiarius utebatur: conceptis de more verbis hunc evocat. Adeſt ille, quærit nunquid ſe velit? & Rutilius, alta, inquit, nocte, Jovis aut Mercurii cultu, vultuque ſiſte te Cæſari, tum centum manda talentis levari Q. Rutilii inopiam: Virum ornet luce dignum; conceſſum divinitus ad res magnas bene gerendas ingenium, & ſolertiam, prciado attollat impoſterum ejus notæ civem, cum in oculis ferat; adhibeat domi, foris, & publica donet poteſtate. Annuit Dæmon, recipitque negotium: Quare hic ſe jam florentem, ac beatum, jam fortunæ muneribus eximium ferebat. Interim nocte concubia Dæmon aſſumpta larva pulchre perſonam conſtitutam agit, adeſtque Cæſari, & quod mandatum fuerat, adamuſſim exequitur: jacere in ſordibus civem magnæ ſpei, & claræ indolis; ingenii defœcatiſſimi, & emunctiſſimi judicii; denique omni laude majorem; cæterum ex inopia ac tenuitate obſcurum: indignum videri florente Cæſare talem virum fortuna tam adverſa premi: quare ſplendorem, opes, *fortunas*, bene-

rem

Digitized by Google

renti conferret, magnas res ad dignitatem imperii, ad gloriam Cæſaris longe maximas jamdudum moliri. Hac functus legatione emicat procul ab oculis Dæmon, abſceditque larva, mox reditura ultrix facinoris.

Adhæc Burrinus: ſic adducuntur, & pervertuntur plerique, eos ut juſtitiæ omnis capiat oblivio, cum in gloriæ popularis, & honorum cupiditatem inciderint; atrocique ſcelere plerumque ſe contaminant impotenti libidine imperandi.

Et ô beatum qui ſub antiqua ilice
Liventis expers ambitus, tutus ſedet.

Cui Macrinus, quem ardor gloriæ non raro ſtimulabat; qui eſt, inſit, qui cupiditate dominandi careat, qui humanæ non uratur cupidine gloriæ?

Rupit ſermones Andronicus Macrini germanus minimus natu, qui declamationem in Academia horis pomeridianis ſignificavit, & hanc, ait tempori, genialique Dionyſialiorum diei oportunam; ſed & illius ſe actorem fore: ſi luberet ad prandium ſe compararent ocyus. Secundis auribus id accepere omnes, utpote amantes liberalioris litteraturæ, & in triclinium ſe promovent, pro cujus foribus gentile ſtemma oculis inſtantium ſe offerebat, quod elucidari Alethophilum Roſetus vehementer obſecravit. Erat autem ſtemma ſcilicet, Apodes Aquilæ tres, & illæ auro diſtinctæ, ſi linguam purpuream excipias; & ipſæ illæ in area cærulea præpetibus ſimiles: totum vero ſtemma velabat corona aurea, diſtincta floſculis & unionibus.

Ad quem Alethophilus: Equidem non poſſum, quin demirer, mi Roſete, quî fieri poſſit, ut tu, cum ſis ex gentilitia ſtirpe, eaque antiquiſſima, uſum tamen adhuc ignores inſignium tuæ familiæ, quorum rationem tam impenſe requiris: ſed ego, ut rem altius repetam, de ſcutorum origine monitum te volui, & eorum inſignium, quæ quaſi nobilitatis avitæ indicia, & monumenta clypeis bellatorum ſolebant inſculpi.

Porro clypeum, quo ante ſcuti uſum ſe protegebant Romani, ἀπὸ τοῦ καλύπτειν, quod totum celarent corpus; vel à clependo, quod furarentur illud ab ictibus: vel ἀπὸ τοῦ γλύφειν, à ſculpendo, cælandoque, Plinio teſte, deduxere; uti & clypeus quaſi γλυπτὸς, id eſt, ſculptus; cum enim chlamyde brachium olim clypearent, coriis tantum, & pellibus, quæ & ſcuta dixere, præmuniti prodibant in certamen. Dictum vero ſcutum ἀπὸ τοῦ σκύτους, à corio; vel ſi Varroni credimus, à ſectura, quod ex minutiſſimis tabulis coaleſceret. Neque verò à cluendo dictum æſtimamus, etiamſi virtutis avitæ, vel ſuæ ipſius, quam gentilitio ſcuto exprimunt, ſtemmata ſint.

Perſeus in ſuo ſcuto, ſicut & Pallas in ſua ægide Gorgonæ caput expreſſerat monoculum, & ita dirum aſpectu, ut intuentes in ſaxum obrigeſcerent. Cæſares Aquilas appinxere, Hiſpani Leones. Siciliæ ſcutum, & Arragoniæ regium digitis in vulneribus adhuc cruentis

poſt

poſt certamen impreſſis inſignitum eſt, & lineis purpureis diſcriminatum. A Ducibus primum ſumpta ſtemmata, mox ab ingenuis, quaſi virtutum aculei, & ad nepotes traducta ſunt: Ne imbellem feroces dicantur progeneraſſe aquilæ Columbam. Ideoque ſcutariæ coronis nobiles appellantur; uno tamen gradu Equite honorario inferiores; ad quem tamen gradum promoventur illuſtri aliquo facinore. Itaque gentilitiæ iſtæ teſſeræ totæ ſunt in exprimendis genealogiarum, & proſapiarum ordinibus. Vocales aliæ ſunt, aliæ à recte factis, vel ſuis, vel avitis.

Scutarii typi omnium ſimpliciſſimi, ii plerumque nobiliſſimi. Fratrum maximus jus nactus eſt planæ, puræque teſſeræ. Ex formula ſcutarius ille typus deſcriptus eſt, cum color colori, æs æri non inducitur, præterquam in ſcuto Hieroſolymitano Lotharingi ſtemmatis, quod ideo inquiſititivum eſt. Quæcunque à ſuperiori lege aberrant, adulterina ſunt. Porro gentilis ſcuti area legitima quinque colores recipit, cyaneum, rubrum, molochinon, furvum, praſinon; ex metallis aurum, & argentum: ex velleribus Lemocianon, & murem Ponticum; quæ diverſis imaginibus, teſſeris, ſymbolis inuruntur.

Græci Divos, & Deas, vel certe, animalia, imo & characteres ſuis clypeis appinxere; ſic Trojani ipſi *Minervam*; *Ulyſſes* Delphinum; Agamemnon formidinem bovino capite; Mecœnas ranas; *ſphyngem* Thebani ſuam popularem; Columbam Babylonii, *propter Semiramidem*; Lacedæmonii λ; Meſſenii μ; *Alcibiades Cupidinem ſagittis micantem*; Demoſthenes *Bonam fortunam*; *Quidam* è Lacedæmoniis in ſcuto ingenti *muſcam minimam*; *Hanno* Carthaginenſis in argenteo clypeo Barchini Aſdrubalis effigiem; Francorum ſcuto emicant in area cyanea tria lilia, duo ſcilicet ad caput, unum in infimo, cum anteà eſſent ranæ, fertilitatis indices, vel tres coronæ aureæ, forte propter Galliam tergeminam, togatam, bracchatam, & comatam. Plura differerem; ſed ecce Roſetus ad prandium nos compellat: pranſi plura de his & aliis.

Ergo introgreſſi ad menſam aſſident ordine pridiano; nam accumbendi menſis jam pridem mos inoleverat. Roſetus tamen ipſe ſympoſiarcha poſtremus aſſedit, & hanc fieri ſibi poteſtatem impenſe rogavit; quatenus ferculorum miniſteriis invigilaret. *Simul* his puerum vix ſeptennem & hunc citharœdum non vulgaris notæ produxit in medium, qui concentu ſuæ citharæ, ingrata forte, referebat Roſetus, condiret opſonia. Cecinit autem concentu lyrico viciſſitudines rerum, & inconſtantiam tempeſtatum, vocem lepide ſuaviterque cum lyra attemperans. Et illius quidem argumentum prius oblatum eſt, quod Macrinus convivis prælegit:

Omnia vertuntur cum tempore, tempus & ipſum
Reciprocatis vicibus æternum fluit.
Cuncta fluunt, nihil & ſtabili ſtatione quieſcit:
Vos ſola virtus, ſi ſapit, ſtabiles facit.

Cuncta

Cuncta ruunt, claraque ſimul Capitolia Romæ,
Et quæ ſuperbo tecta minitantur polo.
Et Regum turres, & ſplendida templa Deorum,
Thermæ Neronis, & ſepulchrales pyræ.
Cuncta inconſtanti verſat ſors invida fato
Reges, tyrannos, Imperatores, Duces.
Sceptra quatit, quem mox eadem deponere coget
Levitate ſola ſtabilis, & conſtans Dea.
Hinc fluvium in dextra paſtor bibit ore cavata
Cras purpurato vina bibiturus thoro:
Inde armis inimica ferox premit oppida, mane
Hoſti futurus morte ludibrium ſua.
Cuncta inconſtanti verſat ſors invida fato;
Ne fide vanis, annus & menſis fluit.
Momentis momenta vide ſuccedere: tempus
Sequiturque ſeſe ſemper, ac ſemper fugit.
Surgit ut occiduo mergatur in æquore Titan
Suaque tenebras luce compenſet ſoror.
Dat fratri reditura locum, dat & ille ſorori;
Et reliqua vicibus aſtra perpetuis fluunt.
Cuncta inconſtanti verſat ſors invida fato,
Cœlum nec ipſum turbine aſſiduo vacat.
Et rotat hac eadem juvenum inconſtantia mentes,
Scelerumque in altos gurgites ſenſim trahit.
Ac ni præcipitem, cœli Rex alme, vetares
Ulterius ire cymbulam in præceps malum,
Illa vel exiguis obſiſtere fluctibus impar
Vix ſe inquieti vortici eripiat maris.

Luſerat puer cum fatis, protractus eſt ſermo de Lyra, cujus varia aſſignavit genera Macrinus, in his non mediocriter eruditus, ſcilicet nablia, plectrum, Barbiton, citharam, organum, teſtudinem, de cujus origine rogatus pauca eloqui, ſic orſus eſt ab hymno Mercurii:

Ἑρμῆς σοι πρώτιστα τεχνήνατ' ἀοιδόν.

Mercurium fingunt, cum in demortuæ teſtudinis aridam, ſuiſque vacuam carnibus teſtam incidiſſet; eaque ad ſaxum alliſa dediſſet rudes quidem, & inconditos; at non ingratos ſonos, addidiſſe ei & fides, quo confuſus ille ſonus in Muſicos modulos jucundius diſtingueretur. Et vero illæ ſic olim fides à Mercurio ſcite pulſatæ tam ſuaviter viſæ ſunt modulari, ipſumque pulſantem in admirationem ſui tantum rapuere, ut Teſtudo muta prius,

Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum menſis, & amica templis,

ſuper omnes muſicos concentus delectaret.

Productum erat ad bellaria convivium, cum poſt propinationes tralatitias derepente pultatur ad fores, operam Roſetus dederat, ut de declama-

declamatione ſolemni in Academia, per internuncium certior fieret; adeſt igitur non tantum internuncius ab illo emiſſus, ſed ex declamatoribus unus, ipſe Alethophilo familiaris in ultimis; nomen illi Ruxellus, ſingularis eruditionis omnino. Is horam conſtitutam imminere. Ergo omnes è convivio ſurgere, & cultu tumultuarie compoſito una ſe viæ committere; quam ut Ruxellus falleret, quid ſibi à quatriduo contigiſſet Gennabo remeanti ſciſcitantem plurimum de abſentia Alethophilum ſuum edocuit. Huc remenſus iter comitem habui Hertii noſtri fratrem, ſaltem moribus, ſi non conſanguinitate fratrem. Is cum ſerius mutui colloquii ſermo incidiſſet de ſympathia, pene, inquit, volumen compegerim, ſi velim omnia congerere, quæ mihi in ea ſuccurrerunt olim argumenta, *diſputanti cum viro* tibi ignoto Lucio nomine. Exorſus eſt autem ſermonem iſte Lucius Hertianis ambagibus ita parem, ut parœmiæ ſententiam inverterem, taciteque apud me immurmurarem tritum illud, *facundus comes in via pro vehiculo eſt*; ut è contra moleſtus comes itineris ſpatium geminat. Atqui animum meum in mœſtiſſimam iſte iracundiam deduxit eructatione frequentiſſima *propenſionis phyſicalis*, radicitus intrinſecæ affectionis, unionis mentalis, & à natura punctorum inflatorum influxione, infundibilis, & materiali formaliter in reciprocationeitatem ſecretam convertibilis.

Ubi vidit me horum inſolentia portentoſa verborum ad ſe converſum, ratus me non talem inſaniam demirari, *ſed ad ſapientiam mihi* hactenus incompertam obtorpere, & *hærere defixum, cœpit* altius repetere ſermonis initium; *audiſti, pergit,* argumenta ex Metaphyſicis deprompta; nunc quæ ex adytis Theologicis excerpſimus, auribus patuliſſimis hauri.

Horrui magis ad hominis promiſſa, ſtolidiorumque declinaturus ineptiarum moleſtias, gratum erit, inquam ego, ſi referre non graveris, quænam iſta mutui amoris principia; Hujus amoris cauſas referebat ad ſydera, quæ ſingulorum animi, priuſquam corporis circumvolverentur ergaſtulo, colebant: & in his ajebat ſe Platonem ſequi: ſed hæc fabulæ, & logi. Ita plane mihi videtur, inquam ego; veritusque ne rediret ad ſuperiora, præfatus nonnulla, aliquo prætextu in aliam partem equum egi. Sed mox iterum adorſus eſt jam quaſi nauſeantem, diſſimulantem tamen: & quod me humanioris eruditionis ſtudioſum acceperat, quamobrem, inquit, ad ſublimiora non evolas, & in ſcientiarum divinarum anquiſitione non deſudas, tu olei patiens, & laboris. Tunc hominem magis probaturus, cœpi contra meam mentem contendere, humaniorum litterarum ſtudium eſſe vaniſſimum. Plus ille ſuis oculis me cœpit amare, ô inquit, caput ſapientiſſimum, ô & judicium emunctiſſimum ut cum maxume, non ita de te mihi retulerant: ajebant te unis Poëtis addictum ſapientiæ divinæ, humanæque ſtudia penitus ejuraſſe. Imo, inquam ego, diebus ſingulis categorias Ariſtotelis manibus tero: penes me

quoque

quoque ſunt varii illuſtrium Philoſophorum non priſcorum modo; ſed & noſtræ ætatis codices quos illi recenſui. At ille,bene habet; ſic decet te largiſſime irrigari divinis flaminibus ſupermundanæ ſapientiæ; quatenus tibi proſis, & aliis. Simulans ego nutu oculorum, frontis explicatione, non ingratam mihi, at officioſam admonitionem, gratias egi de officio, promiſique me morem geſturum.

Mirum vobis non ſit, quod apud hominem ſciolum tam impune mentitus ſum, & humaniorum litterarum odium, & Philoſophiæ novæ amorem. Ni fecerim, terram mari, cœlo maria involviſſet; neque adeo ut illi me probarem, quam ut contentionis ſuperfluæ moleſtias averterem: plerique in id diſputant, ut alios ad ſua ſtudia trahant, ipſi omnium artium liberalium, imo & illius ſcientiæ, quam ita jactant, & ad quam toto alarum remigio ferri videntur, prorſus inopes.

Homine imperito nunquam quidquam injuſtius,
Qui niſi quod ipſe facit, nil rectum putat.

Ait Comicus. Forte iſtuc verſuto ingenio, neque ſatis candido tribuetur: non ego diffitebor; abſit ego ſic agere velim cum familiaribus; at auguror eſſe conſultiſſimum cum quibuslibet hac uti ſolertia; præſertim vero cum illis, qui ſibi plus cæteris viſi ſapere, & aut aliorum ſtudia elevant ſuperbi, aut ſua laudant non inglorii. Legimus Socratem perpetuo Sophiſtarum artes, & ingenium verſutiſſima ſimulatione impenſe laudaſſe; ita tamen ut ejus ſolertia ſagaciores non lateret: neque ea cautela cum amicis utebatur: hujus ſapientis adductus exemplo aliena laudo ſtudia, mea vituperantes ipſe potentiſſime adjuto. Alia quædam ſunt, in quibus omnis perſona detrahenda, quam in aliis induere ſapienter monent. Ego næ inſanientem cujuſcunque rei ſtudio, & aliarum nauſeantem faſtidio, ſua probantem, conculcantem aliena, putabo hunc ſanum, niſi & ipſe inſaniam; An tali homuncioni ſenſa mentis aperiam, aut Socratica prudentia mirari me fingam hominis ingenium; id equidem reor magis operæ pretium, & majoris compendii. Miſſis hiſce confabulationibus & riſu exſufflatis rogavit Ruxellum Macrinus, Ecqui rumores apud Gennabum, unde remetiretur, pervagarentur in vulgus, quæ vero imprimis in ore Optimatum civitatis verſarentur. Cui ille retulit, rumores exigis, quos qui Ruxellum noverit, ab eo nunquam expectabit. Cuncta quæ audio, ſi modo abhorreant à meis ſtudiis, illisque obſtrepant importune; memoriam meam confeſtim præterlabuntur: & ſi quidem illi nimis adhærerent, protinus excuterem.

Muſis amicus triſtitiam, & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis. Quis ſub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tiridatem terreat, unice
Securus.

Sciſcitare de poëtis, aliiſque ſcriptoribus Græcis, Latinis; *Ohe jam ſatis eſt.* Quid Sueci, vel Moſcovitæ; Mahumetani vel Perſæ cogitent, quærere, vel audire non libet. Juvat magis Socratis apud Xenophontem lepidis intereſſe diſputationibus, quam in Regum, regionumque remotarum anquirere conſilia. His omiſſis nectarea libet carmina poëtarum delibare. Quis rerum alienarum tam avidus ſciſcitator hujus modulationis ſuavitatem, non quibuſlibet rumoribus anteponat.

Libet modo jacere ſub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ;
Queruntur in ſylvis aves;
Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus
Somnos quod invitent leves.

Quem non jucundiſſimo commiſerationis ſenſu permoveat morientis Eliſæ conſpectus?

Nunquam meminiſſe pigebit Eliſæ.

Rurſus dum in legendis ſermonibus Socratis incumbo totus, cor mihi liqueſcit ferventi lætitia reſolutum. Attamen ne me exiſtimes quorumlibet rumorum faſtidio nauſeare, nuperrimis diebus audiebam pangi epico carmine Juliadem: & indies novæ eduntur in vulgus fabulæ; ita ut nullos pene duces eximios priſcæ ætates tulerint, qui non alicujus poëtæ beneficio ſtellis inſerantur. Recens eſt edita Olynthia, de Clœlia volumen duodecimum expletum legitur, auctoris illius opera, qui ſolutorum poëtarum chorum ducit. Sic unæ fabulæ poſthabitis veteribus hiſtoriis ſedulo volvuntur: hinc ſe ſperant plerique abituros eloquentes. Amatoria ſcripturiunt ad juventutis perniciem. Vietum, ruſticumque ſermonem augurantur, cui non alicujus ſideris, aut ſolis, aut Auroræ nomen intrudatur; qui lilia, & roſas non redoleat. Si ſermo proferendus; vix ac ne vix quidem intelligas: nam coram loquentes labia comprimunt, ut leniter verba maneant: ſicque inani eloquentiæ opinione tumentes apud imperitos inepte garriunt. Ite nunc jactabundi Parnaſſi æditui, honorarii Apollinis convivæ, veſtram ad aſtra diſciplinam extollite.

Poſtquam cachinnis excepti ſunt, & adunco naſo ſuſpenſi tales ſcriptores, ad limen Academiæ ſermo protractus juvenum hunc florem deduxerat, cum in proximo auditi tumultus quaſi litigantium. Ergo omnes ad enſem reſpicere accinctum lateri, quaſi tumultuantium turbo eſſet gladio coërcendus. Juvat tamen aulam ingredi unde exaudiebatur; ſed linguis ibi certabatur, non pugnis: Et Hercle

Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Alii bufonum more turgentes, parum eſt quin diſrumpantur; hi in dicteria efferuntur; quaſi vero quod verborum ſuorum vanitate non poterant aſſequi, hoc ipſum valeant dicteriorum procacitate, nulla habita religionis, humanitatis, decoris, ratione. Pergit Alethophilus ſciſ-

ſcilicet callidus excuſſo mores ſuſpendere naſo: Alii inanibus & argutis freti fallaciis in ineptias efferebantur pluſquam mimicas, & buccis crepantibus, adducto ſupercilio, grandia verba trutinabant: tunc iram convertimus in effuſum cachinnum.

Admiſſi aures porrigimus, neque mora oblati ſunt nobis codices, qui id, de quo quærebatur, amplectebantur compendio: 1. Scilicet Mundum nec à parte ante, ut loquitur Philoſophus, nec à parte poſt, æternum eſſe. Eſto, Plinius naturæ arcanæ indagator, illum dixerit * neque genitum, neque interiturum, quaſi rerum naturæ opus, & rerum ipſam naturam: Æquævus enim Deo ſi eſſet, profecto eſſet Deus. Indies Elementa ſe invicem conſumunt mutuo certamine. Subſidunt montes; implentur valles, & alvei. Ipſa ſidera ſuam ad metam præcipiti curſu ruunt. Imminuuntur corpora: certiora propediem perituri mundi argumenta.

Ortum quidquid habet, finem timet.

Sed attendatur Orpheus,

Ætate in ſexta ceſſabit machina mundi.

2. Contra errorem Præ-Adamitarum à quinque millenariis annorum, & ſeculis fere ſeptem conditus mundus creditur. Ita ut fruſtra Sinenſes obtrudant ſeptuaginta annorum millia ab orbe condito; Ægyptii fruſtra quindecim millia computent; ſacerdotes vero Ægypti, Herodoto teſte, & Reges ſuos, & icones illorum propalam exhibeant; numerentque à primo ſuorum Regum annorum millia undecim; demum jactent Solem quater à ſua orbita, & ſoliti curſus lege deflexiſſe. Sed & Chaldæi, teſtibus Diodoro, & Tullio, quadraginta annorum millia in ſuis annalibus deſcripſere. Dicat & Philoſophus Zoroaſtrum ſex-millenariis totis Platoni prævixiſſe: ſed & ipſe Plato alioqui divinus aſſerat, Saitas Ægypti urbis incolas octies mille annorum hiſtoriam proferre: Athenas vero millenario toto ante hanc urbem fuiſſe conditas.

Ad Ægyptiorum, atque Sinenſium obtruſos annales reſpondetur, his vel annos contractiores extitiſſe, vel in annis illorum numerandis reperiri aliquid computationibus noſtris diſſonum; & millenarium pro centenario, vel brevem annum, hoc eſt menſem, pro anno ſolito uſurpatum.

Quod autem ad Regum prolixam ſeriem iſtam, vel plures tanquam Tetrarchas, vel Toparchas ſimul imperaſſe augurandum, vel certe ſingulo quoque anno novis ſuffragiis novos Reges more Conſulum ineunte anno regnum iniviſſe, anno exeunte regno exiviſſe; niſi ſit ſatius commentitias inter Rhapſodias iſta reputare: nam & illos diluvium generale negare neceſſe eſt.

Porro ſol à ſoliti curſus lege quater revera deflexit; nimirum pugnante Joſuë, ægrotante Ezechia, moriente auctore naturæ, eodemque reſurgente. Et ſic error Præ-Adamitarum reſolvitur, & exploditur.

 3. A Deo

* *Demetritus ex atomis omnia eſſe docet. Diagoras Deum omnino excluſit.*

3. A Deo uno & trino, illoque ὁμοουσίῳ, non à tribus Diis, ut Orpheo placuit; vel à pluribus conditus eſt mundus: ſed nec à ſe ipſo, ergo à Deo: atque id pulchritudo univerſi, ordoque rerum cogit fateri. Nam quod ſtatos cœleſtium globorum curſus cernimus; quod conſtitutis vicibus inſignes rerum, atque temporum mutationes intuemur; hæc non temeritati fortunæ; ſed hæc omnia moderati principio tribuere par eſt. Hinc innata eſt, & ſic inſculpta mortalium animis à puero iſta Dei notitia, ut ſi terrarum tractus vel remotiſſimos obieris, urbes quidem muris, opibus, diſciplinis deſtitutas invenire poſſis; urbem diis, templis inopem, ſuis ubi ſacris inſtantia ſibi mala à ſe removeat, viderit unquam nemo. Adeo majoris eſt molis ſine ſole orbem condi, quam opinione de Deo ſublata conſtare civitatem poſſe. Et quamvis multi de Diis vitioſo more diſſentiant; omnes tamen in ſupremi alicujus cultu conſentiunt. Quidni ergo hominum communi vaticinio religio vera eſt? *Omni in re conſenſus omnium gentium Lex naturæ, & vox putanda*, inquit Orator. Nobis itaque cum ipſa natura ſentire liceat. Is eſt autem Deus à quo fluit quidquid ortum habet. Eſt enim Circulus bonitatis, qui de bono in bonum revertitur, & recurrit; ait Triſmegiſt. Eſtque Deus *ἀνώνυμος*, nec enim nomine indiget: diſcrimen cum exigat multitudo; Deus autem unus eſt.

4. *Dic ubi tunc eſſet cum præter eum nihil eſſet?*
Tunc ubi nunc, in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Deus Sphæra intellectualis eſt, ait Hermes, cujus centrum ubique, circumferentia nullibi. *Erat ipſe ſibi Regia nullo* definitus loco, quippe nullus erat locus, & per tot annorum myriadas, ſua bonitate, & ſapientia fruebatur, gaudebatque ipſe ſuæ fœlicitatis terminus, ſibi ſufficiens: Et ſapientiæ conceptum divinæ mentis actione vitali fonti luminis ſui coævum generabat. Hinc illa Minerva è cerebro Jovis, quæ naſcenti orbi obſtetricata animum hominis ex puriſſimis ignibus inſpiravit.

5. Nec eſt quod de illa generatione æterna multitudo Deorum colligatur, etiamſi mundum à tribus Diis conditum Orpheus Lebetrius myſtico poëmate decantarit: hic enim ſapientioribus ſcribens, & arcana divina in vulgus jactanda non eſſe, cum Platone ſentiens in verbo luſit. Eſto poſt Græcos Latini bellantes inter ſe Deos commiſerint. Sed illi dum delectationi legentium ſtuduerunt, neceſſaria fabula dramaticum argumentum animarunt. Nec ibo inficias, mortalium primos propter inventas artes, eaſdemque tranſmiſſas in poſteros inter immortales fuiſſe annumeratos, & in faſtis relatos inſtinctu ſcilicet Dæmonis, qui ut neſciretur Deus, plurimos mentitus eſt, eoſque voluptatum illicitarum amantes. Attamen non commento tantum quid ſimile eſt, ſed & ſacrilegio dicere ſanctum hoc numen, iis vitiis delectari, quibus naturam corrumpimus: ſed & oſcitant hi qui una divinitate non contenti, pluribus litant.

6. Quæ-

Digitized by Google

6. Quæſitum & de ſitu mundi, & an plures ſint, ubi ſententiæ variorum expoſitæ, & expugnatæ: Nam Ptolemæum ſecutus Tichobrahe à vulgari opinione ne lato quidem ungue diſcedit. Verum noſtra ætate apud nonnullos *vetus error abiit*, Copernicani Syſtematis ſectatores.

Iſte Nic. Copernicus Belga, ſub finem poſtremi ſeculi, vir ſane non vulgaris notæ, Origanum ſecutus novum ſibi audaci conatu molitus eſt mundi ſitum; veterem antiquavit, dum in mundi meditullio Solem ſtatuit, ſeptem planetarum orbibus quaſi ſatellitio circumcinctum, atque immobilis firmamenti, pariter ac terræ mobilis centrum immobile. Sol tamen ſuper polum ſuum, ſive cardinem lentiori motu vertitur. Terra autem quaſi unius ex planetis vices agit, & circum ſolem centrum ſuum gyrat: & hoc ſane & motus irregulares deſtrueret.

Verum Galilæus, auctor ſpecularis Batavici, opinioni Copernicanæ adhæſit pertinacius, dum verſatilem mundum defendit, recentioris illius ſententiæ nimis imprudens, minus religioſus ſectator, de quo vulgatum; *Commoviſti terram & conturbaſti eam.*

Longomontanus priorem ſententiam aliquantulum minuit, dum ait, terram quidem eſſe in centro mundi; ſed quaſi cardine niti atque verti. Additque intra ſpatium 24. horarum curſum ejus abſolvi: Sic enim motui Solis irregulari prudenter occurrit, qui ſolet intra 246. horas juxta antiquum & magis vulgare ſyſtema confici.

7. Prodiit etiam nuper Oculus Enoch, & Eliæ, in quo notatur mundus novus in orbe Lunæ, ab auctore cum perſpicillis animadverſum, & ſcite diſtinctas terras ab aquis, mollioribus partibus, & minus lucidis.

Hunc ſequuti non pauci, qui Aſtronomi audiunt, novam obtruſere Philoſophiam, nimirum plures eſſe mundos hoc vulgari elegantiores; & eas in globo lunari maculas minuſque pellucidas partes, quas in Luna arguimus, aliud nihil eſſe, quam aquas, quæ acceptam lucem non repercutiunt. Quod vero ſplendidum, eſſe terras ipſas, quæ radios Solis excipientes, pallidum iſtud lumen, quod in luna cernitur, efficiunt, ratione ab orbe noſtro vix diſſimili, qui ſolaribus radiis flagellatus, lucem exhibet fulgore pari radiantem. Sed jam pridem iſta ex Philoſophiæ noſtræ ſacrario in gynæceia ſimpulatricum eliminantur, Poëtiſque relinquuntur, qui Nemæeum Leonem ex ſylvis Lunæ à Junone Noverca ad perniciem Herculis demiſſum volunt.

8. Et ſunt vero, qui non modo de orbe Lunari iſtud commenti ſunt Pythagoræorum auctoritate freti: verum de cæteris etiam errantibus, in quorum numero orbem quoque noſtrum recenſent, medium ei inter planetas locum tribuentes, Solis ſphæra, uti dictum ſuperius, in centro mundi conſtituta. Ajunt ſcilicet Planetas non iis ſcintillis ardere, quibus ſtellas fixas firmamento, ſed iſta perperam.

 Nam

Digitized by Google

Nam etiam apud gentes ſic invaluit vulgaris opinio, ut caſtratus à filio Jove Saturnus ideo fingeretur. Irritæ igitur fuerunt lachrymæ Alexandri Macedonis, dum plures eſſe mundos ab Anaxagora audiit; quod ne unum quidem armis ſubegiſſet:

Unus Pellæo Juveni non ſufficit orbis.

9. Nono & ultimo loco aſſerta eſt differentia, Atheos inter & Epicureos, quorum illi Deum omnino tollunt, ſoli naturæ, & fato omnia tribuentes: hi ſolam Divinam providentiam, & animæ mortalitatem: ſed utroſque è ſapientum numero expungimus. Horum Epicureorum effatum commune eſt:

Mortalem cum te noris, præſentibus exple
Deliciis animum, poſt mortem nulla voluptas.

Sed illi ab Auctore ſuo quantum diſcrepant, quantum ab Epicuri ſententia deſciſcunt; ſic ille in Epiſtola ad Herodotum: *Cum itaque dicamus voluptatem finem eſſe, non luxurioſorum voluptates, eaſve quæ in guſtu ſunt poſita, ut quidam ignorantes, aut ab ſententia noſtra diſſentientes, aut male accipientes arbitrantur: ſed non dolere corpore, animoque tranquillum eſſe, & perturbatione vacare dicimus: Non enim convivia, & comeſſationes, non fœdi congreſſus, non piſcium uſus, & cæterorum, quæ offert pretioſior menſa, ſuavem gignunt vitam; verum ratio ſobria, cauſaſque perſcrutans, cur quæque eligenda, vel fugienda ſunt; opinioneſque expellens, per quas animos ut plurimum animat tumultus; Horum omnium initium, maximumque bonum prudentia eſt.* Hæc ille; cujus ſententia ab Epicureorum *vita* quantum diſcrepet, liquido patet. Sed id *non ſapit hodie Bacchalium*, & Epicureorum ſodalibus, ex illorum hara vix emergendi cupidis.

Elati ſunt omnes gaudio, dum penitus excuſſæ ſunt & ſolutæ propoſitiones iſtæ, quæ pridie in medium allatæ fuerant. Tunc Rurellus eos in proximum eloquentiæ ſtadium perduxit, ubi declamator orationem inſtituebat funebrem Bacchanaliorum in die ſacra voluptati, feſtiva Baccho, Orgiis trietericis vix abſimili, hunc enim diem genialem ſententia capitis damnaverant, ex numero dierum ſcilicet eum expungendo, homines frugi, & quorum menſa frugalis erat, dum aliorum erant limina non cruenta modo volatilium, quadrupedum, meleagridum, perdicum, coturnicum, aliorumque id genus animalium ſtrage, ſed & natantia ſanguine; ita ut in Scytharum, atque Læſtrigonum regionem putent demigraſſe. Revocabat ex inferis Pythagoram metempſychoſeos auctorem, qui mortuorum animas in brutorum animantium corpora migrare docebat, quibus jam alii veſcebantur, imo ſaginabantur impietate non ferenda. Et ò ingluviem! exclamaſſet, dum apros totos deglutiunt. O helluones & parricidas, imo pluſquam parricidas! qui in parentes, avos, abavos, atavos, quorum animæ in corpora iſta migrarint, ſævire non ceſſent. Pergite ut cœpiſtis, & ordine præpoſtero viſceribus veſtris obſcœniſſimis eos ipſos abſorbete, à quibus vos in hanc lucem, qua minime digni

digni eſtis, ſerius quidem, ſed tamen citius prodiiſtis. hæc Pythagoram jactantem inducebat. Deinde menſas Bacchanalia celebrantium comparabat cum patinis Vitellii, Saliorum dapibus, Pontificum cœnis, cum Lapitharum conviviis & Centaurorum; quandoquidem hæc inferiora numero meleagridum, quadrupedum, volatilium, quibus additur vinum hornum & annotinum, quibus accedunt placentæ ex ovis ſimul cum ſimilagine permixtis.

Interim ex popinis, ex culinis, ganeiſque inter confuſos tympanorum, tubarum, cymbalorum ſtrepitus prodibant larvati, Lupercis vix abſimiles, alii equis hinnientibus, alii mulis, aſiniſve rudentibus inſidentes, & ipſi quoque rudentes; aliis in veſtibus obſoletioribus erat ſcilicet olla pro galea, pro criſtis plumæ gallinaceæ, veru pro gladio, pro balteo hilæ infumatæ, ſartagines pro clypeo, pro caligis utres. Dixiſſes eos ad Trojam aliquam, Carthaginem, aut Numantiam expugnandam accinctos.

Plura parantem ſtrepitus ingens perſonatorum ingredientium turmatim Athenæum arcuit, fictâ ab illis novâ quadam Academiâ. Præibant octo apparitores, ex ciſtiferis fori piſcatorii homuncionibus fœdiſſimis collecti, partim claudi, & luſci; partim gibboſi, colos cannabi aut lino circumveſtitos inepte prægeſtantes. Proxime ſolus incedebat vir ſtatura valde procera, vultu ſubpallido, ac ſeveriori, uno ad frontem elato, altero pene ad mentum depreſſo ſupercilio: tegebat caput collectus ex fori quiſquiliis galerus; corpus vero lacerna, ſive cento talaris, ex variis obſoletæ purpuræ laciniis lepide coagmentatus. Pone ſequebantur doctores eodem fere cultu, atque apparatu. Tum Philoſophi, Rabbinos Judæos putatote; mox & Medici mulis inſidentes, & geſtantes pharmaca: hanc omnes illi Athenæi palæſtram ingreſſi, detracto lacinia togæ declamatore Aſinum rudentem & repugnantem ſatis adigebant in cathedram; mox alium Aſinum inducebant, licentias, quas vocant, quaſi depoſcentem: iiſque veluti conceſſis in utroque jure, & collo atque cervicibus alligatis licentiatum pecus magno omnium plauſu, & acclamatione excipiebant, & per compita deducebant laureatum.

Poſtquam ſcurrilem hanc & tumultuantem turbam ex Athenæo egreſſam vidimus, aperta eſt nobis tabella ingens, in qua ſub involucro ænigmatico latebat Ovum adverſus impugnantes ſe protegens cum ſuis clientibus atque natis: homo erat cataphractus, cujus regia tugurium ex palea: circum autem & ab utroque latere volatilia, reptilia, aquatilia, quotquot ex ovo prognata: flava zona cingebat latera; criſtam vero ornabat gallina gallinacea: Propugnabant è volatilibus Aquila, Strutio, Milvus comprimis: porro Strutioni, uti Teſtudini ineſt tam mitis, & efficax oculus, ut ſolo aſpectu quaſi molliſſimo incubatu pulli iſtarum avium excludantur: è reptilibus & aquatilibus Crocodilus, & omne ſerpentum genus: è bipedibus Caſtor & Pollux, armati lanceis; hic pugil, ille eques, ex gemino ovo

diebus ſingulis primo mane Principi ſuo pauca hæc inculcantem, Φίλιππε ἄνθρωπος εἶ. Neque omnino faſtum Pauſaniæ Simonides alio argumento coërcebat, quam eadem voce ſæpe repetita, Μέμνησο ἄνθρωπος ὤν. Adeo morte certius nihil, nihil incertius: quæ cum ita ſint, æternitati cur levem & fugitivam prævertimus voluptatem? Cur momentum ævo duraturo? Equidem quovis oculo perluſtro mundum, hac inſtant pericula: hinc opibus homines inhiant, illinc honoribus: hinc habes intemperantem luxum, inde ſolutas libidines, fœdos amores. Nuſquam fides, ubique fucus in ore, fucus in oculis: Venalis populus, venalis curia patrum. Movet me ſanguis gentilitius; at ſingulari me certamine implicat, in quo plus eſt plerumque ignaviæ, quam virtutis: ſed & vileſcit eloquium illud, quod intercalaribus maledictis non aſperatur. Adde quod ad dignitates aureis gradibus plerumque hodie promoventur. Jacta hic anchora à curſu deflecto. Aſylum quæro, audio inſuſurrantem Poëtam auribus meis hoc conſilium:

Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, atque bibiſti,
Tempus abire tibi eſt.

Et illud Sardanapali tumulo inſcriptum:

Ἔσθιε, πῖνε, ἀφροδισίαζε· τ' ἄλλα δ' οὐδέν.

His dictis inter mutuos amplexus diſcedunt Athenæo, egreſſi in diverſa diſtrahuntur.

Atque hæc tridui genialis Dionyſialiorum meta.

SERIES

SERIES PATEFACTI DIVINITUS PARRICIDII,

IN

Ter maximum Regem regnumque Britanniæ cogitati & inſtructi,

Nonis IXbribus M. DC. V.

Illo ipſo Novembri ſcripta, nunc demum edita.

AUTH. ARGUM.

Sæpe divinitatis opera hæc ſunt ut Furias in ipſo jam ſucceſſu ſecuras ſubita ultio excipiat: ne vel unquam improbis timor, vel ſpes abſit calamitoſæ virtuti.

Digitized by Google

Series patefacti divinitus parricidii in Maximum Regem Regnumque Britanniæ cogitati & inſtructi.

DUbitatum jam olim ab Antiquitate eſt, utrum omnibus ſceleribus indicere pœnam, an omittere præſtaret ea quorum immanitatem natura refugit: Credo quod male ominari nollent plerique de genere humano, aut etiam admonere hæc fieri poſſe ſcelera quæ damnarent. Sed hæc ætas & nefandum hujus diei parricidium dubitantibus ſcrupulum ademit; oſtendit, corruptos animos licentiam ſibi facere, quantam rivuli crepidinibus ruptis, qui neque alvei meminerunt, nec niſi per montium inſperatos obices caſtigantur. Ingens, atrox, horridum facinus, quale nec antiquitas vidit, & ægre poſteri credent; denique velut omnium flagitiorum compendium in hanc diem fortuna contulit. Non ulciſcar atrocitate verborum quod nulla unquam ſupplicia digne vindicarint. Rem aperiam tanta fide quanta perfidia geſta eſt. Populi Nationeſque vel ſtupore damnabunt vel atrocioribus lacerabunt pœnis quam quas ſtyli iracundia profunderet. Auguſtiſſimo Jacobo tertium annum imperante agebat in alta pace Britannia; nihil tumultus domi, cum externis fœdus. Non videbatur poſſe tentari fundamentum tam bene vallati Imperii. Cujus ut certius ſecuritas viveret, erant dictæ publicis Comitiis Nonæ Novembres; (incidit ille dies in 15. Novemb. Stylo novo:) id eſt, vocati Ordines Regni qui de negotiis publicis cognoſcerent. Weſtmonaſterium eſt oppidum ita Londino continuatis domibus annexum, ut ea ſola appellatio disjungat. In eo, & Regia ad amnem ſita, & ſecundum eandem ripam paulo ſuperius Curia quæ hos Regni Conventus accipit. Sacratiſſimis Regibus digna tanta Majeſtate ſedes. Ad eorum pedes ſereniſſimi liberi. Cum Rege ſacrorum Antiſtites, & quos Britannica lingua Dominos appellamus, nempe Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, & Barones, purpureis veſtibus, & capitibus ex antiquiſſima conſuetudine tectis. Civium mox delecti. Judices deinde ac Magiſtratus, & Regis beneficio exterarum Gentium legati. Regiis etiam domeſticis certa ſedes. Jam reliqui diſcriminibus confuſis, quot capaciſſima ſedes accipere poteſt: neque enim melioris notæ quiſquam excluditur ab oratione Regis qua initium Concilio facit. Non eſt celebrior in orbe terrarum conſeſſus. Igitur, quum jam inſtaret illius diei pompa, forte vir ipſa celeritate ignotus Nobiliſſimi Baronis Montaquilii puero literas porrigit: eas Domino ſuo reddere jubet. Nec ulterius cunctatus quam ut Epiſtolam traderet, quod eſt facile in tam populoſa urbe, præſertim nihil ſollicitante puero, ſe per tranſeuntes hominum globos confudit. Servus, ut erat imperatum, Monta-

Montaquilio literas tradit: quas aliquandiu neglectas tandem in hæc verba conſcriptas legit.

Amicitia, quæ mihi eſt cum tuorum aliquot, facit ut tuæ ſalutis curam habeam. Ideo monitum volo, ut, quo ſtudio vitam amas, eo incumbas prætexendis excuſationibus quæ te à publico Ordinum conventu eximant. Numen enim & homines conſpirarunt in ultionem ſcelerum quæ hæc ætas tulit. Neque præcautionem ſpreveris, ſed diſcede ab urbe ocius in aliam regni partem, ubi rei exitum ſecurus expectes. Etenim licet nulla mortium initia ſe prodant, dico, terribilis ictus in hunc Conventum incidet, neque erunt in læſorum conſpectu hi qui lædent. Non eſt quod conſilium temnas, quod prodeſſe tibi poteſt, nocere minime poteſt: quippe periculi nihil erit his exuſtis literis. Eo te recte uſurum ſpero beneficio Numinis. Cujus tutelæ te reſigno.

Literæ iſtæ erant Anglico ſermone ſcriptæ eo charactere quem vulgo Italicum dicimus. Montaquilius rei novitate perculſus, epiſtolam ad Nobiliſſimum Saliſburienſem Comitem defert, quid facto opus cenſeat, conſulit. Hic fideliſſimus & ſagaciſſimus Purpuratus agitare ſecum varia. Modo cogitare, nihil inauſum ſceleri eſſe: impia facinora tam mirabiliter aperiri quam flagitioſe concipiuntur: Nunc otioſas populi voces reputare & inanes vaticinantium metus, qui ſæpe nullo argumento calamitates publicas portendant. Inter hanc animorum jactationem pæne factum ut nullius fidei litteræ haberentur. Tamen ne quid etiam tutum in tanto negocio non timerent, placuit de ea re ad nonnullos ſanctiſſimi Concilii referri. Lecta epiſtola in aliquorum cœtu pluribus riſum quam ſecuritatem excuſſit. Evincebat opinio refutantium hos timores, quum in tanta tranquillitate rerum nec timendum cenſerent, nec excitandos divulgatis ſuſpicionibus rumores qui diſtraherent populi mentes & ineptis terroribus conſternerent. Quem enim jam in Britannia rebellare? quem habere comparatam in Inſula manum? aut cujus vires inſtar hyberni torrentis, ut in ipſa Satellitum turba Regem opprimat? Iterato tamen de eadem re actum. Excuſſæ diligentius timoris cauſſæ, tandemque decretum ut de eo negocio Rex ipſe cognoſceret. Is perlectis diligenter literis, haud ſecus quam pro re motus, ſe vero non contemnere, dixit, hanc vocem quam ipſi ſceleri bona fortuna extorſerat.

Voluerunt fata, ut ſuorum quidem fidelitati, ſuæ vero prudentiæ vitam Rex tantus deberet. Cum enim diligentius inhæreret illis literis, ſubito exclamavit, (diceres hanc chartam plus illi quam cæteris dixiſſe) aut nihil ſe videre, aut facinoroſos deſtinaſſe ſulphurei pulveris tormento grande ſcelus exequi: nec dubitare ſe quin ipſam Curiam cum Purpuratis omnibus hoc fulmine humano velint de ſedibus ſuis movere, & Regnum in ſuis capitibus exterminare. Jam ſubita Regis divinatio omnibus incuſſerat metum, & quoniam illius conſtantiam noverant, & quia iis argumentis nitebatur quæ necdum alius adverterat. Quid enim, ajebat, quod ſcribunt non fore in læſorum conſpectu hos qui lædent? quid eſt aliud quam hos machinas & ſulphuris violentiam minari? Quod deinde exuſtis literis ceſſare periculum ajunt, numquid obſcure dictum eſt ſubitam fore flammam quam qui evaſerint in ſecuro conſiſtent?

Obſtu-

Digitized by Google

Obſtupeſcentibus ad tantam ſolertiam cunctis, tamen fatorum iniquitas pene tanti conſilii prudentiam extinxit. Etenim cum pridie illius diei, qui & publicis Conventibus & tanto ſceleri erat indictus, Rex delegaſſet provinciam, perſcrutandi omnes latebras unde hæc tempeſtas poſſet erumpere, Nobiliſſimo Suffolcienſi Comiti, Summo Regii Cubiculi Præfecto: Ipſe, inveſtigatis diligenter omnibus, retulit, non eſſe certum tanti facinoris indicium, nec in inferiori ſede ac velut ſubterranea, quæ Curiæ ſubjacet, advertere aliud potuiſſe præter ſtruem faſcium quos in hyemem conductor repoſuerat, in quibus tamen poſſet aliqua ſuſpicio deliteſcere. Tum Rex generoſum Equitem delegat, Thomæ Knevetto nomen eſt, qui excuteret ſuſpectam faſcium fidem, videretque ne quid inſidiarum illa ſedes reciperet: Ratus callidos homines ſibi deſtinaſſe hanc ultimam noctem in qua ſuæ nequitiæ inſtrumenta ad Regni interitum expedirent. Hic aliquando victa virtute impietas eſt, & mala Regni fortuna manus dedit. Thomas Percius erat Regi & naturæ jure & magnis beneficiis devinctus: Quippe etiam in Penſionariorum numerum receptus. Ita vocant ſelectos ex ampliſſimis familiis ad illuſtrem & præcipuam Britannicorum Regum cuſtodiam. Is cum immane parricidum animo deſtinaſſet, admiſſis aliquot in tanti facinoris communionem, id hoc ordine explicare decreverat. Accitus erat ex Belgio vir qui in Anglia natus duodecimum jam annum Hiſpanis operam dabat. Hic conjurationis miniſter, ut melius falleret, ſe pro Percii dudum famulo geſſerat. Guido Faux parricidæ nomen erat. Pæne à biennio conduxerat hanc Curiæ partem: credo ne ſuſpecta novitas; & ut tanti apparatus obſcurius tegerentur. Ibi ſceleris velut domicilium conſtitutum. Vim in eo ingentem ſulphurei pulveris detruſerat. Cum primo in diverſis conſciorum domibus ſine ſuſpicione duceretur: ac ut omnem ſcrutantium eluderet curam, compoſito lignorum acervo ſuppoſuerat fatalem illam mercem. Sed iſto demum tempore curatis diligenter omnibus, cum inde paulo poſt mediam noctem digrederetur, Knevettus, ut erat imperatum, hominem adoritur, &, quid eo præcipue tempore ibi ageret, quærit. Ille neſcio quæ mentitus ſe in craſtinum uſum adornaſſe, jubetur reſerare oſtium, quod in illam ſedem ducebat. Erat cum Knevetto & Magiſtratuum manus & ſatellitum. Fingebatur neſcio quos Regios tapetes è proximo ſubtractos eſſe; eos hac diligentia quæri. Igitur quum amoveri cœpiſſet lignorum ſtrues, occurrit primo dolium mediocre, mox vis tanta tormentarii pulveris ut non domum evertere ſed corrumpere Civitatem poſſet. Dolia erant triginta duo, in iis electiſſimi pulveris pondo pæne millia novem. Super dolia ferreæ maſſæ, quæ flammæ viribus elatæ ultra fulminis impatientiam ſævirent. Etiam lapides & ingentia velut rupium fragmina, quæ ædificii moras ſuo impetu tollerent. Sed in eam rem maxime intenderant curam ne Regem incolumem hæc tempeſtas omitteret.

Infra Regiam cellam dolium erat poſitum multo cæteris capacius: quia etiam inermem Majeſtatem ſine magno apparatu aggredi timebant. Nec dubitatum eſt, quin, ſi hoc ſcelus exitum habuiſſet, cecidiſſent ultra triginta millia mortalium, everſis compluribus ædificiis, ne miſera civitas unica clade deformaretur. Etiam periiſſet auguſtiſſima ſedes (Weſt-

(Weſtmonaſteria appellant, unde & oppido nomen) tot Regum inaugurationibus ſolemnis, tot tumulis religioſa: Ibi regni inſignia: ibi memorabile ſolium propter ſubjecti lapidis famam & de ea Patrum fidem: Templum, præter auri marmoriſque precium & Henricini ſacelli decus, quo elegantius Europa non habet, ipſa antiquitatis majeſtate ſpectabile. Ac ne perduelles ſanctitati umbrarum parcerent, quiete omnium pæne Regum oſſa eo facinore laceſſebantur. Jacuiſſent everſa monumenta vetuſtatis, & prope pulcherrima memoria triumphorum. Huic templo vicinum ærarium & tot in eo arcana eadem clades petebat. Nec ſupervixiſſet incendio Curia ubi jus populo dicitur, ne ſcelus & perfidiam poſſet ulciſci. Ita complectebantur omnia uno facinore. Non reliquerant novo ſceleri locum, & ipſam Furiarum inventionem fatigaverant. Igitur, cum loquentibus rebus ille *nefarius nihil amplius* negaret, concubia adhuc nocte in Regiam ducitur. Is collecto ſpiritu animoſus, Scio, inquit, & mihi inſtare mortem, nec quid ea gravius in me poſſe decerni. Itaque non expectabo ut tormenta confeſſionem exprimant. Etiam hoc cum laude dicendum eſt. Fuit mihi is animus quem ex tanto apparatu colligere potuiſtis. Regem, Principem, optimates, una cæde tollere volui: nec quærite quid me ad *illius* conſilii magnitudinem extulerit. Sacrorum meorum amor & meriti gloria hunc animum immiſit, ut in adverſarios quacunque audacia ſævirem. Nec degenerabat à verborum conſtantia interritus vultus: credo, quoniam ſpes aberat ſcrupuloſæ trepidationis parens. Et vero maximum in *præcordiis* dolorem ſævire dicebat, quod non proceſſiſſet cogitatum facinus, & tam grande conſilium fortuna prodidiſſet.

Erat palam, ab altiori fonte *decurrere hanc conjurationis* ſtygem. Thomas Percius, eo die qui *noctem pæne fatalem* præceſſerat, velut ad negotia excedens diverſis labyrinthis turbaverat veſtigia fugæ ſuæ: Cum ſubito eum in armis eſſe nunciatum eſt, & collecta conjuratorum manu, huc illuc diverſis voluminibus circumferre contemnendum agmen, ut quod vix ſexaginta equites implebat; Peditem in iis neminem eſſe. Generoſos aliquot Nobiliſſimi Harringtonii equos rapuerant, fures magis quam hoſtes. Et pæne parricidarum conſilium palam erat, voluiſſe ſublato Rege & confuſis miſerabili calamitate omnibus, Sereniſſimam Elizabetham Regis filiam quæ Burlii educabatur, in poteſtate ſua eſſe, eam deinde collocare nuptui, prout rerum ſtatus & vel exterorum exigeret favor, vel metus urgeret. *Sed populus ab eorum ſcelere* averſus, quocunque ſe contulerant aut oppidorum aditu prohibebant, aut etiam infeſtis armis abeuntes proſequebantur. Itaque tertio die, poſtquam aggregari cœperant in ipſo Britanniæ ſinu, ingenti miraculo oppreſſi ſunt. Regionis quam infeſtabant Judex, quum necdum emanaſſet Weſtmonaſterienſis ſceleris fama (quippe ultra centum millia paſſuum Londino aberant) tantumque audiret eſſe armatos qui homines publice ad Romanæ fidei profeſſionem vocarent, miſſo ad eos nuncio ſignificari jubet, quia cædibus hactenus abſtinuerant, ſi recederent ab amentia, armaque ponerent, ultro ſe pro illis ſuppliciorum deprecatorem fore. Mallent clementiam Regis experiri quam fortitudinem. Illi gnari præciſam ſpem veniæ magnitudine facinoris, *ſuperbis* etiam

verbis

verbis cunctantem judicem exaſperant. Neque ſe illo advocato egere, &, ſi ad eos veniret, aut hoc firma manu faceret, aut ipſius damno fore. Sane videbantur majorum virium quam ut imperita oppidanorum manu premerentur. Sed ibi etiam fortuna & Regis & Britanniæ vicit. Ruſticus villæ familiaris, in quam ſe receperant, in pulverem ſulphureum, quem ipſi pluvio aëre corruptum ad ignem ſiccabant, ſcintillam imprudens immittit. Illa ſtatim correpta flamma dominorum ſuorum ſcelus ulciſcitur, in vultus invadit. Aliquorum frontes exuſtæ, aliquorum membra. Et invadendi facultatem & ſuſtinendi hoſtis robur idem caſus ſuſtulit. Aliqui profugerunt, nocentiores reſtiterunt velut ad ſupplicium. Interim villa, ubi ſe condiderant, oblato ab oppidanis incendio cœpit ardere. duplici malo circumventi quum & arma foris & intus incendium urgeret, maluerunt ferro cadere quam ſolvi lentioribus flammis. Deſperatione itaque pleni in medium prodeunt, non aliqua ſpe vitæ, ſed tantum mortem mutaturi. Ibi primum omnes in genua procidunt, cum Percius Virginis imaginem prompſiſſet. Ea adorata ad prælium accenduntur. Percius & Catsbeyus juncto interſe dorſo circumvenientem multitudinem ſubmovent. Sed glans plumbea transverberato Catsbeyo etiam Percium ſauciat. Necdum audiverant oppidani perfidiæ Auctores ex Regio præcepto vivos capi oportere. Catsbeyus cecidit: Percius vivus quidem in manus venerat, ſed biduo deinde ex vulneribus conſumptus eſt. Facile deinde profligati perduelles. mox alii, ut quemque fuga & metus abſtulerant, per diverſa diſſipati. Plurimi tamen capti, publicis cuſtodiis & mox ſuppliciis ſervabantur. Nec abſtinuerant hoc flagitio fœminæ, quaſi ſequior ſexus timeret eſſe innocens corrupto meliore; Illæ quoque detecto facinore in carceres miſſæ ſunt, dignæ miſericordia niſi omnes miſeros eſſe voluiſſent.

Quid huic par ſceleri? aut quæ cum eo componenda crudelitatis atrocitas? Mithridatis furor una nocte in cives Romanos tota Aſia ſæviit. Siculi ſuam veſperam cæde Gallica nobilitaverant. Utrobique hominum genus quærebatur. Iſti ſpecie quidem partium, ſed velut æquali odio id videntur quæſiiſſe, ne quis eſſet, qui non eos victos lætaretur. Sed præcipuam in hoc facto prudentiæ gloriam nec auferre homines Regi poſſunt, & videtur optimum Numen approbare omnibus voluiſſe eum ſuo faſtigio digniſſimum eſſe. Quum erupiſſet ex tanto incendio non tam ſcintilla quædam quam fumus & nebulæ, id eſt, argumenta ſed illa perobſcura deſtinati facinoris, hæc omnibus pæne infra curam ponentibus ſolus Rex non contempſit. Juſſit indagari ſceleris veſtigia, ne aut ſua culpa moreretur, aut fortunæ beneficio viveret. Quæ illic prudentia, quæ omnibus ſceptris digna ſagacitas! Quum deinde proditorum facinus ita eſſet ex tenebris extractum ut nondum periculi moles cervicibus depulſa videretur, ſolus ille cui omnes maxime timebant, ſolus Rex inturbata fronte conſtitit. Quæ demum iſta animi magnitudo, & digna Heroum virtus! Tibi Patriæ Imperium, quod hodie tua virtute vivit, fata diutiſſime ſoſpitent. Tibi vitam, quam tot hominum millia immortali tuæ prudentiæ debent, omnes Gallicæ devotionis exemplo deſtinent! ô Auguſte, ô Britannice, ô Rex, cujus vitam in hoc ſeculum fata diſpenſarunt, ne periclitanti Patriæ ultimum eſſet.

O ſce-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3518072 6F.

Digitized by Google



Digitized by Google